COLLECTIO INDULGENTIARUM

THEOLOGICE, CANONICE AC HISTORICE DIGESTA

OPUS A P. PETRO MOCCHEGIANI A MONSANO

EX-DEFINITORE GENERALI ORD. MINORUM

ET SACRAE CONGR. INDULGENTIARUM CONSULTORE

DISPOSITUM

NUTU ET AUCTORITATE

RMI P. ALOYSII A PARMA

TOTIUS ORD. MINORUM MINISTRI GLIS

IN LUCEM EDITUM

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

—

1897.

TIBI

VIRGO IMMACULATA MARIA

SERAPHICI ORDINIS PATRONA POTENTISSIMA

MATER EJUS

QUI INFINITIS SUIS MERITIS

QUIBUS ET TUAE OPULENTISSIMAE AC SANCTORUM OMNIUM

SUPERABUNDANTES ACCESSERUNT SATISFACTIONES

ECCLESIAE A SE FUNDATAE THESAURUM ACQUISIVIT

OBTULITQUE PRETIOSISSIMUM

LIBRUM HUNC DE EODEM THESAURO DISSERENTEM

INSCRIBIMUS, OFFERIMUS, DICAMUS

EIQUE TU MATER NOSTRA AMANTISSIMA

UT VIVIS AC DEFUNCTIS UBEREM FRUCTUM AFFERAT

LABORI NOSTRO UT FILIO TUO PLACEAT

BENEDICTIONEM TUAM CLEMENTER LARGIRE.

DECRETUM APPROBATIONIS

Cum S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita Opus quod inscribitur « *Collectio Indulgentiarum theologice, canonice ac historice digesta, auctore P. Petro Mocchegiani a Monsano, Ordinis Minorum Obs. S. Francisci* », uni ex suis Consultoribus examinandum commiserit, isque ejusdem Operis diligenti peracto examine testimonium ediderit nihil in eo reperisse quod minus conforme habeatur sive Constitutionibus RR. PP. sive Decretis, etiam recentissimis, nec non Rescriptis hujus S. C., praefato attento examine, praedictum Opus typis imprimi ac publicari benigne permisit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 17 Februarii 1897.

✠ ARCHIEPISCOPUS NICOPOLITANUS,
Secretarius.

Opus cui titulus « *Collectio Indulgentiarum theologice, canonice ac historice digesta* » ab Adm. Rdo P. Petro a Monsano, Ex-Definitore Generali ac S. Indulgentiarum Congr. Consultore, compositum approbamus et commendamus, et ex parte Ordinis nihil obstat quominus, servatis de jure servandis, typis mandari possit.

Dat. Romae ad S. Antonii, 18 Februarii 1897.

Fr. ALOISIUS A PARMA, *Minister Generalis.*

AD SACERDOTES

Exhibetur Vobis, Ministri Domini et quotquot ad ecclesiastica munia, Deo vocante, contenditis, opus quod inscribitur « *Collectio Indulgentiarum theologice, canonice ac historice digesta* », cujus non modica pars jam prodiit per successivos articulos in franciscana Ephemeride *Acta Ordinis Minorum.* — Ex quo a supremo Moderatore Ordinis nostri ad exercendum Secretarii generalis munus advocati fuimus, plane animadvertimus quam necessarium esset opus lingua latina exaratum, in quo collecta haberentur Sanctae Sedis documenta, quae indulgentias quomodocumque respicerent. Incertitudines siquidem permultae erant, et saepe a pluribus quaerebatur, num in certis casibus de Pontificia concessione constaret. Expleto Secretarii officio et inter Definitores generales adlecti, quod mente antea conceperamus, ad actum deducere proposuimus. Obtenta a Rmo P. Aloysio a Parma, Ministro Generali Ordinis Minorum, Benedictione seraphica, hortatore benevolentissimo Adm. R. P. Raphaële

ab Aureliaco, Procuratore Generali Ordinis, cui multum debemus ob eximium studium comparandi nobis libros ad id necessarios, manum ad opus, certe non facile, illico admovimus, et post aliquos annos, licet adversa valetudine jugiter afflicti, illud, auxiliante Deo, absolvere potuimus, quod modo Vobis omnibus, qui in sortem Domini vocati estis, reverenter offertur.

In hoc patientiae opere concinnando id nobis proposuimus, ut ea omnia in libro complecteremur, quae in materia indulgentiarum fidelibus cunctis, sed maxime Sacerdotibus scitu perutilia vel necessaria sunt. Quocirca praejactis et explicatis veritatibus ac legibus, quae pro indulgentiis partem generalem seu fundamentalem constituunt, gradum fecimus ad secundam partem, ad inquirendas scilicet et exponendas indulgentias in specie, quae nimirum a Summis Pontificibus concessae sunt in favorem omnium Christifidelium, quaeque adnexae reperiuntur quibusdam precibus, piis exercitiis, Benedictionibus Apostolicis, devotionis objectis et locis sacris. Demum eas suscepimus expendendas indulgentias, quae non omnibus Christifidelibus, sed personis quorumdam coetuum concessae sunt. Et haec est hujus libri textura generalis.

Ad particularia descendentes, monemus, in hoc opere plures quidem ex brevioribus precibus, quibus adnexae sunt indulgentiae, in Lectorum commodum nos recensuisse, minime vero omnes, cum hae jam collectae habeantur in authentico libro omnibus notissimo et in principaliores linguas verso, cui titulus « *Raccolta di orazioni e pie opere, per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze* ». Nec item inseruimus Benedictionum formulas, utpote quae cuilibet praesto sunt in Rituali Romano nec non

in tot libris vel libellis. Praedictas res ideo etiam praeterivimus, ne voluminis moles, jam satis aucta, augeretur amplius non sine Lectorum fastidio.

Inferant Lectores, in hac elucubratione eo animum nostrum praecipue intendisse, ut de indulgentiis doctrinam exponeremus; regulas vero, praescriptiones, declarationes ac responsa S. Sedis vel SS. Congregationum hac illac sparsa et disjecta, colligeremus, disponeremus, ac opportune explicaremus. Latius fusiusque, propter uberiorem materiam, egimus de quibusdam rebus vel locis aut personis, quibus concessae sunt indulgentiae, videlicet de devotionis objectis, de Scapularibus, ecclesiis, altaribus privilegiatis, Portiuncula, Via Crucis, de Regularibus, de implexa quaestione quoad communicationem privilegiorum et indulgentiarum inter eosdem Regulares, de Institutis votorum simplicium, de gratiis in particulari concessis Ordini Minorum, de Tertio Ordine saeculari Franciscali, de Confraternitatibus aliisque piis Associationibus. Harum rerum tractationem pro Lectoribus cunctis, sed speciatim pro Sacerdotibus non modicae utilitatis esse confidimus; siquidem quaestiones plurimae ac dubia non pauca relate ad indulgentias, quibus dirimendis frustra persaepe teritur tempus ac pervolvuntur libri, hic simul collecta et authentice hactenus resoluta habentur. Eorumdem pariter Lectorum commoditati prospicientes, adjecimus ut plurimum, post peculiaris materiae expositionem, brevem conspectum rerum notabilium. Et ut cuivis detur ea quae requirit facilius invenire, Indicem universarum rerum ordine alphabetico digestum ad voluminis calcem apposuimus.

Interim hunc librum lecturos rogamus, ut velint erga nos benignos ac indulgentes sese ostendere, quatenus defectus naevosque, quos sibi contigerit in eo reperire, non omnes

culpae Auctoris, sed difficultati laboris ab eo suscepti ex parte saltem adscribant. Alius quisque majori ingenio, ampliori doctrina ac eruditione praeditus, perficere poterit quod imperfectum est.

Fontes ad quos unice in redigendo opere confugimus, et cuique quoad indulgentias confugiendum est, S. Sedis documenta sunt, quae reperiuntur collecta sive in volumine, cui nomen « *Decreta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae* », sive in libro « *Raccolta di orazioni e pie opere* » etc., quem supra laudavimus, sive etiam in opere, quod inscribitur « *Rescripta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae nec non Summaria Indulgentiarum* » etc. Decisiones quae post editos hujusmodi libros in lucem prodierunt, vel ex gravibus Auctoribus vel ex variis ephemeridibus catholicis omni fide dignis desumpsimus aut nos ipsi ab ipsa Sacra Indulgentiarum Congregatione humiliter postulavimus et obtinuimus. Quaedam documenta specialia, quae in laudatis Collectionibus non fuerunt inserta, quia ad id faciendum deerat scopus, et de quorum authenticitate rationabiliter dubitari nequit, ex libro probatorum Auctorum excerpsimus. Ubi vero de materia theologica vel de quibusdam quaestionibus gravioribus in ordine ad indulgentias agitur, eorumdem Doctorum auctoritate semper usi sumus. Consuluimus etiam plures ex recentioribus Auctoribus, qui procul dubio in rebus plurimis singulari adjumento nobis fuerunt.

Lectores benevolos praemonemus, Decreta quae sine specificatione S. Congregationis saepe intra parenthesim citantur, ex Sacra Congregatione Indulgentiarum prodiisse. Numerus arabicus, cui praeponitur littera N. intra eamdem

renthesim positus, numerum indicat seriei Decretorum spondentem, prout jacet in libro « *Decreta authentica* » pra citato. Ubi vero decisiones et responsa aliarum Saarum Congregationum referuntur, id specifica citatione notatur.

PARS PRIMA.

In hac prima parte exponitur doctrina Ecclesiae quoad Indulgentias *in genere,* et in duo capita partitur, in quorum primo agitur praecipue de iis, quae in ordine ad Indulgentias sunt *retinenda* vel *credenda,* et ideo doctrinam *theologicam* continet; in secundo tractatur de iis, quae ex praescriptione Ecclesiae sunt *facienda* ad eas lucrandas, in quo proinde doctrina potissimum evolvitur, quae *canonica* dici potest.

CAPUT I.

DOCTRINA THEOLOGICA DE INDULGENTIIS.

§ I.

NOTIO INDULGENTIAE.

1. Ex doctrina catholica constat, peccatori poenitenti, post culpae remissionem et poenae aeternae condonationem, superesse ordinarie obligationem aliqua temporali poena divinae justitiae satisfaciendi vel in praesenti, vel in altera vita; et poena temporalis, expianda quoque in hac vel in altera vita, debetur etiam cuilibet peccato veniali.

Jam vero Dominus noster in sua infinita misericordia disposuit, ut fideles ab his temporalibus poenis liberari possint vel ex toto vel ex parte, *in praesenti vita,* tum operibus satisfactoriis, quae ipsi compleant, tum sanctis indulgentiis, quas *per modum absolutionis* Ecclesia, depositaria infiniti thesauri superabundantium satisfactionum Jesu Christi, B. Mariae Virginis et aliorum Sanctorum, eisdem fidelibus concedit, et ipsi lucrentur. *In altera vero vita* per applicationem earumdem indulgentiarum animabus Purgatorii *per modum suffragii* factam. Hinc patet quid sit indulgentia.

2. Definitio indulgentiae. Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo pro peccatis quoad culpam condonatis debitae, quam

per applicationem thesauri Ecclesiae, ex superabundantibus meritis satisfactoriis Jesu Christi, B. Mariae Virginis et Sanctorum coalescentis, ecclesiastica auctoritas extra Sacramentum Poenitentiae fidelibus concedit (Cf. *Raccolta* pag. IX-X).

3. Ex data definitione pronum est colligere, per indulgentiam non remitti peccatum *(reatum culpae)*, sive mortale sive veniale sit, nec pariter poenam aeternam *(reatum poenae aeternae)*, quae semper supponit peccati mortalis reitatem. Reatus culpae gravis una simul cum poena aeterna non deletur, nisi per Sacramentum Poenitentiae rite digneque susceptum, vel per perfectum contritionis actum cum voto ejusdem Sacramenti.

Culpa autem, seu *reatus peccati venialis,* remittitur non solum per absolutionem sacerdotalem in praefato Poenitentiae Sacramento, sed etiam aliis remediis, ex. gr. per contritionis actum, per orationem Dominicam, per Sacramentalia etc., extra dictum Sacramentum expiari potest. « *Venialia,* ita docet S. Concilium Trid. sess. XIV, cap. V, *quibus gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter... in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt* ».

4. Effectus ergo indulgentiarum est remittere non culpas sive mortales sive veniales, sed *poenas temporales,* quae saepe luendae remanent post *culparum* remissionem. Non est enim putandum, totam peccatorum poenam semper simul cum culpa remitti. Tridentinum loco citato cap. VIII haec habet:

« *Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum, culpam a Domino numquam remitti, quin universa etiam poena condonetur; perspicua enim et illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, praeter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur* ». Hinc in canone XII anathemate damnat, qui dixerit, *totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo;* et in canone XV eum anathematizat, qui dixerit, *fictionem esse, quod, virtute Clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat.* De fide est igitur, quod, remissa culpa et poena aeterna, poena temporalis saepe vel plerumque exsolvenda remaneat.

5. Hinc est quod fide catholica edocemur, praeter coelum et infernum, e quo nulla est redemptio, existere statum quemdam, in quo animae justorum, quae ex hac vita migrarunt non perfe-

cte purgatae, poenis mundentur antequam in coelum recipiantur. Hujusmodi locus, ut omnes norunt, jure *Purgatorium* nuncupatur.

6. Dictum est in definitione: *extra Sacramentum Poenitentiae,* ut discernatur indulgentia a remissione, quam operatur absolutio sacramentalis, vi cujus, una cum culpa et poena aeterna, remitti etiam potest partim aut integre, pro diversis poenitentium dispositionibus, poena temporalis. — Ceterae particulae, quae in allata definitione continentur, licet intellectu faciles, magis ex dicendis clarae fient.

7. Quia indulgentiae, ut ex dictis apparet, locum obtinent *satisfactionis poenitentialis,* ideo non aliam poenam tollunt, nisi quam debemus *in foro secreto et poenitentiali.* Per indulgentias igitur fideles non liberantur a poenis *naturalibus.* Nam statutum est a Deo, ut istiusmodi poenae non tollantur, nisi cum natura ipsa mutabitur, id est cum *per resurrectionem mortale hoc induet immortalitatem* (I. Cor. XV,54). Nec per indulgentias tolluntur poenae, quae *in foro externo et contentioso* sive ecclesiastico sive saeculari infliguntur. Indulgentiae enim minime pertinent ad forum externum contentiosum, sed, ut dictum est, ad forum secretum et poenitentiale. Poenae fori externi propter bonum reipublicae infliguntur, ut facinorosi deterreantur a peccatis, et probi homines securitate fruantur (Vid. Bellarm., de Indulg. cap. VII; Passerini, de Indulg. quaest. 1, n. 9).

§ II.

VERITATES CREDENDAE RELATE AD INDULGENTIAS.

8. Veritates de fide credendae quoad indulgentias duae sunt:

1ª *Potestatem esse in Ecclesia divinitus ei traditam concedendi indulgentias;*

2ª *Indulgentiarum usum christiano populo esse maxime salutarem.*

Utraque propositio expresse docetur a Concilio Trid. sess. XXV in decreto de Indulgentiis, in quo habetur:

« *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salu-*

tarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant ».

9. Prima thesis. Quod revera Christus Ecclesiae suae contulerit potestatem concedendi indulgentias, manifeste apparet:

a) *Ex S. Scriptura.* Christus (Matth. XVI, 19) ait Petro: « Tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; *et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis* ». Rursum ibid. (XVIII, 18) ita Apostolos omnes affatur: « Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; *et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* ».

Haec Christi verba tam generalia atque ampla sunt, ut nulla ratione coarctari possint ad solam potestatem remittendi peccata quoad reatum culpae et poenae aeternae. Istiusmodi potestas, *absque ulla prorsus restrictione* Ecclesiae collata, *ad quodcumque vinculi genus,* quod potest fideles impedire vel retardare a consecutione salutis, certissime et manifestissime extenditur. Ergo extenditur etiam ad remissionem poenarum temporalium, quae, culpa et poena aeterna deletis, luendae supersunt: seu *complectitur etiam facultatem concedendi indulgentias.*

b) *Ex usu ejusdem potestatis* ab ipso Ecclesiae exordio ostenditur etiam veritas, de qua agitur. Ea siquidem usus est Paulus cum incestuoso Corinthio (II. Cor. X), remittens ei poenam temporalem jam antea impositam. Si Paulus id potuit: *ergo et Papa potest,* arguit Doctor Angelicus, *qui non est minoris potestatis in Ecclesia, quam Paulus fuit* (Supplem. quaest. 25, art. 1). Eadem potestate antiquitus Ecclesia usa est, cum ad preces Martyrum statuta poena seu satisfactio saltem in parte relaxabatur (Cf. Perrone, Prael. theol. vol. VII, de Indulg.).

Cum canonum poenitentialium rigor successu temporis temperatus fuisset, tunc indulgentiarum usus frequentior esse coepit; et hoc ideo, quia Ecclesiae pietas quadamtenus exigit, ut adjutricem porrigat manum filiis suis, quorum animos et corda dejiceret et debilitaret antiquae poenitentiae rigor. Cujus rei exemplum sumitur ab Apostolo, qui remissae incestuoso Corinthio satisfactionis hanc reddit rationem: *ne forte is abundantiori tristitia absorbeatur* (II. Cor. XI, 7).

10. **Secunda thesis.** Quod autem indulgentiae sint utiles, ac maxime salutares populo christiano, ex dictis consequitur. Nam:

a) Nequit non esse utile ac maxime salutare populo christiano id, quod Christus Ecclesiae suae dispensandum commisit, et Ecclesia juxta traditam sibi a Christo potestatem, quovis tempore in fidelium commodum dispensavit.

b) Nequit non esse utile ac salutare id, quod valde confert ad excitandum in Christifidelibus verae poenitentiae spiritum, omniumque virtutum studium, atque ingens pro altera vita solamen animo ingerit. Porro id omne praestant indulgentiae, quae juxta consuetas concessionum formulas non dantur nisi iis, qui *vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti,* vel saltem *corde contriti,* certa pietatis opera adimpleverint. Quapropter indulgentiae maxime prosunt ad fidei, spei, charitatis, omnisque pietatis augmentum, ut etiam experientia constat, potissimum tempore Iubilaei et occasione indulgentiae de Portiuncula nuncupatae.

11. Dum autem ex indulgentiis tot spiritualia bona fidelibus obveniunt, illud ex iisdem tamquam *effectus proprius* provenit, quod debita nostra, id est *poenae temporales,* quae expiandae supersunt, vel ex toto aut ex parte relaxentur, removendo tali modo impedimentum gloriae. Unde jure concluditur, *indulgentias,* juxta catholicam doctrinam, *esse utiles ac maxime salutares populo christiano* (Cf. Perrone, loc. cit.).

12. **Veritates proximae fidei,** quas tamen nonnulli Theologi absolute *de fide* dicunt, tres recensentur:

1. *Per indulgentias relaxari fidelibus poenas pro peccatis remissis Deo debitas.*

2. *Easdem indulgentias applicari posse per modum suffragii animabus in Purgatorio detentis.*

3. *Dari in Ecclesia thesaurum seu collectionem satisfactionum Christi et Sanctorum, cujus dispensatio ad eamdem Ecclesiam, seu ad Romanum Pontificem, nec non ad Episcopos pro diversa ratione pertineat.*

13. *Ex prima propositione* tenendum omnino est, indulgentiis remitti poenas temporales *non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo,* ac ideo indulgentiae non sunt nudae remissiones poenarum canonicarum in foro tantum Ecclesiae, ut haeretici asserunt, sed ipsae valent ad remissionem poenarum temporalium *etiam apud divinam justitiam,* nempe *in foro Dei.*

Thesis constat ex contrariis propositionibus a Summis Pontificibus censura notatis; scilicet ex articulo 19. Lutheri a Leone X damnato, et propositione 40. Synodi Pistoriensis a Pio VI proscripta per Constitutionem *Auctorem fidei,* in qua habetur:

« Propositio asserens, indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti, quasi indulgentia praeter nudam remisssionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam: *falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in articulo* 19. *Lutheri damnata* ».

Suadetur *ratione theologica.* Nam indulgentiae, quae poenas canonicas relaxarent, poenis apud Deum non remissis, magis obessent, quam prodessent, quippe quae poenitentiae opera tollerent, poena remanente. Hanc rationem ita exponit S. Thomas eumdem errorem confutans:

Ecclesia huiusmodi indulgentias faciens, magis damnificaret quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet Purgatorii, absolvendo a poenitentiis injunctis (Suppl. q. 25, art. 1). Idem affirmat S. Bonaventura, qui scribit: Quidam distinguentes forum *Dei* et forum *Ecclesiae,* dixerunt, hujusmodi relaxationes non fieri nec intelligi quantum ad forum *Dei,* sed quantum ad forum *Ecclesiae*... Sed tamen ista opinio, etsi relaxationes videatur ponere, verius interimit; quia si relaxant (Rectores) ita quod Deus non relaxat, potius *deceptio* quam *relaxatio* vera judicanda est, et potius *crudelitas* quam *pietas* dici potest, dum minuendo hic poenitentiam, in futuro ad graviora trahit supplicia. Ideo aliter dicendum, quod relaxatio illa non solum valet in foro Ecclesiae, verum etiam in foro Dei, quia Deus habet pro condonato quod sic condonatur (Lib. IV. Sent. Dist. XX, part. II, art. unico, quaest. 2).

14. *Secunda propositio, quod nempe indulgentiae applicari etiam possint per modum suffragii animabus in Purgatorio detentis,* abunde probatur tum ex dogmate communionis Sanctorum, de quo postea; tum ex universali Ecclesiae sensu et praxi; tum ex actis Summorum Pontificum, qui ex vetusto more concedere consueverunt indulgentias defunctis applicabiles; tum ex oppositis propositionibus, quas Romani Pontifices proscripserunt, ut Sixtus IV, qui damnavit doctrinam Petri de Osma huic veritati

contrariam; Leo X, qui confixit oppositas Lutheri propositiones n. 22. et 23; Pius VI, qui Bulla *Auctorem fidei* aliam similem conciliabuli Pistoriensis propositionem damnavit, tamquam *falsam, temerariam, piarum aurium offensivam, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiae injuriosam, inducentem in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in articulo 22. Lutheri.* Tandem veritas probatur etiam *ratione.* Nam si quilibet fidelis potest valorem propriae satisfactionis defunctis applicare, et pro illis Deo satisfacere, a fortiori Ecclesia poterit pro eisdem de thesauro suo applicare satisfactiones Christi et Sanctorum.

15. *Tertia propositio, quae affirmat dari in Ecclesia thesaurum satisfactionum Christi et Sanctorum,* pluribus rationibus demonstratur a Doctoribus catholicis, inter quos vide Bellarminum, de Controversiis, tom. II, de Indulgentiis, lib. 1, cap. 11; Passerinum, Tractatus de Indulgentiis, quaestio 11; Mastrium, Theol. Moral. Disput. 23, art. 1.

Sane haec veritas constat ex propositionibus contradictoriis quae a Romanis Pontificibus confixae sunt. Pius VI propositionem 41. conciliabuli Pistoriensis, utpote catholicae doctrinae contrariam, damnavit tamquam *falsam, temerariam, Christi et Sanctorum meritis injuriosam.* Pio VI praeiverat tum Leo X contra Lutherum, tum Gregorius XIII contra Bajum.

Et revera superabundarunt merita Christi, utpote infinita; superabundarunt satisfactiones Deiparae, quae etsi ab omni labe immunis, tot tamque acerba pertulit, ut ejus animam gladius doloris pertransierit; superabundavit satisfactio S. Joannis Baptistae Christi Praecursoris, qui ab infantia in deserto degens, satisfactiones satisfactionibus cumulavit per totam vitam, potissimum vero in morte cruenta. Superabundarunt satisfactiones Apostolorum, qui tot labores, tot carceres et contumelias in propagatione S. Evangelii sustinuerunt, qui ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Superabundarunt satisfactiones tot Martyrum, qui saepe a baptismo recentes, proinde ab omni culpa et poena liberi, atrociora quaeque supplicia in truculentis persecutionibus passi sunt. Idem dicendum de quamplurimis aliis Sanctis, Confessoribus, Anachoretis, Virginibus et Viduis, qui et quae *plus passi sunt,* juxta modum quem Deus servat in exigendis poenis, *quam eorum peccata expostularent.*

Et quamvis Sancti omnes de operibus, *quatenus sunt meritoria*, cumulatissime remunerati fuerint in coelis, *qua tamen satisfactoria*, eadem opera exhausta non fuerunt. Quare cum hujusmodi excedentes satisfactiones inanes ac sine congruo honore manere non possint, quia Deus nullam boni operis partem absque praemio relinquit, sequitur eas thesaurum Ecclesiae ingredi, ut sic quae uni superflua sunt, alteri indigenti applicentur.

Nec ex hoc timendum, quod injuria inferatur Christi satisfactionibus, quae utpote infinitae, solae sufficiunt, imo superabundant: siquidem, quamvis verum sit sufficere merita Christi, dignum tamen erat, ut Justos, *membra corporis sui mystici,* quo amicos honoraret, ipsorum satisfactiones ad poenae nostrae relaxationem acceptando. Non injuria, non dedecus infertur Christi meritis, sed honor potius et gloria: siquidem satisfactiones Sanctorum non adduntur Christi meritis, ut eorum *augeant valorem,* sed potius ut valorem acquirant ex ipsius Christi meritis, quae tantae virtutis ostenduntur, ut ipsis etiam hominum operibus vim tribuant, qua non sibi tantum, sed et fratribus suis prodesse valeant. Quare satisfactiones Sanctorum *in ratione valoris* Christi sunt. ex cujus gratia, ut iterum dicamus, habent virtutem et valorem meriti et satisfactionis (Cf. Passerini, de Indulgentiis, quaest. 11, n. 17; Perrone, loc. cit.).

16. De thesauro Ecclesiae audiamus Summum Pontificem Clementem VI, ita docentem: « *In ara crucis innocens immolatus* (Salvator), *non guttam Sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset; sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse... Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis et superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum Ecclesiae acquisivit. Quem quidem thesaurum, non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum coeli clavigerum, ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum.*

Ad cujus quidem thesauri cumulum, B. Dei Genitricis, omniumque Electorum a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum praestare noscuntur; de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam ex eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipso-

rum cumulus meritorum » (In Extravag. Const. *Unigenitus,* tit. de Poenit. et Remiss.).

§ III.

DISTINCTIO INTER MERITUM PROPRIE DICTUM ET SATISFACTIONEM.

17. Ex dictis patet, indulgentiam seu remissionem poenae temporalis fieri per applicationem *meritorum* seu *satisfactionum* Christi et Sanctorum. Super quibus notandum est, etsi obiter id jam tetigerimus, quod in omni opere bono justorum duplex inest valor sive pretium, *meriti* scilicet et *satisfactionis.* Meritum refertur ad consequendum *praemium;* satisfactio ad extinguendum *debitum.* Hinc opus est *meritorium,* quatenus cedit in laudem et honorem operantis; est *satisfactorium,* quatenus est *poenale.* Opus bonum, qua *meritorium* est, non potest aliis applicari; siquidem *is dicitur mereri, qui bene operatur,* et ex bono opere dignus est praemio. Non potest autem fieri, ut ex eo, quod unus bene operatur, alter censeatur bene operari, vel dignus praemio habeatur.

At opus bonum, ex ea parte, qua *satisfactorium* est, potest utique aliis applicari. Nam satisfactio est compensatio poenae, vel solutio debiti: potest autem unus ita pro alio poenam compensare vel debitum solvere, ut ille satisfecisse merito dici possit.

Jam vero justorum opera, quatenus sunt *meritoria,* Deus superabundanti compensat *praemio.* Quatenus vero sunt *satisfactoria,* ea acceptat ad delendum *debitum.* Quod si debitum excedunt, ideoque superabundant, Deus non praemio illa compensat, cum satisfactio non referatur ad praemium, et eorum valori *meritorio* cumulatissime sit satisfactum, sed ea asservat ad extinguendum aliorum debitum.

Ex hoc manifeste apparet, satisfactionem non idem esse, proprie loquendo, ac meritum. Sed quia *eadem opera* solent esse meritoria simul et satisfactoria, ideo communiter nomina satisfactionis et meriti promiscue usurpantur, et dici etiam solet, indulgentias conferri per applicationem meritorum Christi et Sanctorum (Cf. Bellarm., de Indulg. lib. 1, cap. 11, n. 4, 5, 6; Hurter, Compend. Theol. Dogm. tom. III, edit. VIII, n. 521).

§ IV.

QUAESTIONES NONNULLAE DE THESAURO ECCLESIAE.

18. Si quaeratur, *ubi sit hic Ecclesiae thesaurus,* respondetur, ipsum non esse rem materialem, ut aliquem requirat locum, in quo merita custodiantur, sed est, ait Suarez, res spiritualis et moralis, non in materiali loco, sed *in divina acceptatione et praesentia* existens; seu existit in mente et memoria divina, quatenus nempe apud Deum satisfactiones Christi et Sanctorum numquam in oblivionem ibunt, sed semper erunt et vivent, ut indigentibus Ecclesiae membris nec non defunctis a legitima auctoritate opportune applicentur.

19. Quaeri etiam potest, *quot modis dispensetur thesaurus Ecclesiae?* Ante responsionem adnotare oportet, Ecclesiae thesaurum dupliciter considerari posse: 1° *Ut constans ex meritis Christi* tantum; 2° *Ut constans ex meritis Christi et Sanctorum* simul.

Jam vero thesaurus, *ut constans ex meritis Christi tantum,* variis modis dispensatur nobisque applicatur, nimirum per Sacramenta, per Missae sacrificium, et per alia pia fidelium opera, nec non per ipsas indulgentias; idemque interdum dispensatur per ministros Christi, interdum vero immediate ab ipso Christo. Quoties enim culpa vel poena remittitur, aut aliquod gratiae auxilium nobis confertur, semper thesaurus meritorum Christi nobis applicatur et distribuitur; eo quod hujusmodi beneficia nobis non conferuntur, nisi intuitu atque virtute meritorum et passionis Christi. Constat autem hoc saepe fieri interius et immediate ab ipso Christo, aliquando vero interventu hominum per ministerium Sacramentorum.

Thesaurus Ecclesiae, spectatus *ut constans ex meritis Christi et Sanctorum simul,* per indulgentias dumtaxat dispensatur. Sane, Sacramenta ac Missae sacrificium habent suam dignitatem atque valorem *ex opere operato* tantummodo, nempe ex meritis et passione Christi, qui solus, utpote Redemptor noster, promeruit nobis facultatem consequendi per bona opera gratiam vitamque aeternam; ac proinde per haec non applicantur nobis satisfactiones Sanctorum. Restat ergo, ut hae nobis applicentur tantum per

indulgentias (Cf. Reiffenst., Theol. Mor. tom. 1, de Indulg. distinct. III, quaest. 1. n. 8 et 9).

Praefata doctrina a Ven. Bellarmino exponitur per hanc propositionem: *Praelati Ecclesiae dispensare possunt Christi passionem tum per Sacramenta, tum per indulgentias; passiones vero Sanctorum nonnisi per indulgentias* (De Indulg. lib. 1. cap. III; vide etiam Mastrium, loc. cit. n. 9).

20. *In Ecclesia unicus est thesaurus.* Non defuerunt Theologi, qui non unicum, sed plures in Ecclesia Dei admiserint thesauros. Ita Fabius Incarnatus apud Passerinum, Tract. de Indulg. quaest. 11, n. 21, quatuor ponit thesauros, primum ex meritis Christi, secundum ex meritis B. Mariae Virginis, tertium ex meritis S. Joannis Baptistae et Martyrum, et quartum ex meritis sanctorum Confessorum, Virginum et Electorum. Sunt etiam qui ponere videntur speciales thesauros pro unaquaque dioecesi, ex meritis Sanctorum cuiuslibet dioecesis coalescentes; item particulares thesauros cujuscumque Ordinis religiosi, ex superabundantibus meritis Religiosorum efformatos. Exinde rationem reddunt, cur Episcopi limitatas indulgentias concedant, et Praelati Religionum respectivis earumdem Benefactoribus communicent spiritualia bona, quae ab ipsis Regularibus fiunt.

Verum hujusmodi opiniones nullum habent fundamentum, nec juxta communem Doctorum et ipsius Ecclesiae doctrinam defendi possunt. Ecclesia enim *unum tantummodo thesaurum,* id est *unum cumulum meritorum* agnoscit, qui ex Christi et Sanctorum meritis resultat. Summi Pontifices in suis actibus de unico Ecclesiae thesauro loquuntur, cujus administratio et dispensatio Pontifici Summo, Christi in terris Vicario, concredita est.

Quare, licet propria *actualia* merita possit quilibet pro aliis applicare ac proinde pro aliis satisfacere; ubi tamen bona opera seu satisfactiones non fuerint *actu* applicatae sive pro se, sive pro aliis, tamquam bona communia transeunt in Ecclesiam, et in ejus thesauro reconduntur: haec enim communicatio et reservatio fundatur in mystica Ecclesiae unitate. Insuper praecipuae divitiae, quae in hoc thesauro sunt repositae, sunt infinita merita Christi Domini, quae certe non sunt propria alicujus dioecesis vel religiosi Ordinis, sed universali Ecclesiae communia. Merita vero Sanctorum in tantum sunt merita, in quantum sunt aliquid Christi,

quia scilicet formata per gratiam, quam nobis meruit Christus Redemptor. Ideo Sanctorum merita sunt veluti accessoria seu *adminiculum,* ut ait Summus Pontifex Clemens VI (vid. sup. n. 16), meritorum Christi. Ergo in eo unico thesauro reponi debent, in quo merita Christi continentur, eo vel magis quod etiam Sanctorum merita divitiae Christi sunt, quas ille misericorditer donavit. Unicus igitur est spiritualis Ecclesiae thesaurus, ac proinde privati thesauri sive dioecesum sive Ordinum religiosorum etc. minime dantur (Cf. Passerini, de Indulgentiis, quaest. 11).

21. Quaeres, *an thesaurus satisfactionum extiterit in veteri lege ante passionem vel adventum Christi?*

Respondetur, hunc thesaurum, ut *constantem ex meritis Sanctorum,* extitisse vel potius *incepisse* ante Christi adventum: nam aliqui ante Christi adventum magnas et exuberantes satisfactiones praestiterunt, sicut non pauci Theologi testantur de Abel, de Jeremia in ventre matris sanctificato, et probant verbis Iob de seipso dicentis (cap. VI): *Utinam appenderentur peccata mea, et calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris haec gravior appareret.* Accedit suprema auctoritas Clementis PP. VI in Extravag. supra cit., ubi habetur: « *Ad cujus quidem thesauri cumulum, B. Dei Genitricis, omniumque Electorum* a primo Justo *usque ad ultimum, merita adminiculum praestare noscuntur* ».

22. Quaeres insuper, *an praedictus thesaurus in veteri lege inceptus, pro eo tempore dispensatus etiam fuerit?*

Respondent Theologi *negative,* tum quia in veteri lege nondum erat aperta janua coeli, ita ut ob ingressum coeli necessaria esset applicatio thesauri; tum quia Christus nondum contulerat potestatem distribuendi thesaurum, sed hanc potestatem postea communicavit Petro et ejus successoribus per illa verba: *Quodcumque ligaveris...quodcumque solveris* etc. *Pasce agnos, pasce oves* etc., quibus verbis continetur omnis actus jurisdictionis, conducens ad claudendum vel ad aperiendum coelum. Unus autem ex actibus quibus coelum aperitur, est indulgentiarum concessio. Hinc est, quod illi Theologi, qui antiquitatem indulgentiarum maxime extendunt, numquam tamen earumdem usum ante Apostolorum tempora protrahunt, sed tunc coepisse affirmant (Cf. Suarez, disp. 51, sect. 11, n. 18-19; Bonacina, tract. de Sacramentis, de Indulg. Punctum 1, n. 6).

§ V.

FONS ET FUNDAMENTUM INDULGENTIARUM.

23. *Fons* indulgentiarum, ut ex dictis facile colligitur, est ipse Ecclesiae thesaurus, videlicet infinitae satisfactiones Jesu Christi, quibus adduntur satisfactiones B. Mariae Virginis et aliorum Sanctorum. Ex isto infinito et inexhausto fonte haurit Ecclesia pretium, Deoque offert dum indulgentias concedit, ad delendas fidelium poenas temporales.

24. *Fundamentum* indulgentiarum est dogma de *Communione Sanctorum. Communio Sanctorum* est societas fidelium, seu omnium Ecclesiae (in tota sua amplitudine sumptae) membrorum tum in terra militantium, tum in purgatorio patientium, tum in coelo regnantium. Per Communionem Sanctorum fit, ut Ecclesia triumphans, purgans et militans non constituant tres societates penitus ab invicem divulsas et separatas, sed ita conjunctae sint, ut inter earum membra, licet loco et conditione diversa, multiplex existat nexus atque relatio. Nam Angeli et Beati in coelis, ac animae in Purgatorio detentae ita junguntur ejusdem charitatis vinculo cum fidelibus in terra viventibus, ut unam Ecclesiam et unum corpus, cujus Christus est caput, efforment. Unde est, quod fideles in terra degentes exhibeantur in sacris Scripturis ut Beatorum *conservi* (Apoc. XIX, 10; — XXII, 9); vel ut *concives, cives Sanctorum, cohaeredes, confratres* etc. (Rom. VIII, 29; Eph. II, 19; Hebr. XII, 22).

25. Hoc suavissimo dogmate stante evenit, ut, loquendo speciatim de Ecclesia militanti, sacrum commercium, sacraque communio suffragiorum, meritorum, bonorumque operum exurgat inter omnia Ecclesiae membra, inter se devincta et Christo capiti unita ejusdem fidei et charitatis vinculo. *Multi,* ait Apostolus (Rom. XII, 5), *unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Quare sicut unum membrum praebet auxilium alteri, ita homo justus per opera satisfactoria et suffragia opem conferre potest confratribus suis. *Particeps ego sum,* clamabat David, *omnium timentium te et custodientium mandata tua* (Psalm. 118); et Paulus (Rom. XV, 30): *Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum et per charitatem sancti Spi-*

ritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum; et Iacobus (V, 16): *Orate pro invicem, ut salvemini.*

26. Quoad animas in Purgatorio degentes in particulari, notissimum est illud Machab. (c. XI): *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur;* et Sancta Mater Ecclesia in Missis defunctorum orat, dicens: *Domine Jesu Christe, Rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni... Fac eas, Domine, de morte transire ad vitam.*

Haec omnia ostendunt, per Communionem Sanctorum fieri, ut fideles in terra degentes possint se invicem adjuvare precibus operibusque satisfactoriis, simulque animabus Purgatorii suffragari.

27. Per Communionem Sanctorum contingit etiam, ut tam viventes quam defuncti in Domino, participes sint thesauri Ecclesiae, seu satisfactionum Jesu Christi, B. Mariae Virginis et aliorum Sanctorum. Hinc est, quod Ecclesia vi potestatis clavium, quam a Christo accepit, indulgentias ex dicto thesauro, cujus administratio ei commissa est, concedit tam vivis *per absolutionem et solutionem,* quam defunctis *per modum suffragii, seu simplicis solutionis.*

28. Postremo notetur: Dum dicitur *Communio Sanctorum,* sub appellatione *Sanctorum* non designantur tantum ii qui in gratia Dei ex hac luce migrarunt, sed etiam fideles in hac vita degentes, quibus Apostoli in suis Epistolis nomen Sanctorum tribuunt. Profecto nomen hoc praecipue competit fidelibus illis, qui cum Christo capite per gratiam sanctificantem seu per charitatem conjuncti sunt. Latiori tamen sensu, seu minus proprie, peccatores quoque in illa appellatione comprehendi possunt, ratione nempe baptismi, quo sanctificati fuerunt, nec non ratione Ecclesiae *sanctae,* ad quam per baptismum pertinent. His quoque peccatoribus, etsi non plene et directe sicut fidelibus in gratia Dei constitutis, miri effectus ex Communione Sanctorum provenientes, communicantur, ut ex. gr. gratia conversionis per preces ac bona opera Justorum per misericordiam Dei obtenta.

§ VI.

SUBJECTUM CAPAX INDULGENTIARUM.

29. Dum hic quaeritur quinam sit subjectum capax lucrandi vel recipiendi indulgentias, investigatio versatur circa *capacitatem,*

quam cum Suarez dicimus *remotam*, quae recte distingui potest *a capacitate* seu *dispositione proxima*, nempe ab illis conditionibus quae in subjecto *remote* capaci requiruntur pro indulgentiarum acquisitione. Advertendum est etiam, hic praecipue agi de subjecto, cui *directe et immediate* conceditur indulgentia, non de subjecto, cui *indirecte* et *mediate*, mediantibus scilicet viventibus, ut sunt animae in Purgatorio existentes, eadem indulgentia conceditur applicabilis.

30. Age nunc: subjectum capax (capacitate remota) lucrandi indulgentias est homo viator qui sit:

1. *Baptizatus*, quia tantum homines baptizati subduntur spirituali jurisdictioni Ecclesiae: indulgentiarum autem concessio est actus jurisdictionis. Hinc incapaces indulgentiarum sunt infideles, et etiam catechumeni, saltem illarum quae conceduntur per modum absolutionis.

2. *Usum rationis habens*, vel saltem aliquando habuerit. Nam poenae temporalis reatus, ad cujus remissionem ordinantur indulgentiae, oritur *ex culpa actuali*, quam is tantum committere potest, qui usum rationis habet. Quare infantes et perpetuo amentes indulgentiarum incapaces dicendi sunt. Quod spectat ad poenam peccato *originali* debitam, haec nonnisi per baptismum remittitur.

3. *In statu fidei existens*, per quam sit homo conjunctus Ecclesiae, *tamquam membrum ejus*. Siquidem indulgentiarum participatio pertinet ad Communionem Sanctorum, quam non participant, nisi qui sunt membra Ecclesiae inter se sub Christo capite unita *per eamdem fidem*. Hinc haeretici, apostatae etc., licet baptizati sint, indulgentiarum fructum participare nequeunt.

4. *Non innodatus excommunicatione majori*, quia haec privat communione omnium bonorum spiritualium.

5. *Subditus concedentis*, quia concessio indulgentiae est actus jurisdictionis, qui solos subditos afficit.

Haec sunt requisita quae in homine expostulantur, ut sit *remote* subjectum capax consequendi indulgentias. *Proxime* autem et immediate aliae requiruntur conditiones, ut sunt *intentio, status gratiae*, et *adimpletio operum praescriptorum*; sed de his alibi agemus: hic eas innuisse sufficiat.

31. Praeter Christifideles in terra degentes, *animae etiam Purgatorii* sunt subjecta capacia recipiendi indulgentias, sed his modo diverso a viventibus conceduntur ab Ecclesia, prout mox declarabimus.

§ VII.

MODUS DIVERSUS CONCEDENDI INDULGENTIAS.

32. Fideles viventes rite dispositi et animae in Purgatorio detentae, sunt subjecta quibus conceduntur indulgentiae. Diverso autem modo illis et istis ab Ecclesia applicantur. Nam fidelibus vivis conceduntur indulgentiae *per modum absolutionis judiciariae, adnexam habentis solutionem* ex thesauro satisfactionum Christi et Sanctorum. Quare indulgentiae largitio fidelibus *viventibus* facta, duo includit, videlicet *absolutionem,* juxta illud Matthaei (XVI, 19): *Tibi dabo claves regni coelorum... et quodcumque* SOLVERIS *super terram, erit* SOLUTUM *et in coelis;* et *solutionem* ex thesauro Ecclesiae. Nam Praelati Ecclesiae, ait Cardinalis Bellarminus loc. cit. cap. V, et ipsi etiam Summi Pontifices non sunt absoluti domini, ut possint pro arbitrio sine ulla compensatione condonare hominibus culpas vel poenas, quarum rei sunt in foro Dei; sed sunt judices a Deo constituti, qui possunt quidem pro potestate sibi a Deo concessa remittere culpas et poenas nomine Dei, *sic tamen, ut justitiae satisfiat.* Unde Angelicus Doctor scribit: *Qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a debito poenae; sed datur sibi, unde debitum solvat* (IV Sent. dist. 20, q. 1. a. 3).

Et Doctor Seraphicus: *Indulgentiae collatio duo dicit, scilicet thesauri Ecclesiae communicationem, et cum hac quamdam judiciariam absolutionem* (Lib. IV Sent. dist. 20, part. 2, a. 1. q. 5.).

Animabus autem Purgatorii conceduntur indulgentiae *per modum suffragii, seu simplicis solutionis,* Deum precando ut velit praedictas satisfactiones acceptare, eisdemque animabus applicare. Quocirca in concessione indulgentiarum *per modum suffragii,* non intervenit *judiciaria absolutio.*

Ratio discriminis est, quia animae defunctorum, utpote extra forum Ecclesiae et sub judicio Dei constitutae, non amplius subsunt, sicut fideles viventes, jurisdictioni Ecclesiae, cum haec nequeat nec eas citare, nec earum causas dijudicare, nec eas cogere ad obediendum. Et revera Summus Pontifex non habet auctoritatem, nisi *in oves, quas pascendas suscepit,* juxta illud Joannis (XXI, 17): *Pasce oves meas;* nec potest ligare vel solvere, nisi *super ter-*

ram, juxta supra adductum textum Matthaei (XVI, 19): *Quodcumque ligaveris... quodcumque solveris super terram.*

33. Quapropter Summus Pontifex ex plena potestate clavium sibi a Christo tradita, dum largitur indulgentias fidelibus viventibus, eos directe absolvit ac liberat vel in parte, vel in toto, a poena temporali, simul Deo exhibens solutionem seu pretium ex thesauro Ecclesiae. Defunctos vero, quia, ut dictum est, jurisdictioni suae non amplius subduntur, non absolvit Pontifex, sed ex praedicto thesauro, cujus dispensatio est ei concredita, solutionem seu pretium in compensationem Deo offert, adiunctis precibus, ut eam oblationem misericorditer acceptare dignetur ad liberationem animarum (Cf. Bellarm., de Indulg. lib. 1, cap. V, et cap. XIV, n. 3; Laymann, Theol. Mor. tom. II, de Indulg. cap. VII).

34. De hac re praeclare S. Bonaventura loco citato: « Quia bona et thesaurus Ecclesiae, inquit, est in Summi Pontificis potestate, et illi qui sunt in Purgatorio, ratione caritatis idonei sunt spiritualia beneficia recipere, Papa potest eis *bona Ecclesiae communicare.*

Quantum autem *ad auctoritatem judicandi,* cum illi jam exierint forum Ecclesiae et ecclesiasticum judicium, videtur quod eis non possit fieri absolutio, nisi *per modum deprecationis,* et ita *proprie* loquendo non fit eis *relaxatio;* sed si *large* dicatur *relaxatio* cujuscumque auxilii impensio et bonorum Ecclesiae communicatio, potest eis relaxatio fieri; sed hoc non tenet modum judicii, sed potius suffragii ».

35. Quamvis ex dictis manifeste appareat discrimen inter indulgentiam *per modum absolutionis* et *per modum suffragii,* tamen ut clarius pateat sensus hujus posterioris formulae, nempe *per modum suffragii,* qua constanter Romani Pontifices utuntur, dum indulgentias largiuntur defunctis applicabiles, sequentem adjicimus explicationem cl. Passerini, quaest. 114.

« In hoc consistit essentialis differentia inter hujusmodi indulgentias, quod indulgentia vivorum, *quae est per modum absolutionis,* est actus jurisdictionis in personam cui conceditur, ideo est actus judicis, et ipsa est absolutio judicialis, per quam Pontifex, ut superior et judex, oblata Deo proportionata satisfactione de thesauro Ecclesiae, *suum subditum a reatu poenae absolvit.* Sed indulgentia *per modum suffragii* non est actus jurisdictionis in personam cui conceditur, ideo non est absolutio judicialis, per quam illa liberetur a poena, sed est *supplicatio,* per quam Pontifex of-

ferens de thesauro *aequivalentem satisfactionem, obsecrat Deum, ut illum liberet a poena*».

36. Etsi tam viventes quam defuncti subjecta capacia sint indulgentiarum, hoc tamen inter eos interponitur discrimen, quod respectu *viventium* Theologi communiter *infallibilem* dicunt indulgentiarum effectum, si nihil obstet vel *ex parte concedentis*, vel *ex parte recipientis*, aut *ex parte causae*; cum illae sint *verae absolutiones juridicae* ex potestate clavium provenientes. Revera enim cum hujusmodi sententia absolutionis feratur ex amplissima potestate facta Petro ligandi atque solvendi, et haec potestas talis sit, ut solvente Petro in terris, Deus solvat in coelis, recte deducitur, effectum hujus absolutionis esse infallibilem, dummodo conditiones requisitae sint adimpletae.

Respectu vero *defunctorum*, quoniam ipsi in Ecclesiae juribus non amplius sunt, sed solius Dei dominio subsunt, non ita certus est earumdem indulgentiarum effectus. Nam indulgentiae, quae pro ipsis conceduntur, solam habent rationem *suffragii, oblationis*, seu *solutionis*, ut ex adductis satis liquet; quam propterea Deus absolute respuere potest, cum non videatur teneri ex fidelitate eam acceptare. Ad hoc enim pro certo asserendum, ostendere oporteret, existere super re pactum vel promissionem aliquam ipsius Dei, quod difficulter demonstrari potest.

37. Huic sententiae, quae negat indulgentiarum effectum quoad defunctos esse infallibilem, favet sequens responsum S. Congregationis Indulgentiarum, quo explicatur sensus indulgentiae altaris privilegiati, et est tenoris sequentis:

Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus Clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet (Decr. 28 Julii 1840. Decr. auth. N. 283).

Confirmatur haec sententia ex fidelium sensu, qui post applicatam alicui animae indulgentiam plenariam, v. gr. per Missae sacrificium in altari privilegiato, nihilominus *pro eadem anima* alia Sacra in praedicto altari celebrant vel celebrare faciunt, alias indulgentias lucrari curant, et orationes apud Deum fundere pergunt.

38. Quamvis sententia modo exposita videatur verior et sit hodie inter Theologos communis, certum tamen est contrariam opinionem habuisse in defensores gravissimos Theologos, inter quos Sotus, Navarrus, Valentia etc., et etiam doctissimus Suarez, tom. IV, disp. 53, sect. III, n. 3 et seqq. Probant enim laudati Doctores, indulgentias prodesse defunctis *ex justitia et ex condigno,* ac ideo earum effectum esse pro ipsis infallibilem non secus ac effectum indulgentiarum pro vivis, dummodo in concedente sit potestas, in pia causa sufficientia seu proportio, et opus injunctum seu conditio postulata impleatur. Nam indulgentiae concessio est actus *potestatis Clavium,* quae proinde defunctis quoque datur *ex Auctoritate Apostolica.*

Cardinalis Bellarminus, qui descriptam quaestionem *difficillimam* vocat, relatis utriusque sententiae rationibus, concludit: *Ex his sententiis neutram reprobare audeo: videtur enim prior* (quae tenet, indulgentias infallibiliter prodesse defunctis) *admodum pia; posterior vero valde rationalis* (De Indulg. cap. XIV, n. 5 et 6).

39. Illud tamen pro certo haberi debet, indulgentias *in genere et saltem ut plurimum* prodesse infallibiliter defunctis; secus enim aliquid inutile ageret Ecclesia, eas mortuis applicando; quod sane absque impietate dici nequit. Huic autem vel illi animae *in particulari,* confidendum quidem est, quod indulgentia ei applicata prosit; certitudo tamen absoluta haberi nequit, tum quia Ecclesia indulgentiam offert cum conditione « *si Deo placuerit*»; tum quia Deus in sua infinita sapientia, justitia et misericordia, sanctissima habere potest motiva applicandi indulgentiam potius uni quam alii defuncto.

40. *Corollarium I.* Indulgentiae ideo prosunt defunctis *per modum suffragii,* quia non prosunt eis per modum *absolutionis juridicae,* sed per modum *solutionis et deprecationis;* eadem quidem ratione, qua prosunt suffragia, quae vel publice vel privatim pro mortuis fieri solent (Cf. Bellarm., de Indulg. cap. XIV, tertia quaest.).

Corollarium II. Indulgentiae non prosunt defunctis *per modum deprecationis dumtaxat.* Quilibet enim fidelis potest rogare Deum, ut propter Christi et Sanctorum merita liberet animas Purgatorii: sed applicantur et prosunt defunctis per modum *solutionis,* ita ut applicare defunctis indulgentias per modum suffragii seu solutionis, sit offerre Deo satisfactiones Christi et Sanctorum in compensationem poenarum, quas pati debent in Purgatorio.

Corollarium III. Differentia inter pura suffragia et indulgentias in eo est, quod ut suffragia offerantur, non requiritur aliqua jurisdictio, sed ut indulgentiae dentur, jurisdictio proculdubio requiritur, quia non potest thesaurum dispensare, *nisi qui habet claves Ecclesiasticas.*

Corollarium IV. Cum indulgentia sit remissio poenae temporalis per applicationem thesauri Ecclesiae ex superabundantibus meritis *satisfactoriis* Jesu Christi et Sanctorum coalescentis, consequitur, indulgentias dari et juvare defunctos per modum suffragii *satisfactorii.*

Corollarium V. Christifidelis qui offert suffragia, nescit, an id, quod offert, sufficiat ad animam liberandam, vel solum refrigerandam. At Pontifex potest offerre ex thesauro illo infinito quantum requiritur ad integre satisfaciendum pro reatu cujuscumque poenae: et ideo dicitur dare indulgentiam plenariam, atque animam liberare per modum suffragii, quia offert quantum ad plenam satisfactionem satis est (Bellarm., loc. cit.).

Corollarium VI. Indulgentiae pro vivis *tantum valent quantum sonant,* sive *quantum verba sonant,* dummodo ex parte dantis sit auctoritas, ex parte recipientis charitas, et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem (S. Thom., Supplem. quaest. 25, art. 2).

Videlicet: Indulgentia tantam remissionem poenae temporalis tribuit, quantam tenor concessionis indicat, dummodo tamen sit potestas in concedente, ob justam causam concedat, et nullus obex sit in eo qui indulgentiam recipit, uti esset v. gr. affectus ad veniale peccatum.

Indulgentiae vero pro defunctis, licet mens concedentis sit pro defunctis solvere e thesauro Ecclesiae id omne quod determinat, non tamen certum est, *an tantum valeant quantum sonant,* quia, ut supra dictum est, indulgentiarum effectus respectu defunctorum non videtur esse infallibilis. Quare enuntiatum axioma jure meritoque applicatur indulgentiis *pro vivis;* indulgentiis vero *pro defunctis* non cum omnimoda certitudine.

§ VIII.

AN INDULGENTIA AEQUALITER PARTICIPETUR AB INAEQUALITER DISPOSITIS?

41. Facile contingere potest ut opus praescriptum ad lucrandas indulgentias, inaequaliter adimpleatur a diversis fidelibus: unus enim, ex. gr. in visitatione ecclesiae longiorem ferventioremque orationem facere potest, vel majorem eleemosynam quam alter tribuere, vel tres dies jejunii impositos unus in pane et aqua illud exequatur, alter vero modo communi. Hi fideles consequunturne *aequaliter* indulgentiae fructum?

Sunt qui negant, ea ducti ratione, quia licet in concessione alicujus indulgentiae, puta, plenariae, sufficiens et justa causa reperiatur, fieri tamen potest, ut non omnes integram consequantur, si nimirum illorum aliqui ad maximam poenam temporalem pro peccatis commissis obeundam obligati, opus injunctum tepide peragant, quia licet causa indulgentiae in se justa sit, illorum tamen respectu aliquo pacto deficit ob imperfectam dispositionem.

Alii vero affirmant ob rationem, quia minus orans, vel minorem eleemosynam faciens, vel minus rigorose jejunans, etsi minus faciat quam alter, *adhuc tamen explet opus a Papa praescriptum,* ideoque indulgentiae fructum aeque consequitur. Illud autem plus quod facit alter, magis orans et jejunans, quamvis sit bonum, *non est tamen pro lucranda indulgentia a Summo Pontifice praescriptum,* et ideo ad ejus consecutionem non pertinet, sed ad aliud, nempe ad *meritum,* seu ad *plures aeternae gloriae gradus* consequendos (Cf. Mastrius, Theol. Moral. disp. XXIII, quaest. 4, n. 64).

42. Haec postrema sententia, quam Mastrius cum aliis Theologis *probabiliorem* dicit, ab aliis Auctoribus, ut Suarez, Kazenberger, Theodorus a Spiritu Sancto, Minderer, Passerini quaest. 76 etc. tamquam certa defenditur, excepto casu, quo Summus Pontifex plus indulgentiae *expresse desponderet* iis fidelibus, qui magis laborarent, devotius ac ferventius se gererent in praescriptis operibus adimplendis. Istiusmodi casu excluso, qui juxta modernam Ecclesiae disciplinam numquam datur, laudati Auctores absolute affirmant, ratione majoris laboris, devotionis ac fervoris in explendis operibus pro lucro indulgentiarum injunctis, non plus indulgentiae recipi.

Revera Summus Pontifex in operibus pro lucranda indulgentia praescriptis, devotionis gradum, quo ea peragi debeant, numquam indicat; censetur proinde, illam devotionem ac fervorem requirere, quo solent *communiter* opera injuncta peragi a fidelibus, qui seriam salutis animae suae curam habent. Quocirca qui opus praescriptum obit cum devotione, fervore ac diligentia mediocri, consuetaque hominibus propriae animae aliquo modo seriam sollicitudinem habentibus, totam indulgentiam, quae fuerit concessa, consequitur, modo aliunde non sit defectus. Qui vero in iisdem operibus explendis plus laborat, devotius agit, ferventius orat, rigidius jejunat, copiosiorem stipem tribuit, *magis quidem meretur apud Deum,* sed non eo ipso majorem indulgentiam acquirit, dum intuitu majoris devotionis ac laboris aliquid amplius concessum non sit.

Ad rem Doctor Angelicus: « Ille qui est vicinus ecclesiae, et ecclesiae Sacerdotes et clerici consequuntur tantam indulgentiam, sicut illi qui venirent a mille diaetis, *quia remissio non proportionatur labori, sed meritis quae dispensantur;* sed ille qui plus laboraret, acquireret plus de merito » (Supplem. 3. part. quaest. XXV, art. 2 ad 4^{m}). Quapropter Suarez, auctoritate divi Thomae fretus, dicit, quod « remissio seu effectus indulgentiae non innititur *proprio merito vel satisfactione operantis,* et ideo inaequalitas operis in hac perfectione (nempe in majori vel minori bonitate et perfectione ejusdem operis) nihil refert ad inaequalitatem effectus indulgentiae... Insuper effectus indulgentiae *per se et quasi ab intrinseco* nullam dispositionem requirit in recipiente praeter ablationem culpae et statum gratiae; et ideo major vel minor devotio seu dispositio actualis per se non confert ad inaequalem effectum indulgentiae, in quo est magna diversitas inter effectum indulgentiae et Sacramentorum » (Disp. 52, sect. 8, n. 1 et 3).

43. Verum propter contritionis vel charitatis inaequalitatem, fideles opus pro lucranda indulgentia praescriptum implentes, magis vel minus de indulgentiae effectu participant. Exempli gratia, si concessa fuerit indulgentia plenaria, *et in uno subjecto sit major reatus poenae temporalis delendae, quam in alio,* in priori subjecto utique major erit effectus praedictae indulgentiae plenariae, quam in posteriori. Haec tamen inaequalitas *materialis* est et quasi accidentaria ex parte subjecti: siquidem per se aequalem effectum produxisset, si etiam in altero Christifideli aequalem

poenam delendam reperisset. Similiter si indulgentia, v. g. sit viginti annorum, fieri potest ut aliquis non habeat tantum debitum, ac propterea reipsa non fiat ei tanta remissio: quod etiam per accidens est, cum indulgentia *per se* operetur semper, dummodo conditiones praescriptae adimpleantur, totum effectum, atque adeo aequalem (Cf. Suarez, loc. cit.; Theodorus a Sp. S., Tractatus Dogmatico-Moralis de Indulgentiis, part. 1, pag. 248).

44. Interim Christifideles non omittant adlaborare, ut opera pro obtinendis indulgentiis injuncta, magna devotione ac fervore adimpleantur. Quamvis enim, juxta secundam sententiam supra expositam, fideles qui opera praescripta *sufficienti devotione* perficiunt, aequalem indulgentiae effectum ac ferventiores consequantur, certum est tamen, quod per majorem devotionem ac fervorem *majus obtinetur meritum.* Ut enim docet S. Thomas et res per seipsam loquitur, *ille qui plus laborat, acquirit plus de merito* (Loc. cit.).

45. Cum effectus indulgentiarum sit remittere non culpas (vid. n. 3), sed poenas temporales, consequitur, *peccatum veniale non remissum quoad culpam, non posse remitti quoad poenam.* Illud tamen veniale non impedit, quominus remittatur poena *aliis peccatis jam deletis debita.* Sicut enim non repugnat culpam alicujus peccati venialis remitti, quin aliorum culpa remittatur; sic non repugnat deleri poenam venialium aut mortalium remissorum, etsi solvenda remaneat poena pro uno aut pluribus venialibus. Peccatum ergo veniale quoad culpam non remissum posset esse obex ad lucrandam indulgentiam omnino plenariam, seu plenissime plenariam (S. Alph., lib. VI, n. 534, 19°).

En igitur aliud caput, ex quo in Christifidelibus oriri potest *inaequalitas effectus indulgentiarum:* nempe ab aliquo peccato veniali quoad culpam non deleto, sive ab *affectu* ad aliquod veniale; hinc etiam *ex defectu contritionis et charitatis,* quo fit ut in participatione fructus indulgentiarum eo major vel minor sit remissio poenarum temporalium, quo major vel minor est culparum venialium relaxatio (Cf. Minderer, de Indulgentiis, part. 1, n. 479).

46. Hinc patet responsum ad dubium: An indulgentia concessa ut *plenaria,* obtineri saltem possit ut *partialis,* si integra obtineri nequeat, v. g. propter affectum ad aliquod veniale? Cui respondetur: *Affirmative,* quia ex modo dictis non obstat peccatum veniale aliquod non remissum, quominus poena pro aliis debita

remittatur. Summus autem Pontifex, concedendo indulgentiam plenariam, non praesumitur velle eam restringere tantum ad eos, quibus remittuntur omnia venalia (qui certe pauci sunt), sed potius illam concedere juxta capacitatem subjecti, ut remittatur saltem poena venialium illorum, quorum culpa remissa est (S. Alph., loc. cit.; Lehmkuhl, v. II, n. 527).

47. Modus ordinarius elargiendi indulgentias is semper fuit, ut aliqua pia opera peragenda praescribantur. Sed advertendum, hujusmodi opera pia praescripta non esse causam consecutae remissionis seu indulgentiae, sed esse *conditiones tantum* ad eam assequendam. Causa est ipsa *concessio indulgentiae,* seu est ipsa absolutio judiciaria (loquendo de indulgentiis pro vivis) *annexam habens solutionem ex thesauro;* vel ipsa *solutio* ex eodem thesauro (si de indulgentiis pro defunctis sermo sit) facta ab auctoritate concedentis.

48. Opera praescripta pro acquirendis indulgentiis *personaliter* a quolibet fideli fieri debent, excepto casu, quod in forma indulgentiae aliud sit expressum, quod nescio an umquam concessum fuerit. Hinc jejunium ex. gr., oratio aut ecclesiae visitatio pro assequenda aliqua indulgentia praescripta, si per alium peragantur, indulgentia non acquiritur. Excipitur eleemosyna, quae, juxta omnes, per alium fieri potest.

49. Ex quo opera praescripta *personaliter* expleri debent, consequitur, fidelem viventem non posse pro alio fideli vivente indulgentias lucrari. Attamen Summus Pontifex, interveniente justa causa, posset quidem concedere, ut vivus pro alio vivente indulgentiam lucretur. Si enim hoc modo conceditur vivis, ut possint lucrari indulgentias pro defunctis per modum suffragii; a fortiori concedi potest inter viventes: nam inter eos facilior est communicatio operum et satisfactionum (Cf. Suarez, tom. IV, disp. 52, sect. VII).

Verum id, ut innuimus, *a praxi* Ecclesiae est omnino alienum, neque ullum citari potest exemplum talis concessionis reipsa factae. Imo generatim nec expedire videtur, ut hujusmodi facultas, lucrandi nempe indulgentiam pro aliis viventibus, concedatur; quia cum ipsi possint sibi subvenire, non expedit, ut dicit Lugo, fovere eorum pigritiam, ut neque satisfacere, neque etiam indulgentias pro se lucrari curent.

§ IX.

MEDIA PRO EXPIANDIS IN HAC VITA POENIS TEMPORALIBUS.

50. Ad expiandas in hac vita poenas temporales, quae post remissionem culpae et poenae aeternae luendae supersunt, duo media Christifidelibus praesto sunt:

1° *Peragere opera satisfactoria.* « *Neque vero,* docet Concilium Trid. (Sess. 14, cap. VIII) *securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit, quam ut haec poenitentiae opera homines cum vero animi dolore frequentent.* » Opera satisfactoria, quibus in praesenti vita Christifideles possunt temporales poenas peccatis debitas expiare, sunt tum illa a nobis ipsis sponte suscepta, ut ex. gr. oratio, jejunium, eleemosyna etc., tum illa quae nobis in Sacramento poenitentiae imponuntur, tamquam pars integralis ejusdem Sacramenti, tum denique infirmitates, calamitates, uno verbo *flagella, patienter tolerata,* quibus Deus sapienter et misericorditer ob nostrum spirituale bonum nos affligit. Unde in cap. IX cit. sess. Conc. Trid., *De operibus satisfactionis,* habetur: *Docet praeterea* (Sancta Synodus), *tantam esse divinae munificentiae largitatem, ut non solum poenis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis, et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.*

2° *Lucrari indulgentias,* quas in subsidium infirmitatis nostrae misericors Deus per suam Ecclesiam nobis offert. Respectu siquidem infirmitatis nostrae, indulgentia est proculdubio medium pro solvendis poenis temporalibus longe facilius. Ecclesia enim dum indulgentias largitur, quin fideles dispenset a poenitentiae operibus et a ferenda cruce ad imitationem Jesu Christi, eos tantum liberat a poenarum temporalium debito, quod ipsos a consecutione summi boni retardat, supplendo satisfactionis nostrae personalis defectui ex thesauro Ecclesiae, offerendo scilicet Deo in compensationem merita infinita Jesu Christi et Sanctorum.

51. Diximus: *quin Ecclesia dispenset fideles a poenitentiae operibus;* quia Ecclesia dum indulgentias largitur, unice intendit

poenas temporales fidelibus rite dispositis relaxare in *quantum eaedem indulgentiae sunt satisfactoriae pro peccatis commissis:* numquam vero intendit fideles dispensare a poenis hujus vitae, seu a faciendis dignis poenitentiae fructibus. Poenae, aerumnae, calamitates, quibus juxta adorabilem divinae Providentiae dispositionem in praesenti vita affligimur, non sunt tantum *poenae satisfactoriae* vel *vindicativae,* ordinatae nempe ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem, sed sunt etiam *medicinales* seu *praeservativae,* nempe efficaces ad christianae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum: id est efficaces sunt, imo necessariae ad superandas diabolicas tentationes, ad reprimendas et debellandas malas habitudines, ad reddendos fideles in bello contra malum fortiores ac vigilantiores: *militia est enim vita hominis super terram, et per multas tribulationes oportet introire in regnum Dei.*

52. Facile est ex expositis deducere, quod si Christifidelis, multiplicibus poenis temporalibus apud divinam justitiam gravatus, ob pigritiam omittat in praesenti vita eas delere sive per opera satisfactoria, sive per indulgentiarum acquisitionem, debitum suum inevitabili necessitate solvere Deo debebit in Purgatorio, cujus poenae absque ulla comparatione duriores, atrociores longioresque sunt.

§ X.

CONDITIONES UT INDULGENTIAE APPLICARI POSSINT DEFUNCTIS.

53. Ut indulgentiae animabus Purgatorii applicari possint, duae specialim requiruntur conditiones:

1° *Ut tamquam illis applicabiles in Rescripto Apostolico concedantur.* Nam indulgentiae viventibus concessae, nequeunt applicari defunctis, nisi id in Rescripto vel Brevi exprimatur, cum pendeat a voluntate concedentis.

2° *Ut adsit intentio talem applicationem faciendi,* praesertim cum indulgentia vi Rescripti sit applicabilis tam vivis quam defunctis. Tunc enim determinare oportet subjectum, pro quo applicari velit indulgentia, an scilicet pro vivo vel defuncto.

54. Indulgentia defunctis applicabilis, applicari potest, juxta *Raccolta* pag. XIII, vel *uni,* vel *pluribus,* aut etiam *omnibus animabus Purgatorii,* cum suffragia sint divisibilia, proindeque in omnes animas distribui possint.

55. Fit quaestio a Theologis, an indulgentiae applicatae *uni* vel *aliquibus* animabus, prosint omnibus? Respondent communiter Doctores, tam suffragia quam indulgentias prodesse omnibus defunctis *quoad gaudium quoddam accidentale:* charitas enim facit omnia communia hoc sensu, quod omnes qui sunt praediti charitate, gaudent de bonis aliorum, ac si essent propria. *Quoad satisfactionem autem et liberationem a poena,* prosunt tantum iis, quibus applicantur. Hic est sensus Ecclesiae, omniumque fidelium, et haec est natura satisfactionis, ut pro uno facta, illi specialiter prosit et non alteri. Quod si ille, cui applicatur, ea non indigeat, Deus applicat alteri, vel redit in thesaurum Ecclesiae (Vid. Bellarm., cap. XIV circa finem; Billuart, de Indulg. art. VI).

56. Quaeri ulterius potest, quomodo applicatio indulgentiae, facta *pluribus* vel *omnibus* animabus Purgatorii, prosit omnibus quoad satisfactionem? Respondetur: si haec quaestio referatur ad indulgentiam *partialem,* applicatio *pluribus* vel etiam *omnibus* animabus Purgatorii quoad effectum facile intelligitur: siquidem ejus mensura cum sit determinata, ex. gr. septem annorum aut centum dierum, dividi profecto potest in multos. Si vero quaestio referatur ad indulgentiam *plenariam,* quae per se est indeterminata, tunc vel dicendum, *Deum determinare certam mensuram, quam divideret inter plures;* vel *Deum eligere unam animam, cui indulgentiam applicet,* ita ut si divina justitia et misericordia permittat, illa anima plene liberetur a poenis Purgatorii (Cf. Lehmkuhl, Theolog. Moral. vol II, n. 553).

Porro, si spectetur responsum S. Congregationis Indulgentiarum diei 19 Junii 1880, hoc secundo modo doctrina videtur verior, quatenus nempe indulgentia *plenaria,* pluribus aut etiam omnibus animabus Purgatorii applicata, *uni tantum animae* prosit, seu ad unam tantum limitetur. In citato decreto quaerebatur:

Num apud Trappenses in Missa, quae quotidie celebratur pro pluribus (fratribus scilicet, propinquis et benefactoribus) indulgentia altaris ad unum ex iis limitetur?

S. Congregatio respondit: *Affirmative* (Decr. auth. N. 451 ad 2m).

57. Quamvis hoc responsum ad indulgentiam plenariam *altaris privilegiati tantum* referatur, conjicere tamen licet, eamdem esse mentem S. Sedis quoad alias indulgentias, *saltem plenarias* defunctis applicabiles, ita ut quaelibet indulgentia plenaria uni tantum

prodesset animae, quam Deus plane liberaret, si, ut dictum est, divina justitia et misericordia ita permitterent.

58. Diximus per quamdam deductionem, eamdem esse mentem S. Sedis quoad alias indulgentias, *saltem plenarias;* quia etiam quoad *partiales* non omnino constat, quod *una eademque* indulgentia EX MENTE CONCEDENTIS sit divisibilis inter plures: clara enim et certa declaratio de re non habetur. Ex altera parte certum est, partialem quoque indulgentiam ex. gr. centum dierum, esse *unam* indulgentiam, quae ut pluribus animabus prodesse possit, pendet ab intentione Summi Pontificis (Cf. Tractatus de Indulgentiis ad usum Alumnorum Seminarii Archiep. Mechlinien. pag. 45).

59. In praxi, juxta Guerra, usus laudabilior erit formare intentionem suffragandi primum animabus illis, erga quas pietate, justitia et gratitudine adstringimur, committendo semper nostrorum suffragiorum distributionem clementiae ac misericordiae Dei, vel precando B. Mariam Virginem, Matrem misericordiae, ut ipsa dignetur illa distribuere (Il Tesoro delle Indulgenze, pag. 144 et seq.).

60. Verum, quamvis applicatio in particulari facta commendanda sit, minime tamen est necessaria ad hoc, ut indulgentiae prosint defunctis. Ex verbis enim operis *Raccolta* supra relatis applicatio fieri potest vel uni, vel pluribus animabus determinatis, vel in genere favore omnium animarum Purgatorii: quod probat, indulgentias prodesse defunctis, *tametsi earum applicatio sit generalis.* Expresse quoque pro indulgentia altaris privilegiati id declaravit S. Congregatio Indulg. in citato decreto 19 Junii 1880 ad 3^m. Declaravit nempe, privilegium altaris, seu indulgentiam plenariam *non evadere inutilem* ex eo, quod ea non uni determinatae animae, sed pluribus a Christifideli applicetur, etiamsi ex mente concedentis uni tantum prodesse possit. De hac re redibit quaestio, ubi sermo erit de applicatione indulgentiae altaris privilegiati.

§ XI.

DIVISIO INDULGENTIAE.

61. Indulgentia multipliciter distinguitur:

1° *Ratione effectus,* alia est *plenaria* seu *totalis,* quae totam poenam temporalem remittit. Alia *non plenaria* seu *par-*

tialis, quae partem tantum poenae remittit, majorem vel minorem juxta tenorem concessionis. Haec tamen indulgentia partialis potest per accidens esse totalis seu plenaria, si forte ille, qui eam obtinet, *non plus poenae Deo debeat.* Indulgentiae partiales semper determinantur; quare conceduntur indulgentiae ex. gr. centum dierum, septem annorum, quadragenarum etc., quibus significatur, tantam remissionem poenae concedi, quanta obtineretur, si poenitentia perageretur juxta veterem praescriptionem tot diebus, annis et quadragenis. — « Indulgentia *quadragenae,* scribit Bellarminus de Indulg. Lib. 1. cap. IX, significat remissionem poenitentiae, quae *quadraginta continuatis diebus in jejuniis aliisque laboriosis operibus agenda fuisset.* Quae *quadragena,* quando imperabatur acrior, ita ut solo pane et aqua contenti esse deberent qui eam peragebant, *carena* dici solebat, quod videlicet carentiam omnium fere ciborum contineret ». — Indulgentia *septenae* est remissio tantae poenae, quanta condonaretur per septem annorum poenitentiam juxta antiquos canones poenitentiales peractam.

Collige: quando in Bullis vel Brevibus conceditur indulgentia septem annorum vel centum dierum etc. non esse hunc sensum, ut aliqui putant, quod homo per acquisitionem talis indulgentiae liberetur a poenis Purgatorii luendis *spatio septem annorum* vel *centum dierum;* sed potius significatur, hominem praedictas indulgentias lucrantem, tantam *poenae* remissionem obtinere, quantam obtinuisset, si tanto tempore poenitentias *juxta antiquos canones* egisset, nòn habita ratione, quia brevi aut longiori tempore commoraturus fuisset in Purgatorio. Et sane in ipsa forma indulgentiarum non dicitur: *relaxamus tot annos poenae, sed poenitentiae.*

Cl. P. Palmieri putat, *quadragenas* seu *quadragesimas* non esse aliquid *praeter* vel *extra ipsos annos;* sed quia in veteri disciplina major erat poenitentia, quae tempore quadragesimae peragebatur, ut idcirco major expiatio peccati obtineretur; hinc specialis mentio fit quadragenarum, ut intelligatur, illam quoque poenae remissionem concedi, quae illi speciali poenitentiae responderet. Hinc etsi, prosequitur laudatus Auctor, explicita mentio quadragenarum non fieret in concessione indulgentiae tot annorum, eae implicite intelliguntur. Annus enim poenitentiae, juxta veteres canones, specialem poenitentiam in quadragesima complectebatur. (Palmieri - Ballerini, Opus theolog. morale etc. vol. V, p. 654).

Hujusmodi tamen opinionem nos invenire non potuimus apud Auctores, quos consuluimus.

2° *Ratione objecti,* cui inhaerere censetur, indulgentia tum plenaria tum partialis, alia est *localis,* quae affixa est alicui loco, v. gr. ecclesiae, altari, statuae vel imagini in aliqua capella existenti; — alia *realis,* quae adnectitur alicui rei mobili seu portatili, ex. gr. cruci, coronae, numismati, *parvis* statuis etc.; — alia *personalis,* quae independenter a loco et re, conceditur directe et immediate personis, v. g. orantibus, communicantibus, tali confraternitati vel religiosae familiae etc.

Ut per se patet, indulgentiae tam locales quam reales adnectuntur quidem *immediate* pio loco vel rei mobili, sed *mediate* conceduntur fidelibus, talem ecclesiam, ex. gr. visitantibus, vel tale objectum pium penes se devote habentibus. Realis insuper est fere semper etiam personalis, quatenus ordinarie solus dominus seu possessor pii obiecti, cui adnexa est indulgentia, eam lucrari valeat.

Divisionem indulgentiae in *personalem, localem* et *realem* clare explicat eximius Doctor Suarez sequenti modo:

« Licet soli homines sint capaces indulgentiarum, nihilominus aliquando dicuntur concedi indulgentiae *piis locis* vel *piis rebus,* ut imaginibus, aut granis seu calculis benedictis. Unde sicut distinguitur interdictum in locale et personale, ita non incommode distinguunt aliqui indulgentiam in *personalem et localem,* quibus tertium membrum addunt, vocantque *indulgentiam realem.* Quae omnes indulgentiae in hoc conveniunt, quod omnes ordinantur ad usum ipsorum hominum, et *in eis solis habent effectum,* ac denique omnes sunt absolutiones seu remissiones alicujus poenae temporalis.

Differunt tamen, quia indulgentia personalis ita conceditur personae, *ut illi quasi inhaereat talis favor seu gratia,* quia illi directe fit: unde quocumque pergat, illam secum defert, ut sic dicam. At vero indulgentia *localis* quodammodo *inhaeret loco* in ordine ad personas. Hujusmodi enim indulgentia dicitur concedi loco, quia conceditur *hominibus in tali loco orantibus, vel aliud pium opus ibi exercentibus,* et ideo censetur favor ille *quasi inhaerere loco,* quia in illo tantum et non in alio talis indulgentia obtinetur, nec effectus ejus communicatur hominibus *nisi mediante loco.* Et quoad hoc similis est alia indulgentia, quae

realis appellatur, solumque differt, quia non conceditur in gratiam alicujus *loci immobilis,* sed alicujus *rei mobilis,* ut est imago aliqua, Agnus Dei, rosarium et similia, *quibus proinde censetur inhaerere talis favor,* et cum eis quasi deferri, et per eas hominibus communicari, ita ut omnes qui coram tali imagine orant, vel per talia grana vel rosaria, etc., talem remissionem consequantur. Atque ita, non obstante hac divisione, semper verum est solos homines viatores esse capaces indulgentiarum, quantum ad effectum, seu finem earum, *quamvis interdum hic favor directe et immediate concedatur ipsis hominibus, aliquando vero mediante loco vel alia re sacra* » (Suarez, disp. 52, sect. 1. tom. IV).

3° *Ratione durationis* seu *temporis,* indulgentia alia est *temporaria,* quae ad tempus determinatum, puta ad septennium; alia *perpetua,* quae in perpetuum vel sine ullo termino praefixo conceditur.

62. Inter indulgentias celebris est illa, quae sub nomine *Jubilaei* venit. Jubilaeum idem est quoad effectum ac ceterae indulgentiae plenariae, a quibus proinde *accidentaliter* tantum differt, ratione scilicet solemnitatis et privilegiorum, quae ipsi adnectuntur, ut sunt facultates Confessariis collatae absolvendi a quibusdam casibus reservatis, commutandi aliqua vota simplicia etc. Quare definitur: *Indulgentia plenaria solemnis cum privilegiis adnexis, a Summo Pontifice concessa fidelibus certa pia opera peragentibus.*

§ XII.

EXPLICANTUR QUAEDAM VOCES SEU FORMULAE, QUAE IN NONNULLIS ANTIQUIS INDULGENTIARUM CONCESSIONIBUS REPERIUNTUR.

63. Sciendum est, auctores fere omnes qui de Indulgentiis tractant, commemorare indulgentiam, quae dicitur *plena, plenior, plenissima.* Fundamentum huius distinctionis desumptum est ex Extrav. Antiquorum, de Poenit. et Remiss., ubi habetur quod Pontifex Bonifacius VIII pro anno Jubilaei 1300, non solum *plenam* et *pleniorem,* sed *plenissimam* concessit veniam peccatorum. Verum *quoad effectum remissionis poenae temporalis* nullum inter eas

intercedit discrimen, cum non solum indulgentia *plenissima,* sed etiam *plena* et *plenior* in rite dispositis conferat remissionem *omnium poenarum temporalium,* quae pro peccatis quoad culpam deletis Deo debentur. Ita enim docet modernus stylus Curiae Romanae plurimorum jam annorum usu sapientum judicio roboratus. Quare per illum loquendi modum Pontifex non aliud intendit, nisi concedere indulgentiam *adeo plenam, prout Clavium potestas se extendit;* sicut Papam interpretatum fuisse in Consistorio, testatur Glossa ibidem, v. *Plenissimam.*

64. Nihilominus *quoad specialia* privilegia *et adnexas facultates,* potest utique cum pluribus gravibusque Auctoribus, sequens inter praefatas indulgentias poni discrimen: ut scilicet indulgentia dicatur *plena* seu *plenaria,* quando tota poena adhuc in foro Dei debita remittitur; *plenior,* quando potestas extraordinaria absolvendi a casibus et a censuris reservatis superadditur; *plenissima,* quando praeter haec, etiam potestas dispensandi in votis et hujusmodi vinculis communicatur (Cf. Mastrius, Reiffenstuel, Kazenberger, Ferraris etc. de Indulgentiis).

65. Nonnullae aliquando occurrunt indulgentiae, quibus absolutio *a poena et culpa* concedi dicitur. *Supposito quod revera Summi Pontifices hujusmodi locutione usi fuerint,* Theologi ita communiter eamdem explicant:

a) Locutio *a culpa* in praesenti loco idem significat, quod *ab effectu* et *reatu poenae;* nam etiam in divinis Litteris nomine peccati intelligitur interdum poena temporalis pro culpis debita, juxta illud: Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut *a peccatis* solvantur; et est praxis Ecclesiae sic vocare poenarum reatus, ut patet ex pluribus collectis, quibus utitur in Officio et Missis defunctorum.

b) Vel intelligendum est cum Bellarmino, id propterea dici, quod *indulgentia conjungitur ordinarie cum Confessione sacramentali,* ex quo fit, ut qui per Sacramentum Poenitentiae fuit absolutus a culpa, per indulgentiam absolvatur a poena.

c) Vel sic dicitur, ut explicat Graffius (Decisiones aureae Lib. IV, cap. 14, n. 53), quia ibi remittitur culpa a Deo per contritionem, quae praeexigitur, et poena a Papa per indulgentiam, quae subsequitur.

d) Vel tandem modus ille loquendi ita intelligendus est, quod ex vi illorum verborum concedatur nedum indulgentia poe-

narum peccatorum, sed etiam facultas, ut quis absolvi possit sacramentaliter ab omnibus peccatis etiam reservatis (Bellarminus, Suarez, Mastrius).

66. Diximus: *supposito, quod revera Summi Pontifices hujusmodi locutione usi fuerint:* siquidem Benedictus XIV talem formulam valde suspectam habet, imo eam attribuit quaestoribus, qui ante Concilium Tridentinum colligebant eleemosynas, indulgentias eodem tempore publicantes. « *Hujusmodi dicendi formula tribuitur praeteritorum saeculorum quaestoribus, quos licet affirmare veros fuisse auctores tempestatum, quas Ecclesia propter Indulgentiarum causam perpessa est* ». Id etiam roborat auctoritate celebris Cardinalis Cusani, Apostolicae Sedis per Germaniam Legati, qui in Synodo Provinciali Magdeburgi per ipsum celebrata, fidenter asseruit, Apostolicam Sedem numquam consuevisse indulgentias imperliri hac adhibita locutione: *a poena et culpa* (De Synod. dioec. Lib. XIII, cap. XVIII, n. VII).

67. Indulgentia quae datur *de poenitentiis injunctis.* In indulgentiarum concessionibus, praesertim antiquis, non raro reperitur formula: *de poenitentiis injunctis.* Cum enim olim poenitentiae sacramentales imponerentur pro gravibus peccatis juxta praescriptum canonum poenitentialium, atque poenitentiae hujusmodi graves essent et onerosae, modus elargiendi indulgentias talis erat, ut per eas illa poena relaxaretur, *quam fideles per poenitentias in Sacramento Confessionis sibi injunctas* consecuti fuissent. Certum quidem est, ob supremum Sacramenti Poenitentiae tribunal, neminem posse absolvere ab onere injunctae poenitentiae *directe,* Sacerdotis sententiam irritando, vel in ea dispensando, bene vero *indirecte* per subtractionem debiti alicujus satisfactionis, *auferendo scilicet per indulgentiarum dispensationem reatum poenae temporalis.* Comparato siquidem indulgentiae effectu, nempe remissa poena temporali, ipso jure et facto tollitur necessitas poenitentiae injunctae, et ideo etiam cessat per se obligatio ejus (Cf. Suarez, disp. 50, sect. 2, n. 6; Theodorus, part. 1, pag. 234-236).

68. Sed notandum, per indulgentias concessas *de poenitentiis injunctis* remitti quidem poenitentias sacramentales, quatenus sunt *punitivae seu solutivae poenae temporalis,* non vero illas, quae a Confessario imponuntur *ad cohibendas passiones,* qua ratione curant spirituales animarum morbos, et a futuris criminibus praeservant, quaeque proinde *medicinales* nuncupantur. Nam per in-

dulgentias non cohibentur vitia, neque inordinatae passiones, cum ad id non ordinentur indulgentiae, sed tantum ad relaxandum poenae temporalis reatum (Cf. cit. Auctores).

69. Advertimus etiam, plures Auctores cum Divo Thoma, Suarez et Theodoro a Spiritu Sancto defendere sententiam, quod indulgentiae *de injunctis poenitentiis* extendantur etiam ad peccatorum poenas, *pro quibus poenitentiae* in Sacramento Confessionis *injunctae non sunt,* sed pro quibus injungi poterant. Nam, inquit Suarez, illa adjectio, *a poenitentiis injunctis,* non est restrictiva, sed potius ampliativa: quia majus quid videtur remittere poenas pro quibus sacramentalis poenitentia jam est injuncta, quam reliquas poenas. Ergo cui conceditur indulgentia *de poenitentiis injunctis,* non negatur *de non injunctis,* si vel alias non habeat, vel nolit illas sibi relaxari. Lege hunc eximium Doctorem, qui late rem demonstrat in disputatione 50, sect. 111, n. 14 et sqq.; et vide etiam Theodorum part. 1, pag. 240 etc. Doctrina Suarezii et Theodori confirmari posse videtur ex formula qua Romani Pontifices utuntur, licet raro, in quibusdam ex recentioribus concessionibus. Verba sunt ista vel his similia:... indulgentiam centum (vel tercentum etc.) dierum *de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis* in forma Ecclesiae consueta relaxamus etc. (Vid. Rescr. auth. pag. 687 in nota).

70. Verum disciplina Ecclesiae in elargiendis indulgentiis *de poenitentiis injunctis* est aliquantum mutata. Nam nonnulli Romani Pontifices declararunt, se per concessionem indulgentiarum et Jubilaei nolle auferre obligationem implendi poenitentias sacramentales, quas lucraturis quoque Jubilaeum injungi voluerunt. Benedictus XIV in Constitutione *Inter praeteritos* quoad Jubilaeum anni 1750 sequentia docuit: « *Unum tantummodo reliquum erat, ut super impositione poenitentiae a Confessario non omittenda diceremus, quoniam poenitens, qui indulgentiam consecutus erat, non teneri dicebatur ad eamdem implendam. Cum autem hujusmodi ratio laxior visa esset, Instructione, de qua n. XXVI agitur, mentem nostram declaravimus, statuentes, salutarem poenitentiam a Confessario injungendam esse poenitenti, etiamsi hic ad recipiendum Jubilaeum praeparatus sit, ex quo sane poenitentis obligatio exoritur eamdem adimplendi* ».

Etiam Leo XII in Bulla Jubilaei anni 1825, quae incipit, *Caritate Christi,* praemonuit, se nolle auferre obligationem poeniten-

tiae imponendae a Confessario, rationemque reddit: *quia satisfactio est pars Sacramenti, quod non est relinquendum incompletum.*

Quapropter, stante praesenti oeconomia, si identidem nunc quoque, veteri forma servata, dantur indulgentiae *de poenitentiis injunctis* (quod raro quidem accidit), eae accipiendae videntur de poenitentiis injunctis a canonibus, seu quae juxta eos injungi possent aut deberent (Vid. Palmieri-Ballerini, Opus Theol. Morale in Busenbaum medullam, vol. V, de Indulg. n. 36, pag. 628, edit 2ª).

71. Ceterum hic agitur de re, quae tota pendet a voluntate Summi Pontificis, cui commissa est indulgentiarum dispensatio. Si proinde alicui Pontifici a praesenti oeconomia recedere videbitur et ad veterem Ecclesiae morem redire, concedendo indulgentias ita, ut per eas illa poena temporalis remitteretur pro qua peragenda esset poenitentia sacramentalis, id totum in potestate ejus est: videlicet, in facultate Romani Pontificis est concedere indulgentias, per quas fidelibus remittantur poenitentiae sacramentales, quatenus hae sunt punitivae seu solutivae poenae temporalis, impositae nempe a Confessario *ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

72. Demum notamus cum Passerino, qui rem confirmat auctoritate Card. de Lugo, Confessarium tempore indulgentiae posse leviores poenitentias injungere, obligando poenitentem ad lucrandam indulgentiam. Nam ad hoc indulgentiae conceduntur, ut poenitentes subleventur. (Quaest. IX, n. 107).

§ XIII.

POTESTAS CONCEDENDI INDULGENTIAS.

73. Sermo instituitur *de subjecto,* in quo resideat potestas dispensandi indulgentias. Sed praemittendum, duobus modis posse aliquem indulgentias concedere: 1° potestate *ordinaria,* quae nimirum ordinario jure cum ipso officio connectitur; 2° potestate *delegata,* quae scilicet communicatur ab eo, qui ordinario jure illam dare potest, alteri vices ejus exercenti. Jam vero Ministris Clavium tantum, iis nempe qui jure divino Ecclesiae praesunt, competit potestas ordinaria concedendi indulgentias, ita tamen ut « *potestas faciendi indulgentias plene resideat in Papa, quia potest facere prout vult, causa tamen existente legitima; sed in*

Episcopis est taxata secundum ordinationem Papae; et ideo possunt facere secundum quod eis est taxatum, et non amplius ». (S. Thomas, Suppl. q. 26, art. 3). Hinc:

1° Romanus Pontifex tantum, utpote qui solus habet in Ecclesia plenitudinem potestatis et jurisdictionem in fideles universos, concedere potest indulgentias sive partiales sive plenarias *toti orbi catholico;* ipse solus ob potestatem quam habet in Ecclesiae thesaurum, cujus est supremus dispensator, concedere potest indulgentias, *quae sint defunctis applicabiles.* Et quamvis animae in Purgatorio detentae non subdantur iurisdictioni Summi Pontificis, tamen Pontifex illis concedit per modum suffragii indulgentias, quia sufficit esse subditum illum, qui pro defunctis eas lucraturus est.

2° Episcopi *(residentiales)* possunt ex Concilio Lateranensi IV sub Innocentio III celebrato concedere *suis subditis* dioecesanis, etiam extra dioecesim existentibus, indulgentiam 40 *dierum*; indulgentiam vero *unius anni* in dedicatione seu consecratione ecclesiae, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur. Pro anniversario autem dedicationis *quadraginta dies* tantum. Has indulgentias, (quas nempe Episcopus confert), etiam Religiosi exempti, juxta communem Theologorum sententiam, lucrari possunt; quia, ut ait Dens apud Scavini, non obstat privilegium exemptionis, quoniam in re favorabili se subjiciant Episcopis. Haec ratio, quae a pluribus Theologis adducitur, non approbatur a cl. P. Passerini, qui ita de re scribit: « Nomine vero *subditorum* hic veniunt Religiosi, seu alii exempti habitantes intra dioecesim. Non quia, ut volunt aliqui, Religiosi possint se subjicere Episcopis, sed quia in favorabilibus veniunt sub nomine *civium* et *incolarum,* et sunt participes communium bonorum, non obstante exemptione... Et idem dicitur de advenis » (Quaest. 85, n. 622).

Insuper cum ex decreto S. Congregationis Indulgentiarum in una *Syracusana* de die 24 Januarii 1846 (Decr. auth. N. 333), possit Episcopus alicui loco, imagini, altari etc. adnectere indulgentiam *lucrandam a visitantibus* illum locum, imaginem seu altare, inferri posse videtur, non subditos tantum, sed etiam alienigenas *illa loca visitantes,* eamdem lucrari posse. Quare cum dicitur, Episcopos suis subditis dumtaxat concedere posse indulgentias, id esset intelligendum de indulgentiis *personalibus, non autem localibus.* (Cf. Beringer, p. 39; Maurel, p. 39).

Ex dictis facile deducitur, Episcopos non posse concedere indulgentias *pro defunctis,* cum haec facultas non fuerit eis concessa nec a sacris Canonibus nec a Summis Pontificibus.

3° Archiepiscopi *easdem* ac Episcopi concedere possunt indulgentias, et id tum in propria dioecesi, tum in dioecesibus, quae respectivam eorum provinciam constituunt, et quidem etiam extra tempus visitationis (Ex Cap. *Nostro* de poenit. et remis.).

Quapropter, Archiepiscopi post benedictionem cum Ven. Sacramento seu post alias functiones, *non octoginta,* sed solummodo *quadraginta dierum indulgentiam* impertiri possunt fidelibus (Decr. 22 Febr. 1847; Decr. auth. N. 336; Cf. etiam Decr. 16 Nov. 1711 apud Rescr. auth. n. 9).

4° *Archiepiscopi et Episcopi* titulares, utpote non habentes ordinariam jurisdictionem, nullam concedere possunt indulgentiam. Idem dicendum de Episcopis COADJUTORIBUS etiam cum futura successione, qui pariter *per se* nequeunt concedere indulgentias (Collet, de Indulg. edit. Migne, tom. 18, pag. 557, n. 81).

5° *Episcopi* electi et confirmati, *licet non consecrati,* elargiri possunt indulgentias, cum talis potestas non ordinis, sed jurisdictionis sit (Suarez, tom. IV, disp. 55, sect. III, n. 18; Ferraris verb. *Indulg.* art. 11, n. 9).

6° Cardinales, praeter indulgentias quas concedere possunt, si sint Episcopi seu Archiepiscopi, in suis respectivis dioecesibus sive provinciis, concedere etiam possunt indulgentiam *centum dierum* in ecclesiis suorum *titulorum,* et id etiamsi non sint nec Episcopi, nec presbyteri. Haec tamen potestas non a jure est eis concessa, sed, ut nonnulli opinantur, vivae vocis oraculo.

7° Patriarchae et Primates, *ob talem dignitatem* nullam habent ex jure communi potestatem concedendi indulgentiam. Possunt tamen qua *Archiepiscopi* eamdem concedere, non in toto Patriarchatu vel Primatu, sed tantum in provincia sui Archiepiscopatus, de qua sola loquitur textus in cap. *Nostro* (Cf. Suarez, loc. cit. n. 21).

8° Nuntii et Legati Apostolici subditis suae nuntiaturae et legationis possunt pro quocumque opere, non vi juris communis, sed ex commissione Summi Pontificis, concedere indulgentiam *centum,* vel *biscentum, vel etiam tercentum dierum; minus tamen quam unius anni.* Pro templo autem seu capella concedere possunt indulgentiam *septem annorum* et *septem quadragenarum*

pro illis qui confessi et sacra Communione refecti, in eo loco de more oraverint ad intentionem Summi Pontificis (Ferraris loc. cit. n. 22; Beringer, Les Indulgences, tom. 1, p. 41).

9° a) Poenitentiarius Major concedit indulgentiam *centum dierum,* non quod adsit aliquod jus, sed ex vivae vocis oraculo aut consuetudine, *Papa sciente* (Ferraris et Suarez loc. cit. et Melata, Manuale de Indulgentiis, pag. 29).

Nunc autem dicta facultas concedendi indulgentiam *centum dierum* iis, qui se *poenitentiali virga* tangendos pie reverenterque in tribus Urbis Basilicis submiserint, est summo Poenitentiario expresse concessa ab Innocentio XII Constit. *Romanus Pontifex,* et postea confirmata a Benedicto XIV, Constit. *Pastor bonus* (Ferraris et Melata, ibid.).

b) Quoad Poenitentiarios Minores sciendum est, quod ex concessione Benedicti XIV, 8 Februarii 1748, tam ipsi Poenitentiarii ictum seu tactum poenitentialis virgae praebentes, quam utriusque sexus Christifideles eumdem ictum seu tactum humiliter et corde saltem contrito recipientes, lucrantur *qualibet vice* indulgentiam *viginti dierum* (Cf. Melata, loc. cit. in nota).

Apostolica Sedes eamdem gratiam aliquando concessit aliis etiam Poenitentiariis extra Urbem. Sic Benedictus XIV, per Rescriptum S. Congregationis Indulg. die 10 Maji 1752, eam in perpetuum concessit quatuor Poenitentiariis ecclesiae conventus Lezayscensis Ordinis Minorum in Polonia. Clemens XIII, die 13 Decembris 1768, idem privilegium indulsit duobus Poenitentiariis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Beldiezovic, pariter in Polonia (Rescr. auth. N. 188 et 280).

10° Praelati Episcopo inferiores, quamvis in ceteris potestate gaudeant quasi episcopali, non possunt tamen ullas indulgentias elargiri, cum id nullibi reperiatur eis concessum. Hinc nec Vicarii Generales vel Capitulares, nec Abbates Generales vel Praelati nullius, nec Generales Ordinum religiosorum, nec Provinciales vel Visitatores, nec Parochi vel Confessarii possunt indulgentias concedere sine expressa Summi Pontificis aut Episcopi delegatione.

11° Concilium provinciale, qua Concilium, nullam habet facultatem concedendi indulgentias.

12° Concilium generale non aliter habet hujusmodi potestatem, *nisi per unionem cum Capite, et mediante Capite,* nempe Romano Pontifice (Cf. Suarez, disp. 55, sect. 1, n. 4. 5. 6).

74. Quoad Episcoporum aliorumque Praelatorum potestatem elargiendi indulgentias praestat afferre *quasdam declarationes* a S. Congregatione Indulgentiarum latas, quae hanc materiam non parum illustrant.

a) Episcopus *Ordinarius* tantum concedere potest indulgentiam *quadraginta dierum,* minime vero alii Episcopi *per eam dioecesim transeuntes;* et si concedunt, nullius roboris sunt ac momenti. — Casus:

Titius, civitatis Massiliensis, apud se possidet ac retinet devotam quamdam Deiparae Virginis effigiem in tabula coloribus pictam, cui Episcopus Ordinarius adnexuit quadraginta dierum indulgentiam, acquirendam a Christifidelibus nonnullas preces ante ipsam recitantibus. Rursus alios Episcopos, quotquot per illam civitatem transeunt, idem Titius exorat, *ut unusquisque alios quadraginta dies* de indulgentia praefatae imagini concedat. — Quaeritur a S. Congregatione:

Quid dicendum sit de praedictis concessionibus, quidque de Episcopis transeuntibus, sine permissu Ordinarii indulgentias concedentibus?

S. Congregatio die 17 Decembris 1838 respondit:

Indulgentiae, quae ut supra a nonnullis Episcopis pro aliquibus precibus recitandis ante imaginem B. M. V. sunt impertitae, nullius roboris sunt ac momenti, ac revera apocryphae, praeter illam nempe quadraginta dierum, quam prima tantum vice Episcopus dioecesanus ex jurisdictione sibi dumtaxat competenti est elargitus (Decr. auth. N. 265).

b) Nequit Episcopus fidelibus *dioecesis non suae* indulgentias concedere, *etiamsi Ordinarius loci consentiat* (Decr. 12 Jan. 1878. N. 433 ad 2^m).

c) Servatis Apostolicis ordinationibus circa fragilitatem objectorum, quibus non sunt adnectendae indulgentiae, possunt Episcopi (vid. n. 73, 2°) adnectere indulgentiam *quadraginta dierum* aliquibus *imaginibus* seu *statuis* ab ipsis designandis, lucrandam *a visitantibus,* seu recitantibus ante eas nonnullas praescribendas orationes (Decr. 24 Jan. 1846. N. 333).

d) Nequit Episcopus vel alius quicumque Praelatus eidem actui pietatis, sive eidem pio Sodalitio, cui a Romano Pontifice jam indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt, alias indulgentias adjungere; neque crucibus, coronis, sacris imaginibus

a Papa vel Sacerdote, legitima facultate munito, benedictis, novas adnectere indulgentias, *nisi novae conditiones adimplendae praescribantur* (Decr. 12 Jan. 1878. N. 433 ad 1^m).

e) Nequit Episcopus eidem rei vel eidem actui pietatis, cui jam antecessor indulgentias adnexuit, *novas indulgentias applicare* (Decr. eod. ad 3^m).

f) Non potest Episcopus, quin limites sui juris excedat, eumdem actum pietatis in partes dividere, et ex. gr. pro omni verbo Salutationis Angelicae quadraginta dies indulgentiarum concedere (Decr. eod. ad 5^m).

g) Episcopus *Titularis,* quamvis Auxiliarius Ordinarii alicujus dioecesis, indulgentiam quadraginta dierum concedere non potest sicut Dioecesanus (Decr. eod. ad 4^m).

h) *Delegatus Apostolicus consultius se abstineat* a concurrendo cum uno vel altero Episcopo territorii Delegationis suae, ut idem objectum vel eumdem actum pietatis indulgentiis ditet (Decr. eod. ad 7^m).

i) *Vicarii Apostolici* cum non sint veri Ordinarii, nequeunt *regulariter et per se* concedere indulgentias quadraginta dierum (Decr. S. C. de Prop. Fide, 21 Sept. 1843, et 24 Aug. 1852, apud *Collectanea* S. C. de Prop. Fide, n. 123 et 126; pag. 58-59).

Attamen *ex indulto S. Sedis Vicariis Apostolicis facta est facultas largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis confessis ac sacra Communione refectis.* Super hac facultate duo dubia proposita sunt S. Congregationi de Prop. Fide:

1° *An ad lucrandam ter in anno indulgentiam plenariam* vigore facultatis (praedictae) *debeat Episcopus designare pro qualibet vice unum tantummodo diem,* quo omnes illam lucrari volentes, confiteri ac sacra Communione refici teneantur; *an potius possit, saltem in sua dioecesi, designare aliquot dies continuos,* v. g. aliquod festum cum praecedenti aut sequenti triduo, vel etiam octiduo? Ratio est, quia fideles, attenta eorum conditione, nequeunt omnes concurrere ad ecclesiam uno eodemque die, imo nec solent concurrere nisi illis diebus, quibus in unaquaque respective ecclesia celebratur aliquod festum solemne. Hujusmodi autem festa non in unam eamdemque incidunt diem. Insuper vix aliqua est ecclesia, in qua duo reperiantur confessarii; ac saepe fit ut unus Sacerdos pluribus ecclesiis per diversos pagos sitis deservire debeat.

2° *An debeat similiter assignare eosdemmet dies pro tota simul dioecesi, vel potius possit designare diversos respective dies pro singulis seorsim ac successive parochiis, missionibus aut districtibus,* ita ut fideles modo unius, modo alterius, et sic successive omnium, possint in sua quique ecclesia praedictam indulgentiam ter in anno lucrari diebus ab Episcopo pro illo districtu designatis, licet diversi sint a designatis pro alio districtu?

R. Ad 1. *Posse per triduum, vel per integram octavam.*

Ad 2. *Non teneri, sed posse assignare diversos dies pro diversis parochiis seu missionibus, dummodo non sint in eodem loco* (S. C. de Prop. Fide, 22 Jan. 1759; Collectanea, pag. 358. N. 1015).

Exinde deducitur, quod praedicta concessio indulgentiae *ter in anno* intelligi debet non distributive per annum *fidelibus singulatim* ad opportunitatem impertienda, *sed tribus per annum praescriptis diebus* communiter elargienda ad normam consuetae praxis in Ecclesia (Decr. S. C. de Prop. Fid. 31 Jan. 1796, loc. cit. n. 1016, pag. 358).

75. Praelati, quibus privilegio Apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum indulgentias plenarias, debent hac facultate uti *per modum actus toties quoties talis solemnitas occurrit, quin possint unica concessione eamdem indulgentiam extendere ad omnes solemnitates periodo annorum recurrentes, aut in perpetuum* (Decr. 12 Jan. 1878. N. 433 ad 7m).

76. Dictum est superius, Praelatos Episcopo inferiores non posse concedere indulgentias *sine expressa Summi Pontificis aut Episcopi delegatione, seu jure proprio et ordinario:* Siquidem *ex privilegio et gratia* Apostolicae Sedis Praelati regulares, ut Generalis, Provincialis, Visitatores etc., possunt concedere indulgentiam plenariam suis subditis, peracta visitatione Conventus. (Cf. Miranda, Manuale Praelatorum, quaest. IX, art. II. conclus. 2).

Item dicti Praelati, necnon Superiores Conventuum in Ordine saltem Fratrum Minorum impertire possunt in quibusdam anni diebus ex concessione Summorum Pontificum *absolutionem generalem,* cui adnexa est indulgentia plenaria, prout melius videbimus in proprio loco *de Absolutione generali.*

§ XIV.

PROPONUNTUR ET SOLVUNTUR DUAE QUAESTIONES CIRCA POTESTATEM CONCEDENDI INDULGENTIAM ET CIRCA INDULGENTIAM IPSAM.

77. *Quaestio* 1ª. *An* potestas *concedendi indulgentias acquiri possit consuetudine vel praescriptione?*

Quamvis non defuerit qui sententiae affirmativae adhaeserit, tamen sententia verior ea esse videtur, quae tenet, facultatem concedendi indulgentiam nec consuetudine nec praescriptione acquiri posse. Nam neque consuetudo neque praescriptio dare potest jurisdictionem illam, quae ab ipso Christo vel a Papa immediate communicari debet. Insuper facultas concedendi iudulgentias singularissima est, tum ob sui excellentiam, cum sit potestas forum Dei attingens, et poenas divinae justitiae debitas remittens; tum quia soli Petro ejusque successoribus fuit de jure divino concessa; tum quia tam pretiosa est, ut a Summo Pontifice vix sit concessa primis Ecclesiae Praelatis et quidem cum maxima limitatione; tum demum quia est res maximi periculi, et faciliter contingeret ut indiscretae indulgentiae ab inferioribus concederentur. Non ergo potestas concedendi indulgentias talis est, ut consuetudine vel praescriptione acquiri possit, sed potius natura ejus exigit, ut non committatur nisi prudentiae Summi Pontificis et Praelatorum Ecclesiae (Cf. Suarez, disp. 55, sect. IV, n. 2; Passerini, quaest. 87).

Licet autem consuetudo numquam possit conferre potestatem largiendi indulgentias, tamen consuetudo praescripta, ut observat Suarez, est judicium jurisdictionis aliquando concessae a Summo Pontifice. Etenim non est verisimile, subjungit laudatus Doctor, in re tam gravi propria auctoritate illam fuisse usurpatam, et tanto tempore tacentibus et consentientibus Praelatis continuatam. Vid. etiam Chronolog. Ord. Min. tom. 4, pag. 501 et 620, ubi invocata auctoritate Benedicti XIV de Synod. Dioeces. Lib. 13, cap. 18. n. 4, in quo agitur de Indulgentia Portiunculae, subjungitur:

Indulgentiae quae innituntur traditioni antiquissimae, constantique, et expressa vel tacita Summorum Pontificum confirmatione roboratae, nequeunt sine temeritatis nota in dubium revocari, tametsi authenticum earum Indultum non proferatur.

78. *Quaestio* 2ª. *An* indulgentia *acquiri possit consuetudine vel praescriptione,* ita ut fieri possit, ex. gr. ut consuetudine vel

praescriptione in una ecclesia sit indulgentia, vel ut sit plenaria praefata indulgentia, si per scriptam concessionem solum fuit concessa partialis?

Respondetur negative: siquidem evidens est, quod indulgentia non sit res praescriptibilis: nam indulgentia est *libera actio Pontificis, quae proinde pendet ab ejus voluntate.* At voluntas et actio libera nullo modo praescribi potest. Nequit ergo fieri ut praescriptione acquiratur, *quod Pontifex indulgentiam concedat* seu *poenam temporalem remittat, si revera non concedit et poenam temporalem libere non remittat.*

Quapropter *concessio indulgentiae* seu *indulgentia ipsa,* cum sit mera gratia, numquam potest consuetudine vel praescriptione acquiri (Cf. Passerini, loc. cit.).

79. Ex dictis colligitur, quod nec *opinio probabilis* vel *probabilissima* efficere potest, ut indulgentia sit concessa, si revera concessa non fuerit; nec pariter ut indulgentia, quâe concessa est partialis, fiat plenaria, quia ita putat opinio probabilissima. Tum enim *indulgentia,* tum ejus *quantitas,* non a judicio subditorum vel Auctorum pendet, sed a voluntate concedentis.

Item, si in operum adimplemento exurgeret dubium *facti,* et alias jus sit certum, ut si quis dubitaret an tot vicibus ecclesias visitaverit, quot forma concessionis praescribit, vel an integrum rosarium recitaverit, aut potius notabilem ejus partem omiserit, opinio etiam probabilior minime suffragatur ad indulgentiam lucrandam, si revera fuit defectus *in facto,* quia scilicet impleta non fuit conditio certo necessaria: et in his nec ignorantia, nec impotentia, nec oblivio excusat.

Quod si, relate ad opera injuncta, dubium sit *juris,* quia dubitatur de mente Pontificis opera injungentis, tunc opinio probabilis vel saltem probabilior suffragatur, et qui secundum hanc opinionem opera injuncta implet, lucrari potest indulgentiam. In exemplum adduci potest illa *oratio non determinata,* quae saepe in concessione indulgentiae praescribitur cum hac vel simili forma « *et per aliquod temporis spatium ad mentem S. S. pie oraverint* ». Qui quantitatem orationis peragit juxta Theologorum opinionem probabilem vel saltem probabiliorem, consequi certo potest indulgentiam. Hoc enim rationabiliter et prudenter praesumi potest de mente Summi Pontificis. (Cf. Minderer, part. 1, Conferentia 12, n. 857, quaest. 4, et n. 862, q. 5).

80. Potestas largiendi indulgentias, ut facile ex dictis colligi potest, non est *ordinis,* nec ordinem praerequirit, sed *jurisdictionis.* Si talis potestas esset potestas ordinis, quilibet Sacerdos vi ordinationis suae impertire posset indulgentias. Hoc autem est falsum, cum nec Episcopus titularis possit eas conferre. Neuter enim vi ordinationis solius quemquam ligare vel solvere potest: qua ratione? quia nemo ex sola potestate ordinis *subditos habet;* indulgentiae autem concedi nequeunt, nisi subditis, ex cap. *Quod autem,* de Poenit. et Remiss.

Aliunde certum est, quod ex usu Ecclesiae vel Pontificis gratia Cardinales etiam, qui nec presbyteri nec Episcopi sunt, indulgentias largiuntur. Et sane, hic non agitur de solvendo homine a culpis lethalibus, quae quidem non delentur sine infusione gratiae, et haec infusio gratiae non datur ministerio humano nisi *per Sacramenta;* sed agitur tantum de reatu poenae remanentis post dimissam culpam. Hujusmodi autem poena temporalis, cum non requirat infusionem novae gratiae, sed eam jam adeptam praesupponat, solvi potest *extra Sacramentum: omnia enim solvi debent, prout exigit eorum natura* (Cf. Bellarm., de Indulg. lib. 1. cap. III, n. 3).

Quare remissio poenae temporalis, in qua consistit indulgentia, extra Sacramentum conceditur per applicationem satisfactionum Jesu Christi et Sanctorum. Ad id autem nihil aliud requiritur nisi jurisdictio in largientibus indulgentias, quae proinde characterem sacerdotalem non requirit. Unde Angelicus Doctor docet: « *Indulgentia non se extendit ad remissionem culpae, quia non est sacramentalis, unde non sequitur ordinem, sed jurisdictionem; potest enim et non sacerdos indulgentiam facere, si sit ei commissum* » (Quodl. 11, art. 61, ad 2^m; cf. Suarez, disp. 49, sect. III).

Quamvis autem potestas concedendi indulgentias characterem sacerdotalem non expostulet, nequeunt tamen Episcopi hanc potestatem delegare *laicis,* cum laici jure humano removeantur a muneribus ecclesiasticis (Vid. Bonacina, de Indulgentiis, Punctum tertium; Ferraris, verb. *Indulg.* art. II, n. 13).

§ XV.

CAUSA REQUISITA IN CONCESSIONE INDULGENTIARUM.

81. Ut indulgentiarum concessio sit *valida* requiritur, praeter auctoritatem concedentis, *justa* et *legitima causa:* ita commu-

niter Theologi cum Doctoribus S. Thoma, S. Bonaventura et S. Alphonso. Clemens PP. VI in Extrav. supra citata docet, Ecclesiae thesaurum fidelibus salubriter dispensandum *ex propriis ac rationabilibus causis.* Et sane Ecclesiae Praelati non sunt domini, sed dispensatores bonorum ecclesiasticorum. Dispensatio autem sine causa facta non valet, cum sit potius dissipatio. Accedit quod qui concedit indulgentias *jura Dei remittit, seu in jure divino dispensat;* siquidem obligatio ad poenam pro peccatis debitam coram Deo, secundum justitiae legem, *est juris divini.* At jura divina remittere ac res Domini dispensare sine justa et legitima causa non valet, cum nequeat in eo praesumi voluntas Dei, qui sanctissimus et justissimus est.

82. Disputant Theologi, utrum ad indulgentiae validitatem non solum requiratur justa et rationabilis causa, *sed etiam proportionata quantitati indulgentiae.* Valde probabilius affirmandum; nam causa non proportionata perinde est ac non causa. Huic sententiae adhaeret S. Alphonsus, utpote veriori et magis communi (loc. cit. n. 532; cf. Bellarm., qui cap. XII late agit de hac quaest.).

83. Illud certum est, ad justam causam minime requiri, ut opus injunctum sit in se ita satisfactorium, ut plene compenset debitum poenae quod remittitur per indulgentiam: *tunc enim indulgentia non esset remissio, sed compensatio seu commutatio; expiatio nempe adscribi deberet non indulgentiae, sed ipsi operi, ac ideo nulla esset indulgentia.*

84. Nec etiam requiritur ad iustitiam et proportionem causae cum indulgentia, ut opus injunctum sit in se valde meritorium aut satisfactorium, vel difficile et laboriosum, quamvis haec etiam attendi debeant; sed sufficit *ut sit medium aptum* ad consequendum finem, cujus gratia conceditur indulgentia. Finis seu causa finalis, qua moventur Pontifices ad largiendas indulgentias, debet esse talis, ut ejus assecutio *magis placeat Deo, quam satisfactio,* quae per indulgentiam relaxatur, et multiplex esse potest, ut puta, *honor Dei, Ecclesiae utilitas, bonum commune, promotio piorum operum vel precum,* quae quidem valde conferunt ad excitandam fidem et devotionem fidelium.

85. Infertur, *proportionem causae* in ordine ad indulgentiam minime desumi a solo opere materialiter et per se considerato, sed *a bono communi et a fine sanctissimo* per indulgentiam intento. Quocirca *opus etiam levissimum cum suis circumstantiis*

inspectum, sufficere quidem potest ad indulgentiam etiam plenariam concedendam et a fidelibus lucrandam. Talis est, ex. gr., ait Bellarminus, assistentia illa prae foribus Basilicae S. Petri, dum Summus Pontifex solemni caeremonia populo benedicit. Fideles quippe leve per se opus peragunt et delectabile potius, quam poenale; sed tamen *valde aptum et utile* ad protestationem fidei in Primatum Romani Pontificis atque ad honorem Sedis Apostolicae, *qui est finis illius indulgentiae.*

86. Item observandum, quod cum in communi datur indulgentia multis, non est necesse ut cujusvis opus in particulari sit proportionatum fini, propter quem conceditur indulgentia, sed satis est quod opus omnium *collective* sit proportionatum. Quapropter si concedatur v. g. indulgentia pro obtinenda pace inter Principes christianos omnibus Christifidelibus qui quinquies in tali festivitate devote recitaverint *Pater* et *Ave;* etsi singulorum preces seorsim sint quid leve respectu hujus finis, omnium tamen preces simul sumptae, sunt quid notabile.

87. Sunt plures Theologi qui putant, eam causam sufficere, quam is qui indulgentiam concedit, *prudenter existimat justam et proportionatam esse;* alioqui, inquit Suarez, numquam possent Pontifices prudenter absolute promittere vel concedere tantam vel tantam indulgentiam (Disp. 54, sect. III, n. 11).

Ceterum non est fidelium judicare, utrum causa justa sit vel non; debent enim simpliciter existimare justam esse (S. Alph. n. 532).

88. Ex dictis collige, *causam* ob quam indulgentia conceditur, *plane distingui ab opere injuncto;* attamen causam justam indulgentiae *plerumque* duo complecti, scilicet finem propter quem conceditur indulgentia, et opus quod injungitur ad hunc finem consequendum. Dictum est *plerumque,* quia aliquando solus finis seu sola causa finalis satis esse videtur sine opere injuncto, quando scilicet assecutio finis indulgentiae non pendet ab aliquo opere, et per se sufficit ad indulgentiam justam efficiendam. Sic olim ad petitionem Martyrum qui detinebantur in carceribus et consummationem martyrii expectabant, elargiebantur indulgentiae absque opere injuncto, quia sancta Ecclesia judicabat satis magnam causam esse illam Martyrum petitionem, ut videlicet homines ad martyrium accenderentur, cum viderent tanti fieri Martyrum preces. Ita etiam in articulo mortis, hominibus bene meritis de Ecclesia dantur ali-

quando indulgentiae, neque opus ullum injungitur, quia videtur causa esse satis justa ipsa necessitas extrema, conjuncta cum praecedentibus meritis (Vid. Bellarm., cap. 12; Billuart, de Indulg. art. IV).

§ XVI.

QUI INDULGENTIAS LARGITUR, ETIAM PRO SE LUCRARI EAS POTEST.

89. Hujus thesis veritas pluribus rationibus convincitur, quas breviter indicabimus.

1° Probatur *ex communi Theologorum sententia,* de qua vide Suarez, disp. 52, sect. 1; Bellarminum, de Indulg. c. VIII; Passerini, quaest. 21 etc.

2° *Ex usu et praxi* Summorum Pontificum, qui indulgentias lucrari solent, quas Christifidelibus concedunt in Jubilaeis.

3° *Ex ratione,* quia si Pontifex, seu generatim Praelatus, non posset pro se uti thesauro Ecclesiae, quem aliis dispensat, ipse pejoris conditionis esset quam alii (S. Thom., Supplem. quaest. 27, art. 4).

4° *Ex quodam absurdo,* quod ex contraria sententia sequeretur, quod nempe Pontifex, saltem quoad indulgentias personales, participare non posset de Ecclesiae thesauro, cujus ipse est supremus dispensator. Idem dicendum de Episcopis quoad indulgentias, quas suis subditis largiuntur.

90. Praecipuae difficultates contra thesim nunc expositam sunt:

a) Concessio indulgentiae est actus jurisdictionis; nemo autem habet jurisdictionem in seipsum.

b) Indulgentia est absolutio quaedam; at vero nemo potest seipsum absolvere.

Theologi hisce difficultatibus communiter ita respondent: Plures sunt modi, quibus Praelatus fieri potest particeps indulgentiae pro aliis a se concessae:

Primus modus esse potest, si Praelatus det alteri facultatem ut sibi concedat indulgentiam, prout expedire censuerit. Et de hoc modo non est dubium, quin sit possibilis: nam etiam in foro poenitentiae Praelatus dat alteri jurisdictionem ut se absolvat; a fortiori id poterit in foro indulgentiae.

Secundus modus est, quod concessio indulgentiae directe fiat *communitati;* redundet vero in ipsum concedentem, *tamquam*

in partem communitatis. Et hunc modum, ut scribunt Suarez et Passerini, approbat D. Thomas et alii Auctores ab ipsis citati. Quocirca, etsi nullus possit exercere *directe* jurisdictionem *erga seipsum,* id tamen fieri potest *indirecte.* Et sane Praelatus sub duplici respectu considerari potest, videlicet: *ut Praelatus,* et *ut unus de communitate.* Primo modo nequit actum jurisdictionis in seipsum exercere nec se absolvere; sed potest secundo modo. In hac enim absolutione et concessione indulgentiae non requiritur, ut *concedens* et *ille cui conceditur* sint distinctae personae, sicut in absolutione sacramentali, in actu jurisdictionis contentiosae, vel coactivae, sive punitivae. Sic Summus Pontifex, ut *caput Ecclesiae,* potest non solum aliis, sed etiam sibi indulgentias concedere tamquam *personae privatae sub eodem corpore Ecclesiae contentae,* idque *non directe et immediate* exercendo actum jurisdictionis in seipsum, sed *indirecte tantum et mediate,* quatenus adimplendo conditiones ad lucrandas indulgentias a se praescriptas, ipse etiam tamquam persona privata *et ejusdem communitatis membrum* illas participat (Cf. cit. Auct. necnon Mastrium, Theol. Moral. disp. 23, quaest. 2, art. 1, n. 25).

Descriptis duobus modis tertium addit eximius Suarez, admittens Praelatum, maxime Summum Pontificem, posse sibi concedere indulgentiam non tantum secundario et simul cum tota communitate, sed etiam *primario* ac sibi soli et per seipsum, *si alioqui rationabilis causa subsit ad talem indulgentiam sibi concedendam.* Ratio est, quia usus jurisdictionis, per quam conceditur indulgentia, non est talis qui requirat realem distinctionem personarum, sed sufficit moralis distinctio. Ergo potest a Pontifice in seipsum exerceri, ita ut *qua Pontifex dispenset, qua homo dispensetur.*

91. Huic tamen sententiae Suarezii est contrarius D. Thomas, docens quod « Praelatus *non potest facere indulgentiam sibi tantum, sed potest uti indulgentia, quam pro aliis facit* ». Sed notandum, Doctorem Angelicum ita sentire, non ex defectu potestatis in Pontifice, *sed ex defectu causae:* existimat enim nullam posse subesse causam sufficientem ad concedendam sibi indulgentiam tali modo. « Nam indulgentia, ait S. Doctor, debet ex aliqua causa dari, ad hoc quod aliquis per indulgentiam ad actum aliquem provocetur, qui in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat. Praelatus autem, cui cura Ecclesiae utilitatis et honoris divini propagandi est commissa, non habet causam, ut seipsum ad hoc provocet »,

quatenus nempe Praelatus *ex munere suo* tenetur Ecclesiae utilitatem et Dei honorem procurare. At Suarez huic rationi non assentit: cur enim, inquit, non potest Praelatus seipsum per indulgentiam provocare ad illum actum exercendum in utilitatem Ecclesiae, quem alioqui ex officio facere tenetur? haec enim duo non repugnat simul conjungi in eumdem actum. Sicut potest per indulgentiam provocare alios fideles ad illos actus faciendos, quos ex aliis praeceptis facere tenentur, et alicui regi potest concedere indulgentiam hoc fine, ut per eam provocetur ad suum munus regium recte exercendum. Sed de hac quaestione satis: qui plura cupit pro et contra, adeat ipsum Suarez et Passerini (locis citatis), qui fuse de ea agunt.

92. Quaeres tandem, *utrum Praelatus ad consequendam indulgentiam teneatur praestare opus communiter ab ipso impositum?* Respondemus cum Bonacina, qui de hac controversia ita scribit: Mihi placet opinio D. Thomae in 4. d. 20, art. 5. q. 4, Cordubae, lib. 5. q. 31 post secundam propositionem, et aliorum asserentium, Praelatum non teneri opus generaliter injunctum praestare, sed posse in hac parte secum dispensare, faciendo aliud opus pium loco pii operis generaliter praescripti. Nam impositio talis operis pii dependet ab ipsius concedentis voluntate: sicut ergo concedens potest cum aliis dispensare, aliud opus injungendo, ita etiam secum in hac parte dispensare posse videtur (Tract. de Sacram. disp. 6, de Indulg. quaest. 1. Punctum 3, n. 17).

93. **Nota.** Passim apud Auctores invenitur assertio, quod indulgentiae concessio sit actus jurisdictionis *voluntariae,* non contentiosae vel coactivae. Et jure quidem: nam indulgentia importat jurisdictionem *non ligantem, sed solventem et miserentem,* et non exercetur nisi in volentes. Insuper indulgentia regulariter non conceditur, nisi sub conditione operis *voluntarii;* quae omnia ostendunt, jurisdictionem, quae locum habet in concessione indulgentiae, non contentiosam vel coactivam, sed voluntariam esse: jurisdictio enim *voluntaria* est quae *in volentes* exercetur.

§ XVII.

RECOGNITIO ET PUBLICATIO INDULGENTIARUM.

94. Quando Summus Pontifex indulgentiam quamlibet concedit *Urbi et Orbi,* ut fideles talem indulgentiam in variis dioecesibus

lucrari possint, non requiritur, ut haec indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur, sed sufficit ut certi sint praedictam indulgentiam a Summo Pontifice fuisse concessam (Decr. 1 Julii 1839. N. 273 ad 6^m^).

95. Indulgentias, quas Summi Pontifices omnibus totius Orbis fidelibus concessere *in Bullis* seu *Rescriptis jam publicatis et ab Auctoribus probatissimis citatis,* fideles lucrari valent, etiamsi antea ab Ordinariis locorum in suis respectivis dioecesibus promulgatae non fuerint. Possunt tamen Episcopi eas in suis dioecesibus promulgare, modo eas reperiant relatas apud Auctores fide dignos, v. g. apud Ferraris vel in *La Raccolta* (Decr. 31 Aug. 1844, apud Prinzivalli N. 566 ad 3^m^ et 4^m^).

96. Qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, ex. gr. altaris privilegiati *personalis,* benedicendi cruces, numismata etc. non tenetur exhibere dictas facultates Ordinario, *nisi aliter disponatur in obtentis concessionibus.* Excipitur facultas quoad erectionem Viae Crucis, quae quidem exhiberi debet Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionis rescripto (Decr. 5 Febr. 1841, N. 286 ad 2^m^; cf. etiam Decr. 31 Aug. 1844, ad 2^m^, apud Prinzivalli N. 566).

97. Indulgentiae *locales,* id est, quae cuidam loco, v. g. ecclesiae, altari, affiguntur, nullae dici nequeunt ex eo, quod Episcopus ordinarius eas non recognoverit aut publicari non permiserit. Expectanda tamen erit publicatio ordinaria, postquam illas recognoverit, ut sciant fideles, an sint indulgentiae plenariae vel partiales, et quae sint conditiones assignatae ad illas acquirendas (Decr. 31 Aug. 1844, apud Prinzivalli N. 566 ad 1^m^).

98. Casus: Parochus cujusdam dioecesis obtinuit a S. Sede indulgentiam publicam pro sua parochia: *quaeritur, an idem Parochus possit eam publicare, ut parochiani eamdem lucrari valeant, quin Episcopus indultum viderit, ejusque publicationem permiserit?*

Respondetur: *Negative* (Cf. Decr. S. O. 8 Julii 1846, apud Collectanea S. C. de Prop. Fid. N. 1018, pag. 358).

99. Quaesitum est: *An Religiosi parochi in Provincia Bosniae possint annuntiare populis indulgentias plenarias pro festis sui Ordinis in paroeciis Episcoporum?*

S. Congregatio de Prop. Fide respondit: *Posse cum licentia Episcopi* (Loc. cit. 5 Octobr. 1676. N. 399, p. 141).

100. *Preces in publico recitandae,* pro quibus petitur indulgentia, exhiberi prius debent Sacrae Congregationi Rituum; quibus, si ita ei visum fuerit, probatis, tunc a S. Congregatione Indulgentiarum examinantur, utrum expediat iisdem applicare aliquas indulgentias (Decr. 9 Julii 1777, N. 239). Hodie tamen ad hujusmodi approbationem obtinendam ipsa S. Congregatio Indulg. agit.

101. Summus Pontifex Pius IX declaravit, indulgentias adnexas precibus valere *quocumque idiomate recitentur,* dummodo versiones sint fideles. Ut autem constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio S. Congregationis Indulg. per Emum Praefectum, vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio, cujus recitationi primitus indulgentia concessa fuit (Decr. 29 Dec. 1864. N. 415).

102. S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, juxta institutionem a Clemente PP. IX peractam Constitutione quae incipit: *In ipsis Pontificatus primordiis,* sub die 6 Julii 1669, facultate instructa est omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis aut Indulgentiis emergentem expediendi, ac si qui abusus in eis irrepserint, illos corrigendi et emendandi, falsas, apocryphas, indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate rejiciendi (Decr. 14 Apr. 1856. N. 371 in exordio).

103. Monentur fideles ut sint cauti in adhibenda fide foliis, diariis, libellis, in quibus adnotantur orationes vel pia opera, indulgentiis, uti dicitur, ditata, et videant an hujusmodi impressiones (vulgo *stampe*) munitae sint approbatione S. Congregationis Indulgentiarum (*Raccolta* p. XXX).

104. Siquidem pluries indulgentiae typis impressae delatae sunt S. Congregationi Indulgentiarum, quae licet falsae omnino, apocryphae et indiscretae, attamen huc illuc, sive hominum malitia, sive incuria, et absque ulla prorsus auctoritate typis mandantur et circumferuntur... Quapropter S. Congregatio plures hujusmodi indulgentias typis excusas, tamquam apocryphas, nullas et indiscretas habendas esse declaravit, et locorum Ordinariis, per quorum dioeceses indulgentiae ejusmodi circumferuntur, commendandum censuit, ut S. Congregationis Decreta in hanc rem edita omni studio observari curent (Decr. 14 Apr. 1856. N. 371).

105. In primis vero observari oportet Decretum super earum-

dem indulgentiarum *publicatione* et *impressione*, sub die 19 Januarii 1756 latum, et a Benedicto Pp. XIV adprobatum, quod ita se habet: *Cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri, inscia ipsa S. Congregatione, ex quo multi promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti Decreto declaravit, impetrantes posthac hujusmodi generales concessiones, teneri,* SUB NULLITATIS POENA *gratiae obtentae, exemplar earumdem concessionum ad Secretariam ejusdem S. Congregationis deferre.* Cujus Decreti observantia iterum praescripta est a Summo Pont. Pio Pp. IX in Audientia diei 14 Aprilis 1856 (Decr. eod.).

106. S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cum nonnulli abusus super publicatione indulgentiarum etiam novissime irrepserint, inhaerendo Decretis alias editis, censuit renovandam esse, prout expresse renovat, prohibitionem quorumcumque librorum continentium concessiones, summaria et diaria indulgentiarum, et quocumque alio nomine vel titulo nuncupentur, absque praevia approbatione ejusdem S. Congregationis (Decr. 17 Martii 1738. N. 123).

107. In Decretis de libris prohibitis, quae post regulas Indicis addita sunt, haec leguntur § III, n. 12: *Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia S. Congregationis Indulgentiarum.* Exorto dubio circa hujus regulae interpretationem, sequens responsum prodiit:

Articulus 12 § III etc. ita intelligendus est et in praxim deducendus, ut si agatur de edenda concessione alicujus indulgentiae vel Summarii indulgentiarum, *quod ex Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est, aut de Summario ex auctoritate S. Congregationis jam vulgato,* in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earumdem indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio); econtra vero si sermo sit *de Summario vel antea collecto, sed nunquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo,* requiritur expressa S. Congregationis Indulgentiarum licentia; addita tamen conditione: facto verbo cum Sanctissimo (S. C. Indulg. 22 Januarii 1858. N. 383).

108. Ratione nimiae indulgentiarum accumulationis, quae saeculorum decursu interdum contigit, plures indulgentiae a Summis

Pontificibus fuerunt abrogatae. Paulus V, ex. gr. Constit. *Romanus Pontifex* 23 Maji anno 1606, omnes indulgentias personales Regularibus Ordinibus concessas, circa quas varia dubia, incertitudines et confusiones exortae erant, revocavit, et alias particulares illis concessit.

§ XVIII.

CESSATIO INDULGENTIARUM.

109. Indulgentiae cessare possunt ob diversas rationes:

a) *Ob tempus elapsum*. Sic indulgentiae ad septennium ex. gr. concessae, septennio expleto cessant.

b) *Per abrogationem* sive revocationem a legitimo superiore peractam.

c) *Per mortem concedentis,* si indulgentia concessa fuerit *ad beneplacitum ejus;* secus vero si fuerit concessa *ad beneplacitum Romani Pontificis* seu *Sedis Apostolicae,* quae non moritur.

d) *Per cessationem causae finalis,* ob quam concessa est indulgentia. Hoc tamen a pluribus negatur (Vid. Suarez, Kazenberger, c. 3. sect. 1. n. 56; Mastrius, Theol. Mor. disp. XXIII, q. 3, art. 2, n. 50).

e) *Per destructionem rei,* cui adnexa est indulgentia, puta, ecclesiae, altaris, coronae etc.

f) *Per mortem possessoris* rei mobilis, ut coronae, crucifixi, numismatis etc. quibus applicatae erant indulgentiae. Hae, defuncto possessore, illico cessant, cum sint personales. Sed de hujusmodi rebus, suis respective locis redibit sermo.

§ XIX.

INDULGENTIAE FALSAE, APOCRYPHAE, NULLAE, ABROGATAE ETC.

110. Indulgentiae *falsae* dicuntur illae, quae numquam fuerunt concessae, quae ideo vel malitiose invectae fuerunt, vel erronee suppositae. De falsitate saltem *suspectae* habentur indulgentiae illae, quae ad numerum annorum excessivum, puta *millenorum annorum*, asseruntur concessae, quaeque passim leguntur in antiquis libellis. *Suspectae* potissimum habendae sunt, quando earum

assertae concessiones ad ea tempora referuntur, quibus maxime viguit in largiendis indulgentiis moderatio. — Ubi defectu documentorum authenticitas alicujus indulgentiae non constet, aut de ea grave dubium maneat, ad S. Congregationem Indulg. recurrendum est pro opportuna ejusdem dubii solutione (De Indulg. *millenorum annor.* etc. vid. Bened. XIV, De Syn. dioec. Lib. 13. c. XVIII, n. 8).

Attamen, quod revera indulgentiae *mille annorum vel amplius* fuerint aliquando concessae, non videtur posse dubitari. In authentico Summario Indulgentiarum Cincturatorum (Rescr. auth. pag. 506, n. 8. 20. 24) reperitur elargita indulgentia *mille annorum et mille quadragenarum.* In Summario Indulgentiarum Confraternit. SS. Rosarii, inserto in Bulla *Nuper pro parte* Innocentii XI d. d. 31 Julii 1679 (Acta S. Sed. pro Societate SS. Rosarii, vol. II, pag. 297, cap. III, n. 3) legitur: « Ex concessione Innocentii VIII in Bulla, quae incipit: *Splendor Paternae Gloriae,* Romae 27 Febr. 1488, confratribus et consororibus (SS. Rosarii) in aliqua confraternitate in Ordine Praedicatorum erecta conscriptis, vereque poenitentibus et confessis, qui tertiam Rosarii partem recitaverint, toties quoties id egerint, *sexaginta millia annorum, et totidem quadragenae,* indulgentiarum de injunctis sibi poenitentiis relaxantur ».

Indulgentiae *apocryphae* vocantur illae, quae authenticitate sunt destitutae, quae nempe adscribuntur Pontifici, qui an revera concesserit, minime constat. Ex his aliquae falsae, aliquae ad minus dubiae sunt, quas proinde Ecclesia respuit, ne secus decipiantur Christifideles.

Indulgentiae *nullae* sunt, quae dantur a non habente facultatem eas concedendi, vel quae dispensantur non servatis conditionibus ad validitatem requisitis.

Indulgentiae *abrogatae* seu *suppressae* appellantur illae, quae ab eadem auctoritate, a qua fuerunt concessae, vel ab auctoritate superiori, tolluntur, annullantur, revocantur. Triplici potissimum ratione Summi Pontifices moventur ad indulgentias abrogandas seu revocandas, nempe vel ob *dubium de earum concessione,* vel ob *cessationem causae* propter quam concessae fuerunt, vel *ob nimiam earum accumulationem* pro eodem fine aut eidem corpori morali concessarum.

111. *Ratione dubietatis* de vera indulgentiarum concessione, huiusmodi indulgentiae dicuntur *apocryphae,* et has jam comme-

moravimus. Exemplum *abrogationis,* ut de ceteris sileamus, habetur in libro *Rescripta authentica,* N. 305. Prope portas ecclesiae S. Praxedis de Urbe reperiebantur duo lapides, in quibus asserebatur, *duodecim millia annorum totidemque quadragenarum ac tertiae partis peccatorum remissionem lucrandam quotidie,* fuisse concessam. At vero de canonica hujus gratiae concessione nullum authenticum documentum proferri poterat, et ideo de illorum valore prudenter dubitabatur. Ideo Pius VI mandavit, ut praefati duo lapides amoverentur, et abrogatis assertis indulgentiis, indulgentiam plenariam concessit *semel in anno* lucrandam a fidelibus confessis et sacra Communione refectis ac praedictam ecclesiam visitantibus.

112. *Ratione cessationis causae,* non paucae indulgentiae a Summis Pontificibus abrogatae fuerunt. Sic. e. g. reaedificatis quibusdam Basilicis seu ecclesiis, ad removendos quoque abusus qui ex parte collectorum eleemosynarum irrepserant, S. Pius V Const. *Etsi Dominici gregis,* 6 Febr. 1567, abolevit omnes indulgentias in illum finem concessas necnon ceteras omnes « *pro quibus consequendis manus adjutrices sunt porrigendae, et quae quaestuandi facultatem quomodolibet continent* ».

§ XX.

COLLECTIONES A S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM EDITAE.

113. Titulus primae Collectionis est: *Decreta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae ab anno* 1668 *ad annum* 1882, *edita jussu et auctoritate Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII.* — Ratisbonae etc. typis Friderici Pustet, 1883.

Quam quidem Decretorum Collectionem *Idem Sanctissimus D. N.,* in audientia diei 19 Augusti 1882, *auctoritate sua apostolica approbavit, et uti authenticam ab omnibus retinendam esse praecepit* (Vid. Decretum eidem collectioni praefixum).

114. Titulus secundae Collectionis est sequens: *Raccolta di orazioni e pie opere, per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze;* Roma, tipografia poliglotta della S. C. di Propaganda Fide, 1886.

Hanc etiam Collectionem Leo PP. XIII *apostolica sua auctoritate approbavit, quae ut genuina et authentica Indulgen-*

tiarum hactenus concessarum Sylloge ab omnibus habenda sit. Hinc etiam ad decidenda dubia, quae forte de sensu concessionis aut de conditionibus lucrandarum indulgentiarum oriantur, eamdem hanc Syllogen normae instar esse debere Sanctitas Sua mandavit... (Decr. 24 Maji 1886 Collectioni praefixum).

Omnes et singulae indulgentiae adnexae precibus piisque operibus in *Raccolta* contentis, *Fidelibus etiam defunctis* per modum suffragii sunt applicabiles (Decr. 30 Sept. 1852. N. 361; *Raccolta,* p. XXVIII).

Item omnes et singulae orationes in eadem Collectione *(Raccolta)* contentae, *quocumque idiomate,* dummodo versiones sint fideles, pro indulgentiarum acquisitione recitari possunt. Praeterea Summus Pontifex mandavit, ut si contigerit eamdem Collectionem in aliud verti idioma, hujusmodi versio typis publicari non possit *absque approbatione S. Congregationis* (Decr. eod.).

115. *Decreta authentica* et *Raccolta* sunt igitur duae Collectiones *officiales* S. Congregationis Indulgentiarum, quarum auctoritas est maxima, utpote proveniens non tantum ex genuinitate documentorum, sed etiam ex amplissima approbatione ipsius Summi Pontificis.

116. Extat etiam tertium opus, cui titulus: *Rescripta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, necnon Summaria Indulgentiarum, quae collegit et cum originalibus in archivio S. Congregationis Indulg. asservatis contulit Josephus Schneider S. I. Sacerdos.* — Ratisbonae etc. typis Friderici Pustet, 1885.

Quamvis volumen hoc sit opus privatum, magna tamen auctoritas ei accedit ex approbatione S. Congregationis Indulgentiarum quae *concessiones indulgentiarum contentas sive in Rescriptis proprie dictis sive in Summariis,* prouti ista in eodem volumine jacent, *post collationem cum originalibus in tabulario ejusdem S. Congregationis adservatis peractam, uti authenticas recognovit.*

117. *Litterae Apostolicae, Rescriptum, Decretum, Indultum.*

Gratiae, indulgentiae aliique favores conceduntur vel 1° per *Constitutionem* sive *Litteras Apostolicas,* quarum nomine communiter intelliguntur quaevis diplomata Pontificia, quae si sub plumbo in forma solemni dentur, proprie *Bullae* dicuntur; si secus, *Litterae in forma Brevis* vel *Brevia* nuncupantur; 2° per

Rescriptum, quod supponit supplicationem, cujus est veluti responsum, et per hoc vel conceditur vel negatur sive in totum sive ex parte gratia petita; 3° per *Decretum,* quod per se non supponit supplicam. Decreta, quae praescriptionem seu legem vel judicium important, plerumque provocantur ab ecclesiasticis viris seu ab Episcopis aut a Regularibus per dubia solvenda a Romanis Congregationibus, vel per petitiones alicujus gratiae, in quo ultimo casu parum differt a Rescripto; unde fit ut Rescriptum et Decretum aliquando promiscue usurpentur. Decreta interdum eduntur sub clausula *Urbis et Orbis,* et tunc generalia sunt pro omnibus nempe Christifidelibus utpote concessiones vel ordinationes sive leges generales continentia; aliquando dantur pro aliquo peculiari loco vel causa, quae tamen ostendunt spiritum et applicationem ecclesiasticae legis, quaeque proinde omnibus maximae utilitatis sunt: quod idem dicendum de Rescriptis proprie dictis. Concessiones quae sive per Rescripta particularia, sive per Decreta generalia fiunt, *Indulta* sive simpliciter *concessiones* nuncupantur.

§ XXI.

EPILOGUS RERUM NOTABILIUM TOTIUS CAPITIS PRIMI.

118. 1° Definitio Indulgentiae. Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo pro peccatis quoad culpam condonatis debitae, quam per applicationem thesauri Ecclesiae, ex superabundantibus meritis satisfactoriis Jesu Christi, B. Mariae Virginis et Sanctorum coalescentis, Ecclesiastica auctoritas extra Sacramentum Poenitentiae fidelibus concedit.

2° Ex hac definitione patet, effectum indulgentiarum esse remittere *non culpas sive mortales sive veniales,* sed *poenas temporales,* quae saepe luendae remanent post culparum remissionem.

3° Veritates *de fide* credendae quoad indulgentias his propositionibus continentur:

a) Est potestas in Ecclesia divinitus ei tradita concedendi indulgentias.

b) Indulgentiarum usus christiano populo est maxime salutaris.

4° Veritates *fidei proximae* quoad easdem indulgentias, tres recensentur:

a) Per indulgentias relaxari fidelibus poenas pro peccatis remissis Deo debitas.

b) Easdem indulgentias applicari posse per modum suffragii animabus in Purgatorio detentis.

c) Dari in Ecclesia thesaurum seu collectionem satisfactionum Christi et Sanctorum, cujus dispensatio ad eamdem Ecclesiam, seu ad Romanum Pontificem, necnon ad Episcopos pro diversa ratione pertinet.

5° *Meritum* proprie dictum distinguitur *a satisfactione:* meritum enim refertur ad consequendum *praemium,* satisfactio ad extinguendum *debitum.* Opus bonum, qua *meritorium,* non potest aliis applicari; potest autem aliis applicari, qua *satisfactorium* est.

6° *Fons* indulgentiarum est ipse Ecclesiae thesaurus, scilicet infinitae satisfactiones Jesu Christi, quibus adduntur satisfactiones B. Mariae Virginis et aliorum Sanctorum.

7° *Fundamentum* indulgentiarum est Communio Sanctorum, per quam fit, ut Ecclesia triumphans, purgans et militans non constituant tres societates penitus inter se separatas, sed caritatis vinculo ita conjunctas, ut unum corpus, cujus Christus est caput, efforment. Ex quo provenit, ut sacrum commercium et sacra communio suffragiorum et meritorum inter omnia Ecclesiae membra Christo capiti unita, exurgat.

8° Tam fidelibus viventibus, quam defunctis prosunt indulgentiae, sed modo diverso illis et istis applicantur. Nam viventibus conceduntur per modum absolutionis judiciariae, quae tamen annexam habet solutionem ex thesauro Ecclesiae; defunctis vero per modum suffragii seu simplicis solutionis.

9° Effectus indulgentiarum *respectu viventium* est *infallibilis,* dummodo omnia requisita adsint; respectu vero *defunctorum* non videtur esse infallibilis. Quare axioma: *Indulgentiae tantum valent quantum sonant,* jure applicatur indulgentiis pro vivis, non autem indulgentiis pro defunctis, saltem non cum omnimoda certitudine.

10° Est quaestio inter Theologos, an indulgentia aequaliter participetur ab inaequaliter dispositis.

11° Peccatum veniale non remissum quoad culpam, non potest remitti quoad poenam. Illud tamen veniale non impedit, quominus per indulgentias remittatur poena *aliis peccatis jam deletis* debita. Ex quo infertur, quod indulgentia concessa ut *ple-*

naria, obtineri saltem potest ut *partialis*, si integra obtineri nequeat, e. g. propter affectum ad aliquod veniale.

12° Pia opera praescripta non sunt *causa* consecutae indulgentiae, sed *conditiones*. Causa est ipsa *concessio indulgentiae*.

13° Opera praescripta pro acquirendis indulgentiis personaliter a quolibet fideli fieri debent. Excipitur eleemosyna, quae per alium dispensari potest.

14° Ad expiandas in praesenti vita poenas temporales, quae post remissionem culpae et poenae aeternae luendae supersunt, duo media Christifidelibus praesto sunt, nempe: *peragere opera satisfactoria*, et *lucrari indulgentias*.

15° Ut indulgentiae applicari possint defunctis, duo requiruntur:

a) Ut illis applicabiles in Rescripto Apostolico concedantur.

b) Ut sit intentio talem applicationem faciendi, praesertim si indulgentia sit applicabilis vivis et defunctis.

16° Indulgentia defunctis applicabilis, applicari potest, juxta *Raccolta* pag. XII, vel *uni*, vel *pluribus*, aut etiam *omnibus animabus Purgatorii*, cum suffragia sint divisibilia.

17° Quaestio: an indulgentia *plenaria* defunctis applicabilis, ad unam tantum animam limitetur?

18° Indulgentia, *ratione effectus*, alia est *plenaria*, alia *partialis*. — *Ratione objecti*, cui inhaerere censetur, alia est *localis*, alia *realis*, et alia *personalis*. — Ratione *durationis*, alia *temporanea*, et alia *perpetua*.

19° Potestas concedendi indulgentias *jure ordinario* ministris clavium tantum competit, ita tamen ut in Papa *plene* resideat, in Episcopis vero est taxata secundum ordinationem Papae.

20° Quid possint Cardinales, Patriarchae, Primates, Nuntii Apostolici, Concilia etc. vide in textu.

21° Praelati Episcopis inferiores nullam indulgentiam *jure ordinario* concedere possunt.

22° Auctoritas largiendi indulgentias non est potestas Ordinis, sed jurisdictionis, ac ideo non requirit characterem sacerdotalem.

23° Ut concessio indulgentiarum sit *valida*, requiritur *justa et legitima causa*.

24° Qui indulgentias elargitur, etiam pro se lucrari eas potest.

25° Quae respiciunt recognitionem, publicationem, cessatio-tionem indulgentiarum, et quaenam ex his dicantur falsae, apocryphae etc., item de Collectionibus authenticis S. Congregationis Indulg. ac de sensu Bullae, Rescripti, Decreti et Indulti vide in textu circa finem.

CAPUT II.

DOCTRINA CANONICA DE INDULGENTIIS.

Doctrinam hujus capitis *canonicam* vocamus, quia major materiae pars legibus et praescriptionibus a S. Sede latis innititur. Ordo tractationis est hic: primo explicantur conditiones *generales* ad lucrandas indulgentias; secundo conditiones *speciales in communi;* tertio sermo est de iisdem conditionibus specialibus seu operibus injunctis *in particulari,* de *tempore* acquirendi indulgentias, deque earumdem *translatione;* ac demum expenduntur *clausulae,* quae in documentis S. Sedis saepe reperiuntur appositae. De quibusdam repetitionibus non mirentur lectores, scientes quod hae in materia indulgentiarum difficulter vitari possunt sine dispendio claritatis et sine incommodo ipsorum lectorum, quoties hi per continuas citationes remittantur ad alia loca tractationum.

§ 1.

CONDITIONES GENERALES AD LUCRANDAS INDULGENTIAS.

119. Conditiones *generales,* quae *semper* requiruntur ad lucrandas indulgentias tam *partiales* quam *plenarias,* tres recensentur ex parte subjecti:

1° *Ut sit in statu gratiae, immunis nempe a culpa gravi.*

2° *Ut habeat intentionem, saltem generalem, lucrandi indulgentias.*

3° *Ut opera injuncta, loco, tempore, modo et fine praescripto integre compleat.*

120. Requiritur 1° *status gratiae:* quia qui reus est ante Deum culpae et poenae aeternae, nec est nec esse potest capax recipiendi remissionem poenae temporalis. Nam poenae temporalis relaxatio non Dei inimicis, qui adhuc poenae aeternae debitores sunt, sed ejus amicis conceditur. Hinc est, quod in indulgentiarum concessionibus necessitas status gratiae indicari soleat per clausulas: *vere poenitentibus et confessis*, vel: *corde saltem contritis.* De his tamen clausulis distinctius infra loquemur.

Quia vero indulgentia generatim eo temporis momento acquiritur, *quo ultimum opus praescriptum completur*, hinc est, quod *saltem* hoc ultimum opus in statu gratiae debeat absolvi; quod si ita non fiat, fidelis, utpote incapax indulgentiae ob peccati obicem, eam nec tunc lucratur, nec amplius lucrari potest, *cum effectus indulgentiarum non suspendatur.*

121. Dictum est: *cum effectus indulgentiarum non suspendatur.* Haec veritas certissima est, prout patet ex doctrina inferius citanda Summi Pontificis Benedicti XIV, pluribusque argumentis probatur a Suarez, disp. 52, sect. 2, n. 12 et sqq. Excipienda tamen est indulgentia *in articulo mortis,* quae, etsi ab infirmo omnia opera injuncta impleta fuerint, ab eo nihilominus non acquiritur, nisi in *vero* articulo mortis. Hoc autem contingit, quia Summus Pontifex ob singularem causam determinat *temporis momentum* pro ejusdem indulgentiae consecutione.

122. Dictum est etiam, quod *saltem ultimum opus in statu gratiae absolvi debeat.* Hoc ideo adjungitur, quia haud certo constat, an *omnia opera injuncta* in statu gratiae fieri debeant. Procul dubio id requireretur, quoties in concessionis Indultis praescriptum esset, vel quando opus, ultimo loco non expletum, per se exigeret statum gratiae, uti est sacra Communio.

123. Hisce casibus exceptis, inter Theologos controvertitur, an cetera opera pro lucrandis indulgentiis praescripta, ut jejunium, preces, visitatio ecclesiae etc., in statu gratiae necessario peragi debeant. Sententia communior et probabilior negat, cui adhaesit Benedictus XIV in sua Constitutione *Inter praeteritos* § 76, his verbis: « A fructu indulgentiae minime excludendos illos existimavimus, qui non praemissa confessione, visitationem incipiunt, *dummodo, quando opus ultimum perficiunt,* IN QUO INDULGENTIA

ACQUIRITUR, *in statu gratiae sint* ». Ratio, quam affert S. Alphonsus, est: *quia talia opera* (in statu gratiae non peracta) *saltem disponunt ad Deum placandum, et vim habent saltem de congruo* (Lib. VI, n. 534; cf. Suarez, disp. 52, sect. V. n. 8 et sqq.; Billuart, de Indulg.).

124. *Altera quaestio: Utrum acquiri possit indulgentia per opus, quod ex circumstantia sit peccatum veniale?* Graves Theologi, ut Bellarminus, Laymann, Billuart etc. distinguunt: vel opus injunctum ad finem, a concedente indulgentiam principaliter intentum, conducit, etiamsi fiat solum secundum substantiam; vel non conducit, nisi etiam fiat secundum moralem honestatem ex omnibus circumstantiis pendentem. Si primum, opus hujusmodi videtur sufficere ad indulgentiam lucrandam, uti esset contributio aliqua pro constructione ecclesiae, vel eleemosyna ad subventionem pauperum, tametsi utraque fiat *ex vana gloria.* Si secundum, v. g. si injungantur preces, jejunia, eleemosynae *ad placandum Deum vel satisfaciendum pro peccato,* non videtur satisfacere qui orat, jejunat aut dat eleemosynam *ex vana gloria:* non enim per peccatum veniale placatur Deus, neque satisfit Deo; dum e contra in primo casu obtinetur finis, scilicet auxilium pro fabrica ecclesiae, et levamen pauperum, licet opus injunctum jam expletum ex circumstantia sit peccatum veniale.

125. In hac controversia, diversimode a Theologis defensa, hoc certum est et inter Doctores commune, quod si circumstantia mala non vitiat opus bonum injunctum, sed *per accidens* ei conjungitur, seu ad opus impositum se habet *concomitanter* solum aut *consequenter,* tunc praedicta circumstantia mala nec destruit bonitatem operis, nec facit quod opus sit peccatum, nec impedit quominus opus injunctum sufficiat ad lucrum indulgentiae. Unde si quis in visitatione ecclesiae loquatur verbum aliquod otiosum, vel aliquem impatientiae actum committat, vel aliquod inanis gloriae desiderium habeat, vel aliud agat, in quo venialiter peccet, effectus indulgentiae non impeditur. Nam hujusmodi circumstantiae malae solum concomitanter se habent ad opus injunctum, ac ideo illud non vitiant, non inficiunt, sed in sua bonitate morali relinquunt.

Quinimo hoc verificatur etiam, scribit Passerini, quaest. 39, n. 316, de actu qui sit peccatum mortale, sed *concomitanter* se habeat ad opus injunctum, et illud non inficiat. Nam tunc sufficiet

si homo poeniteat de malo, et in tempore in quo indulgentia consequi debet effectum suum, ille sit in gratia, vel ubi necessaria sit Confessio, illud peccatum confessus fuerit. Et sane in hoc casu ex una parte opus injunctum non vitiatur, sed remanet moraliter bonum, ac ideo validum pro indulgentiae acquisitione; ex altera vero parte, juxta probabiliorem sententiam n. 123 expositam, non est absolute necessarium ut omnia opera pro indulgentiarum lucro ab Ecclesia praescripta, in statu gratiae fiant, sed sufficit ut fidelis in eo statu reperiatur, dum ultimum opus perficit.

126. His tamen non obstantibus, excitandi sunt fideles ut omnia opera pro indulgentiarum lucro praescripta in statu gratiae peragant, incipiendo, maxime si fuerit injuncta, a Confessione, vel saltem per contritionis actum cum Sacramenti voto in gratiam Dei redire curent. Opera siquidem in charitate facta, sine comparatione Deo gratiora sunt et altioris meriti apud eum, quam actiones nondum gratia formatae.

Curare insuper debent fideles, ut non habeant affectum ad ullum peccatum veniale; siquidem etiam peccatum veniale, ut alias diximus, non remissum quoad culpam, nequit remitti quoad poenam. Ex quo fit, ut qui cum veniali vel affectu ad aliquod peccatum veniale indulgentiae lucrandae vacat, illam non lucratur *respective ad istud peccatum veniale,* cujus affectum retinet, et ideo *non integre* indulgentiam acquirit, sive haec sit plenaria, sive partialis (Vid. *Raccolta,* p. XXV).

127. Requiritur 2° *intentio saltem generalis* lucrandi indulgentiam. Mirum quot super natura hujus intentionis protulerint sententias Theologi, dum inquiritur an debeat esse actualis, vel sufficiat virtualis, aut habitualis vel interpretativa. Nos, his quaestionibus omissis, dicimus non requiri certo intentionem actualem, sed sufficere virtualem vel fortasse habitualem, seu melius cum *Raccolta* intentionem *generalem* lucrandi indulgentias. Hinc optima, pia ac valde laudabilis praxis illa dicenda est ac omnibus Christifidelibus consulenda, ut *quolibet mane renovetur intentio lucrandi omnes et singulas indulgentias,* quae in decursu diei acquiri possunt. Et quia plurimae ex his applicari possunt per modum suffragii animabus in Purgatorio detentis, ideo laudandi maxime sunt qui alteram eliciunt intentionem applicandi easdem indulgentias in earum levamen *(Raccolta,* pag. XII).

128. Requiritur 3° ut opera injuncta, *loco, tempore, modo*

et *fine praescripto* personaliter et integre compleantur, de quibus modo plura dicentur.

§ II.

CONDITIONES SPECIALES IN COMMUNI PRO LUCRANDIS INDULGENTIIS.

129. In concessionibus indulgentiarum nonnullae pro earum consecutione generaliter apponi solent conditiones, juxta veterem praxim et intentionem Summi Pontificis concedentis, quibus non adimpletis, indulgentiae praefatae lucrari nullatenus possunt (Decr. 21 Mart. 1820. N. 250 in exordio; *Raccolta,* pag. XIII).

130. Conditiones quae *ordinarie* praescribuntur pro lucranda indulgentia plenaria, sunt: *Confessio, Communio, Visitatio alicujus ecclesiae seu oratorii publici, et piae Preces.* Constat ex clausula, quae juxta Apostolicae Sedis praxim, in plenariae indulgentiae concessionibus, Bullis, Brevibus sive Rescriptis apponi solet, quae ita vel simili modo sonat: SS. D. N. PP... omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, *confessis ac sacra Communione* refectis, qui aliquam ecclesiam... *devote visitaverint...* vel expositioni SS. Eucharistiae Sacramenti interfuerint... ibique juxta mentem Sanctitatis Suae *pie oraverint* etc.

Dictum est *ordinarie,* quia nonnullae sunt indulgentiae plenariae, ad quas lucrandas non praescribitur nec Confessio nec Communio, ut sunt indulgentiae Viae Crucis et aliae paucae.

131. In indultis autem, quibus partiales indulgentiae conceduntur, nulla ordinarie fit mentio de sacramentali Confessione, sed adhibetur clausula: *corde saltem contrito.* Jam vero haec praescripta contritio *non inducit veram conditionem,* quasi scilicet habenda sit tamquam pars oneris injuncti, sed indicat *necessitatem status gratiae* ad lucrandam indulgentiam. Requiritur proinde ut *mera dispositio,* quatenus nempe si quis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax sit lucrandae cujusvis indulgentiae, per perfectam contritionem *cum proposito Confessionis,* ad statum gratiae restituatur, et capax fiat indulgentias assequendi. Unde consequitur, ut qui jam in statu gratiae reperiuntur, non teneantur actum contritionis elicere (Decr. 17 Dec. 1870. N. 427; *Raccolta,* pag. XII).

132. Pro consecutione indulgentiarum necesse est, ut omnia opera injuncta *personaliter et devote* impleantur sive quoad tem-

pus, sive quoad modum, sive quoad finem etc. *juxta tenorem concessionum.* Quod si aliquod ex operibus injunctis vel ex toto, vel ex parte notabili, sive per ignorantiam, sive per negligentiam, aut per impotentiam omittatur; insuper si aliqua ex conditionibus temporis, loci etc. praescriptis, *quacumque ratione* non observetur, excepto legitimae commutationis casu, *indulgentia non acquiritur (Raccolta,* pag. XIII).

133. *Dubium.* Hac doctrina verissima praejacta, quaeri potest: *an fidelis qui partem operis injuncti ita exequitur, ut non sufficiat pro indulgentia, teneatur totum opus repetere, ut eam consequi possit?*

Respondemus cum distinctione: vel opus injunctum est *indivisibile,* ita ut non habeat partes separabiles; vel est *divisibile* in partes separabiles. In primo casu pro acquirenda indulgentia necessarium est integrum opus reiterare. Hinc si opus praescriptum esset jejunium, qui jejunavit usque ad meridiem et amplius, et postea comedendo carnes fregit jejunium, deberet proculdubio totum opus, nempe integrum jejunium repetere. In secundo casu; quando scilicet opus injunctum est divisibile in partes separabiles, fidelis qui partem ejus adimplere omisit, non tenetur *integrum* opus reiterare. Unde si opus injunctum sit jejunium trium dierum, qui omisit jejunium tertii diei, satis erit ut una die jejunet, excepto casu quo jejunium esset alligatum diei fixo, quod jam praeteriit. Id omne ostendit, ut supra diximus ex *Raccolta,* ad assequendas indulgentias necessarium esse opera injuncta *integre* adimplere, servatis ceteris conditionibus in forma concessionis contentis.

Hinc etiam si pro aliqua indulgentia lucranda praescriptum sit pariter jejunium, et puer vel senex non jejunent, hi indulgentiam non acquirunt, tametsi cetera injuncta opera expleverint, et jejunium omiserint *per impotentiam.* Generatim indulgentiae, juxta commune axioma, *tantum valent, quantum verba sonant;* unde quoad hanc materiam non licet nec valet argumentari, nec pariter error communis supplere potest defectum indulgentiae, ut si, v. g. communiter existimetur, cuidam operi adnexam esse indulgentiam, cum tamen de facto nulla sit ob defectum concessionis (Cf. S. Alph., lib. VI, n. 534).

134. In adimplendis operibus injunctis liberum cuique est, generatim loquendo, illum ordinem servare, qui magis placuerit, dummodo saltem opus ultimum in statu gratiae absolvatur. Non

est ergo necessarium, ut prius, ex. gr. suscipiantur Sacramenta Confessionis et Communionis, etsi haec in indulto concessionis primum locum occupent. Ecclesia enim in elargiendis indulgentiis usu ordinario praescribit *opera, non ordinem* in adimpletione operum. Quare S. Congregatio Indulgentiarum die 19 Maji 1759 relate ad visitationem ecclesiae hanc edidit declarationem: *Quod autem ad ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum implementum* (Decr. auth. N. 214; *Raccolta,* pag. XXII).

135. *Indulgentia acquiri nequit per opus, ad quod praestandum ex alio titulo quis obligatur, excepto casu quo Pontifex id expresse concedat.* Hinc si inter opera pro lucranda indulgentia praescripta recenseatur vel jejunium, vel eleemosyna, aut preces, non satisfit per jejunium ad quod quis tenetur v. g. ex voto, nec per eleemosynam quam debet titulo justitiae, nec per preces in sacramentali Confessione impositas. « Id satis aequum videtur, inquit cl. P. Palmieri, vol. V. pag. 650, n. 55, ut gratuitum beneficium, quale est indulgentia poenae Deo debitae, iis conferatur, qui aliquid praestent praeter id quod debent; ut sic causa donandi indulgentias, quae apud Deum valeat, certior sit ». Insuper si indulgentia acquiri generaliter posset per opera aliunde debita, *in his nihil esset onerosi ratione indulgentiae.*

136. Sciendum est tamen, non paucos esse Auctores, qui de hac materia aliter sentiunt, quosque vide citatos apud Passerini, quaest. 41. « *In hac quaestione,* ait Benedictus XIV, *sicut in ceteris omnibus, alii affirmant, alii negant... Sed illa* VERIOR *opinio esse videtur, quod acquiri nequeat indulgentia per opus, ad quod praestandum ex alio titulo quis obligatur, nisi qui indulgentiam concedit, nominatim dicat, quod per praedictum opus acquiri possit* » (Const. *Inter praeteritos,* § 53).

Quoad *preces* decisum est, eas debere esse liberas. Nam ad dubium:

An possit per preces jam obligatorias, v. g. per Horas canonicas, satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucrandam indulgentiam?

Sacra Indulgentiarum Congregatio respondit: *Negative* (Decr. 29 Maji 1841. N. 291 ad 2^{m}).

137. Quamvis relata Sacrae Congregationis declaratio, juxta propositum dubium, ad *preces* tantum ibi referatur, non est tamen

dubitandum, quin etiam ad cetera pia opera extendatur. Ratio enim eadem est tam pro precibus, quam pro ceteris piis operibus. Quare concludi posse videtur, quod nequeat acquiri indulgentia per opera, ad quae praestanda ex alio titulo quis obligatur.

138. *Excipiendus est casus, quo Pontifex aliud expresse concedat in Litteris Apostolicis.* Nullum siquidem est dubium, quin Papa ejusmodi opera, quae alioquin sunt debita, tamquam sufficientem conditionem ad lucrandam indulgentiam praescribere possit. Nam si, ut sub n. 88 diximus, Summus Pontifex potest, absolute loquendo, dare indulgentiam in certis casibus sine impositione alicujus operis, multo magis dare potest pro opere alias debito, prout de facto aliquando concessit. Sic v. g. Summus Pontifex Leo XIII benigne concessit, ut jejunium pro acquirendo Jubilaeo anni 1879 praescriptum, fieri possit etiam *tempore Quadragesimae.* Item per Communionem die Paschatis peractam, et indulgentia plenaria papali Benedictioni adnexa lucratur, et simul praecepto Paschatis satisfit (Decr. auth. n. 288). Quinimo anno 1865 Pius PP. IX indulsit, ut *Communio Paschalis* sufficeret *ad Jubilaeum lucrandum* et *ad satisfaciendum praecepto Paschatis.* At hae sunt exceptiones *expresse declaratae* vel in Litteris Apostolicis, vel in Rescriptis SS. Congregationum ex mandato Summi Pontificis, quae exceptiones confirmant principium supra expositum verbis magni Pontificis Benedicti XIV, « *quod acquiri nequeat indulgentia per opus, ad quod praestandum ex alio titulo quis obligatur, nisi qui indulgentiam concedit, nominatim dicat, quod per praedictum opus acquiri possit* ».

139. P. Maurel, agens de hac materia, asserit persuasionem vigere Romae, quod pia opera *pro sacramentali poenitentia* imposita valeant pro lucranda indulgentia, et idcirco Confessarios romanos solere libenter injungere pro sacramentali poenitentia preces et opera, quibus adnexae sunt indulgentiae. Id probat etiam auctoritate Eusebii Amort, qui refert suo tempore communem viguisse praxim in Confessariis, imponendi pro sacramentali poenitentia recitationem precum *indulgentialium,* quibus nempe indulgentiae adnexae sunt, et quod talis usus ipsi videbatur adprobatus, saltem implicite, a Romanis Pontificibus (Le Chrétien éclairé sur la nature et l'usage des Indulgences, pag. 95).

140. Verum, post decretum S. Congregationis Indulgentiarum, quod supra retulimus, opinio cl. P. Maurel et Amort non videtur

posse rationabiliter sustineri: ad minus, rationes ab iisdem adductae doctrinam tutam super re certe non demonstrant. Decisum est enim *per preces obligatorias* non posse satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucrandam indulgentiam. Atqui preces in praesenti casu ex alio titulo, nempe ex sacramentali satisfactione sunt obligatoriae. Non possunt ergo, ut videtur, simul inservire ad lucrandas indulgentias (Cf. Guerra, Il Tesoro delle SS. Indulgenze, p. 53; Beringer, pag. 69).

Ad id quod asseritur de persuasione vel consuetudine Confessariorum Urbis Romae, respondetur quod *si concessio Pontificis non existit,* nec persuasio nec consuetudo potest efficere, ut per preces *indulgentiatas in confessione impositas,* indulgentiae revera lucrentur.

141. Quare, etsi nihil impediat quominus preces aut opera indulgentiis ditata a Confessario imponantur, fideles tamen in hujusmodi poenitentia sacramentali adimplenda, persuadere sibi non debent, *saltem absolute* ac *pro certo,* acquirere etiam posse indulgentias, quae dictis precibus seu operibus pro poenitentia in Confessione injunctis sunt adnexae.

142. Concludimus cum Scavini: « Opera praescripta (ad lucrandam indulgentiam) sunt *onerosae conditionis;* si porro illa jam fiunt alia necessitate, in eis nihil est onerosi *quoad indulgentiam.* In praxi igitur opera illa *repetenda sunt,* cum agitur de indulgentia lucranda. Verum etiam quando ex praecepto vel voto ea ponuntur, praestat ut habeatur intentio indulgentiam lucrandi, si quae forte adest » (Theol. Mor. lib. IV, append. 62, pag. 592, edit. 12ª).

143. Preces tamen et alia pia exercitia, quae in religiosis Communitatibus juxta respectiva statuta vel praxim seu consuetudinem peraguntur, quaeque *sub culpa non soleant obligare,* valere possunt ad indulgentias lucrandas, si quae dictis operibus sint adnexae. Tunc sufficit efformare intentionem illas acquirendi. Veritas assertionis confirmatur ex responso S. Congregationis Indulgentiarum ad Superiorem Eremitarum Camaldulensium Thusciae dato sub die 7 Martii 1888. Per illud declaratum est, praefatos Camaldulenses posse lucrari indulgentiam adnexam recitationi Officii parvi B. M. V., quod ipsi, juxta eorum statuta, ad recitationem Breviarii quotidie adjungunt (Vid. Beringer, pag. 69; Maurel, pag. 95).

144. Plures indulgentiae ex variis titulis concessae, *eadem die, uno eodemque opere* lucrifieri possunt, si opus injunctum iterari nequeat, uti *Communio,* vel non soleat, sicuti *Confessio,* nisi haec sit aliunde necessaria, puta, in casu relapsus in grave peccatum (Decr. 12 Jan. 1878. N. 434 ad 3^{m}).

Hinc per Communionem ex. gr. die Paschatis peractam, acquiri possunt non solum indulgentia plenaria Benedictioni papali adnexa, sed etiam aliae plenariae indulgentiae, sive personales sive locales, quae eodem die forsan occurrunt, dummodo cetera opera injuncta pro qualibet indulgentia *respective,* fideliter et devote adimpleantur.

§ III.

CONFESSIO ET COMMUNIO.

145. *Confessio sacramentalis,* quando in Brevibus apponitur pro indulgentiarum consecutione, peragi omnino debet *etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt* (Decr. 19 Maji 1759. N. 214).

Clausula enim: *Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti* etc. in indulgentiarum concessionibus apposita, exprimit *conditionem,* ita ut *Confessio* inter opera injuncta recensenda sit, et nemo indulgentiam plenariam, etsi in statu gratiae reperiatur, lucrari possit, *nisi sacramentalem Confessionem faciat,* et cetera injuncta opera adimpleat (Decr. 17 Dec. 1870. N. 427 in exordio).

146. Quamvis autem cum in Bulla vel Brevi, quo conceditur indulgentia, Confessio tamquam *conditio sine qua non* praescribatur, minime tamen *sacramentalis absolutio* necessaria est pro iis fidelibus, qui post ultimam Confessionem nullum peccatum veniale admiserunt; vel si in aliquam levem culpam prolapsi sunt, opportunum confessario videatur, *absolutionem* non esse eisdem impertiendam (Decr. 20 Aug. 1822; 15 Dec. 1841. N. 253 ad 2^{m}; N. 295 ad 2^{m}).

Brevius: Si Christifidelis culpae certae immemor est ex ultima absolutione, tenetur quidem ad Confessionem peragendam, *non vero ad absolutionem recipiendam,* ut lucrari possit indulgentias, pro quibus Confessio sacramentalis praescribitur (Decr. 6 Maji 1852. N. 359 ad 4^{m} in fine).

147. *Tum Confessio, tum Communio* pro indulgentiarum consecutione suffragari etiam potest, si expleatur *in vigilia festivitatis,* pro qua concessa est indulgentia (Decr. 19 Maji 1759. N. 214; 12 Junii 1822. N. 252).

148. Ex hoc Indulto nullus relinquitur dubitandi locus circa eas indulgentias, quae *pro festivitatibus proprie dictis* conceduntur, incipientibus nempe a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei festi, ita ut liberum sit fideli, vel *in vigilia,* vel *in ipso die festo* confiteri, et sacra Synaxi refici. Plures tamen exinde dubitationes obortae fuerunt, an idem dicendum foret de aliis indulgentiis *spatio unius diei* lucrandis, et ab initio diei naturalis incipientibus, quae videlicet concederentur, non ratione festivitatis occurrentis, sed alia qualibet ex causa, quemadmodum usuvenire solet pro sextis feriis mensis Martii, diebus Dominicis festum S. Aloysii praecedentibus, oratione quadraginta Horarum, aliisque casibus similibus quibuscumque.

Summus Pontifex Pius PP. IX, ad removendam omnem dubitandi rationem, et ad commodius reddendum Confessionis et Communionis adimplementum, sic benigne decerni mandavit:

« Tum Confessionem dumtaxat, tum Confessionem et Communionem peragi posse die, qui immediate praecedit sequentem, pro quo concessa fuerit *indulgentia quaelibet,* non solum ratione festivitatis occurrentis, *verum etiam quacumque alia ex causa,* vel devotionis, vel pii exercitii, aut solemnitatis, uti esset pro memoratis, et ceteris hujusmodi diebus, pro quibus indulgentia cum conditione Confessionis et Communionis concessa jam fuerit, vel in posterum concedatur, *licet tempus ad eam acquirendam ab initio diei naturalis, et non a primis Vesperis* sit computandum, servata tamen in adimplendis aliis operibus injunctis regula generali circa modum et tempus in concessionibus praescriptum (Decr. 6 Octobris 1870. N. 426).

149. *Confessio hebdomadalis ad lucrandas indulgentias.* Ex benigna concessione Summi Pontificis Clementis XIII, Christifideles omnes, qui frequenti peccatorum Confessione animum studentes expiare, *semel saltem in hebdomada* ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, *consueverunt,* et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, *omnes* et *quascumque indulgentias* consequi possunt, etiam sine actuali Confessione, quae ceteroquin ad eas

lucrandas necessaria esset. Nihil tamen per id innovatur circa indulgentias *Jubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilaei* concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione praescripto, peragi debet. (Decr. 9 Dec. 1763. N. 231).

150. S. Congregatio Indulgentiarum (Decr. 12 Junii 1822. N. 252) statuit, in locis, in quibus *ob inopiam Confessariorum* nequeunt fideles frequenter Confessione sacramentali expiari, Confessionem peractam *infra hebdomadam* ante festivitatem, cui adnexa est aliqua indulgentia plenaria, suffragari ad eam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpae post peractam Confessionem commissae conscii sint, nihil innovando circa indulgentias ad formam Iubilaei concessas, ut in Decr. 9 Dec. 1763 n° 148 relato. Ubi notandum maxime est:

1° Praefatum privilegium concedi solere illis Dioecesibus, quarum Rmi Ordinarii, attenta inopia Confessariorum, illud *postulant.* Requiritur ergo speciale Indultum.

2° Verba *infra hebdomadam* significare *octo dies* tantum quae festivitatem immediate praecedunt, non autem hebdomadam illam totam et integram, quae ante festum decurrit.

3° Confessionem octava die ante festivitatem peractam suffragari etiam ad lucrandas omnes alias indulgentias, quae infra praedictum tempus occurrunt, et ad quas lucrandas sacramentalis Confessio ceteroquin requireretur (Decr. 28 Sept. 1838. N. 264 ad 1m, et 15 Dec. 1841. N. 295 ad 1m; *Raccolta,* pag. XVIII).

151. Ob eamdem rationem scilicet *inopiae Confessariorum,* solet Apostolica Sedes concedere, ut fidelibus illarum Dioecesum, quarum Rmi Ordinarii Indulti *petitionem faciunt,* Confessio *habitualiter* facta *infra duas hebdomadas,* sufficiat ad acquirendas indulgentias eo temporis intervallo occurrentes. — Verba autem *infra duas hebdomadas* stricte interpretanda sunt, ita ut praescripta Confessio peragi debeat *quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio,* nec sufficit bina Confessio in mense (Decr. 23 Nov. 1878. N. 439; *Raccolta,* ibid.).

Unde consequitur, oneri praescriptae Confessionis satisfacere Christifideles, qui iis in locis pro quibus viget Indultum *alternis hebdomadis* et *stato die,* e. g. Sabbato, Confessionem peragere solent (Decr. 25 Febr. 1886, et *Raccolta,* pag. XIX).

152. *Confessio hebdomadalis* valet etiam pro lucranda indulgentia de Portiuncula die 2 Augusti, et haec declaratio retinenda est *uti regula generalis* etiam pro aliis indulgentiis *toties quoties* in eadem die lucrandis (Decr. 12 Mart. 1855. N. 364; 5 Dec. 1893 penes Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 45).

153. *Confessio hebdomadalis* tamen non valet, ut retulimus n. 148, pro lucranda indulgentia *in forma Jubilaei.* Et sciendum, sub nomine indulgentiae *in forma* vel *ad instar Jubilaei* quoad effectum Confessionis illas tantum indulgentias, *attenta hodierna praxi,* esse intelligendas, quae universo Orbi a Romanis Pontificibus concedi solent ob aliquem specialem eventum, puta Creationis ipsius Romani Pontificis; non vero eas, quae *toties quoties* in eadem die acquiri possunt, ut illa adnexa diei 2 Augusti de Portiuncula nuncupata, et alia nuper concessa in festo B. M. V. de Monte Carmelo (Decr. cit. 5 Dec. 1893).

154. *Confessio hebdomadalis* nec pariter suffragatur illis, qui *non assolent* confiteri semel saltem in hebdomada, *sed rarius;* licet confessi sint intra hebdomadam ante festivitatem (Decr. 12 Mart. 1855. N. 364 ad 2^m).

155. Quoad *Confessionem hebdomadalem* postulatum est: *Utrum Confessio praescripta per singulas hebdomadas peragi debeat infra septem vel potius infra octo dies?*

S. Congregatio respondit: *Affirmative ad primam partem, id est, praescriptam Confessionem peragi debere quolibet decurrente septem dierum spatio; Negative ad secundam partem* (Decr. 23 Nov. 1878. N. 439 ad 1^m). (1).

(1) De praefata Confessione *Hebdomadaria* cl. P. Augustinus Lehmkuhl ita scribit: « Hebdomadaria autem confessio reputatur eorum, qui quavis hebdomada confiteri *consueverunt;* neque requiritur, ut quaelibet confessio a sequenti *aequali spatio* septem dierum distet. Neque puto (prosequitur in nota) ullo modo contrarium probari responso nuper dato 23 Nov. 1878 (Decr. auth. n. 439) et 25 Febr. 1886 « hebdomadam intelligi stricte spatium *septem,* non *octo dierum* »: id enim verissimum est, idque verificatur, etsi poenitens hac hebdomada feria II, sequenti hebdomada feria IV, subsequenti feria III confitetur. Nam in exemplis allatis verum est, poenitentem semper intra quodlibet spatium a Dominica usque ad Sabbatum inclusive, i. e. *septem* dierum, aliquam confessionem instituisse. Negavit autem jure S. Congregatio, intelligi posse spatium *octo* dierum: alias pronum esset concludere, sufficere, ut aliquis v. g. confiteretur *primum* Dominica die 13 Junii, *secundo* 28 Junii; nam ille vere confessus est infra duo *octidua* sibi succedentia, i. e. primo die prioris octidui et ultimo secundi octidui, verum qualibet hebdomada confessus non esset, cum confessio incidat in Dominicam primae, et in feriam II

Hinc fidelis, qui sacramentalem Confessionem peragit, ex. gr. quolibet Sabbato, satisfacit proculdubio obligationi praescriptae Confessionis (Decr. 25 Febr. 1886; *Raccolta,* pag. XVII).

156. Verum consuetudini hebdomadariae confessionis non officit, si quis interdum *ob legitimum impedimentum* non confiteatur (*Raccolta,* pag. XVII).

157. Per Confessionem et Communionem die Paschatis Resurrectionis peractam, et indulgentia plenaria papali Benedictioni adnexa lucratur, et satis praecepto Paschatis fit (Decr. 19 Mart. 1841. N. 288).

158. Iterum in una *Mechlinien.* die 10 Maji 1844, S. Congregatio declaravit, quod Christifideles suscipientes tempore paschali S. Communionem, *et satisfaciunt praecepto paschali, et lucrari possunt indulgentiam* pro qua praescripta est S. Communio, dummodo indulgentia lucrifacienda non sit *in forma Jubilaei,* pro qua tantum requiritur peculiaris Confessio atque Communio (Decr. auth. N. 327; *Raccolta,* pag. XIX).

159. Insuper decisum fuit, *eodem die lucrari posse plures indulgentias plenarias, etiamsi pro unaquaque praescripta sit S. Communio,* servatis tamen respective aliis appositis conditionibus (Decr. 29 Maji 1841. N. 291 ad 1^{m}; *Raccolta,* loc. cit.).

160. Etiam Sacerdos, qui sive libere sive pro accepta eleemosyna Missam celebrat, potest per sacram Communionem in Missae sacrificio peractam lucrari *plures indulgentias plenarias,* vel sibi, vel defunctis applicandas, si ad has lucrandas praescribitur sacra Communio. Quoad hoc proposita sunt sequentia dubia solvenda :

161. Cum ex diversis decretis S. Congregationis Indulgentiarum jam liceat plures plenarias indulgentias eadem die lucrari,

tertiae hebdomadae. Nihilominus, qui frequentius confessionem *ultra septimum diem* protrahit, jam dici nequit consuevisse quavis hebdomada confiteri; potest autem optime, si hoc una vice facit, altera vice brevius spatium observaturus. Imo si casu raro aliqua hebdomada sine confessione excidat, ne id quidem quidquam obest, quoniam *consuetudinem* hebdomadariae confessionis non destruit: in ipso etiam decreto (Decr. auth. n. 231) et in *Raccolta* pag. XVII edicitur, si quando ob legitimum impedimentum exceptio fiat a regula hebdomadariae confessionis, id non obesse indulgentiis lucrandis. Summum de hoc dubitari potest, num si quando aliquis sine legitimo impedimento confessionem ultra hebdomadam protraxerit, ille post elapsos septem dies, sequenti die plenariam indulgentiam lucrari possit » (Theol. Moral. vol. II, n. 539, p. 380, edit. sexta).

solutis scilicet conditionibus, quaesitum est, an dictum decretum respiciat solas indulgentias in una die occurrentes *propter festivitatem*, vel potius etiam illas, *quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei adfixerit?*

S. Congregatio respondit: *Affirmative* (nempe utrasque respicere) (Decr. 29 Febr. 1864. N. 399 ad 1m).

An Sacerdos qui Missam celebrat, ex. gr. pro defuncto, eidemque applicat indulgentiam plenariam Altaris privilegiati, possit *eodem die, vi sacrae Communionis in Missae sacrificio peractae,* lucrari aliam indulgentiam plenariam vel sibi vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio?

An Sacerdos in honorem B. M. V. Missam celebrans pro accepta eleemosyna, possit per sacram Communionem in Missae sacrificio peractam, lucrari indulgentiam (sive *indulgentias*) vel sibi, vel defunctis applicandam, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio?

S. Congregatio respondit: *Affirmative* ad utrumque (Decr. 10 Maji 1844. N. 327 ad 2m et 3m).

162. Quamvis indulgentia sit *localis,* id est adnexa *determinatae* ecclesiae, *non est necessarium ut etiam Communio in eadem ecclesia fiat,* excepto casu quo talis conditio exprimatur in Brevi sive Rescripto concessionis (*Raccolta,* pag. XIX - XX). Idem dicendum *de Communione pro lucranda indulgentia Portiunculae,* ita ut ad eam assequendam non sit necesse ut quemadmodum visitatio, sic etiam sacra Communio fiat in ecclesia Ordinis S. Francisci: nam Communio fieri potest in qualibet ecclesia (Decr. 12 Julii 1847. N. 344 ad 4m).

163. Christifideles, qui eodem die quo acquiri potest indulgentia, sacram Communionem suscipiunt *in ecclesia quae visitari debet,* ibique devotas Deo fundunt preces, satisfaciunt tali modo obligationi Communionis, visitationis et piarum precum pro lucro indulgentiae plenariae injunctarum (*Raccolta,* pag. XXV).

164. *Provisio pro habitualiter infirmis quoad lucrandas indulgentias.* Summus Pontifex Pius IX « spirituali gregis sibi commissi utilitati prospiciens, clementer indulsit, ut Christifideles *habitualiter infirmi, chronici, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes,* exceptis tamen illis qui in *Communitate* morantur, acquirere possent omnes et singulas indulgentias plenarias jam concessas vel in posterum concedendas,

quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit *sacra Communio et visitatio* alicujus ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem; *dummodo vere poenitentes confessi, ac ceteris omnibus absolutis conditionibus,* si quae injunctae fuerint, loco S. Communionis et visitationis, *alia pia opera a respectivo Confessario injungenda, fideliter adimpleant* (Decr. 18 Sept. 1862. N. 393).

165. Exceptionem in allato decreto expressam pro fidelibus habitualiter infirmis, *qui in Communitate morantur,* Leo PP. XIII sustulit, concedens:

Ut infirmi aut senio confecti in Communitate et sub regula viventes, qui Ecclesias aut Oratoria visitare aliave pro indulgentiis praescripta exequi non possunt, indulgentias nihilominus lucrari valeant, adimplendo alia pia opera Confessarii arbitrio praescribenda (Decr. 16 Jan. 1886, apud Acta S. Sed. vol. XVIII, pag. 462).

In hujusmodi amplissima concessione favore infirmorum comprehenditur etiam, licet expresse non dicatur, facultas commutandi *Communionem,* quoties opus fuerit: dicitur enim: *infirmi...* qui ecclesias... visitare, ALIAVE pro indulgentiis praescripta exequi nequeunt...

Ceterum Regulares tali privilegio jam gaudebant, ut asserit P. Ferraris cum Auctoribus ab eo citatis v. *Indulg.* art. IV, n. 10), et confirmatur authentico Summario Ordinis Seraphici penes *Rescr. auth.* pag. 386, n. 4.

166. Pro *pueris ad S. Communionem nondum admissis* generalis dispensatio seu facultas dispensandi non reperitur concessa, sed specialis tantum pro Jubilaeis. Quare ipsi aliarum indulgentiarum, pro quibus assequendis praescripta est sacra Communio, nondum participes esse possunt.

167. *Concessiones speciales pro Missionariis in regionibus Sinarum, Tunkini etc. commorantibus* (1).

Ad lectorum notitiam, et ut magis patescat Ecclesiae praxis et benignitas, sequentia subnectimus, quibusdam Missionibus specialiter concessa. Cum privilegio, quo olim ex concessione Clementis XII fruebantur Missionarii in regionibus infidelium degentes,

(1) De quibusdam concessionibus Missionariis Ordinis Minorum indultis, dicetur ubi in particulari sermo erit de gratiis concessis praedicto Ordini.

acquirendi scilicet indulgentias plenarias *cum solo actu contritionis et confessione in voto,* quoties Confessariorum copia desit, ab Apostolica Sede derogatum fuerit, Clemens XIV Episcopis, Vicariis Apostolicis et Missionariis *in imperio Sinarum, necnon in regnis Tunkini, Siami, Cocincinae, Ciampae et Cambodiae commorantibus,* benigne iisdem, eorumque in perpetuum successoribus, impertitus est plenariam indulgentiam, *quater in anno lucrandam, in quacumque die,* qua peccata sua fuerint confessi, Missam celebraverint, vel saltem sacram susceperint Communionem; dummodo tamen eadem die ferventes ad Deum pro sanctae fidei propagatione preces effuderint.

Christifidelibus vero utriusque sexus in dictis regnis existentibus, idem Summus Pontifex praefatam plenariam indulgentiam, *bis in anno* in perpetuum concessit; quatenus et ipsi suprascripta opera fideliter religioseque adimpleant.

Per hanc autem indulgentiarum concessionem eadem S. Sedes non intendit aut revocare, aut irritas declarare alias quascumque indulgentias antea concessas etc. (Decr. S. C. de Prop. Fid. 24 Maji 1772 apud Collectanea S. Sedis, Parisiis edita n. 630).

168. Postulatum fuit, ut Missionarii in regionibus Sinarum, Tonking etc., *licet non confessi,* peracto tamen contritionis actu cum proposito prima occasione confitendi, lucrari valeant indulgentias, juxta concessionem a Pio VI Catholicis Galliarum factam sub die 1 Aprilis 1794. — SSmus (Pius VII) *annuit* 11 Jan. 1801 (Collectanea Sanctae Sedis n. 542).

169. Gregorius Pp. XVI, ad preces R. P. D. Vic. Ap. Coreae benigne indulsit tum Sacerdotibus in ejus Vicariatu existentibus, tum omnibus fidelibus suae jurisdictioni subjectis, ut, quoties iisdem pro consequendis indulgentiis desit copia Confessarii, ideoque actualem Confessionem praemittere nequeant, *sufficiat contritionis actus et confessio in voto* (Gregorius XVI, 31 Augusti 1834, ibid. n. 544).

170. Vicarius Apostolicus Maissurii obtinuit a Pio Pp. IX (19 Nov. 1854) privilegium, jam plurimis Galliarum Dioecesibus concessum, intra *quindennium* confessis et sacra Communione refectis, quascumque indulgentias etiam plenarias lucrandi, quia in Missionibus singulos intra octo dies plurimi confitendi facultate aut commoditate non gaudent (ibid. n. 546). Eadem gratia ab eodem Summo Pontifice concessa fuit sub die 9 Dec. 1855 pro toto Vicariatu Pondicheriensi et Coimbatourensi (ibid. n. 547).

171. Pro Vicariatu Cocincinae Septentrionalis laudatus Pontifex clementer indulsit, ut Sacerdotes, perdurante exercitio Missionis, per sacramentalem Confessionem *semel in mense* peractam, si ad illam commode nequeant frequentius accedere, lucrari possint omnes et quascumque indulgentias etiam sine actuali Confessione, quae ad ipsas lucrandas ceteroquin necessaria esset, dummodo nullius lethalis culpae a postrema Confessione commissae sibi conscii fuerint (die 31 Julii 1870, ibid. n. 548).

§ IV.

VISITATIO ECCLESIAE ET PRECES VOCALES.

172. *Visitatio.* Pro lucranda indulgentia haec est saepe conditio, ut aliqua *ecclesia* vel *publicum oratorium visitetur*. Nomine *visitationis* in praesenti intelligitur accessus ad locum sacrum ob motivum fidei et religionis cum intentione inibi honorandi Deum sive in se, sive in aliquo suo Sancto (*Raccolta,* p. XXI).

173. Sciendum est: *publicum non esse censendum oratorium sive in Monasteriis, sive in Seminariis, aut aliis Conventibus* canonice dedicatum, *ad quod christiana plebs publice non solet accedere* (Decr. 22 Aug. 1842. N. 310).

174. Postulatum fuit « utrum conditio visitandi ecclesiam pro lucrandis indulgentiis generice saepe praescripta, adimpleri possit a personis utriusque sexus *in communitate et sub regula viventibus, visitando oratorium domesticum* ». Et S. Congregatio respondit: *Non expedire* (Decr. 16 Jan. 1886; Acta S. Sed. vol. XVIII, pag. 462 ad 1^{m}).

175. Nihilominus Summus Pontifex aliquando concedit, favore praesertim personarum *in communitate* viventium, quibus liberum non est e proprio loco egredi pro visitatione ecclesiae, ut conditioni visitationis satisfacere possint, propriam capellam seu oratorium visitando. Sed ad hoc indultum obtinendum, *recurrendum est in casibus particularibus* (Cf. Decr. 22 Aug. 1842. N. 310).

176. Si in indulto concessionis determinetur ecclesia pro praescripta visitatione, v. g. parochialis, non potest loco ejus alia ecclesia eligi, nisi id speciali privilegio vel legitima commutatione fiat. Si vero ecclesia non praefiniatur, dicta visitatio *in qualibet ecclesia* vel *publico oratorio* fieri potest (*Raccolta,* pag. XXI.

177. « Docent plures auctores, ait Dr S. Ligorius, quod pro visitatione ecclesiae praescripta sufficit ad lucrandam indulgentiam *orare ante ostium vel in coemeterio, si prae hominum multitudine illam nequeas ingredi:* ita Suarez, Bonacina, etc. Imo addunt Mazzotta et Croix cum Lugo, si ores *ante ostium ecclesiae,* quando illud est clausum » (Lib. VI 538, q. 10 in fine).

178. Visitatio ecclesiae (n. 134) impleri potest sive *ante* sive *post* aliorum operum implementum, dummodo fiat intra tempus praefinitum ad lucrandas indulgentias (Decr. 19 Maji 1759. N. 214).

179. Quando pro lucrandis indulgentiis eodem die occurrentibus praescripta est visitatio ecclesiae, debet fidelis quilibet tot vicibus ecclesiam visitare quot indulgentias lucrari desiderat. Hinc non sufficit ut in una eademque ecclesia tot preces seu visitationes repetantur, quot indulgentiae sunt lucrandae, sed oportet ut post quamlibet visitationem *quis egrediatur, et denuo in ecclesiam ingrediatur* (Decr. 29 Febr. 1864. N. 399 ad 2m et 3m; *Raccolta,* p. XXIII).

180. *Habitualiter infirmi,* impediti scilicet quominus ad ecclesiam se conferant pro visitatione peragenda, obtinere possunt a proprio Confessario commutationem in aliud pium opus (supra n. 164).

181. *Preces* a Summo Pontifice praescriptae ad lucrandam indulgentiam plenariam recitari debent intra tempus designatum pro indulgentiarum acquisitione (Decr. 29 Maji 1841. N. 291 ad 4m).

182. Per preces jam *obligatorias* (v. g. per Horas canonicas, vel orationes a Confessario injunctas) satisfieri nequit (vid. n. 135 et sqq.) precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucrandam indulgentiam plenariam. Preces ergo debent esse *liberae* seu *supererogatoriae* (Decr. eod. ad 2m).

183. Quoad *quantitatem* precum, si in indulto concessionis non est praefinita, est quaestio inter Theologos, num ad consequendam indulgentiam sufficiat *brevis oratio,* vel potius *prolixior* requiratur. Sunt qui tenent, minimam quantitatem sufficere, uti esset ex. gr. unum *Pater* vel unum *Ave Maria,* quia, ajunt, quaelibet brevissima oratio, si sit devota et pia, sufficit ad verificandam conditionem in concessione positam. Alii negant modicam orationem sufficere, cum oratio nimis modica non sit proportionata fini a Pontifice intento (Vid. Passerini, quaest. 60).

184. Interrogata de hac re S. Congregatio Indulgentiarum: *An sufficiant quinque Pater et Ave,* quae recitari solent ob adim-

plendam Summi Pontificis intentionem, quando praescriptum est, ut visitetur ecclesia vel altare, *ibique fundantur preces* ».

Respondit: *Preces requisitae in indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem, sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur* (Decr. eod. ad 3m).

Eamdem prorsus responsionem, iisdem verbis enuntiatam, praefata S. Congregatio dedit ad quaesitum: An sit rejicienda opinio docens, recitationem devotissimam etiam *unius Pater et Ave cum Gloria Patri* sufficere ad explendam conditionem orandi pro Summi Pontificis intentione... (Cf. Decr. 13 Sept. 1888 ad 2m, apud Acta S. Sed. vol. XXI, pag. 192).

185. Injunctae piae preces ad intentionem Summi Pontificis effundendae, *satis erit si fuerint vocales.* De hac re postulatum fuit: Cum ad lucrandas indulgentias sive plenarias sive partiales, praescribitur ad mentem seu intentionem Summi Pontificis orare, *sufficitne, ut nonnulli docent, orare mentaliter?*

S. Congregatio respondit: *Laudabile quidem est mentaliter orare; orationi tamen mentali aliqua semper adjungatur oratio vocalis* (Decr. eod. ad 2m).

186. Benedictus XIV, qui eamdem protulerat doctrinam in suis Constitutionibus *Convocatis* n. 51, et *Inter praeteritos* § 83, non videtur approbare *nimiam orationis modicitatem.* « *Licet enim,* ait, *oratio brevis cum sensu ferventis pietatis adhibita, praescripto ac legi... satisfacere possit; plerumque tamen orationis brevitas ex modico pietatis studio, aut parum propenso ad res spirituales animo sive taedio, negligentiaque proficisci solet* ».

187. Hodie communissima sententia est, et ex adductis decretis satis colligitur, recitationem quinque *Pater* et *Ave* aut *aequivalentium orationum* sufficere ad explendam conditionem orandi pro Summi Pontificis intentione, et etiam breviorem satis esse posse, si devotius et ferventius persolvatur (Cf. S. Alph., lib. VI, de Indulg. n. 538).

188. Advertendum est, quod ubi in concessione indulgentiae *non determinatur qualitas* orationis, est in cujuscumque libertate sibi eligere orationem, sive haec sit Oratio Dominica et salutatio Angelica, sive recitatio alicujus coronae vel Psalmi, aut Officium aliquod ab Ecclesia approbatum etc.

189. Preces, prout cetera injuncta opera, *personaliter,* seu ab eo fieri debent, qui indulgentias lucrari intendit (vid. n. 132),

et insuper *devote* sunt recitandae, cui ceterum non officit distractio *involuntaria.*

190. Nisi aliter praescriptum sit in documento, *non est necesse* ad lucrandas indulgentias sive plenarias sive partiales, recitare *flexis genibus* preces praescriptas (Decr. 18 Sept. 1862. N. 398 ad 1^{m}).

191. Recitans *alternatim cum socio* orationem, cui applicatae sunt indulgentiae, lucrari potest indulgentias huic orationi applicatas (Decr. 29 Febr. 1820. N. 249 ad 4^{m}).

Ergo alternatim cum aliis cuique liberum est recitare *coronam, litanias, Angelus Domini, De profundis etc.* cum acquisitione indulgentiarum hisce orationibus adnexarum.

192. Preces *integre* persolvi debent. At non officit, si *parva* pars operis injuncti omittatur, quia opus censetur adhuc perfici quoad substantiam. Pars autem *parva* sive *minima* sumenda est *respective* ad totum opus. Sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave* minima videtur; secus vero, si *quinque Pater* et *Ave* ad indulgentiam requirantur, et *unum Pater* et *Ave* omittantur (Cf. S. Alph., lib. VI. n. 534; Clemens Marc, Instit. Morales, de Indulg. n. 1730 tom. 2, edit. 5^{a}).

193. *Quoad preces visitationi adnexas* ob oculos habeantur quae de eadem *visitatione* dicta sunt. Hinc si ad lucrandas indulgentias praescripta sit *visitatio alicujus determinatae ecclesiae,* et simul recitatio *in eadem ecclesia* specialium precum, praeter visitationem, recitari ibi debent praefatae preces (*Raccolta,* pag. XXIV). Si ecclesia non determinatur, in qualibet ecclesia visitatio cum precibus fieri potest. Si visitatio ecclesiae non praescribitur, sed *tantum preces,* hae in quocumque loco effundi possunt, nisi aliter disponatur in indulto.

194. Si quis autem vellet eodem die plures acquirere indulgentias plenarias, pro quarum qualibet injuncta foret visitatio una simul cum *designatis precibus,* tunc repetendo visitationes (vid. n. 179), debet etiam tot vicibus *repetere preces,* quot sunt indulgentiae lucrandae (*Raccolta,* pag. XXV).

195. Fideles, qui eadem die sacra Synaxi reficiuntur in ecclesia, quae visitari debet, ibique *pias preces* effundunt, per id satisfecerunt obligationi Communionis, Visitationis, et piarum Precum, quae pro lucranda indulgentia injunctae sunt (*Raccolta,* p. XXV).

196. *Quaestio.* An adeundo ecclesiam ad Missam de *praecepto* audiendam, possit fidelis satisfacere visitationi praescriptae, reci-

tando infra ipsam Missam preces pro lucranda indulgentia plenaria injunctas?

R. Plures Auctores negant, eo principio innixi, quod nequeat acquiri indulgentia per opus, ad quod praestandum ex alio titulo quis obligetur, nisi aliter sit dispositum in indulto concessionis.. Quare dicunt, praescriptae visitationi satisfieri, si fidelis ad ecclesiam accedat, *horam Missae aliquantulum praeveniendo, et ante Missam requisitas preces fundendo;* secus non, cum Missae auditio ex alio titulo sit debita. Quod si fidelis preces pro consequenda indulgentia praescriptas *post Missam* fundat, praefati Auctores dubitant, utrum satisfaciat sine novo egressu et ingressu in ecclesiam, praesertim si ecclesiam non adierit *cum intentione peragendi visitationem*. Idcirco consulunt, ut, absoluta Missa, ecclesiam egrediatur, et dein rediens visitationem instituat ac preces ad lucrandam indulgentiam fundat (Cf. Tract. de Indulg. ad usum Seminarii... Mechlinien. pag. 41-42).

Alii Auctores cum Reiffenstuel affirmant, et dicunt Christifidelem ecclesiam adeuntem die festivo pro audiendo Sacro de praecepto satisfacere operi de visitanda ecclesia, et preces sub ipso Sacro persolutas sufficere ad fructum indulgentiae reportandum. Hanc sententiam Sebaldus Minderer his rationibus defendit: 1. Quia praeceptum tantum est audire Sacrum die festivo; accessus autem ad ecclesiam et ipsa visitatio devota ac oratio sunt opera supererogatoria; 2° Speciatim *quoad preces* praefatus Auctor rem clarius expendit, dicens: quia sola auditio Sacri est praecepta, orationes autem sub eo exsolvendae non sunt praescriptae, sed pro devotionis impulsu cuique liberae, consequenter orationes sub eo recitatae pro lucranda indulgentia manent *opus supererogatorium.* Patet quoque a pari. Quia possum sub auditione Sacri horas canonicas recitare et satisfacere praecepto utrique (Part. I, Conferentia IX, n. 669-674, pag. 143).

Quamvis rationes pro hac secunda sententia adductae non videantur *omnino* in tuto ponere fidelem *quoad indulgentiarum lucrum*, quando ad hoc, praeter orationem, requiritur etiam, sicut pro audienda Missa de praecepto, *visitatio* seu *praesentia in ecclesia,* videntur tamen plene evincere, fidelem lucrifacere posse indulgentias, recitando sub Missa de praecepto *preces* iis ditatas. Nos ergo affirmamus, quod, durante Missa de praecepto, possunt lucrifieri indulgentiae, quae sunt adnexae precibus, quae eodem tempore re-

citantur. Perpendantur rationes a Minderer allatae, quibus addi potest, hanc sententiam minime opponi alteri, quae dicit, non posse acquiri indulgentiam *per opus, ad quod praestandum ex alio titulo quis obligatur.* Non enim in praesenti casu indulgentia acquiritur *per idem opus,* nempe per Missae auditionem, sed *per preces* indulgentiis ditatas, id est per opus *entitative* seu *objective* distinctum, imo diversum. Ex altera parte in auditione Missae de praecepto non praescribuntur preces. Qui has recitat, *liberum et supererogatorium opus* exercet, quod secum importat aliquid *onerosi* praecise *ratione indulgentiae.*

197. Piae Preces requiruntur generatim ad lucrandas indulgentias plenarias et aliquando etiam partiales (*Raccolta,* p. XXIII).

198. Quando in indulto concessionis praescribuntur *preces* juxta *consuetos fines* seu *intentiones,* intelligitur ordinarie, quod orari debeat *pro incremento Religionis catholicae, pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, pro conversione peccatorum, pro concordia inter Principes christianos, et pro extirpatione haeresum* (Ibid. p. XXIV).

199. Verum ad lucrandas indulgentias minime requiritur *intentio explicita* praedictorum finium, expressa singulis vicibus. Generatim sufficit orare *ad intentionem Summi Pontificis* (Decr. 12 Julii 1847. N. 344; *Raccolta,* loc. cit.).

200. Preces indulgentiis ditatae recitari possunt quocumque idiomate, dummodo versiones sint fideles (Decr. 29 Dec. 1864. N. 415).

201. *Concessio pro Surdo-Mutis.* Quoad *Surdo-Mutos* propositum fuit dubium: *An et quomodo Surdo-Muti supplere valeant impotentiae, qua detinentur, preces recitandi pro indulgentiis acquirendis injunctas?*

S. Congregatio statuit et Pius IX approbavit sequentia:

1° Si inter opera pro lucranda indulgentia praescripta sit *visitatio* alicujus ecclesiae, Surdo-Muti *ecclesiam ipsam devote visitare teneantur,* licet mentem tantum in Deum elevent et pios affectus.

2° Si inter opera sint *publicae preces,* Surdo-Muti possint lucrari indulgentias iis adnexas *corpore quidem conjuncti ceteris fidelibus* in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus.

3° Si agatur tandem de *privatis orationibus,* proprii Mutorum et Surdorum Confessarii valeant easdem orationes commu-

tare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint (Decr. 15 Mart. 1852. N. 355).

§ V.

TEMPUS ACQUIRENDI INDULGENTIAS.

202. Tempus acquirendi indulgentias ex generali regula est illud, quod in indulto concessionis praefinitur, ad quod proinde attendendum est.

203. Indulgentiae lucrandae incipiunt *a media nocte ad mediam noctem,* nisi aliud expresse habeatur in indultis (Decr. 12 Jan. 1878. N. 434 ad 1^{m}).

204. Quare si quis utens recenti privilegio (vid. n. 147 et 148) Confessionem et Communionem pridie ejus diei peragat, cui affixa est indulgentia, reliqua pia opera praescripta pridie fieri non debent, adeoque pridie indulgentia lucrifieri nequit (Decr. eod. ad 2^{m}).

205. Indulgentiae quae pro *festivitatibus proprie dictis* conceduntur, v. g. intuitu mysterii vel Sancti illo die colendi, *ordinarie* conceduntur cum clausula: *a primis vesperis usque ad solis occasum ipsius diei festi.* Quibus verbis, ut patet, determinatur spatium temporis, intra quod indulgentiae lucrari possunt. Dictum est *ordinarie,* quia si praefata clausula *desit in concessionis indulto,* indulgentiae lucrandae incipiunt a media nocte ad mediam noctem, quamvis earum concessio facta fuerit pro festivitatibus proprie dictis. *Standum est ergo terminis concessionis* (Cf. Decr. 16 Julii 1887; apud Acta S. Sed. vol. XX, p. 63 ad 4^{m}; *Raccolta,* p. XXII).

206. P. Lucius Ferraris de hac re scribit: « Tempus lucrandi indulgentiam in festis extra Quadragesimam (nisi aliud in Bulla concessionis caveatur) communiter nunc incipit *a primis vesperis usque ad occasum solis sequentis diei.* — Per primas vesperas intelligitur illud tempus quo, ex probato usu, *solent* aut *possunt* in illo loco, ubi est indulgentia, *recitari vesperae* » (Verb. *Indulg.* art. III, n. 37 - 38).

Non aliter praedictam clausulam « *a primis vesperis* » interpretatus est Theodorus a Spiritu Sancto: « Si quaeratur, inquit, quando praecise initium habeat tempus vesperarum ad acquirendam

indulgentiam, determinatum per illa verba *a primis vesperis*, expedita responsio est: *ea hora illud tempus incipere, quo vesperae possunt in choro recitari: adeoque ex illa hora indulgentiae initium desumi*... Quod si vesperae solemnes in ecclesia aliqua *tardius* quam in aliis cantari incipiant, eamdem ecclesiam visitantes indulgentiam lucrantur *a primo eo tempore, quo juxta receptum et approbatum Ecclesiae morem possunt dictae vesperae in choro recitari* ». Subjungit laudatus Auctor, quod, cum tempore Quadragesimae horae vespertinae tam festivae quam feriales ante meridiem recitantur, *etiam in hoc casu ab eodem tempore indulgentia incipit.* Idque potissimum ex natura legis favorabilis eruitur... Favor itaque indulgentiae vespertinae ampliandus est, ut initium sumat ante meridiem, *si vesperae eo tempore celebrentur,* cum integer in eo casu maneat sensus concedentis indulgentiam *a primis vesperis* (Tractatus de Indulgentiis part. II, pag. 74 - 75).

Quod dicit P. Lucius Ferraris et magis expresse clarissimus P. Theodorus de initio indulgentiarum ad vesperas *ante meridiem* tempore Quadragesimae, non videtur tutum. Sensus et praxis fidelium non videtur sequi hanc opinionem, quam tamen non audemus impugnare, sed tantummodo eam dicere, ut supra, non tutam.

207. Sententia modo exposita concordat (si praescindatur a tempore Quadragesimae) cum doctrina Collectionis Romanae *(Raccolta),* quae pag. XXII dum agit de praescripta visitatione peragenda, docet: Quando in concessionibus leguntur verba *a primis vesperis,* intelligitur, quod *visitatio* fieri potest etiam in vigilia festivitatis, *non tamen ante horam, qua communiter recitari solent publice* (in publico) *vesperae.*

208. Si quaeratur, quaenam praecise hora statui possit? respondemus, esse Auctores qui illam horam pomeridianam statuunt, quae est *media inter meridiem et solis occasum;* alios qui horam *secundam circiter pomeridianam* vel *secundam cum dimidio,* et quidem pro quovis anni tempore praefiniunt. Nobis videtur certum, indulgentiam posse lucrifieri, praesertim hiberno tempore, circa horam secundam pomeridianam. Apud quosdam Ordines Regulares, vesperae hiberno tempore recitari solent in choro etiam ante horam secundam post meridiem.

209. Per verba *usque ad solis occasum ipsius diei festi* intelligitur illud tempus, quo sol sub horizontem est abditus, et

plane totus occubuit, seu *usque ad integrum ipsius diei festi vespertinum crepusculum,* ut ait Benedictus XIV, Bulla *Peregrinantes,* 5 Maji 1749 § 6 (Vid. *Raccolta,* pag. XXII).

§ VI.

TRANSLATIO INDULGENTIARUM.

210. Summus Pontifex Pius IX benigne mandavit, ut *omnes indulgentiae,* quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt, ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt, et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus ante vel post festum, vel ejus octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die, quo festa huiusmodi *etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem,* non vero quoad Officium et Missam, in aliquibus locis, vel ecclesiis, publicisque oratoriis, sive in perpetuum sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum *Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi,* indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit (Decr. Urbis et Orbis, 9 Aug. 1852. N. 360).

211. Constat ergo ex hoc generali decreto quod:

a) Translato festo *quoad solemnitatem et exteriorem publicam celebrationem,* transfertur et indulgentia eidem festo concessa, *etiamsi non transferatur Officium cum Missa.*

b) Translato tantum festo *per accidens,* idest quoad Officium et Missam infra annum, non transfertur indulgentia.

c) Translata de consensu Ordinarii in commodiorem diem alicujus festi celebratione cum suis processionibus, novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus, quae ante vel post festum vel eius octavario perdurante fiunt, etiam indulgentiae eidem festo eisdemque supplicationibus concessae, translatae intelliguntur.

d) Generatim: translata *solemnitate* festi, *sive in perpetuum, sive ad tempus, modo tamen legitimo,* translatae censentur etiam indulgentiae.

e) Decretum supra relatum valet non solum ubi agitur de indulgentiis concessis omnibus Christifidelibus, sed et ubi agitur

de indulgentiis impertitis Confraternitatibus, Sodalitatibus, Piis Unionibus etc. (Cf. Decr. 16 Julii 1887 ad V^m apud Acta S. Sed. vol. XX, p. 63).

f) Item valet sive translatio fiat in tota Ecclesia, sive tantum in tota dioecesi, sive etiam solummodo in una vel altera particulari ecclesia dioecesis (Ibid.).

g) Translatio indulgentiarum habetur insuper, non solum quando festum transfertur ad diem Dominicum, qui illud immediate sequitur vel praecedit, sed etiam cum ad aliam quamcumque Dominicam vel alium quemcumque diem transferatur.

h) Unde in Gallia, ubi solemnitates Epiphaniae, SS. Corporis Christi, SS. Petri et Pauli etc. per conventionem cum Apostolica Sede ad diem Dominicam immediate eas sequentem translatae sunt, indulgentiae, si quae sunt praedictis solemnitatibus concessae, translatae intelliguntur ad proximam respective Dominicam.

i) Indulgentiae legitime, ut supra, translatae, nequeunt amplius diebus festorum propriis lucrari.

k) Memoratum decretum diei 9 Augusti 1852 complectitur tum indulgentias *quibusdam festis* concessas ac in posterum concedendas, tum illas quae pro iisdem festis *aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis* concessae fuerunt, et in posterum concedentur, tum etiam illas, ut dictum est, ubi Ordinarii beneplacitum accedat, quae concessae sunt pro sacris supplicationibus, novendialibus, aliisque similibus precibus.

212. Rite translato festo *in perpetuum* ad aliam diem, transfertur indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione (Decr. 12 Jan. 1878. N. 435 ad 1^m).

213. Praedicta translatio indulgentiae fit tam in casu, quo perpetua translatio festi sit pro toto Ordine (Regulari), quam in casu perpetuae translationis festi pro sola regulari Provincia (Decr. eod. ad 2^m).

214. Indulgentiae tributae alicui festo pro universis fidelibus cum conditione visitandi ecclesias determinatas Regularium, lucrari possunt ab omnibus Christifidelibus, etiamsi ejusdem festi celebratio cum indulgentia alia die in dioecesi locum habeat. Hoc tamen juxta modum, nempe indulgentia *semel tantum* a singulis respective lucrari potest (Decr. eod. ad 3^m).

215. Quando vero translatio festorum non fit, vel fit tantum *per accidens* quoad Officium et Missam absque ulla exteriori so-

lemnitate sive externa celebratione, indulgentiae, ut notavimus, non transferuntur, ac ideo lucrari nequeunt, nisi ipso die festi. Decisum est enim:

Indulgentiam acquiri a Christifidelibus die fixa et rite constituta in sua Dioecesi; a Regularibus Ordinibus die rite constituta in suo Kalendario; ab hominibus, qui Sodalitati nomen dederint, quae ad Regularem Ordinem attineat, indulgentiam acquiri die rite constituta in Kalendario dioecesis, vel in Kalendario Ordinis, si istiusmodi privilegio gaudeant, *non tamen in utraque die* (Decr. 29 Aug. 1864. N. 407; vid. etiam Acta S. Sed. vol. 1, p. 489 et sqq.).

VII.

CLAUSULAE EXPLICATIVAE ET RESTRICTIVAE.

In documentis S. Sedis indulgentias respicientibus, reperiuntur quaedam clausulae seu formulae aut locutiones vel voces, quarum sensum cognoscere oportet.

216. Cum indulgentia *semel in mense* vel *semel in anno* lucranda conceditur iis fidelibus, qui certa pietatis opera vel quasdam preces *per mensem* vel *per annum* peregerint; mensis non necessario a primo die ad ultimum computandus est, nec annus a die primo Januarii usque ad ultimum Decembris, sed a quolibet die computari possunt triginta dies, et a quolibet mense duodecim menses. Quando vero indulgentia est adnexa *mensi determinato,* puta mensi Majo, Octobri etc., oportet pium exercitium peragere per integrum illum mensem.

Porro, ad indulgentiam *plenariam* lucrandam, praeter pium exercitium quotidianum, alia etiam pia opera praescribi solent, ut Confessio, Communio, preces, et interdum visitatio quoque alicujus ecclesiae. Jam vero quandonam haec sunt explenda? Respondetur, quoad hoc attendendum esse *ad tenorem concessionum.* Saepe in indultis habetur clausula *infra mensem,* vel *in una die dicti mensis ad arbitrium eligenda,* in qua vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti, oraverint ad intentionem Sanctitatis Suae.

217. Quando indulgentia reperitur concessa *sine determinatione temporis vel vicium,* ut si dicatur simpliciter: *qui talem precem recitaverit,* vel *qui tale opus peregerit,* aut *qui talem ec-*

clesiam visitaverit, talem indulgentiam lucrabitur; tunc si agatur de indulgentiis *partialibus, toties,* generatim loquendo, indulgentia lucrabitur, *quoties* in die precem vel opus aut visitationem devote obierit. Nulla enim est ratio restringendi ad unam vicem indulgentiae lucrum (Cf. Billuart, de Indulg. art. 1; Beringer, pag. 96).

218. Quando indulgentia *plenaria* concessa est iis, qui certis diebus ecclesiam visitant vel aliud pium opus peragunt, eamdem fideles *semel tantum in die* lucrari possunt (Decr. 7 Mart. 1678. N. 18 in fine).

Ab hac tamen regula generali excipienda est indulgentia *Portiunculae* vel quae sit *ad instar Portiunculae* et nonnullae aliae, ut in decursu tractationis videbimus, quae pluries *eadem die* acquiri possunt, *toties* nempe, *quoties* preces vel praescripta pia opera repetuntur (Vid. *Raccolta,* p. XXVI).

219. Sed advertendum est, quod in citato decreto agitur de *eadem* indulgentia plenaria, non de *distinctis* indulgentiis plenariis, quae sint concessae *distinctis* pietatis operibus. Hae siquidem lucrari certe possunt eadem die (Ibid. p. XXVII).

Unde, si quaeratur an fidelis possit *eadem die* lucrari *diversas* indulgentias tum plenarias, tum partiales, respondetur *affirmative* (Vid. sup. n. 144).

220. Si vero quaestio fiat, an *eadem die* possit fidelis pluries lucrari *easdem* indulgentias *partiales,* respondetur id pendere ab indulto concessionis, ad quod proinde attendere opus est. Si in documento, quo indulgentia confertur, habetur clausula *qualibet vice* vel *toties quoties,* aut *semel in die,* res per se patet. Quod si clausula est *indeterminata,* seu si indultum concessionis nihil praefiniat, sed indeterminate absque vicium indicatione dicat, ex. gr. concedi indulgentiam recitantibus hanc vel illam precem, aut peragentibus hoc vel illud pium opus, Auctores communiter tenent, indulgentiam partialem tunc lucrari posse *toties quoties.* Tunc enim nulla est ratio restringendi ad unam vicem indulgentiae lucrum, ut jam diximus sub n. 217.

221. Indulgentia *plenaria quotidiana perpetua vel ad tempus* concessa visitantibus aliquam ecclesiam seu publicum oratorium, ita semper intelligenda est, ut *semel tantum in anno* ab unoquoque fideli acquiri possit; excepto solummodo casu, quo in Decreto, Rescripto, Brevi etc. concessionis, favore alicujus ecclesiae seu publici oratorii, clare et explicite expressum sit, indulgentiam ple-

nariam reapse quotidie ab unoquoque Christifideli rite disposito acquiri posse (Decr. 15 Martii 1852. N. 356).

Sensus ergo dictorum verborum est, *quemlibet Christifidelem posse quidem illam indulgentiam lucrari die quo vult, sed tantum semel in anno.*

222. Paroeciae, quae gaudent indulgentia plenaria *propria festivitati respectivi patroni,* lucrari nequeunt indulgentiam plenariam concessam per dioecesim *die festivo patronali omnium paroeciarum.* Ratio est, quia in tali indulgentiarum concessione mens est concedentis, ut *una tantum acquiratur indulgentia plenaria,* minime vero duae, quod accideret, si quaelibet paroecia, quae gaudet indulgentia ob festum sui patroni, lucrari posset illam concessam per dioecesim absque limitatione ob festa patronalia omnium paroeciarum (Decr. 15 Dec. 1841. N. 297).

223. Quando indulgentia plenaria conceditur *in festis,* vel *in omnibus festis,* vel *in omnibus et singulis festis Domini,* aut etiam *in festis D. N. J. C.,* semper intelligenda sunt tantum festa praecipua, scilicet Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, et Corporis Christi. Pariter, quando in plenariae indulgentiae concessione inveniuntur verba *in festis,* vel *in omnibus festis,* vel *in omnibus et singulis festis B. M. V.,* semper intelligantur dumtaxat festa Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis.

Quando vero invenitur concessa indulgentia partialis *in reliquis omnibus festivitatibus Domini* vel *B. M. V.,* intelligendum est de omnibus festis Domini vel B. M. V., quae celebrantur ab universa Ecclesia (Decr. 18 Sept. 1862. N. 392).

224. Quando invenitur concessa indulgentia plenaria vel partialis *in omnibus et singulis festis Apostolorum,* intelligenda sunt festa *Natalis* uniuscujusque Apostoli, non vero etiam festa secundaria, ut sunt ex. gr. festa cathedrae S. Petri, S. Petri in Vinculis, Conversionis S. Pauli, S. Joannis ante portam Latinam etc. (Decr. eod.).

225. Apostolica Sedes nunquam indulgentiam plenariam largitur intuitu *Beatorum.* Et sane, Rector Collegii PP. Societatis Jesu civitatis Januensis petiit indulgentiam plenariam pro visitantibus altare *Beati* Aloysii Gonzagae; sed responderunt Patres: *Beatis id nunquam indulgere Apostolicam Sedem,* adeoque preces rejecerunt (19 Junii 1668. Rescr. auth. N. 3). Etiam Procurator Gene-

ralis Ordinis Minorum postulavit indulgentiam plenariam pro die 29 Augusti, quo celebrabatur (tunc temporis) festum *Beatorum* Martyrum Joannis a Perusia et Petri a Saxoferrato; sed S. Congregatio respondit: *Negative* (30 Aug. 1738. Rescr. auth. N. 114).

226. Non solum non conceduntur indulgentiae pro Beatis nondum solemniter canonizatis, sed nec etiam pro Sanctis, *quorum nomina adhuc recensita non sunt in Romano Martyrologio;* quam quidem praxim constanter amplexa est S. Congregatio (Ibid.).

Quod si interdum concessa reperitur indulgentia diebus, in quibus festum alicujus Beati celebratur, ut ex. gr. apud Fratres Minores die 31 Januarii, in quam incidit festum B. Ludovicae de Albertonibus, die 19 Junii, in qua recolitur festum B. Michelinae a Pisauro, vel quandoque etiam occasione anniversarii alicujus Beati, tunc indulgentia non conceditur praecise intuitu Beati vel Beatae, sed adnectitur diei ratione concursus populi. Unde fit, ut Beatus nec nominari soleat in Indulto concessionis (Cf. ibid. totum Rescript.).

227. Brevibus indulgentiarum apponi solet haec clausula: « *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam ecclesiam qualibet anni die visitantibus, aliqua alia indulgentia perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, praesentes litterae nullae sint* ». Cum autem pro ejusdem clausulae explicatione supplicatum fuerit, S. Congregatio Indulgentiarum declaravit « *ea nullatenus comprehendi altaria privilegiata pro defunctis, neque indulgentias aut certo personarum generi concessas, ut Confraternitatibus, Regularibus et Capitulo, aut certum pium opus in ipsa ecclesia peragentibus, ut Litanias aliasque hujusmodi recitantibus, ac iis, qui christiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, et qui SS. Eucharistiae Sacramenti expositioni cum Oratione quadraginta horarum intersunt, neque Stationum Urbis et septem altarium indulgentias ad instar septem altarium Basilicae Vaticanae concessas, neque denum, quae pro unica vice conceduntur. Ceterum, si alia indulgentia sive plenaria sive non plenaria in perpetuum vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Christifidelibus ecclesiam vel aliquod ejus altare, seu capellam visitantibus, eodem die vel diverso concessa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apostolicis mentio, has Litteras ob dictam clausulam esse pror-*

sus irritas ac nullas » (Decr. 18 Mart. 1677. N. 16, et 11 Sept. 1716. N. 62).

228. Ex quo sane consequitur, ut si pro ecclesia, e. g. parochiali, pro qua duae indulgentiae concedi solent, una scilicet plenaria, altera vero septem annorum et totidem quadragenarum, indulgentia alia plenaria, nulla facta mentione de priori jam obtenta, concederetur, ea quae ultimo loco concessa esset, nulla foret (Decr. 28 Apr. 1716. N. 61 in introd.).

229. Sciendum quoque est, indulgentias feriarum sextarum mensis Martii seu Quadragesimae, quae in aliqua ecclesia concessae reperiuntur, excipiendas esse *(quidquid alias in contrarium decretum fuerit),* ita ut alias quaslibet indulgentias ob praefatam clausulam « *Volumus autem* » impedire nequeant (Decr. 13 Febr. 1745. N. 153).

230. Superior cujusdam Seminarii quaesivit a S. Congregatione: An indultum Apostolicum, quod specificat quasdam indulgentias cuidam Sodalitati concessas, excludat alias indulgentias non specificatas in praefato indulto, quarum tamen mentionem faciunt nonnulli Auctores de indulgentiis pertractantes? S. Congregatio respondit: Standum esse verbis indulti, ex quo, si nulla sit expressa conditio, v. g. *dummodo nulla alia indulgentia reperiatur concessa,* aut similia etc., eruitur firmas remanere singulas indulgentias etiam praecedenti tempore elargitas, de quibus mentio quoque fit apud Auctores de indulgentiis pertractantes (Decr. 30 Jan. 1843. N. 314).

231. Cum Episcopis in regionibus Americae, Indiarum orientalium, Africae, et in Europa sub ditione Principum infidelium in mari Aegaeo et in Albania, ea inter ceteras a Sancta Sede, S. Congregationis Universalis Inquisitionis decreto, facultas tribuatur *largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis ac sacra Communione refectis,* exortum est dubium, quod ita fuit expositum: An indulgentiae, quae ex facultate S. Sedis Apostolicae ab enuntiatis Episcopis assignantur benevisis suae dioecesis ecclesiis, comprehendantur sub clausulis restrictivis *(Dummodo nulla alia,* vel, *Volumus autem)* in Brevibus indulgentiarum expressis? S. Congregatio respondit: *Negative, seu non comprehendi* (Decr. 16 Dec. 1760. N. 224).

232. Quando in concessionibus indulgentiarum apponuntur haec verba: *quam etiam,* aut similia, ut intelligatur easdem in-

dulgentias applicabiles esse etiam animabus in Purgatorio detentis, *exclusive* tantum accipienda sunt, ita ut Christifidelis ad libitum *aut* pro se, *aut* pro defunctis *tantum* lucrari possit et valeat (Decr. 15 Jan. 1839. N. 267).

233. In Brevibus indulgentiarum pro ecclesiis saecularibus cum juxta praxim soleat apponi clausula, *non tamen Regularium,* non raro contingit, ut hujusmodi Brevia expedita pro ecclesiis et parochiis, quae dumtaxat dependent et administrantur sive a Rectore, sive *a Parocho regulari,* nonnulli Episcopi Germaniae, attenta praefata clausula, renuant exsequi. Ideo supplicatum fuit pro opportuna declaratione, quae est sequens: Vi clausulae, *non tamen Regularium,* quae solet apponi in Brevibus indulgentiarum, excluduntur dumtaxat ecclesiae Regularium *vere conventuales* (Decr. 23 Nov. 1750. N. 187).

Ideo autem in concessione indulgentiarum pro ecclesiis saecularibus restrictiva additur clausula: *Non tamen Regularium,* quia ecclesiae Regularium plures indulgentias plenarias habent pro festivitatibus Sanctorum Ordinis concessas.

234. Indulgentiae concessae tam pro concursu populi ac peregrinorum, quam pro novendialibus ante Natale Domini, nec non pro privilegio altaris, non sunt impedimento concessioni indulgentiarum cum clausula *Dummodo,* aliisque restrictivis (Decr. 5 Febr. 1748. N. 168).

235. Cum in Brevibus indulgentiarum verba illa apponuntur: *Praesentibus ad septennium tantum valituris:* idem septennium computandum est a die datae, non a die publicationis (Decr. 20 Maji 1711. N. 37).

Excipiuntur regiones remotae; Sacra enim Congregatio declaravit: Tempus in Brevibus Apostolicis positum pro confirmatione alicujus gratiae, puta, altaris privilegiati, *in regionibus remotis,* non a die datae, sed *a die praesentationis Brevis Ordinario* esse computandum (Decr. 4 Febr. 1736. N. 116).

236. Indulgentia concessa cum clausula: *ad beneplacitum nostrum,* vel *ad beneplacitum concedentis,* non est perpetua, sed si non fuerit revocata, expirat morte Pontificis. Quae autem conceditur cum clausula: *ad beneplacitum Sedis Apostolicae,* vel *ad beneplacitum nostrum et Sedis Apostolicae,* vel etiam *dum Sedes Apostolica voluerit,* non cessat morte Pontificis concedentis, sed durabit perpetuo, nisi ab aliquo successore fuerit revocata, quia

Sedes Apostolica nunquam perit. Quod si indulgentia simpliciter et absolute, seu sine appositione determinati temporis fuerit concessa, durat perpetuo per se loquendo, quia cum Superior concedens eam non limitaverit, nec nos limitare debemus (Vid. S. Alphons. et Ferraris). Et sciendum, quod indulgentias a S. Sede *in perpetuum* concessas *non oportet renovari* (Decr. 14 Febr. 1842. N. 301).

237. Indulgentia *perpetuis futuris temporibus* concessa alicui ecclesiae pro certis anni diebus, adhuc viget, etiamsi deinceps eadem indulgentia ad septennium data sit, nulla facta mentione de praecedenti perpetua concessione (Decr. 10 Julii 1838. N. 262).

238. Clausula « *in forma Ecclesiae consueta* » juxta Lavorium, quem secuti sunt Theodorus a Spiritu Sancto, Beringer, et alii, nihil aliud significat, nisi indulgentias concedi *vere poenitentibus* seu *contritis*. Juxta Auctorem novae editionis operis Catalani *Pontificale Romanum* apud Melata, Tract. de Benedictione papali, pag. 207, praedicta clausula continet persolutionem saltem *Confessionis* et *Communionis*. Auctor Chronologiae historico-legalis Seraphici Ordinis (tom. 4, pag. 297) de eadem formula scribit:

Clausula ista « *in forma Ecclesiae consueta* » Rescriptis indulgentiarum hujusmodi apponi solet, ne concessio solius indulgentiae plenariae, per noxium errorem accipiatur et publicetur (sicut olim haud raro fiebat...) veluti concessio *Jubilaei*, aut *in forma Jubilaei*... Ergo ut ambiguitatibus omnis praecludatur aditus, neque possit quispiam existimare, concedi plenariam indulgentiam, *non consuetam*, sed *specialem*, *speciales nempe facultates annexas habentem;* adjicitur idcirco Clausula illa « *in forma Ecclesiae consueta* ».

Praefata clausula utitur S. Congregatio Indulgentiarum in aliis rebus. Exempli gratia de stationibus Viae Crucis dicit, quod erigendae sunt *in forma consueta*... id est, ut stationes sint numero quatuordecim etc. (Decr. auth. N. 100, Monit. 3^{m}).

Quando agitur de modo applicandi indulgentiam alicui pio objecto, clausula « *in forma Ecclesiae consueta* » significat, *ut signum crucis manu efformetur super res benedicendas* absque pronuntiatione formulae benedictionis et sine aspersione aquae benedictae (Cf. Decr. auth. N. 313 ad 2^{m} et 4^{m}).

Collige, clausulam « *in forma Ecclesiae consueta* » non semper eumdem sensum habere, sed hunc esse intelligendum juxta materiam, cui eadem applicatur.

239. Quoad *finem*, a Summis Pontificibus saepe intentum in praescribendis precibus pro acquisitione indulgentiae praesertim plenariae, his vel similibus verbis exprimi solet « *omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ecclesiam devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam* etc. *concedimus* ».

240. Quia contingere quandoque potest ut quis legitime impediatur ab implendo aliquo opere injuncto pro consecutione indulgentiarum, ideo benignitate Summi Pontificis conceditur aliquando *facultas* illud *commutandi*. Jam vero quaerunt Theologi utrum, data hujusmodi facultate, commutatio necessario fieri debeat in confessione? Non una est hac super re Theologorum sententia. Gury absolute affirmat, innixus regula, quam tradit Benedictus XIV Const. *Inter praeteritos*, § 63, ubi Pontifex statuit, hujusmodi commutationes in sola confessione faciendas esse. Ballerini negat, dicens, Benedictum XIV loco citato loqui de facultatibus concessis ac modo iis utendi *occasione Jubilaei* anni 1750, minime vero statuere legem generalem; quod ipse probat auctoritate laudati Pontificis (Adnotatio ad Gury n. 1056).

Busenbaum, a S. Alphonso non correctus, scribit: « Quando datur potestas commutandi opera praescripta in alia, *id non necessario fit in confessione* et a confessario qui audit confitentem, sed potest fieri *extra et ab alio idoneo.* Ita enim declarat Gregor. XIII apud Henriq. etc. ».

241. Affirmandum tamen videtur, quod scilicet commutatio fieri debeat in confessione, cum agitur de Jubilaeo, ex citata Constitutione Benedicti XIV, nisi alias facultas expresse concedatur. Revera enim specialis facultas concessa fuit pro Jubilaeo indicto 8 Decemb. 1864. Proposito enim dubio: An eveniente justa causa commutandi opera injuncta praescripta in Bulla praesentis Jubilaei, ejusmodi commutatio fieri possit *extra actum sacramentalis Confessionis?* Responsum fuit: *Ex declaratione* facta a SSmo Dno Pio PP. IX *Affirmative* (S. Poenit. 16 Mart. 1865).

Anno vero 1886 quidam orator supplicavit, ut opera injuncta commutare, et super Communione cum pueris Communionis nondum capacibus, Confessarius dispensare valeat, etiam *extra actum sacramentalis Confessionis.* Resp. *Non expedire* (S. Poenit.

30 Jan. 1886. Vid. Enchiridion morale cl. P. Bucceroni S. J. pag. 197).

242. In concessionibus indulgentiarum partialium ordinarie apponuntur verba « *corde saltem contrito ac devote* ». Per locutionem « *corde saltem contrito* » non significatur, ut jam diximus n. 131, conditio seu opus injunctum, cui colligatum quoque sit indulgentiae lucrum, sed indicatur medium *subsidiarium* seu *suppletivum,* loco sacramentalis Confessionis, quae peragi actu non possit, *ad obtinendum statum gratiae,* sine quo indulgentiae lucrifieri nequeunt. Quare illis fidelibus, qui jam in statu gratiae reperiuntur, opus non est pro acquisitione indulgentiarum, ut actum contritionis emittant.

Preces *devote* ab omnibus recitari debent, ea nempe pia attentione, quae ad substantiam orationis exigi solet. Ad substantiam autem orationis, juxta communiorem et securiorem Doctorum sententiam, requiritur attentio *externa,* qua excluduntur *distractiones externae,* sitae in actionibus quae ita ad se mentem rapiunt, ut internam attentionem impediant, cujusmodi actiones sunt confabulatio, lectio alicujus libri, auditio novellarum etc. Requiritur secundo attentio *interna,* qua excluduntur *distractiones internae voluntariae et deliberatae,* simulque habetur pia applicatio mentis ad orationem, vel ejus objectum, aut finem; cujus defectu laborat, qui inter orandum *animo volvit voluntarie* res domesticas, bellicas, politicas etc. Insuper preces *devote* recitari debent, quia praescribuntur prout sunt *actus Religionis ad colendum Deum ordinatus;* sine devotione autem, quae importat actum internum, preces seu orationes sunt potius simulationes, quas Deus despicit. Advertendum tamen distractiones *involuntarias* non officere bonitati orationis (Cf. Minderer, part. I, Conferent. IX, n. 657 et 692).

§ VIII.

CONSPECTUS RERUM NOTABILIUM HUJUS CAPITIS.

243. 1° *Conditiones generales* pro lucrandis indulgentiis sive partialibus sive plenariis tres recensentur ex parte subjecti:

a) Ut sit in statu gratiae; b) ut habeat intentionem saltem generalem lucrandi indulgentias; c) ut opera injuncta rite adimpleat.

2° *Conditiones speciales* seu opera quae pro lucranda indulgentia *plenaria* ordinarie praescribuntur, sunt: *Confessio, Com-*

munio, Visitatio alicujus ecclesiae seu *publici oratorii, et piae Preces.*

3° In indultis autem, quibus *partiales* indulgentiae conceduntur, nulla ordinarie fit mentio de Confessione, sed adhibetur clausula: *corde saltem contrito,* ad indicandam *necessitatem status gratiae* pro lucranda indulgentia. Qui proinde *in statu peccati mortalis* reperitur, contritionis actum cum proposito Confessionis elicere tenetur; secus indulgentiam consequi nequit.

4° Pro acquisitione indulgentiarum necesse est, ut *omnia* opera injuncta *personaliter* et *devote* impleantur juxta tenorem concessionum. Si aliquod ex operibus injunctis vel ex toto, vel ex parte notabili, sive per ignorantiam, sive per negligentiam, aut per impotentiam omittatur, vel aliqua ex conditionibus loci, temporis etc. non observetur, excepto casu legitimae commutationis, indulgentia non acquiritur.

5° In adimplendis operibus injunctis liberum cuique est, generatim loquendo, illum ordinem servare, qui magis placuerit, dummodo saltem opus ultimum in statu gratiae absolvatur.

6° Indulgentia acquiri nequit per opus, ad quod praestandum *ex alio titulo* quis obligatur, excepto casu quo Pontifex id expresse concedat.

7° Preces tamen et alia pia exercitia, quae in religiosis Communitatibus juxta praxim vel statuta peraguntur, quaeque *non obligant sub culpa,* valent ad indulgentias lucrandas, si quae dictis operibus sint adnexae. Ad eas assequendas sufficit efformare intentionem.

8° *Confessio,* quando in Brevibus praescribitur pro lucro indulgentiarum, peragi omnino debet etiam ab iis, *qui sibi lethalis peccati conscii non sunt,* licet pro his *sacramentalis absolutio* necessaria non sit, si Confessario videatur, absolutionem non esse eisdem impertiendam.

9° *Tum Confessio tum Communio* pro acquisitione indulgentiarum peragi potest *in vigilia,* nempe die qui immediate praecedit sequentem, pro quo concessa fuerit *indulgentia quaelibet.*

10° Christifideles, qui *semel saltem in hebdomada,* nisi legitime impediantur, solent confiteri, et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sunt, *omnes et quascumque indulgentias* consequi possunt, etiam

sine actuali Confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria esset.

11° Confessio *hebdomadalis* valet etiam pro lucranda indulgentia Portiunculae et aliis concessis ad instar Portiunculae. Minime vero valet, nisi in Litteris Apostolicis expresse concedatur, ad lucrandam indulgentiam Jubilaei vel in forma Jubilaei.

12° Confessio hebdomadalis non suffragatur iis, qui *non solent* confiteri semel saltem in hebdomada, licet confessi sint intra hebdomadam ante festivitatem, cui annexa est indulgentia.

13° Verba: *semel saltem in hebdomada* vel *per singulas hebdomadas,* significant, confessionem fieri debere *quolibet decurrente septem dierum spatio.*

14° In iis locis, in quibus *ob inopiam Confessariorum* nequeunt fideles frequenter Confessione sacramentali expiari, conceditur a S. Sede, Rmis Ordinariis *postulantibus,* ut Confessio peracta *intra hebdomadam* ante festivitatem, cui annexa est aliqua indulgentia plenaria, suffragetur pro ejusdem acquisitione. Verba *intra hebdomadam* significant *octo dies* tantum quae festivitatem immediate praecedunt. Praefata Confessio valet etiam ad lucrandas ceteras omnes indulgentias, quae infra praedictum tempus occurrunt.

15° Item, *ob inopiam Confessariorum,* solet Apostolica Sedes, *ad petitionem Ordinariorum,* concedere, ut Confessio *habitualiter facta infra duas hebdomadas,* sufficiat ad acquirendas indulgentias eo temporis intervallo occurrentes. Per verba autem *infra duas hebdomadas,* intelligitur quod Confessio fieri debet *quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio.*

16° Christifideles suscipientes tempore paschali S. Communionem, et satisfaciunt praecepto paschali, et lucrari possunt indulgentiam, pro qua praescripta est S. Communio.

17° *Eadem Communione* acquiri possunt *eodem die* plures indulgentiae plenariae, dummodo adimpleantur ceterae conditiones injunctae.

18° Non est necessarium ut sacra Communio fiat in ecclesia quae visitari debet pro lucranda indulgentia.

19° Habitualiter infirmi e domo egredi impotentes, acquirere possunt omnes indulgentias, pro quarum lucro praescripta sit *sacra Communio* et *visitatio ecclesiae,* dummodo ceteris omnibus absolutis conditionibus, loco Communionis et visitationis, *alia pia opera a respectivo Confessario injungenda, fideliter adimpleant.*

20° *Pro pueris ad S. Communionem nondum admissis,* facultas generalis dispensandi non reperitur concessa.

21° Indicantur nonnullae concessiones *speciales pro Missionariis* in regionibus Sinarum, Tunkini etc. commorantibus.

22° *Visitatio ecclesiae et Preces.* Nomine *visitationis* in praesenti intelligitur accessus ad locum sacrum ob motivum fidei et religionis cum intentione inibi honorandi Deum sive in se, sive in aliquo suo Sancto.

23° Si in indulto concessionis pro praescripta visitatione determinatur ecclesia, haec est visitanda; secus in qualibet ecclesia vel publico oratorio fieri potest.

24° Visitatio ecclesiae impleri potest sive *ante* sive *post* aliorum operum implementum.

25° Quando pro acquisitione indulgentiarum eodem die occurrentium praescripta est visitatio ecclesiae, debet fidelis quilibet tot vicibus ecclesiam visitare, quot indulgentias lucrari vult. Opus est igitur, ut post quamlibet visitationem *quis egrediatur,* et *denuo in ecclesiam ingrediatur.*

26° Per preces jam *obligatorias* satisfieri nequit precibus a Summo Pontifice praescriptis pro acquirenda indulgentia.

27° Preces requisitae in indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem, sunt ad uniuscujusque libitum, nisi peculiariter adsignentur.

28° Injunctae piae preces effundendae satis erit si fuerint vocales.

29° Quando in rescripto concessionis non determinatur *orationis qualitas,* liberum cuique est sibi eligere orationem, sive haec sit oratio Dominica et Salutatio Angelica, sive recitatio alicujus coronae vel Psalmi, sive sit Officium aliquod ab Ecclesia approbatum.

30° Preces recitari possunt alternatim cum socio.

31° Provisio pro Surdo-Mutis, quibus exhibetur modus supplendi impotentiae, qua detinentur preces recitandi pro indulgentiis acquirendis injunctas.

32° *Tempus acquirendi indulgentias.* Tempus pro acquisitione indulgentiarum est illud, quod in indulto concessionis determinatur, ad quod proinde attendendum est. Si in tali indulto nihil expresse habeatur, indulgentiae lucrandae incipiunt *a media nocte ad mediam noctem.*

33° Indulgentiae quae *pro festivitatibus proprie dictis* conceduntur, *ordinarie* dantur cum clausula: *a primis vesperis usque ad occasum solis diei sequentis,* seu *ipsius diei festi.* Tunc visitatio ecclesiae fieri potest etiam in vigilia, non tamen ante horam, in qua communiter recitari solent *publice* vesperae.

34° *Translatio indulgentiarum.* Translato festo *quoad solemnitatem et exteriorem publicam celebrationem,* transfertur et indulgentia eidem festo concessa, etiamsi non transferatur Officium cum Missa.

35° Translato tantum festo *per accidens,* idest quoad Officium et Missam infra annum, non transfertur indulgentia.

36° *Clausulae.* In documentis S. Sedis, quae indulgentias respiciunt, nonnullae reperiuntur clausulae seu formulae vel locutiones, quas dignoscere maxime interest, quasque vide in textu.

PARS SECUNDA.

Praemissa ac explicata doctrina de Indulgentiis tum theologica tum canonica, quae quidem partem earumdem generalem seu fundamentalem constituunt, modo ad secundam partem gradum facimus, in qua agitur de Indulgentiis *in specie,* adnexis scilicet sive piis precibus, sive piis exercitiis, sive piis operibus aut piis objectis, ita tamen ut eas tantum indulgentias complectatur, quae *ab omnibus Christifidelibus* acquiri possunt. In opere conficiendo et ordinando prae oculis habuimus authenticam Collectionem Romanam *(Raccolta),* cujus methodum, saltem quoad substantiam, secuti sumus. De quibusdam indulgentiis vel piis exercitiis aut piis objectis, juxta materiarum exigentiam, latius egimus, et ea, majori claritati prospicientes, sub distincto capite concludimus. In primo capite, praeter pia exercitia, plures preces breviores indulgentiis ditatas transcripsimus, ut plurimum ex *Raccolta,* quae indulgentiae, ut lectores bene norunt, sunt omnes applicabiles animabus Purgatorii. Quae vero non reperiuntur in *Raccolta,* vel quia post editum hujusmodi opus, vel quia non omnibus Christifidelibus concessae sunt, proprio loco dicetur, an eisdem animabus sint applicabiles necne.

CAPUT I.

PRECES ET PIA EXERCITIA.

ARTICULUS I.

DEUS TRINUS ET UNUS.

§ I.

1. Trisagium Angelicum.

244. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: Plena est terra gloria tua: Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto.

Summus Pontifex Clemens XIV, Decreto S. Congregationis Indulgentiarum de die 6 Junii 1769, Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote praedictum *Trisagium Angelicum* recitaverint, concessit

1. *Indulgentiam centum dierum* semel in die;

2. *Indulgentiam centum dierum* ter in die in omnibus diebus Dominicis, in Festo SS. Trinitatis, singulisque diebus infra ejusdem Octavam.

Idem Pontifex per aliud Decretum ejusdem S. C. sub die 26 Junii 1770, Christifidelibus, qui per integrum unius mensis spatium dictum Trisagium quotidie, ut supra, recitaverint, indulsit

3. *Indulgentiam plenariam* semel in mense lucrandam die ad arbitrium eligenda, in qua vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, per aliquod temporis spatium oraverint juxta mentem Sanctitatis Suae (*Raccolta,* pag. 3).

2. Ter: Gloria Patri.

245. Pius PP. VII fidelibus recitantibus in principio diei, meridie et in sero tria *Gloria Patri* in gratiarum actionem SS. Trinitati pro donis et privilegiis SS. Virgini elargitis, praesertim in ejus gloriosa in coelum Assumptione, concessit

Indulgentiam centum dierum pro qualibet recitatione in tribus distinctis diei partibus peracta;

Indulgentiam plenariam semel in mense iis omnibus, qui constanter per integrum mensem distinctis diei horis, ut supra, quotidie dictam devotionem exercuerint, dummodo confessi et sacra Communione refecti die pro lubitu eligenda, devote oraverint pro exaltatione S. Matris Ecclesiae ac juxta mentem Sanctitatis Suae (Decr. 11 Julii 1815; *Raccolta,* pag. 9, n. 4).

3. Triduum vel Supplicatio novendialis in honorem SS. Trinitatis.

246. Pius PP. IX Christifidelibus qui publice vel privatim devote peregerint in honorem *SS. Trinitatis* Triduanas vel Novendiales preces tam ante primam Dominicam post Pentecosten, quam in quolibet alio tempore infra annum, concessit

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum lucrandam quovis die Tridui vel Novenae;

Indulgentiam plenariam iis, qui dictum Triduum vel Novenam compleverint, eo die acquirendam, in quo vere contriti, confessi ac sacra Communione refecti, publicam ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint ad mentem Sanctitatis Suae (Decr. 8 Aug. 1847; *Raccolta,* pag. 16).

4. Signum Crucis.

247. Summus Pontifex Pius IX, Brevi 28 Julii 1863, concessit omnibus Christifidelibus *toties quoties* corde saltem contrito se signabunt signo Crucis, simul invocando SS. Trinitatem verbis: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,*

Indulgentiam quinquaginta dierum.

Idem Pontifex, per aliud breve 23 Martii 1866, elargitus est

Indulgentiam centum dierum qualibet vice lucrandam a fidelibus, qui corde saltem contrito signum Crucis fecerint *aqua benedicta,* simul proferentes praedicta verba: *In nomine Patris* etc. (*Raccolta,* pag. 16).

5. Actus virtutum theologicarum.

248. Summus Pontifex Benedictus XIV, animadvertens, nedum utile, sed necessarium esse ad aeternam salutem consequendam actus virtutum

theologalium *Fidei, Spei* et *Charitatis* frequenter elicere, ut fideles ad hujusmodi actus exercendos facilius excitentur, confirmavit concessionem a Benedicto XIII factam sub die 15 Jan. 1728, nempe

Indulgentiam plenariam semel in mense elargitam iis omnibus, qui quotidie per integrum mensis spatium praedictos actus devote et ex corde peregerint, lucrandam in una die ad arbitrium eligenda, in quo vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, orabunt pro concordia inter principes christianos, pro extirpatione haeresum, et pro exaltatione S. Matris Ecclesiae.

Concessit insuper *Indulgentiam plenariam* in articulo mortis.

Tandem, ut magis ac magis fideles excitentur ad praefatos actus eliciendos, concessit

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum qualibet vice lucrandam ab iis, qui devote et ex corde memoratos actus exercuerint (quae quidem indulgentia, juxta Antecessoris sui concessionem, semel tantum in die acquiri poterat).

Declaravit etiam laudatus Pontifex, supradictas indulgentias non esse adnexas certis et determinatis verbis, ac ideo cuilibet liberum esse uti quavis formula, dummodo in ea expressa habeantur peculiaria motiva singularum virtutum theologalium (Decr. 28 Jan. 1756; *Raccolta,* pag. 18, ubi, si quis habere desiderat, habentur etiam formulae).

6. Actus fidei.

249. O mi Deus, credo in Te, credo omnia quae Tu revelasti, et quae sancta Ecclesia catholica credenda proponit. Credo in primis beatissimam Virginem Mariam vere esse Dei Genitricem, credo firmiter et indubitanter, eam esse simul Matrem et Virginem et liberam ab omni etiam minimo peccato actuali; item firmiter et indubitanter credo, Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem. Item firmiter et indubitanter credo, Romanum Pontificem cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro sua suprema et apostolica auctoritate doctrinam de fide et moribus ab universa Ec-

clesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definiendo de fide vel moribus instructam esse voluit: ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse. Haec omnia credo, quia sancta tua Ecclesia, quae est columna et fundamentum veritatis, quae numquam erravit nec umquam errare potest, haec credenda proponit.

Pius PP. IX per Rescriptum diei 10 Januarii 1871 omnibus Christifidelibus corde saltem contrito et devote recitantibus descriptum *Actum fidei* impertitus est

Indulgentiam centum dierum semel in die (*Raccolta,* pag. 34).

7. Oratio: Pietate tua.

250. Pietate tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata semperque Virgine Dei Genitrice Maria cum beato Joseph ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, nos famulos tuos et loca nostra in omni sanctitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate ac familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis tribue; hostes visibiles et invisibiles remove; carnalia desideria repelle; aërem salubrem indulge; amicis et inimicis nostris charitatem largire; Urbem tuam custodi; Pontificem nostrum N. conserva; omnes Praelatos, Principes cunctumque Populum christianum ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper; et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Christifidelibus hanc orationem corde saltem contrito et devote recitantibus concessa est

Indulgentia quadraginta dierum pro qualibet vice;

Indulgentia centum annorum totidemque quadragenarum iis, qui eam recitaverint in omnibus mensis Sabbatis (Leo XII. Rescr. autogr. 9 Julii 1828; *Raccolta,* pag. 26).

8. Preces pro imploranda pace.

251. Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus. Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Fidelibus corde contrito et devote has preces recitantibus concessa est a Pio PP. IX

Indulgentia centum dierum pro qualibet vice;

Indulgentia plenaria semel in mense, die ad libitum eligenda, iis qui consueverint easdem preces recitare semel saltem in die per spatium unius mensis, adimpletis conditionibus, quae sunt Confessio, Communio, visitatio ecclesiae et preces ad intentionem Summi Pontificis (Decr. 18 Maji 1848; *Raccolta,* pag. 28).

9. Jaculatoria: Actus conformitatis divinae voluntati.

252. Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima Voluntas Dei in omnibus.

Indulgentia centum dierum semel in die lucranda a fidelibus, qui corde saltem contrito et devote hujusmodi jaculatoriam recitabunt;

Indulgentia plenaria semel in anno acquirenda ab iis, qui quotidie eam recitaverint, die pro libitu eligenda, Sacramentis perceptis, et effusis ad Deum precibus juxta intentionem Summi Pontificis;

Indulgentia plenaria in articulo mortis iis omnibus, qui dictam jaculatoriam consueverunt in vita frequenter recitare, quique bene dispositi, patienter mortem acceptabunt de manu Dei (Pius VII, Decr. 19 Maji 1818; *Raccolta,* pag. 20).

10. Actus amoris S. P. N. Francisci: Deus meus et omnia.

253. Est brevissima jaculatoria, valde familiaris Seraphico P. S. Francisco, simulque opportuna et salutaris ad excitandum in Christifidelibus amorem erga Deum.

Summus Pontifex Leo XIII omnibus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus supradictam oratiunculam benigne concessit

Indulgentiam quinquaginta dierum qualibet vice, defunctis quoque applicabilem (Decr. 4 Maji 1888, apud Acta Ord. Min., ann. VII, pag. 81).

11. Invocatio ad Dominum S. Ignatii de Lojola.

254. Domine mi, fac ut amem te, et ut praemium amoris mei sit amare te magis in dies.

Recitantibus hujusmodi jaculatoriam precem corde saltem contrito ac devote a Leone PP. XIII per Rescriptum S. C. I. diei 15 Martii 1890 concessa est

Indulgentia centum dierum, defunctis quoque applicabilis, semel in die lucranda (Acta S. Sed. vol. XXII, pag. 565).

12. Oratio S. Bonaventurae.

255. Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, propter tuam largitatem et Filii tui, qui pro me sustinuit passionem et mortem, et Matris ejus excellentissimam sanctitatem, atque beati Francisci, et omnium Sanctorum merita, concede mihi peccatori, et omni tuo beneficio indigno, ut te solum diligam, tuo amore semper sitiam, beneficium passionis continuo in corde habeam, meam miseriam recognoscam, et ab omnibus conculcari et contemni cupiam; nihil me contristet nisi culpa. Amen.

Summus Pontifex Pius PP. IX concessit omnibus fidelibus, qui corde saltem contrito et devote praedictam orationem recitabunt

Indulgentiam centum dierum, semel in die (Rescript. autogr. 11 Apr. 1874; *Raccolta,* pag. 36).

13. Oratio pro adimplenda voluntate Dei.
(De Imit. Chr. L. III, C. XV, n. 3).

256. Concede mihi, benignissime Jesu, gratiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret mecumque in finem usque perseveret.

Da mihi hoc semper desiderare et velle, quod Tibi magis acceptum est et carius placet.

Tua voluntas mea sit, et mea voluntas tuam semper sequatur et optime ei concordet.

Sit mihi unum velle et nolle Tecum, nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod Tu vis et nolis. Amen.

Omnibus Christifidelibus, corde saltem contrito et devote recitantibus praefatam orationem, Leo PP. XIII, per Rescriptum S. C. I. diei 27 Februarii 1886, concessit

Indulgentiam biscentum dierum semel in die (*Raccolta,* pag. 70).

14. Oratio: Retribuere.

257. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam aeternam. Amen.

Summus Pontifex Leo XIII, die 17 Decemb. 1892, omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote praefatam orationem recitaverint, benigne concessit

Indulgentiam quinquaginta dierum, defunctis applicabilem, *bis in die* lucrandam (Acta Ord. Min., ann. XII, p. 58).

15. Jaculatoria: Aeterne Pater.

258. Aeterne Pater, Tibi offero Sanguinem pretiosissimum Jesu Christi in satisfactionem peccatorum meorum, ac pro necessitatibus sanctae Ecclesiae.

Pius PP. VII per Rescriptum diei 22 Sept. 1817 concessit

Indulgentiam centum dierum pro qualibet vice omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote recitabunt descriptam precem jaculatoriam (*Raccolta*, pag. 160; Rescr. auth. pag. 553).

16. ORATIO DESUMPTA EX LIBRO EXERCITIORUM SPIRITUALIUM S. IGNATII DE LOJOLA: **Suscipe, Domine.**

259. Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem meam. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Leo PP. XIII fidelibus corde saltem contrito et devote ejusmodi orationem recitantibus, impartitus est

Indulgentiam tercentorum dierum semel in die (Rescr. S. C. I. 26 Maji 1883; *Raccolta*, pag. 37).

§ II.

SPIRITUS SANCTUS.

17. HYMNUS: **Veni, Creator Spiritus,** ET SEQUENTIA: **Veni, sancte Spiritus.**

260. Cum latinus textus tum enuntiati Hymni, tum Sequentiae in honorem Spiritus sancti reperiri facile possit in Breviariis, Missalibus, aliisque libris, necessarium haud ducimus hujusmodi precatorias laudes transcribere.

Summus Pontifex Pius VI, omnibus fidelibus semel vel pluries in die corde saltem contrito et devote recitantibus Hymnum *Veni, Creator Spiritus*, vel Sequentiam *Veni, sancte Spiritus*, concessit

Indulgentiam plenariam semel in mense, die ad libitum eligenda, adimpletis conditionibus, quae sunt Confessio, Communio et preces ad intentionem Summi Pontificis;

Indulgentiam tercentorum dierum iis omnibus, qui Dominica Pentecostes et in ejus Octava corde saltem contrito et devote recitaverint dictum Hymnum, vel Sequentiam, orando ut supra;

Indulgentiam centum dierum in omnibus aliis anni diebus, toties lucrandam, quoties devote et corde saltem contrito recita-

bitur Hymnus vel Sequentia, orando ut supra (Breve 26 Maji 1796; *Raccolta,* pag. 38 et seqq.).

Non sunt hic omittendae nonnullae considerationes:

1. Ad lucrandas praefatas indulgentias non est necessarium, ut ambae preces recitentur, sed sufficit ut vel Hymnus vel Sequentia dicatur, ut patet ex particula disjunctiva *vel.*

2. Qui quotidie recitat Hymnum *Veni, Creator Spiritus,* et Sequentiam *Veni, sancte Spiritus,* non lucratur in eodem mense duas indulgentias plenarias (Decr. 29 Maji 1841. N. 291 ad 9).

3. Variatio conclusionis Hymni *Veni Creator etc.* intra tempus paschale et extra, non est de essentia operis ad lucrandas indulgentias (Decr. 12 Martii 1855. N. 367 ad 4).

4. Cum in *Raccolta* non apponatur versus *Emitte Spiritum tuum etc.* neque Oratio *Deus, qui corda fidelium,* consequitur has preces non esse necessarias pro acquisitione indulgentiarum.

18. Novena Spiritus sancti.

261. Summus Pontifex Pius IX omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote peregerint quolibet tempore intra annum Novendiales preces in honorem Spiritus sancti, concessit

Indulgentiam tercentorum dierum in quolibet die;

Indulgentiam plenariam vel durante Novena, vel in uno die intra octiduum, quod immediate eam sequitur, dummodo vere contriti, confessi ac sacra Communione refecti, oraverint pro sancta Ecclesia et pro Summo Pontifice.

Notandum, quod juxta primaevam concessionem Pii PP. IX per Rescriptum Cajetae publicatum die 5 Jan. 1849, ad acquirendas memoratas indulgentias recitari debebant preces, prout extant in quodam libro Neapoli edito a R. P. Josepho Mª Falcone, Sacerdote Congregationis Missionis; sed per aliud Rescriptum S. C. Indulg. de dato 26 Nov. 1876 idem Pontifex declaravit easdem indulgentias lucrari etiam posse ab iis, qui Novenam Spiritus sancti faciunt *quacumque alia precum formula,* dummodo a competenti auctoritate ecclesiastica sit approbata (*Raccolta,* pag. 41).

19. Septem: Gloria Patri etc.

262. Ex concessione Pii PP. IX, Christifideles recitantes corde saltem contrito et devote septies « *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto* »

cum intentione postulandi septem dona Spiritus sancti pro fidei propagatione, et orandi juxta mentem Summi Pontificis, lucrantur

Indulgentiam septem dierum (Rescr. S. C. de Prop. Fide, 12 Martii 1857; *Raccolta*, pag. 41).

§ III.

JESUS.

20. Litaniae SS. Nominis Jesu.

263. Opportunum ac utile censemus aliqua praemittere, quae Litanias *in genere* concernunt.

1. In Decretis, quae Indicem Librorum prohibitorum praecedunt, § IV. 3, prohibentur « *Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de B. Virgine, quae in sacra aede Lauretana decantari solent* ».

2. Litaniis Sanctorum non licet addere neque aliquem versiculum, neque nomen alicujus Sancti, etsi Patroni dioecesis (Decr. S. R. C. 27 Sept. 1873; Gardellini, N. 5564).

3. Quamvis praeter Litanias *SSmi Nominis Jesu, B. Mariae Virginis* Lauretanas nuncupatas, *et Sanctorum*, quae in libris liturgicis habentur, *nullae aliae* a S. Sede approbatae fuerint, quaedam tamen typis passim evulgantur, quae in honorem alicujus Sancti vel mysterii fidelibus recitandae proponuntur, atque in libris praesertim pietatis, vulgo *di divozione* continentur, nonnunquam etiam auctoritatis ecclesiasticae sanctione munitis.

4. Hinc S. Rituum Congregatio sui muneris esse duxit Rmos locorum Ordinarios admonere, *ne sinant alias Litanias publice recitari, nisi praedictas, vel alias, si quae a S. R. U. Inquisitione recognitae et approbatae fuerint;* ac simul caveant suam approbationem pro impressione subnectere iis libris, in quibus Litaniae inveniuntur Apostolica sanctione carentes (Monitum S. R. C., 16 Junii 1880, apud Acta S. Sed. Vol. XIII, pag. 91).

5. Post editum descriptum *Monitum,* quaedam dubia exorta sunt circa approbationem Litaniarum ex parte Ordinariorum, quae deinde Sacrae Rituum Congregationi exhibita sunt solvenda. S. Congregatio omnibus quaestionibus ad se delatis, insequenti unico responso iis satisfaciendum duxit, videlicet:

Monitum, de quo agitur, respicere Litanias in liturgicis et publicis functionibus recitandas: posse vero, immo teneri Ordinarios alias seu novas Litanias examinare, et, quatenus expedire putent, approbare; *at nonnisi pro privata atque extraliturgica recitatione* (Decr. 29 Octobr. 1882, penes Acta S. Sed. Vol. XV, pag. 191).

6. Novissime eadem S. Congregatio declaravit, quod illae tantum *Litaniae* publice recitari possunt in ecclesiis vel oratoriis publicis, quae habentur in Breviario, aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani ab Apostolica Sede approbatis. Hinc invocationes ad normam Litaniarum in honorem sacrae Familiae, sacratissimi Cordis Jesu, Mariae Perdolentis, S. Joseph, aliorumque Sanctorum, in ecclesiis vel oratoriis publicis etiam extra functiones stricte liturgicas recitari nequeunt. (S. Rit. Congr. 6 Martii 1894; Analect. ecclesiast. ann. 3, pag. 28; 28 Nov. 1895; Acta Ord. Min. ann. XV. pag. 11).

7. Litaniae in honorem *SSmi Nominis Jesu* plures et variae compositae sunt, non omnes quidem probabiles. Ad hanc varietatem e medio tollendam, Summus Pontifex Pius IX, per Decretum S. R. C. de die 8 Junii 1862, approbavit LITANIAS SANCTISSIMI NOMINIS JESU, quae *unice* in posterum retineri debent ab omnibus Christifidelibus, quaeque reperiuntur insertae tum in ***Raccolta,*** tum in novissimis Breviariis et Diurnalibus.

8. Idem Pontifex per citatum Decretum concessit fidelibus, qui praefatas Litanias devote recitaverint

Indulgentiam tercentorum dierum, cum hac tamen restrictione: *quando scilicet Sacrorum Antistites pro sua quisque dioecesi hanc gratiam speciatim petiissent.*

At SS. D. N. Leo PP. XIII per Decretum Urbis et Orbis die 16 Januarii 1886 dictam indulgentiam *tercentum dierum* semel tantum in die lucrandam, *benigne extendit ad omnes Christifideles,* qui corde saltem contrito ac devote *Litanias* (authenticas) *SS. Nominis Jesu* recitaverint, declarans eam esse applicabilem animabus Purgatorii (Cf. Acta S. Sed. Vol. XVIII, pag. 509: ***Raccolta,*** pag. 67 et seq.).

21. INVOCATIO SS. NOMINIS JESU.

264. Clemens PP. XIII, Decreto S. C. I. de die 5 Septembris 1759, de novo confirmavit sequentes indulgentias, jam concessas a Sixto V et Benedicto XIII:

Indulgentiam quinquaginta dierum toties lucrandam, quoties fideles se invicem salutantes, unus dicat: LAUDETUR JESUS CHRISTUS; et alius (vel alii) respondeat: AMEN, vel: IN SAECULA.

Indulgentiam viginti quinque dierum qualibet vice lucrandam ab iis omnibus, qui devote invocaverint SS. NOMEN JESU.

Indulgentiam plenariam in articulo mortis iis omnibus, qui in vita consueverint, ut supra, se salutare, vel saepius ipsum SS. NOMEN invocare; dummodo tunc saltem corde, si id ore facere nequiverint, idem SS. NOMEN invocent.

Praedictae indulgentiae concessae quoque sunt Praedicatoribus et iis omnibus, qui fideles exhortabuntur ad se salutandos praefato modo, et ad saepe invocandum SS. NOMEN JESU ET MARIAE (*Raccolta,* pag. 48).

22. LAUS SANCTIS NOMINIBUS JESU ET MARIAE.

265. Pius PP. IX per Rescriptum S. C. I. diei 26 Sept. 1864, ad omnes Christifideles, qui vicissim se devote salutaverint, unus dicens: LAUDETUR JESUS ET MARIA, et alius respondens: HODIE ET SEMPER, vel aliis similibus verbis, benigne extendit

Indulgentiam quinquaginta dierum qualibet vice lucrandam, quam indulgentiam Clemens XIII Bulla de die 30 Nov. 1762 jam concesserat Religiosis Carmelitis, qui ad invicem se salutabant solis verbis: LAUDETUR JESUS ET MARIA (*Raccolta,* pag. 511).

23. JACULATORIA: **Mi Jesu, misericordia (Gesù mio, misericordia).**

266. *Indulgentia centum dierum* a Summo Pontifice Pio PP. IX de novo concessa est omnibus Christifidelibus, *quoties* corde saltem contrito et devote recitaverint dictam *Jaculatoriam,* qua saepissime utebatur S. Leonardus a Portu Mauritio, speciatim in favorem fidelium in articulo mortis constitutorum, qui facile pronuntiare nequeunt prolixas orationes (Decr. 24 Sept. 1846; *Raccolta,* pag. 57).

24. JACULATORIA: **Jesu Deus meus, super omnia amo te.**

267. Per Rescriptum autographum Summi Pontificis Pii IX de die 7 Maji 1854 concessa est omnibus Christifidelibus

Indulgentia quinquaginta dierum, toties lucranda, quoties corde saltem contrito et devote praefatam *Jaculatoriam* recitaverint, vel alios ad eam recitandam induxerint (*Raccolta,* pag. 58).

25. Oratio quam S. Thomas Aquinas composuit et frequenter recitabat antequam se accingeret ad docendum, scribendum vel praedicandum.

268. Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres Angelorum hierarchias designasti et eas super coelum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime disposuisti, tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris ac supereminens principium: infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignórantiam. Tu qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infunde. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facultatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas. Tu qui es verus Deus et homo. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ex concessione Leonis PP. XIII Christifideles corde saltem contrito et devote dictam orationem recitantes, consequuntur

Indulgentiam ducentorum dierum semel in die (Rescr. 21 Febr. 1880; *Raccolta,* pag. 63).

26. Oratio desumpta ab illa prece, quam S. Thomas Aquinas quotidie recitare solebat ante imaginem Jesu Christi.

269. Concede mihi, misericors Deus, quae tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere ad laudem et gloriam nominis tui. Amen.

Summus Pontifex Leo PP. XIII concessit

Indulgentiam tercentum dierum omnibus Christifidelibus, qui ante studium vel lectionem corde saltem contrito et devote hujusmodi orationem recitaverint (Rescr. 21 Junii 1879; *Raccolta,* pag. 63; Rescript. auth. pag. 667. N. 430).

27. Oratio: Clementissime Jesu.

270. Clementissime Jesu, salus, vita, resurrectio nostra tu us es. Te ergo quaesumus, ne derelinquas nos in angustiis perturbationibus nostris, sed per agoniam Cordis tui san-ssimi, et per dolores Matris tuae immaculatae, tuis famulis oveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Pius PP. IX concessit

Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam ab iis elibus, qui corde saltem contrito et devote hujusmodi orationem itaverint (Decr. 6 Octob. 1870; *Raccolta*, pag. 60).

28. Piae petitiones S. Augustini.

271. Domine Jesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te.
Oderim me et amem te;
Omnia agam propter te.
Humiliem me, exaltem te;
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me et vivam in te:
Quaecumque eveniant, accipiam a te.
Persequar me, sequar te;
Semperque optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te,
Ut merear defendi a te.
Timeam mihi, timeam te,
Et sim inter electos a te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim propter te.
Ad nihil afficiar nisi ad te,
Et pauper sim propter te.
Aspice me, ut diligam te.
Voca me, ut videam te,
Et in aeternum fruar te. Amen.

Indulgentia quinquaginta dierum semel in die ex concessione Leonis PP. XIII, fidelibus corde saltem contrito et devote recitantibus istas *Petitiones* (Breve 25 Sept. 1883; *Raccolta*, pag. 64).

29. Oratio: Divine Jesu.

272. Divine Jesu, Fili Dei incarnate, qui pro nostra salute in stabulo nasci, vitam in paupertate, aerumnis et miseria degere, et in crucis doloribus mori dignatus es, divino tuo Patri dic, quaeso, in momento mortis meae: *Pater, ignosce ei;* dic Matri tuae dilectae: *Ecce filius tuus;* dic animae meae: *Hodie mecum eris in paradiso.* Deus meus, Deus meus, ne derelinquas me in illa hora. *Sitio:* utique Deus meus, anima mea sitit ad Te, qui es fons aquarum viventium. Vita mea praeterit velut umbra; adhuc modicum, et consummata erunt omnia. Quapropter, o Salvator mi adorabilis, ex hoc momento in omnem aeternitatem *in manus tuas commendo spiritum meum.* Domine Jesu, accipe animam meam. Amen.

Pius PP. IX confirmavit *Indulgentiam tercentorum dierum* lucrandam ab omnibus Christifidelibus toties quoties corde saltem contrito et devote transcriptam orationem recitaverint (Decr. 10 Junii 1856; *Raccolta*, pag. 59).

30. Oratio: O Jesu vivens in Maria.

273. O Jesu vivens in Maria, veni et vive in famulis tuis, in spiritu sanctitatis tuae, in plenitudine virtutis tuae, in veritate virtutum tuarum, in perfectione viarum tuarum, in communione mysteriorum tuorum, dominare omni adversae potestati, in spiritu tuo ad gloriam Patris. Amen.

Indulgentia tercentorum dierum, ex concessione Pii PP. IX, semel in die lucranda ab omnibus fidelibus, praedictam orationem corde saltem contrito et devote recitantibus (Rescriptum autographum 14 Octobris 1859; *Raccolta*, pag. 59).

31. JACULATORIA: **Jesu fili David, miserere mei.**

(Luc. XVIII, 38.)

274. Leo PP. XIII concessit Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote recitaverint hujusmodi orationem jaculatoriam *Indulgentiam centum dierum* semel in die (Rescr. 27 Febr. 1886; *Raccolta*, pag. 71).

32. ORATIO AD IMPETRANDAM UNITATEM FIDEI.

275. Domine Jesu, doce nos orare sicut Patrem orasti, ut omnes unum sint.

Recitantibus corde saltem contrito et devote praedictam orationem, Summus Pontifex Leo XIII concessit, sub die 9 Martii 1893,

Indulgentiam centum dierum semel in die acquirendam (Apud Acta Ord. Min. ann. XII, pag. 175).

33. JACULATORIA S. HIERONYMI AEMILIANI:

Dulcissime Jesu, non sis mihi Judex, sed Salvator.

276. *Indulgentia quinquaginta dierum*, a Pio IX concessa omnibus Christifidelibus, quoties corde saltem contrito et devote hujusmodi brevissimam precem recitaverint (Decr. 11 Aug. 1851).

Idem Pontifex benigne elargitus est omnibus Christifidelibus, qui per unius anni spatium semel saltem in die corde contrito et devote recitaverint praedictam Jaculatoriam

Indulgentiam plenariam semel tantum lucrandam a primis Vesperis festi S. Hieronymi Aemiliani (20 Julii) usque ad totam octavam, die, qua vere contriti, confessi ac sacra Communione refecti, visitaverint aliquam ecclesiam vel publicum oratorium, ibique per aliquod temporis spatium oraverint juxta mentem Sanctitatis Suae (Decr. 29 Nov. 1853; *Raccolta*, pag. 57).

§ IV.

JESUS INFANS.

34. ORATIO AD JESUM INFANTEM.

277. Amantissime Jesu Christe, Domine noster, qui pro nobis nasci dignatus es in praesepe, ut nos redimeres a peccati

tenebris, ut nos ad te traheres, tuoque amore nos accenderes, te adoramus uti Creatorem et Redemptorem nostrum; te veluti Regem et Dominum habemus, et uti tributum tibi cunctos offerimus cordis nostri affectus. O bone Jesu, Domine et Deus noster, hanc dignare accipere oblationem; et ut tuo beneplacito digna fiat, nostras ignosce culpas, illumina intellectum, nosque inflamma illo tuo igne, quem deferre in mundum venisti, ut in cordibus nostris accendatur. Sic fiat anima nostra juge sacrificium ad honorem tuum; fac ut ipsa semper majorem quaerat in terris gloriam tuam, ut tandem frui valeat in coelis tua infinita pulchritudine. Amen.

Orazione a Gesú Bambino.

Amabilissimo nostro Signore Gesù Cristo, che fatto per noi Bambino, voleste nascere in una grotta per liberarci dalle tenebre del peccato, per attirarci a voi, ed accenderci del vostro amore, vi adoriamo per nostro Creatore e Redentore, vi riconosciamo e vogliamo per nostro Re e Signore, e per tributo vi offeriamo tutti gli affetti del nostro povero cuore. Caro Gesù, Signore e Dio nostro, degnatevi di accettare quest' offerta, e affinchè sia degna del vostro gradimento, perdonateci le nostre colpe, illuminateci, infiammateci di quel fuoco santo, che siete venuto a portare nel mondo per accenderlo nei nostri cuori. Divenga in tal modo l' anima nostra un sacrificio perpetuo in vostro amore; fate che essa cerchi sempre la vostra maggior gloria qui in terra, affinchè venga un giorno a godere delle vostre infinite bellezze in cielo. Così sia.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utens facultatibus a SS. Domino Nostro Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, universis Christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus supra relatam orationem, concessit

Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam (Rescr. 18 Jan. 1894).

Duo hic adnotamus: 1° Praefatam orationem jam ab anno 1892 fuisse ditatam *indulgentia centum dierum,* lucranda tamen ab iis

tantum fidelibus, qui eam recitassent *in ecclesia Aracoelitana* de Urbe in honorem celeberrimi Infantis Jesu (Bambino di Araceli), qui ibi magna veneratione colitur; 2° textum orationis esse italicum; versionem autem latinam nos desumpsisse ex Ephemeride *Acta S. Sedis*, vol. XXVI, pag. 443 (Vid. Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 18).

35. Pro die Nativitatis Domini.

278. Ad excitandam in Christifidelibus majorem devotionem erga Solemnitatem Nativitatis Redemptoris nostri Jesu Christi, et ut iidem fideles eam celebrent cum fructu animarum suarum, Summus Pontifex Sixtus V sequentes concessit indulgentias iis omnibus, qui vere contriti, confessi ac sacra Communione refecti, praedicta die divina officia recitaverint, vel personaliter eis adstiterint in quacumque ecclesia, videlicet:

Indulgentiam centum annorum pro Matutino et pro Laudibus.

Indulgentiam centum annorum tum pro Missa, tum pro primis et tum pro secundis Vesperis.

Indulgentiam quadraginta annorum pro qualibet ex ceteris Horis, nempe pro Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorio (Breve *Ut fidelium devotio,* 22 Oct. 1586; *Raccolta,* pag. 72).

36. Pro Novena Natalis Domini.

279. *Indulgentia tercentorum dierum* qualibet die pro iis omnibus, qui corde saltem contrito et devote Novenam praemiserint dictae Solemnitati, mediantibus piis exercitiis, precibus, virtutum actibus etc., ex concessione Pii PP. VII.

Indulgentia plenaria die Nativitatis Domini vel in alia die infra Octavam pro iis, qui in omnibus praefatis diebus Novenam peregerint, dummodo vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, devote orent pro felici statu S. Matris Ecclesiae et juxta intentionem Sanctitatis Suae.

Indulsit insuper laudatus Pontifex, ut eaedem indulgentiae lucrari possint *secunda vice* intra annum, iterata, ut supra, Novena in honorem divini Infantis Jesu (Rescript. Secretariae Memorialium, 12 Aug. 1815).

Pius PP. VIII concessit, ut supradicta indulgentia plenaria acquiri possit in quacumque die Novenae, dummodo haec postea integre compleatur, et impletis conditionibus injunctis supra memoratis (Rescript. S. C. I., 9 Julii 1830; *Raccolta,* pag. 72).

§ V.

JESUS IN SACRAMENTO ALTARIS.

37. Hymnus: Pange lingua.

280. Pius PP. VII concessit *Indulgentiam tercentum dierum* semel in die lucrandam ab omnibus iis, qui corde contrito et devote recitaverint hymnum *Pange lingua* cum versu et *Oremus;*

Indulgentiam centum dierum recitantibus, ut supra, *Tantum ergo* dumtaxat cum versu et *Oremus.*

Illis autem, qui frequenter, vel saltem decies in mense recitaverint, ut supra, vel *Pange lingua,* vel *Tantum ergo* cum versu et *Oremus,* elargitus est

Indulgentiam plenariam feria V in Coena Domini, in festo *Corporis Domini,* vel in una die infra Octavam, necnon in alia die infra annum ad libitum, dummodo vere contriti, confessi, ac sacra Communione refecti, ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint ibique per aliquod temporis spatium oraverint ad intentionem Sanctitatis Suae (Decr. 24 Aug. 1818; *Raccolta,* pag. 102).

38. Rhythmus S. Thomae Aquinatis ad sacram Eucharistiam.

281. Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens, atque confitens
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor:
Deum tamen meum te confiteor.

Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus vitam praestans homini,
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere:
Pie pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat illud quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

RITMO DI S. TOMMASO.

Supplice ti adoro qui, ascoso Dio,
Sotto queste figure in Sacramento:
Tutto sommetto a te lo spirito mio,
E te nel contemplar, tutto m' anniento.
Qui il guardo inganna, il tatto ed il sapore,
Sol per l' udito è più sicura fè.
Credo a' tuoi detti, o Verbo del Signore;
Nulla è più vero, eterno ver, di te.
In Croce sol qual Dio; qual uomo e Dio
Qui t' ascondesti; ond' uomo e Dio presente
Io ti credo e confesso, e chiedo anch' io
Quel che ti chiese il ladro penitente.
Come vide Tommaso, io no non vedo
Qui le tue piaghe; eppur, mio Salvatore,
Senza vederti in questo vel, ti credo:
Tu accresci in me fede, speranza, amore.
Di lui memorial, che per noi moria,
Vivo pan, che la vita ci alimenta,

Fa che viva di te l'anima mia,
E sempre in sè la tua dolcezza senta.
Pietoso pellican, Gesù Signore,
Col Sangue tuo purifica me immondo;
Del tuo Sangue una stilla ha tal valore,
Che può salvare da ogni colpa il mondo.
O Gesù qui nascosto, io cui m' affiso,
Prego, sazia l'ardente sete mia,
Sicchè in vederti disvelato il viso,
Della tua gloria ognor beato io sia. Amen.

Universis Christifidelibus recitantibus ante vel post Communionem praefatum Rhythmum Eucharisticum, Leo PP. XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum diei 15 Junii 1895, concessit

Indulgentiam centum dierum, quae ab eodem Pontifice jam concessa fuerat sub die 20 Decembris 1884 solis Sacerdotibus eumdem Rhythmum recitantibus ante vel post Missam (Acta S. Sed. vol. 28, pag. 188; et vid. *Raccolta,* pag. 555 et 574).

39. Piissimae invocationes: Anima Christi etc.

282. Anima Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Jesu, exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me,
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me.
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te,
In saecula saeculorum. Amen.

Pius PP. IX, revocatis quibuscumque aliis indulgentiis, si quae antea fuerint concessae pro recitatione hujusmodi *Invocationum,* impertitus est omnibus Christifidelibus

Indulgentiam tercentum dierum toties lucrandam, quoties corde contrito et devote praedictas *Invocationes* recitant;

Indulgentiam septem annorum semel in die acquirendam tum a Sacerdotibus eas recitantibus post Missae celebrationem, tum a fidelibus eas dicentibus post receptam Communionem;

Indulgentiam plenariam semel in mense lucrandam ab iis omnibus, qui eas recitaverint, ut supra, semel saltem in die spatio unius mensis, ea die ad arbitrium eligenda, in qua vere contriti, confessi et sacra Communione refecti visitaverint ecclesiam vel publicum oratorium, ibique per aliquod temporis spatium oraverint juxta intentionem Summi Pontificis (Decr. 9 Jan. 1854; *Raccolta*, pag. 103).

40. Jaculatoria: Laudetur.

283. Laudetur et adoretur omni momento sanctissimum et divinissimum Sacramentum.

Sia lodato e ringraziato ogni momento il santissimo e divinissimo Sacramento.

Recitantibus corde saltem contrito et devote praedictam Jaculatoriam in laudem SS. Sacramenti concessa est a Pio PP. VII

Indulgentia centum dierum semel in die;

Indulgentia centum dierum ter in die in singulis quintis anni feriis, necnon in Octava festivitatis *Corporis Domini;*

Indulgentia plenaria iis, qui quotidie per mensem eam recitant, ea die pro lubitu lucranda, in qua confessi et sacra Communione refecti, orabunt pro S. Ecclesia etc. (Rescript. Secret. Memorialium, 24 Maji 1776).

Praefatas indulgentias idem Pontifex confirmavit, concedens insuper

Indulgentiam centum dierum omnibus Christifidelibus toties, quoties corde saltem contrito et devote memoratam Jaculatoriam recitaverint ad campanae pulsum, indicantem Benedictionem, quae in ecclesiis cum SS. Sacramento impertitur, vel nuntiantem horas in ecclesia, ubi SS. Sacramentum est expositum sive pro Oratione 40 Horarum, sive pro alio quolibet motivo (Decr. 30 Junii 1818).

Idem Summus Pontifex largiri dignatus est

Indulgentiam centum dierum semel in qualibet Missa lucrandam ab omnibus Christifidelibus, qui tempore elevationis utriusque

speciei corde saltem contrito et devote eamdem precem jaculatoriam recitabunt (Decr. 7 Decemb. 1819; *Raccolta,* pag. 89).

41. Festum et Octava Corporis Domini.

284. Urbanus PP. IV instituit Solemnitatem *Corporis Domini* cum Octava in toto orbe catholico celebrandam, in memoriam institutionis adorabilis Sacramenti SS. Eucharistiae a divino nostro Redemptore Jesu Christo factae ante suam dolorosissimam Passionem (Constit. *Transiturus,* 11 Aug. 1264; *Raccolta,* pag. 83).

Cupiens Pontifex, ut Christifideles in hujusmodi solemnitate dignas Domino referrent gratias pro tam magno beneficio, per memoratam Constitutionem nonnullas concessit indulgentias, postea auctas a Summis Pontificibus Martino V in Constit. *Ineffabilis,* 26 Maji 1429, et Eugenio IV in Constit. *Excellentissimum,* 26 Maji 1433, et sunt sequentes:

1. *Indulgentia ducentorum dierum* in vigilia festi *Corporis Domini* iis omnibus, qui vere contriti et confessi jejunaverint, vel aliud pium opus peregerint juxta consilium proprii Confessarii;
2. *Indulgentia quadringentorum dierum* in ipso festo iis, qui contriti et confessi devote adstiterint primis vel secundis Vesperis, Matutino et Missae, pro qualibet ex dictis functionibus;
3. *Indulgentia centum sexaginta dierum* in ipso festo, pro qualibet ex Horis minoribus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, et Completorio;
4. *Indulgentia ducentorum dierum* in omnibus Octavae diebus pro quibuslibet Vesperis, pro quolibet Matutino et pro qualibet Missa cui quis ut supra adstiterit.
5. *Indulgentia octoginta dierum* (in Octava) pro qualibet ex Horis minoribus et pro Completorio.
6. *Indulgentia ducentorum dierum* iis qui processionibus SS. Sacramenti, quae in festo et in ejus Octava fiunt, interfuerint, illudque associaverint, et oraverint pro pace et tranquillitate Ecclesiae; dummodo, si Sacerdotes, Missam devote celebraverint; si laici, sacra Communione refecti fuerint (*Raccolta,* pag. 83; Summar. Ord. Min. apud Rescr. auth. pag. 394, n. 30).

42. Comitatus SS. Sacramenti.

285. Martinus V, Constit. *Ineffabile,* 26 Maji 1429, et Eugenius IV, Constit. *Excellentissimum,* 26 Maji 1433, Christifidelibus, qui *cum lumine*

accenso associaverint et adoraverint SS. Sacramentum, dum pro *simplici Communione* defertur ad infirmos, concesserunt

Indulgentiam ducentorum dierum pro qualibet vice.

Indulgentiam centum dierum, quoties SS. Sacramentum devote secuti fuerint *sine lumine,* dum item ad infirmos pro simplici Communione defertur.

Pius autem PP. IX declaravit, *Indulgentiam ducentorum dierum* acquiri etiam posse ab iis fidelibus, qui (sine lumine) SS. Sacramentum devote comitantur, quando pro Communione *solemniter* defertur ad infirmos; et *Indulgentiam centum dierum* lucrari posse *toties quoties* ab iis qui devote comitantur augustissimum Sacramentum in ceteris omnibus circumstantiis (Rescript. S. C. I., 18 Julii 1877; *Raccolta,* pag. 108).

43. Visitatio SS. Sacramenti.

286. Summus Pontifex Pius IX omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote visitabunt SS. Sacramentum, et coram ipso recitabunt quinque *Pater, Ave* et *Gloria,* et aliud *Pater, Ave* et *Gloria* pro concordia inter principes christianos, extirpatione haeresum, peccatorum conversione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione, concessit

Indulgentiam tercentum dierum pro qualibet vice (Breve 15 Sept. 1876; *Raccolta,* pag. 107).

44. Visitatio SS. Sacramenti tempore Orationis Quadraginta Horarum.

287. *Oratio per quadraginta horas non intermissa* ante SS. Sacramentum publicae venerationi expositum, initium habuit Mediolani circa annum 1534. Per alias Italiae civitates deinde propagata est, et in Urbem introducta pro prima Dominica cujuslibet mensis ab Archiconfraternitate SS. Trinitatis Peregrinorum (a S. Philippo Nerio instituta anno 1548), et pro qualibet tertia Dominica mensis ab Archiconfraternitate S. Mariae Orationis et Mortis, anno 1551 (*Raccolta,* pag. 85; Gardellini, Commentaria ad Instruct. PP. Clementis XI pro Orat. 40 Hor.).

288. Praedicta Oratio quadraginta Horarum instituta est ad recolendum tempus 40 horarum, quo Christi corpus latuit in sepulchro, et etiam in memoriam et imitationem quadraginta die-

rum, quibus Dominus noster in deserto jejunavit et oravit (Cf. loca cit.).

289. Clemens PP. VIII per suam Constitutionem *Graves et diuturnae,* datam 25 Nov. 1592, Orationem quadraginta Horarum in Urbe perpetuo constituit *per integrum anni cursum,* ordine quidem successivo, nempe per gyrum de una in aliam ecclesiam, incipiendo a Palatii Apostolici Sacello (*Raccolta*, Gardellini).

290. Ideo autem Pontifex hanc piissimam devotionem in Urbe instituit, ut sic fideles die noctuque, quavis hora, ante SS. Sacramentum solemniter expositum orantes, Dominum nostrum tot hominum culpis ad iram provocatum placarent, eiusque divinas misericordias implorarent (Ibid.).

291. Indulgentias quoque elargitus est iis omnibus Christifidelibus, qui tempore praescriptae expositionis unam saltem horam in oratione perseverassent. Haec omnia confirmata fuerunt a Paulo V, Brevi *Cum felicis recordationis,* 10 Maji 1606, qui insuper Indulgentias ampliavit, *ac tempus ad eas consequendas alio modo determinavit.* Indulgentiae sunt:

Indulgentia plenaria lucranda ab iis omnibus, qui vere contriti, confessi et sacra Communione refecti devote visitaverint, *pro eo temporis spatio, quod illis commodum fuerit,* SS. Sacramentum publicae adorationi expositum, ibique oraverint pro concordia inter principes christianos, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, vel alias preces recitando juxta propriam cujusque devotionem.

Indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum in qualibet visitatione acquirenda ab iis fidelibus, qui eam peregerint vere contriti, et cum firmo proposito se confitendi. Haec indulgentia confirmata est a Summo Pontifice Pio IX per Rescriptum S. C. I. sub die 26 Nov. 1876 (Cf. *Raccolta,* pag. 86; Gardellini, loc. cit. § XXXIII; Ferraris, v. *Euchar.* n. 67).

292. Pius PP. VII, die 10 Maji 1807, per Emum Cardinalem Urbis Vicarium declaravit *in perpetuum privilegiata omnia altaria illarum ecclesiarum,* in quibus fit praefata Expositio, eadem Expositione perdurante (*Raccolta,* pag. 87).

293. Ex Brevibus Pontificiis minime constat, generalem indulgentiarum concessionem factam fuisse pro omnibus locis, in quibus Oratio 40 Horarum peragitur. Indulgentiae enim, quas supra indicavimus, concessae fuerunt pro quadraginta Horis, quae Romae fiunt.

294. Per peculiaria tamen Indulta, postulantibus praesertim Episcopis, concessae sunt aliquando indulgentiae. Ita ex gr. anno 1710 indulgentia plenaria pro Oratione 40 Horarum concessa fuit civitati Coloniensi; anno 1716 civitati Pistoriensi, ubi numerabantur 85 ecclesiae, in quibus SS. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi proponi poterat, nempe parochiales 25, Regularium 11, Monialium 17, Confraternitatum 32. In concessione autem exclusae fuerunt ecclesiae Monialium (Cf. Rescr. auth. NN. 4. 31. 42. 44. 55. 84).

Item non concedebatur gratia Orationis 40 Horarum, vel saltem non largiebantur indulgentiae pro simili oratione in Urbe concessae, si in civitate vel loco non reperiebatur sufficiens numerus ecclesiarum, ubi per turnum expositio SS. Sacramenti fieri poterat (Cf. Rescr. auth. N. 44).

295. Sacra Congregatio Indulgentiarum jam ediderat Decretum, quo « censuit, nemini posthac concedendam esse indulgentiam, qui expositionem Sanctissimi non celebraverit cum eo, qui dictus est, modo, nimirum *cum oratione* 40 *horarum numquam intermissa* » (Decr. 13 Sept. 1672. N. 7).

296. Cum autem praefatae S. Congregationi innotuerit, in nonnullis ecclesiis Italiae, praecipue vero in regno utriusque Siciliae, Orationem quadraginta Horarum noctis tempore intermitti, orta dubitatio est:

An visitantes augustissimum Eucharistiae Sacramentum *modo supra memorato expositum* indulgentiam consequi valeant, cum in Brevibus pro ecclesiis Italiae hactenus expeditis, exposita sint verba: *Orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem interpolatarum?* — Re mature perpensa, eadem S. C. declaravit: *Indulgentiam ita lucrari minime posse* (Decr. 28. Nov. 1724. N. 87).

297. At, ne in posterum Christifideles tanto coelestium donorum bono careant, S. Congregatio censuit in illis ecclesiis, in quibus rationabili de causa Oratio 40 Horarum noctu intermitti consuevit, indulgentia deinde concedatur ea conditione adjecta, ut nonnisi noctis tempore, nempe *ab hora vigesima quarta usque ad auroram diei immediate sequentis* saepe dicta Oratio interpoletur... Quod votum Sanctitas Sua benigne approbavit, et mandavit, ut de ea re Episcopi certiores fierent, ut quisque suarum Ecclesiarum indigentiae omni, qua decet, prudentia ac diligentia con-

suleret, curando, ut *nova Brevia* desuper opportuna expediantur (Decr. eod.).

298. Etiam Benedictus XIV, de eadem Oratione 40 Horarum loquens, ait: Equidem, veteris disciplinae severitate remissa, *nunc eadem indulgentia* (plenaria) *concedi intelligitur,* etiamsi Sacramentum Eucharistiae per horas quadraginta continuas gravissimis de causis minime prostet, modo tamen horis diurnis semper expositum relinquatur (Epist. *Accepimus,* 16 Apr. 1746 ad Episcop. Wormatien., Gardellini, Instr. Clement. § XXX. 6)..

299. Exinde Gardellini loc. cit. conatur ostendere, huiusmodi indulgentiae ampliationem non limitari ad ecclesias tantummodo dioecesis Wormatiensis, in quarum favorem indultum datum fuit, *sed esse universalem,* et extendi etiam ad ecclesias Urbis, si detur casus, quod gravissimis de causis nocte recondatur Sacramentum.

Sed licet huiusmodi ampliatio tamquam generalis habenda non foret, certum est tamen benignitate Apostolicae Sedis ad preces Ordinariorum facile indulgentiam impertiri.

300. Quinimo etiam *pro expositione minus solemni* SS. Corporis Christi progressu temporis nonnullae indulgentiae interdum datae sunt. Quin etiam paulatim usus invaluit aliquas indulgentias *numquam denegandi, sed recurrendum in casibus particularibus* (Decr. 23 Martii 1711. N. 6).

Et revera pro singulis casibus indulgentiae datae sunt pro expositione venerabilis Eucharistiae Sacramenti, *licet minus solemni, scilicet absque 40 horarum non intermissa Oratione;* prius quidem moderate, postea vero etiam plenaria indulgentia quibusdam concessa est (Cf. Rescr. auth. NN. 13. 83. 84).

301. Sacrae Congregationi Indulgentiarum sequens dubium propositum fuit solvendum:

Quando propter gravem causam *accidentalem* Ordinarius praecipit vel approbat Orationem quadraginta Horarum dictam, possuntne fideles indulgentiam plenariam lucrari, positis de iure ponendis ?

S. C. respondit: *Negative* (Decr. 20 Junii 1836. N. 257).

302. Pro acquirenda indulgentia visitantibus SS. Sacramentum publicae adorationi expositum concessa, sufficit semel tantum ecclesiae visitationem implere (Cf. Decr. 19 Jan. 1756. N. 198).

45. Visitatio SS. Sacramenti expositi in hebdomada Septuagesimae et in subsequentibus usque ad diem Cinerum.

303. Pro avertendis Christifidelibus tempore bacchanalium ab operibus carnis et convertendis ad opera spiritus, salutari consilio jamdiu a piis fidelibus instituta est tum Romae tum alibi publica adoratio SS. Sacramenti *in forma 40 horarum* per tres dies sive in hebdomada Septuagesimae, sive in altera Sexagesimae, aut Quinquagesimae ante diem Cinerum. Jam vero ex concessione Summorum Pontificum *omnes ecclesiae ubicumque locorum existentes,* ubi Venerabilis expositio sive in hebdomada Septuagesimae, sive Sexagesimae, aut Quinquagesimae, sive in singulis praedictis hebdomadis per tres dies, atque etiam *si tantummodo in feria V* infra hebdomadam Sexagesimae peragatur, ditatae sunt

Indulgentia plenaria lucranda ab universis Christifidelibus confessis et sacra Communione refectis, qui easdem ecclesias in uno ex praedictis diebus expositionis visitaverint, ibique oraverint pro concordia inter principes christianos, extirpatione haeresum, et exaltatione S. Matris Ecclesiae (Decr. Urbis et Orbis, 23 Julii 1765, apud Rescr. auth. N. 229; *Raccolta,* pag. 88).

Quoad hanc expositionem notentur sequentia, quae ex dictis sponte fluunt:

1. Non est necessarium ut SS. Sacramentum sit expositum per 40 horas. Sufficit, ut expositio fiat *ad formam 40 horarum,* ita ut ad tertium usque diem protrahatur, licet nocte recondatur.

2. Imo sufficit, ut expositio fiat solummodo feria quinta intra hebdomadam Sexagesimae (vulgo *Giovedì grasso*) per sex vel septem circiter horas tum ante tum post meridiem.

3. Plenaria indulgentia dumtaxat concessa est, non vero partiales toties quoties lucrandae, prout in oratione 40 horarum.

4. Privilegium altaris non est concessum pro hac expositione.

46. Visitatio SS. Sacramenti in solemni expositione Feria V et VI majoris hebdomadae.

304. Christifideles devote visitantes, *feria V et VI majoris hebdomadae,* augustissimum Eucharistiae Sacramentum publicae fide-

lium adorationi expositum, quod vulgo *Sepulchrum* nominatur, ibique per aliquod temporis spatium orantes ad intentionem Summi Pontificis, ex concessione Pii PP. VII easdem lucrantur indulgentias, quae fuerunt elargitae visitantibus *Sanctissimum* solemniter expositum *in forma 40 horarum*, videlicet:

Indulgentiam plenariam, dummodo sint contriti et confessi, et ad sacram Communionem accesserint vel in ipsa feria V in Coena Domini, vel die Paschatis;

Indulgentiam decem annorum totidemque quadragenarum pro qualibet alia visitatione, ut supra peracta, cum firmo proposito confitendi (Rescript. S. C. I., 7 Martii 1815; *Raccolta,* pag. 99).

Quia de *Sepulchro* in Coena Domini hic mentio facta est, notamus:

1. Altare, in quo feria V majoris hebdomadae publicae adorationi exponitur augustissimum Sacramentum, licet in capsa reconditum, *non esse repraesentativum sepulturae Domini, sed institutionis* ejusdem augustissimi Sacramenti.

2. Quoties Decreta Sacrae Rituum Congregationis nominant *Sepulchrum* vel *locum Sepulchri* idem altare, vulgari tantum denominatione uti voluisse, quin illud designaverit ut repraesentativum Dominicae sepulturae.

3. Praeter lumina et flores, non licere ad exornandum praedictum altare adhibere Crucem cum panno funereo, vel Christi demortui effigiem, vel scenicas decorationes, statuas, nempe beatissimae Virginis, S. Joannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et militum custodum, picturas, arbores, aliaque ejusmodi, et flores ipsos non disponendos esse, ac si altare esset in viridario (Decr. S. R. C., 14 Maji 1887, apud Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 602).

47. Pium exercitium in Feria V majoris hebdomadae, in festo Corporis Domini, et in aliis feriis quintis infra annum.

305. Pius PP. VII concessit omnibus Christifidelibus, qui sive publice sive privatim *feria V in Coena Domini* aliquod pium exercitium *per unam horam* peregerint in memoriam institutionis SS. Sacramenti,

Indulgentiam plenariam, dummodo sint vere contriti, atque praedicto die, vel in uno subsequentis hebdomadae ad Confessionem et Communionem accedant;

Item *Indulgentiam plenariam,* iisdem conditionibus servatis, in festo *Corporis Domini;*

Indulgentiam tercentum dierum in singulis aliis quintis feriis infra annum, peragendo corde saltem contrito et devote praedictum pium exercitium (Rescript. ex Secretaria Memorialium, 14 Febr. 1815, et 6 Apr. 1816; *Raccolta,* pag. 98).

Omnes enuntiatae indulgentiae confirmatae sunt a Summo Pontifice Pio IX (Rescript. S. C. I., 16 Junii 1876; *Raccolta,* pag. 99).

48. Comitatus SS. Viatici.

306. *Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum* concessa est iis omnibus, qui cum luminibus vel cereo accenso comitaverint SS. Sacramentum, dum *pro Viatico* ad infirmos defertur; orando juxta ordinarias intentiones Summi Pontificis;

Indulgentia quinque annorum et quinque quadragenarum iis, qui idem SS. Viaticum comitantur sine lumine.

Indulgentia trium annorum totidemque quadragenarum iis, qui legitime impediti, aliam vice sua personam miserint ad associandum cum lumine SS. Sacramentum.

Indulgentia centum dierum illis omnibus, qui legitime impediti, nequeunt personaliter comitari SS. Viaticum, si tunc recitaverint unum *Pater noster* et unum *Ave Maria* juxta intentionem Summi Pontificis.

Descriptae indulgentiae jam antea partim concessae a Paulo V, 5 Nov. 1606, et ab Innocentio XI, 1 Octob. 1688, fuerunt confirmatae et ampliatae ab Innocentio XII, Constit. *Debitum Pastoralis Officii,* 5 Jan. 1695 (*Raccolta,* pag. 87).

49. Adoratio SS. Sacramenti ad Missae elevationem.

307. Gregorius PP. XIII omnibus Christifidelibus, qui genuflexi oraverint sive domi, sive in agro, sive in viis, sive in quocumque alio loco, dum datur signum elevationis SS. Sacramenti in Missa conventuali vel parochiali, concessit

Indulgentiam unius anni qualibet vice;

Indulgentiam duorum annorum quoties in hunc finem se conferentes ad ecclesiam, ibi indicato tempore SS. Sacramentum adorabunt (Constit. *Ad excitandum,* die 10 Apr. 1580; *Raccolta,* pag. 84).

50. Communio frequens.

308. Ex concessione Gregorii XIII, fideles qui confessi sacram Synaxim receperint diebus festis, orando pro Summo Pontifice, lucrantur

Indulgentiam quinque annorum.

Illi autem, qui consueverint ad sacram Communionem accedere semel saltem in mense, et in Solemnitatibus Domini nostri Jesu Christi, et in festivitatibus B. Virginis, omnium SS. Apostolorum, ac in Nativitate S. Joannis Baptistae, consequuntur

Indulgentiam decem annorum qualibet vice;

Indulgentiam plenariam semel in anno ea die, qua celebratur festum principale civitatis vel terrae, sive loci, in quo reperiuntur, dummodo confessi et sacra Communione refecti, orent ut supra pro Summo Pontifice (Constit. *Ad excitandum* 10 Apr. 1580; *Raccolta,* pag. 85).

§ VI.

JESUS CRUCIFIXUS.

51. Vexilla Regis prodeunt.

309. SS. D. N. Leo PP. XIII omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devoto recitaverint praefatum *hymnum,* concessit

Indulgentiam centum dierum, semel in die (Rescr. 16 Jan. 1886; *Raccolta,* pag. 147 etc.).

Penultima stropha ita se habet:

O Crux, ave, spes unica,
Gentis redemptae gloria! (1)
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

---

(1) In locum huius versus dicatur:

Tempore Passionis: *Hoc Passionis tempore!*

Tempore Paschali: *Paschale quae fers gaudium!*

In festo Exaltationis S. Crucis (14 Sept.): *In hac triumphi gloria!* (*Raccolta,* loc. cit.).

52. Oratio: En ego, o bone et dulcissime Jesu.

310. En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos Fidei, Spei et Charitatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere: dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat tuo David propheta de te, o bone Jesu: *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea* (Psal. 21, v. 17 et 18).

311. Summus Pontifex Pius IX per decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 31 Julii 1858, inhaerens decretis alias a nonnullis suis praedecessoribus emanatis, de novo confirmavit

Indulgentiam plenariam a Clemente VIII et Benedicto XIV concessam et a Pio VII et Leone XII confirmatam, omnibus Christifidelibus, qui praedictam orationem in honorem Jesu crucifixi recitabunt.

312. *Conditiones ad eam lucrandam.* Conditiones pro acquirenda praefata indulgentia plenaria indicantur in citato decreto diei 31 Julii 1858, ubi dicitur: Praememoratam indulgentiam plenariam lucrari ab iis utriusque sexus Christifidelibus, qui *vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti,* dictam Orationem *En ego etc.* quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, *ante quamcumque sanctissimi Crucifixi imaginem* devote recitaverint, ac insuper *per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint* (Decr. auth. N. 386; *Raccolta*, pag. 139).

313. Ad notitiam scire praestat, quod per decretum diei 10 Aprilis 1821 a Pio VII, recitantibus orationem *En ego,* non modo concessa erat *plenaria indulgentia,* verum etiam liberatio unius animae a Purgatorii poenis. Verum, per decretum Leonis XII diei 17 Septembris 1825, confirmatur praefata indulgentia, sed loco *praedictae liberationis* additum est: *cum facultate eamdem indulgentiam in suffragium defunctorum fidelium applicandi* (Decr. 28 Sept. 1838. N. 264 ad 2^{m}).

314. Notare etiam volumus, quod ad lucrandam indulgentiam Orationi *En ego* adnexam, primitus praescribebatur tantum Sacramentorum susceptio, Orationisque coram Crucifixo recitatio (Decr. 25 Sept. 1841. N. 293).

Verum ad diluenda dubia quae ad S. Congregationem Indulgentiarum saepe deferebantur *circa conditiones adimplendas pro acquisitione memoratae indulgentiae plenariae,* ipsa S. Congregatio censuit consulendum Summum Pontificem Pium IX, ut declarare dignaretur *singulas conditiones*, quae sunt a fidelibus adimplendae pro eadem indulgentia assequenda. Et Pontifex, ut vidimus, praeter *Confessionem* et *Communionem,* praescripsit etiam ut *per aliquod temporis spatium oretur juxta mentem Sanctitatis Suae.*

Praefata indulgentia plenaria Orationi *En ego* adnexa, a Sacerdotibus qui *hebdomadalem Confessionem peragere solent*, facillime *quotidie* acquiri potest post Sacrum celebratum, ut per se patet.

315. Circa finem Orationis *En ego* nonnulla verba diversimode leguntur. In aliquibus enim libris legitur: *quod jam in ore suo ponebat;* in aliis vero, *in ore tuo.* Super re quaesitum est: Utrum dicendum sit in oratione praefata *ore tuo,* an vero *suo?*

S. Congregatio Indulg. die 29 Martii 1894 respondit: *Standum omnino textui Collectionis authenticae editae Romae anno* 1886. (Nouvel. Rev. Théol. tom. XXVI, p. 388).

In textu Collectionis seu *Raccolta* legitur *tuo,* et ideo huic lectioni standum est.

316. Praedicta indulgentia plenaria orationi *En ego* adnexa, semel tantum in die lucrari potest. Sacrae Congregationi Indulgentiarum sequens dubium propositum fuit solvendum:

An Sacerdotes qui *binas Missas* eodem die celebrare debent, bis quoque plenariam indulgentiam lucrari valeant, quae adnexa est Orationi: *En ego, o bone et dulcissime Jesu etc.,* eam post utramque Missam recitando?

S. Congregatio die 20 Junii 1892 relato dubio respondit:

Detur Decretum Urbis et Orbis d. d. 7 Martii 1678; ideo negative. Decretum enim *Delatae saepius,* ad quod S. Congregatio remittit, declarat: *Semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri* (Vid. Nouvel. Rev. Théol. tom. 24, pag. 481).

53. ORATIO: Deus, qui pro redemptione mundi.

317. Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari, tu Domine, per has sanctissimas poenas tuas quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam, libera me a poenis inferni et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Quinque *Pater, Ave* et *Gloria.*

Summus Pontifex Pius VII iis fidelibus, qui corde saltem contrito et devote recitaverint descriptam *orationem* cum quinque *Pater, Ave* et *Gloria,* elargitus est

Indulgentiam tercentum dierum, semel in die;

Indulgentiam plenariam in uno (ad libitum) ex tribus ultimis mensis diebus, ab iis omnibus acquirendam, qui, ut supra, quotidie per mensem eam recitaverint, dummodo vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, per aliquod temporis spatium devote oraverint juxta intentionem Sanctitatis Suae (Decr. 25 Aug. 1820; *Raccolta,* pag. 136).

54. INVOCATIO: Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae, vicit Leo de tribu Juda, radix David. Alleluja.

318. Hujusmodi invocatio ex Breviario Romano desumpta, a S. Antonio Patavino crebro, ut fertur, usurpabatur, et a Sixto V ad basim obelisci S. Petri fuit inscripta.

Leo PP. XIII per Rescriptum S. C. Indulgentiarum, die 21 Maji 1892, omnibus Christifidelibus praedictam invocationem corde saltem contrito et devote recitantibus, benigne concessit

Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam; quam indulgentiam eadem Sanctitas Sua etiam animabus igne Purgatori detentis applicabilem declarare dignata est (Nouv. Rev. Théol tom. XXIV, pag. 370).

55. JACULATORIA: **Salvator mundi, miserere nobis.**

319. Haec brevissima oratio ordinarie reperitur scripta sub Imagine SS. Salvatoris, quae Romae colitur in celebri Sanctuario *Sancta sanctorum* nuncupato.

Ex concessione Leonis PP. XIII fideles dictam precem jaculatoriam corde saltem contrito ac devote recitantes lucrantur

Indulgentiam quinquaginta dierum semel tantum in die, defunctis quoque applicabilem (Rescr. S. C. Indulg. die 21 Febr. 1891 Acta Ord. Min. anno X, pag. 108).

56. INVOCATIONES AD CRUCEM S. THOMAE AQUINATIS.

320. Crux mihi certa salus.
Crux est quam semper adoro.
Crux Domini mecum.
Crux mihi refugium.

Summus Pontifex Pius IX omnibus Christifidelibus, corde saltem contrito et devote recitantibus hujusmodi *Invocationes,* quas Angelicus Doctor S. Thomas expresserat in forma crucis (in suo Conventu prope Anagniam) concessit

Indulgentiam tercentum dierum semel in die (Rescript. autograph. 21 Jan. 1874; *Raccolta,* pag. 142).

57. JACULATORIA: **Adoramus te.**

321. Adoramus te, sanctissime Domine Jesu Christe, benedicimus tibi; quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum

Ex concessione Summi Pontificis Leonis XIII fideles recitantes corde saltem contrito et devote praefatam orationem jaculatoriam lucrantur

Indulgentiam centum dierum semel in die (Rescript. S. C. I 4 Martii 1882; *Raccolta,* pag. 143).

58. Devotum exercitium die Veneris in memoriam agoniae D. N. J. C.

322. Introducta pluribus in locis pia praxi aliquod devotum exercitium peragendi ea die et hora, quae nobis in mentem revocant id, quod pro nobis passus est Dominus noster Jesus Christus, Summus Pontifex Benedictus XIV voluit, ut talis devotio in perpetuum et modo uniformi coleretur in toto Orbe catholico. Hinc Superioribus singularum ecclesiarum virtute sanctae obedientiae praecepit, ut in omnibus sextis feriis hora tertia post meridiem campanam pulsari facerent, concedens omnibus fidelibus, qui tunc flexis genibus devote recitaverint *quinque Pater* et *Ave,* orando pro concordia inter principes christianos, pro extirpatione haeresum, exaltatione S. Matris Ecclesiae, et peccatorum conversione,

Indulgentiam centum dierum (Breve *Ad Passionis,* 13 Decemb. 1740; *Raccolta,* pag. 121).

Cum autem postea invaluerit Romae consuetudo dandi diebus veneris signum Agoniae divini Redemptoris hora 21 juxta horologium italicum, nempe tribus horis ante *Ave Maria* de sero, et dubium exortum fuerit, an Benedicti XIV praescriptioni, vel dictae consuetudini standum foret, S. Congregatio Indulgentiarum declaravit, standum esse consuetudini Urbis (Decr. 24 Sept. 1838; *Raccolta,* ibid.).

Attamen in iis locis, in quibus viget *in bona fide* consuetudo pulsandi campanam alia hora ad commemorandam Agoniam Domini, ex concessione Summi Pontificis Leonis XIII possunt fideles lucrari supradictam indulgentiam, dummodo recitent, ut supra, *quinque Pater* et *Ave,* et adimpleant ceteras conditiones praescriptas (Rescript. S. C. I., 15 Maji 1886. Loc. cit.).

§ VII.

SANGUIS PRETIOSISSIMUS D. N. J. C.

59. Indulgentiae pro mense pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

323. Ex concessione Summi Pontificis Pii IX, quicumque devote adstiterit *pio exercitio Mensis in honorem divini Sanguinis* aliqua in ecclesia vel oratorio *publico, quilibet sit dies anni, quo incipit,* lucratur quotidie

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarun

Qui *per decem vices* id peregerit (nempe praefato pio exercitio deci(interfuerit)

Indulgentiam plenariam consequetur, dummodo intra mensen *vel uno ex septem diebus immediate sequentibus,* confessus (sacra Communione refectus aliquam ecclesiam vel publicum or: torium visitaverit, ibique per aliquod temporis spatium ad menter Sanctitatis Suae devote oraverit.

Similiter, qui *private* piis precibus ac virtutum actibus, quocumqu tempore infra annum, dictum pium exercitium peregerit, et sic divinu: Sanguinem honoraverit

Indulgentiam tercentum dierum quotidie consequetur.

Quod si per mensem id fecerit, lucratur

Indulgentiam plenariam, adimpletis supra positis conditi(nibus, vel *ultimo die, nempe die trigesima, vel aliquo ex septe: sequentibus* (Decr. 4 Junii 1850, apud Rescr. auth. Summ. 4! pag. 353; *Raccolta,* pag. 164).

Collige: a) Pro pio exercitio in honorem divini Sanguinis *nc esse determinatum mensem,* sed huius electionem cujuslibet arbitr esse relictam.

b) Non esse necessarium ut quis pium exercitium incipi: a prima die alicujus mensis, sed sufficere illud peragere per tı ginta dies continuos, quocumque die mensis incipiatur.

c) Confessionem, Communionem etc. ad lucrandam indulge: tiam *plenariam* fieri posse *in uno ex septem diebus* post menser sive post triginta dies.

60. Festum pretiosissimi Sanguinis.

324. Prima Dominica Julii, in qua festum pretiosissimi Saı guinis celebratur, et feria VI post quartam Dominicam quadrag simae, in qua fit officium ejusdem divini Sanguinis, ex concessio: Pii PP. IX omnes Christifideles, qui vere contriti, confessi et sacı Communione refecti visitabunt ecclesiam Archiconfraternitatis, v aliam ecclesiam sive publicum oratorium, in quo canonice erec fuerit Confraternitas pretiosi Sanguinis, vel aliam quamcumq ecclesiam Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis, ibique per aliquc temporis spatium orabunt ad intentionem Summi Pontificis, lucrantı

Indulgentiam plenariam, quae acquiri potest incipiendo à primis Vesperis praedictarum festivitatum (Decr. 4 Junii 1850; *Raccolta,* pag. 165; Rescr. auth. pag. 554).

61. Corona pretiosissimi Sanguinis.

325. In recitatione hujus coronae contemplantur septem mysteria pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., videlicet *effusiones Sanguinis* 1° in ejus Circumcisione, 2° in horto olivarum, 3° in flagellatione, 4° in coronatione spinarum, 5° in ascensione ad Calvariae montem gravissimo crucis ligno onustus, 6° in crucifixione, 7° in sacri lateris apertione post mortem per lanceam militis.

Haec corona, *prout habetur in Raccolta,* septem partibus constat, in quarum singulis, praemissa devota consideratione italico idiomate exarata, recitantur *quinque Pater* et *unum Gloria Patri,* ultima parte excepta, in qua *tria Pater* tantum recitantur ad complendum numerum 33, cum *Gloria Patri.*

Pius PP. VII Christifidelibus corde saltem contrito et devote dictam coronam recitantibus concessit

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel in die lucrandam;

Indulgentiam plenariam semel in mense iis, qui spatio unius mensis eam quotidie recitaverint, ea die acquirendam, in qua confessi et sacra Communione refecti, preces pro S. Ecclesia etc. effuderint (Rescript. 18 Oct. 1815).

Verum, Gregorius XVI praefatas indulgentias concessit omnibus iis fidelibus, qui recitabunt *triginta tria Pater noster* dumtaxat, recogitando interim supradicta mysteria, nempe septem effusiones pretiosi Sanguinis; ac insuper declaravit, personas idiotas, ineptas scilicet ad hujusmodi considerationes perficiendas, lucrari posse easdem indulgentias sola recitatione 33 *Pater noster* (Rescript. S. C. I. 5 Julii 1843; *Raccolta,* pag. 157; Rescripta auth. pag. 552, 111).

Praedictae indulgentiae sunt adnexae *immediate* recitationi 33 *Pater noster.* Quare ad eas lucrandas non est necessarius usus coronae materialis. Quod si haec adhibeatur, haud requiritur ut sit benedicta. Id clare eruitur ex ipsa *Raccolta.*

§ VIII.

SACRATISSIMUM COR JESU.

62. Jaculatoria.

326. Ubique ametur sacratissimum Cor Jesu.

Amato sia da per tutto il sacro Cuore di Gesù.

Recitantes corde saltem contrito et devote hujusmodi Jaculatoriam lucrantur ex concessione Summi Pontificis Pii IX

Indulgentiam centum dierum semel in die (Rescript. autogr 23 Sept. 1860; *Raccolta*, pag. 180).

63. Jaculatoria.

327. Jesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum.

Christifidelibus corde contrito et devote recitantibus hanc Jaculatoriam a Summo Pontifice Pio IX concessa est

Indulgentia tercentum dierum semel in die (Rescript. autogr. 25 Jan. 1868; *Raccolta*, pag. 181).

64. Jaculatoria.

328. Laudetur, adoretur, ametur et glorificetur omni momento Cor eucharisticum Jesu, in omnibus tabernaculis mundi, usque ad consummationem saeculorum. Amen.

Lodato, adorato, amato e ringraziato sia ad ogni istante il Cuore eucaristico di Gesù, in tutti i tabernacoli del mondo, sino alla consumazione de' secoli. Così sia.

Ex concessione Summi Pontificis Pii IX, fideles recitantes corde saltem contrito et devote praedictam Jaculatoriam consequuntur

Indulgentiam centum dierum semel in die (Rescript. autogr. 29 Febr. 1868; *Raccolta*, pag. 181).

65. Oratio jaculatoria.

329. Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore tui.

Per Rescriptum de dato 16 Julii 1893 ex Secretaria S. Congregationis Indulg. Summus Pontifex Leo XIII omnibus Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus supradictam jaculatoriam precem, benigne concessit

Indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam (Acta S. Sed. vol. XXVI, pag. 252; Acta Ord. Min. ann. XII pag. 223).

66. Oratio jaculatoria.

330. Dulcissime Jesu, da mihi fidei, spei et charitatis augmentum, cor contritum et humiliatum.

S. Congregatio Indulgentiarum utendo facultatibus a Summo Pontifice Leone XIII sibi specialiter tributis, Christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus suprameraoratam Jaculatoriam in honorem SS. Cordis Jesu, concessit

Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem (Rescr. 13 Sept. 1893; Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 19).

67. Oratio jaculatoria.

331. Cor dulcissimum mei Jesu,
Fac, ut semper plus te amem.
Dolce Cuor del mio Gesù,
Fa, ch' io t' ami sempre più.

Ex concessione Summi Pontificis Pii PP. IX recitantes corde saltem contrito et devote hanc precem jaculatoriam lucrantur qualibet vice

Indulgentiam tercentum dierum;

Indulgentiam plenariam semel in mense ii omnes, qui quotidie eamdem precem recitare consueverint, acquirendam in una die ad libitum eligenda, in qua vere contriti, confessi et sacra Communione refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ad intentionem Summi Pontificis devote oraverint (Rescriptum S. C. I. 26 Nov. 1876; *Raccolta,* pag. 182).

68. Formula oblationis quotidianae ad SS. Cor Jesu.

332. Domine Jesu Christe, in unione illius divinae intentio nis, qua ipse in terris per sanctissimum Cor tuum laudes De persolvisti et nunc continenter in Eucharistiae Sacramento ubiqu terrarum persolvis usque ad consummationem saeculi, ego pe hanc diem integram, nulla nec minima quidem parte except ad imitationem sacratissimi Cordis B. Mariae semper Virgini Immaculatae, tibi libentissime offero omnes meas intention et cogitationes, omnes meos affectus et desideria, omnia me opera et verba.

Leo PP. XIII omnibus Christifidelibus, hujusmodi *formulam* cord saltem contrito et devote recitantibus, concedere dignatus est

Indulgentiam centum dierum semel in die (Rescript. S. (I., 19 Dec. 1885; *Raccolta,* pag. 189).

69. Indulgentiae pro mense Junio in honorem SS. Cordis Jesu.

333. Laudabilis exorta est et multis in locis invaluit co suetudo, qua integer mensis Junius quotidianis devotionis exerciti dulcissimo Cordi Jesu consecratur. Unde factum est, ut plurimoru fidelium supplicationes porrectae fuerint Summo Pontifici Pio PP. I ut pia haec exercitia peragentibus sacrarum indulgentiarum muner concedere dignaretur.

Sanctitas Sua petitionibus hujusmodi benigne exceptis, ut mag magisque injuriae divino Redemptori, in praesenti potissimum r rum ac temporum discrimine illatae reparentur, per Decretum C. I. diei 8 Maji 1873 universis Christifidelibus, qui sive public sive privatc peculiaribus precibus et devoti animi obsequiis in h norem SSmi Cordis Jesu per integrum mensem Junii quotidie cord saltem contrito vacaverint, peramanter impertitus est

Indulgentiam septem annorum semel in singulis dicti mens diebus lucrandam;

Indulgentiam plenariam in una praefati mensis die ab un quoque eligenda, in qua vere poenitentes, confessi, ac sacra Con

munione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint (Rescr. auth. N. 409; *Raccolta,* pag. 182).

70. Visitatio imaginis SS. Cordis Jesu.

334. Ad augendam devotionem erga sacrum Cor Jesu, Summus Pontifex Pius VI impertitus est

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum omnibus iis fidelibus, qui corde saltem contrito et devote visitant Imaginem S. Cordis Jesu, publicae venerationi expositam in qualibet ecclesia, oratorio vel altari, ibique per aliquod temporis spatium orando juxta mentem Summi Pontificis (Per Rescript. Nuntii Apostolici in civit. Florent., 2 Jan. 1799; *Raccolta,* pag. 167).

Verum « Imaginibus Redemptoris, *in quibus SS. Cordis Jesu imago extrinsecus non appareat,* applicari non potest concessio indulgentiae a Pio PP. VI facta pro qualibet oratione, quae fiat coram imagine aliqua SS. Cordis Jesu publicae venerationi exposita (Decr. 12 Jan. 1878. N. 436).

Obiter notamus, imagines sacri Cordis Jesu, *solum Cor exhibentes absque reliquo corpore,* privata ex devotione permitti, dummodo in altaribus publicae venerationi colendae non exponantur (Congr. S. O. 26 Aug. 1891; Analect. ecclesiast. anno 3 [1895], pag. 12).

71. Novena in honorem SS. Cordis Jesu.

335. Christifideles corde contrito et devote peragentes *tum occasione festi S. Cordis Jesu, tum alia vice ad libitum infra annum,* preces novendiales in honorem S. Cordis Jesu, compositas a P. Borgo S. J., ex concessione Pii PP. VII lucrantur

Indulgentiam tercentum dierum qualibet die;

Indulgentiam plenariam die, qui Novenae immediate succedit, vel in alio infra octavam, dummodo confessione peracta, et Communione suscepta, orent pro consuetis finibus (Rescr. S. C. I. 13 Jan. 1818).

Pius PP. IX indulsit, ut pro acquirendis praefatis indulgentiis recitari possit quaecumque alia Novena ad libitum fidelium, in

locum novenae a laudato P. Borgo compositae (Rescript. S. C. I. 26 Nov. 1876; *Raccolta,* pag. 174).

72. Altera Novena in honorem ejusdem SS. Cordis.

336. Pius PP. IX concedere dignatus est omnibus fidelibus, qui corde saltem contrito et devote peregerint *quolibet tempore infra annum* Novenam in honorem SS. Cordis Jesu, editam a Sacerdote Josepho M. Falcone Congregationis Missionum,

Indulgentiam tercentum dierum, quolibet die;

Indulgentiam plenariam, lucrandam vel novendialium decursu, vel in uno ex octo diebus, qui immediate Novenam subsequuntur; servatis ut supra conditionibus, quae sunt Confessio, Communio et preces ad intentionem Summi Pontificis (Rescript. dat. Cajetae 5 Jan. 1849, et Rescript. S. C. Epp. et RR. 28 Jan. 1850).

Idem Pontifex annuere dignatus est, ut dictae indulgentiae lucrentur etiam ab iis, qui Novenam faciunt *quacumque alia formula orationis,* dummodo sit approbata a legitima auctoritate ecclesiastica (Rescript. S. C. I. 26 Nov. 1876; *Raccolta,* pag. 179).

Tres igitur Novenae cum jure descriptas indulgentias lucrandi fieri possunt per annum *in honorem SS. Cordis Jesu:* duae ex concessione Pii PP. VII; una ex concessione Pii PP. IX. Ex his tribus novendialibus, una pro occurrentia festi ejusdem SS. Cordis praefinita est; ceterae peraguntur infra annum *ad libitum.*

In primaevis concessionibus forma precum erat praescripta; hanc praescriptionem sustulit Pius IX, proindeque liberum cuique est formam precum sive libellum seligere pro dictis novendialibus peragendis, dummodo idem libellus sive formula precum sit approbata ab auctoritate ecclesiastica.

Indulgentiae tam partiales quam plenariae sunt eaedem pro qualibet ex tribus novendialibus. Quoad tempus lucrandi *plenariam* in eo differunt, quod juxta Rescriptum Pii VII ea acquiritur infra octavam post expletas novendiales preces; juxta concessionem Pii IX *plenaria* indulgentia lucrari potest non solum infra dictam octavam post Novenam, sed etiam perdurante Novena.

73. Festum SS. Cordis Jesu.

337. **Omnibus Christifidelibus, qui vere contriti, confessi et sacra Communione refecti visitant aliquam ecclesiam vel publicum oratorium, ubi ce-**

lebratur festum SS. Cordis, ibique preces effundunt ad intentionem Summi Pontificis, a Pio PP. VII concessa est

Indulgentia plenaria.

Idem Pontifex concessit etiam facultatem transferendi praedictum festum, cum licentia tamen Ordinarii loci, ad alium quemcumque anni diem (Rescript. Secret. Memorialium 7 Julii 1815; *Raccolta,* pag. 178).

§ IX.

PRECES SPECIALES PRO DETERMINATIS FINIBUS VEL SUBJECTIS.

74. Laudes ad reparandas blasphemias.

338. Benedictus sit Deus.
Benedictum Nomen sanctum suum.
Benedictus Jesus Christus verus Deus et verus Homo.
Benedictum Nomen Jesu.
Benedictus Jesus in sanctissimo Sacramento Altaris.
Benedicta excelsa Mater Dei Maria sanctissima.
Benedicta ejus sancta et immaculata Conceptio.
Benedictum nomen Mariae Virginis et Matris.
Benedictus Deus in suis Angelis et in suis Sanctis.

Dio sia benedetto.
Benedetto il suo santo Nome.
Benedetto Gesù Cristo vero Dio e vero Uomo.
Benedetto il Nome di Gesù.
Benedetto Gesù nel santissimo Sacramento dell' Altare.
Benedetta la gran Madre di Dio Maria santissima.
Benedetta la sua santa ed immacolata Concezione.
Benedetto il nome di Maria Vergine e Madre.
Benedetto Iddio nei suoi Angeli e nei suoi Santi.

Pius PP. VII, per Rescriptum Emi Card. Vicarii, die 23 Julii 1801, omnibus Christifidelibus corde contrito et devote recitantibus descriptas *Laudes* concessit

Indulgentiam unius anni qualibet vice.

Pius PP. IX, Decreto S. Congregationis Indulg. 8 Augusti 1847, concessit

Indulgentiam plenariam semel in mense, die ad arbitrium eligenda, omnibus fidelibus, qui semel saltem in die per integrum mensem dictas *Laudes* recitaverint, dummodo contriti, confessi ac sacra Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium oraverint ad intentionem Sanctitatis Suae (*Raccolta*, pag. 481).

75. Preces pro Summo Pontifice.

339. ℣. Oremus pro Pontifice nostro...

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Unum *Pater* et *Ave*.

Per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum, die 26 Novembris 1876, Pius PP. IX omnibus Christifidelibus, corde saltem contrito et devote recitantibus praedictum *versiculum* et *responsorium* cum uno *Pater* et *Ave* pro felici statu Summi Pontificis, concessit

Indulgentiam tercentum dierum semel in die;

Indulgentiam plenariam semel in mense iis, qui memoratas preces quotidie per unius mensis spatium recitaverint, lucrandam die ad arbitrium eligenda, dummodo contriti, confessi ac sacra Communione refecti, publicam ecclesiam visitaverint, ibique ad intentionem Summi Pontificis oraverint (*Raccolta*, pag. 513).

76. Oratio ad D. N. Jesum Christum pro Sacerdotibus et aliis in Sacris constitutis.

340. Jesu dilectissime, qui ex singulari benevolentia me prae millenis hominibus ad tui sequelam et ad eximiam Sacerdotii dignitatem vocasti, largire mihi, precor, opem tuam divinam ad officia mea rite obeunda. Oro te, Domine Jesu, ut resuscites hodie et semper in me gratiam tuam, quae fuit in me per impositionem manuum episcopalium. O potentissime

animarum medice, sana me taliter, ne revolvar in vitia; et cuncta peccata fugiam, tibique usque ad mortem placere possim. Amen.

Leo PP. XIII per Rescriptum S. C. I., die 14 Augusti 1884, omnibus *Sacerdotibus,* aliisque *in Sacris* constitutis, qui corde saltem contrito et devote recitaverint descriptam orationem, concessit

Indulgentiam tercentum dierum, semel in die (*Raccolta,* pag. 575).

77. Jaculatoria pro eisdem Sacerdotibus etc.

341. Bone Jesu, rogo te per dilectionem, qua diligis Matrem tuam, ut sicut vere eam diligis et diligi vis, ita mihi des, ut vere eam diligam.

Sacerdotes et alii *in Sacris* constituti, corde saltem contrito et devote hanc Jaculatoriam recitantes, ex concessione Leonis PP. XIII per Rescriptum S. C. I. diei 16 Augusti 1884, lucrantur

Indulgentiam centum dierum semel in die (*Raccolta,* pag. 576).

78. Oratio ad postulandam castitatem pro Clericis in Sacris.

342. Domine Jesu Christe, sponse animae meae, deliciae cordis mei, imo cor meum et anima mea, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut mihi des servare fidem a me tibi solemniter datam in receptione Subdiaconatus. Ideo, o dulcissime Jesu, abnegem omnem impietatem, sim semper alienus a carnalibus desideriis et terrenis concupiscentiis, quae militant adversus animam, et castitatem, te adjuvante, intemerate servem.

O sanctissima et Immaculata Maria, Virgo virginum et Mater amantissima, munda in dies cor meum et animam meam, impetra mihi timorem Domini et singularem mei diffidentiam.

Sancte Joseph, Custos virginitatis Mariae, custodi animam meam ab omni peccato.

Omnes sanctae Virgines, divinum Agnum quocumque sequentes, estote mei peccatoris semper sollicitae, ne cogitatione,

verbo, aut opere delinquam et a castissimo corde Jesu unquam discedam. Amen.

Omnibus *ecclesiasticae militiae* addictis et *in sacris Ordinibus* jam constitutis, corde saltem contrito ac devote recitantibus praefatam Orationem, Leo XIII per Rescriptum S. C. I. die 16 Martii 1889 concessit

Indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam (Nouv. Rev. Théol. tom. XXI, p. 479).

79. Preces pro Sacerdotibus ante et post Missae celebrationem.

343. A) *Ante Missam.* Ex concessione Summi Pontificis Leonis XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum diei 20 Decembris 1884, Sacerdotes recitantes *in praeparationem sanctae Missae* Psalmos *Quam dilecta* 83; *Benedixisti* 84; *Inclina Domine* 85; *Credidi* 115; *De profundis* 129, cum adjectis Antiphona, Versiculis et Oremus, nec non unam ex Orationibus S. Ambrosii Episcopi diebus hebdomadae assignatis, lucrantur

Indulgentiam unius anni.

B) *Post Missam.* Item Sacerdotes recitantes *in gratiarum actionem* post celebrationem sanctae Missae Canticum trium puerorum *Benedicite,* et Psalmum *Laudate Dominum in sanctis ejus* 150, cum adnexis Antiphona, Versiculis et Oremus, nec non Orationes S. Thomae Aquinatis *Gratias tibi ago,* et S. Bonaventurae *Transfige,* acquirunt

Indulgentiam unius anni.

C) Insuper Sacerdotes recitantes *in praeparationem Missae* sequentes preces: 1. *Omnipotens sempiterne Deus* S. Thomae Aquinatis; 2. *Ad mensam dulcissimi convivii tui* S. Ambrosii; 3. *Angeli, Archangeli* etc. ad omnes Angelos et Sanctos; 4. *O sancte N. ecce ego miser peccator,* nempe ad Sanctum vel Beatum, de quo celebratur Missa. — Pariter Sacerdotes recitantes *in gratiarum actionem post Missam* has preces: 5. Rhythmum S. Thomae Aquinatis, *Adoro te devote, latens Deitas;* 6. Unam ex Orationibus S. Alphonsi de Ligorio quae diei assignato respondet; 7. Orationem ad B. V. Mariam, quae incipit: *O Maria, Virgo et Mater sanctissima*; pro qualibet ex praedictis orationibus, consequuntur

Indulgentiam centum dierum (Rescr. cit.; *Raccolta,* pag. 573).

Postremo Sacerdotes, qui omnes praefatas preces in A, B, C, descriptas, quotidie per mensem recitaverint, lucrantur in die ad arbitrium eligenda

Indulgentiam plenariam semel in mense (Rescr. cit. *Raccolta*, pag. 573).

Cum praedictae preces reperiantur in Missali Romano, Breviario, Diurnalibus, nec non in parvis libellis in usum Sacerdotum recenter editis, omittimus eas in extensum transcribere. Vide inter alias opellas, *Novum veni mecum Sacerdotum,* cura D. Adelmi Foppiano O. S. B., Romae, Typogr. de Propag. Fide 1886.

80. Oratio ad B. Virginem Mariam ante Missam.

344. O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu; et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori et Sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus adsistere digneris; ut tua gratia adjuti dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Sacerdotibus praedictam Orationem devote ante celebrationem Missae recitantibus Leo PP. XIII, Rescripto S. C. Indulg. diei 17 Februarii 1883, concessit

Indulgentiam centum dierum (*Raccolta,* pag. 529).

81. Oratio ad S. Joseph ante Missam.

345. O felicem Virum beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluerunt videre et non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

℣. Ora pro nobis, beate Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Deus, qui dedisti nobis regale Sacerdotium, praesta quaesumus, ut sicut beatus Joseph unigenitum Filium tuum na-

tum ex Maria Virgine suis manibus reverenter tractare meruit et portare, ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pius PP. IX, per Rescriptum S. C. Indulg. d. d. 4 Februarii 1877, omnibus Sacerdotibus, qui praefatam Orationem ante Missam recitaverint, concessit

Indulgentiam centum dierum (*Raccolta,* pag. 526).

82. Directio intentionis ante Missam.

346. Ego volo celebrare Missam et conficere Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae ad laudem omnipotentis Dei totiusque Curiae triumphantis, ad utilitatem meam totiusque Curiae militantis; pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, ac pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Ex concessione Gregorii PP. XIII omnes Sacerdotes peragentes ante celebrationem Missae enuntiatam *Declarationem* seu *directionem intentionis,* consequuntur

Indulgentiam quinquaginta dierum (*Raccolta,* pag. 523).

83. Oratio post Missam.

347. Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut Passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar: vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter: aspersio Sanguinis tui sit mihi ablutio omnium

delictorum meorum: mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Per Rescriptum S. C. Indulg. 11 Decembris 1846, Summus Pontifex Pius IX impertitus est

Indulgentiam trium annorum omnibus Sacerdotibus, qui post Missae celebrationem recitaverint dictam *Orationem* (*Raccolta*, pag. 524).

84. Preces post Missam privatam de mandato Summi Pontificis.

348. In fine cujuslibet Missae privatae de mandato SS. Domini nostri Leonis PP. XIII recitari debent *flexis genibus* alternatim cum populo *tria Ave Maria, Salve Regina* cum versu *Ora pro nobis* etc. nec non invocatio ad S. Michaelem Archangelum. Recitationi hujusmodi precum laudatus Pontifex dignatus est adnectere *Indulgentiam tercentum dierum* (S. R. C. Decr. 6 Jan. 1884, et 20 Aug. 1884 apud Nouv. Rev. Théol. tom. XVI, pag. 5 et 470).

85. Oratio a Sacerdote dicenda antequam Confessiones excipiat.

349. Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut sciam judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. Fac me ita tractare Claves regni coelorum, ut nulli aperiam cui claudendum sit, nulli claudam cui aperiendum sit. Sit intentio mea pura, zelus meus sincerus, charitas mea patiens, labor meus fructuosus. Sit in me lenitas non remissa, asperitas non severa, pauperem ne despiciam, diviti ne aduler. Fac me ad alliciendos peccatores suavem, ad interrogandos prudentem, ad instruendos peritum. Tribue, quaeso, ad retrahendos a malo solertiam, ad confirmandos in bono sedulitatem, ad promovendos ad meliora industriam: in responsis maturitatem, in consiliis rectitudinem, in obscuris lumen, in implexis sagacitatem, in arduis victoriam: inutilibus colloquiis ne detinear, pravis ne contaminer: alios salvem, meipsum non perdam. Amen.

Decreto S. C. Indulg. diei 27 Martii 1854, Pius IX omnibus Confessariis, qui corde saltem contrito et devote antequam fidelium confessiones excipiant supra dictam *Orationem* recitaverint, largitus est

Indulgentiam centum dierum semel in die (*Raccolta*, pag. 324).

86. Orationes a Sacerdote dicendae ante et post suam Confessionem sacramentalem.

Oratio ante Confessionem.

350. Suscipe confessionem meam, piissime ac clementissime Domine Jesu Christe, unica spes salutis animae meae; et da mihi, obsecro, contritionem cordis et lacrymas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate et puritate cordis. Domine Deus meus, suscipe preces meas. Salvator mundi, Jesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum; et si commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es Salvator meus, et miserere peccatrici animae meae. Solve vincula ejus, sana vulnera. Emitte igitur, piissime Domine, meritis purissimae et immaculatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae et Sanctorum tuorum, lucem tuam, veritatem tuam in animam meam, quae omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, de quibus confiteri me oportet, atque juvet et doceat ipsos plene et contrito corde explicare. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio post Confessionem.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis beatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae et omnium Sanctorum, grata et accepta ista confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis,

suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Omnibus Sacerdotibus, corde saltem contrito et devote recitantibus descriptas *Orationes*, Leo PP. XIII, per Rescriptum S. C. Indulg. die 19 Augusti 1882, concessit

Indulgentiam ducentum dierum (*Raccolta*, pag. 527 et sqq.).

87. Oratio pro agonizantibus.

351. O clementissime Jesu amator animarum, obsecro te, per agoniam cordis tui sanctissimi et per dolores Matris tuae Immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

℣. Cor Jesu in agonia factum. ℟. Miserere morientium.

Ut fideles excitentur ad orandum, etiam pluries in die, pro iis qui in agonia versantur, Summus Pontifex Pius IX benigne concessit

Indulgentiam centum dierum toties acquirendam quoties corde saltem contrito et devote recitabitur praedicta oratio cum versu.

His autem, qui, ut supra, eam recitaverint ter saltem in tribus distinctis temporibus cujuslibet diei per unius mensis spatium, concessit

Indulgentiam plenariam semel in mense, die ad arbitrium eligenda, in qua vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique preces juxta Pontificis intentionem effuderint (Decr. S. C. I. dat. in loc. *Portici* 2 Febr. 1850; *Raccolta*, pag. 179 etc.).

88. Devotum exercitium pro agonizantibus.

352. Ex concessione Pii VII per Decretum Emi Cardinalis Pro-Vicarii diei 18 Aprilis 1809, fideles corde saltem contrito ac devote recitantes flexis genibus, dummodo physica infirmitate non fuerint impediti, *tria Pater* in memoriam Passionis et Agoniae D. N. Jesu Christi et tria *Ave Maria* in memoriam dolorum, quos Virgo Maria passa est dum Agoniae dilecti Filii sui adsisteret, et orantes pro fidelibus agonizantibus, lucrantur

Indulgentiam tercentum dierum qualibet vice;

Indulgentiam plenariam semel in mense, si hoc pium exercitium quotidie per mensem peregerint, acquirendam die ad arbitrium eligendo, susceptis Sacramentis et effusis ad Deum precibus ad mentem Summi Pontificis (*Raccolta,* pag. 483).

89. Preces ad impetrandam conversionem Africae.

353. Oremus et pro miserrimis Africae populis, ut Deus omnipotens tandem aliquando auferat maledictionem Chami a cordibus eorum, detque illis benedictionem unice in Jesu Christo Deo et Domino nostro consequendam.

Oremus. Domine Jesu Christe, unice Salvator universi generis humani, qui jam dominaris a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, aperi propitius sacratissimum cor tuum etiam miserrimis Africae animabus, quae adhuc in tenebris et umbra mortis sedent; ut, intercedente piissima Virgine Maria Matre tua immaculata ejusque Sponso gloriosissimo beato Joseph, relictis idolis coram te procidant Africani et Ecclesiae tuae sanctae aggregentur. Qui vivis etc.

Pater, Ave et *Gloria.*

Fidelibus praefatas preces corde saltem contrito et devote recitantibus Leo PP. XIII concessit

Indulgentiam tercentum dierum qualibet vice;

Indulgentiam plenariam semel in mense die ad arbitrium eligenda, dummodo semel saltem in die per integrum mensem praedictas preces recitaverint, adimpletis ordinariis conditionibus Confessionis, Communionis, visitationis ecclesiae seu publici oratorii et ibi per aliquod temporis spatium effusis precibus juxta intentionem Summi Pontificis (Rescr. S. C. Indulg. 23 Junii 1885; *Raccolta,* pag. 515).

90. Preces pro conversione Japoniae.

354. Summus Pontifex Pius IX, supplicante Vicario Apostolico Japoniae, per Rescriptum S. Congregationis de Propaganda Fide, die 14

Novembris 1847, omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote precem effuderint *(faranno una preghiera)* pro conversione Japoniae, vel alios fideles excitaverint ad orandum pro conversione illius imperii, concessit

Indulgentiam quadraginta dierum qualibet vice;

Indulgentiam plenariam bis in anno in duobus diebus ad arbitrium eligendis, dummodo contriti, confessi ac sacra Communione refecti, aliquam ecclesiam visitent, ibique ut supra orent (*Raccolta,* pag. 501; Collectanea S. C. de Prop. Fid. N. 1056, pag. 369).

91. Oratio S. Francisci Xaverii pro conversione infidelium.

355. Aeterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso, Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur, sed precibus sanctorum virorum, et Ecclesiae sanctissimi Filii tui Sponsae placatus, recordare misericordiae tuae, et oblitus idololatriae et infidelitatis eorum, effice ut ipsi quoque agnoscant aliquando, quem misisti Dominum Jesum Christum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen.

Ex concessione Pii PP. IX recitantes corde saltem contrito et devote hanc Orationem lucrantur

Indulgentiam tercentorum dierum semel in die (Rescriptum autogr. 24 Maji 1847; *Raccolta,* pag. 27).

92. Preces in tempore tribulationum.

356. Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam Nominis tui libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter Nomen tuum.

Psalmus 53: Deus, in nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua judica me (1). Deinde dicitur:

℣. Propter gloriam Nominis tui libera nos.

℟. Et propitius esto peccatis nostris propter Nomen tuum.

Oremus. Preces populi tui, quaesumus Domine, clementer exaudi: et qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro gloria Nominis tui misericorditer liberemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Omnibus Christifidelibus, corde saltem contrito et devote recitantibus praedictas preces, Pius PP. IX, Decreto S. C. Indulgentiarum die 8 Novembris 1849, concessit

Indulgentiam centum dierum qualibet vice (*Raccolta*, pag. 501).

§ X.

PIA QUAEDAM OPERA.

93. Doctrina christiana.

357. Paulus V, Brevi 6 Octobris 1607, *magistris seu praeceptoribus*, qui diebus *festivis* discipulos suos ducunt ad doctrinam christianam, eamque eos docent, concessit

Indulgentiam septem annorum;

Iisdem praeceptoribus, qui diebus *ferialibus* in propriis scholis eamdem christianam catechesim explicant,

Indulgentiam centum dierum;

Patribus et matribusfamilias, qui in propriis domibus christianam doctrinam explicant filiis, servis ac domesticis utriusque sexus,

Indulgentiam centum dierum qualibet vice;

Omnibus Christifidelibus, qui per mediam horam Catechismo vacant sive ut hunc alios doceant, sive ut in eo se instruant,

---

(1) Vide ad Primam in Breviariis vel Diurnalibus.

Indulgentiam centum dierum.

Clemens XII, Brevi 16 Maji 1736, concessit

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum omnibus *adultis,* quoties poenitentes, confessi et sacra Communione refecti devote interfuerint pio catechismi exercitio, cum ille pro pueris explanatur in ecclesiis et oratoriis;

Indulgentiam plenariam diebus Natalis Domini, Paschatis et SS. Petri et Pauli *adultis* omnibus, qui assidue christianae doctrinae interfuerint vel ad illam addiscendam vel ad alios edocendam, dummodo Confessione peracta et sacra Communione suscepta, oraverint pro consuetis finibus seu ad intentionem Summi Pontificis.

Pius IX, per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum die 18 Julii 1877, elargitus est

Indulgentiam trium annorum in singulis festis B. Mariae Virginis, *omnibus cujuslibet aetatis Christifidelibus,* qui in scholis vel ecclesiis congregari consueverint pro addiscenda doctrina christiana, dummodo in dictis festis Confessione expientur;

Indulgentiam septem annorum, si iisdem diebus festis etiam sacram Communionem susceperint (*Raccolta,* pag. 478-479).

94. Adsistentia explicationi S. Evangelii.

358. Per decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 31 Julii 1756, Benedictus PP. XIV concessit

Indulgentiam septem annorum qualibet vice lucrandam ab omnibus Christifidelibus qui devote adstiterint *explicationi sancti Evangelii,* quae *diebus Dominicis* et *majoribus anni solemnitatibus* fit a Parochis in respectivis parochiis;

Indulgentiam plenariam die Natalis Domini, Paschatis Resurrectionis, et in festis SS. Apostolorum Petri et Pauli, iis omnibus qui praedictae explicationi S. Evangelii assidue interfuerint, et in iis diebus festis ad Sacramenta Confessionis et Communionis accesserint.

Pius PP. VI, Rescripto S. C. Indulgentiarum die 12 Decembris 1784, extendit

Indulgentiam plenariam, sub iisdem conditionibus, ad festa Epiphaniae et Dominicae Pentecostes (*Raccolta,* pag. 481).

95. Cantus laudum spiritualium.

359. Ad excitandos fideles ad *Cantum laudum spiritualium* et ad impediendum, quoad fieri potest, cantum periculosarum cantionum profanarum, Pius VII, Rescripto Secretariae Memorialium die 16 Januarii 1817, concessit

Indulgentiam unius anni toties acquirendam, quoties cantus laudum spiritualium promoveatur;

Indulgentiam centum dierum iis qui hoc pium exercitium corde saltem contrito peregerint;

Indulgentiam plenariam semel in mense iis qui dictum pium exercitium spatio unius mensis provexerint et ad praxim deduxerint, ea die lucrandam, in qua poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, oraverint ad intentionem Summi Pontificis (*Raccolta,* p. 491).

96. Adsistentia Missae.

360. Nulla, ut videtur, concessa est indulgentia, quae vere sit authentica, *pro omnibus Christifidelibus sancto Missae sacrificio adsistentibus.* Si haec existeret, in libro *Raccolta* inserta haberetur. Pius PP. VII eam petentibus renuit concedere, hac motus ratione, quia Missae sacrificium tot in se continet gratiarum thesauros, ut per se sufficiat ad fidelium devotionem excitandam (Cf. Beringer, Pars II, pag. 259).

Si *ex aliqua peculiari concessione* Missae *solemnis* auditio praescripta fuerit pro lucranda indulgentia, minime *per se* sufficeret adsistentia *Missae lectae,* vel *Conventuali sine cantu* in ecclesiis Regularium, vel *Missae cantatae sine Ministris sacris,* juxta Decretum diei 14 Novembris 1724 (Decr. auth. N. 86).

Ex indulto tamen Pii PP. VII, in iis diebus, ecclesiis et locis, ubi *Missa solemnis non celebratur,* sufficit adsistere vel Missae cantatae sine Ministris sacris, vel audire Missam lectam (Decr. Urbis et Orbis, 21 Mart. 1820. N. 250).

97. Adsistentia primae Missae.

361. Paulus V, Bulla *Romanus Pontifex,* cuilibet *Religioso Sacerdoti primam Missam celebranti et omnibus Religiosis eidem*

Missae adsistentibus, concessit indulgentiam plenariam, dummodo confessi et sacra Communione refecti fuerint.

Haec autem indulgentia pro solis *Regularibus* elargita fuit. Nulla usque in praesens indulgentia generalis *pro omnibus Neo-Sacerdotibus* fuit concessa.

Verum, *ut catholici Sacerdotii dignitas,* ait *Raccolta,* quam quidem his nostris diebus, et fere apud omnes nationes inimici sanctae Ecclesiae mediis omnibus conantur deprimere et abjicere, *servetur semper veneranda* apud Christifidelium aestimationem, Summus Pontifex Leo XIII, Decreto S. C. Indulg. sub die 16 Jan. 1886, occasione primae Missae concedere dignatus est sequentes indulgentias:

1. *Indulgentiam plenariam omnibus Neo-Sacerdotibus primam Missam celebrantibus,* dummodo contriti et confessi aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ad mentem Summi Pontificis oraverint.

2. *Indulgentiam plenariam eorum Consanguineis* (usque ad tertium gradum inclusive), qui primae eidem Missae interfuerint, adimpletis ut supra ceteris conditionibus.

3. *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum ceteris Christifidelibus* eidem primo Sacro adstantibus, dummodo corde contriti et devote orent etiam ipsi juxta intentionem Sanctitatis Suae (Vid. *Raccolta,* pag. 574 et 518; Acta Ord. Min., ann. V, pag. 118, ad IV).

98. Oratio mentalis.

362. Benedictus PP. XIV, Brevi *Quemadmodum* de die 16 Decembris 1746, omnibus Christifidelibus, qui devote, spatio unius mensis, quotidie *per dimidium horae, vel saltem per quadrantem* vacaverint *Orationi mentali,* concessit

Indulgentiam plenariam semel in mense, ea die acquirendam in qua Confessione expiati et sacra Synaxi refecti, oraverint pro consuetis intentionibus, sive ad mentem Summi Pontificis.

Idem Pontifex in citato Brevi concessit insuper

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum qualibet vice iis omnibus, qui sive in ecclesiis sive alibi, sive publice sive privatim, modum explicaverint peragendi Orationem

mentalem, nec non illis, qui eam apprehenderint, dummodo vere contriti qualibet vice confiteantur et communicent.

Illis autem qui assidue docebunt, et iis qui assidue apprehendent praefatum modum incumbendi Orationi mentali, idem Pontifex elargitus est

Indulgentiam plenariam semel in mense, die ad arbitrium, in qua Sacramentis Confessionis et Communionis receptis, oraverint pro ordinariis intentionibus, id est pro concordia inter principes christianos, pro extirpatione haeresum et pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae (*Raccolta,* pag. 480).

99. Actus charitatis erga tres pauperes.

363. Per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum, die 13 Junii 1815. Pius PP. VII Christifidelibus, qui contriti in memoriam et honorem Jesu, Mariae et Joseph tribus pauperibus refectionem praebebunt, concessit

Indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum;

Indulgentiam plenariam, si eadem die vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, oraverint ad intentionem Summi Pontificis;

Indulgentiam centum dierum cuilibet ex familia, nec non domesticis illorum, qui hujusmodi charitatis actum exercent, huic sancto operi contribuendo et participando tum propriis servitiis, tum sola praesentia (*Raccolta,* pag. 484).

§ XI.

100. Indulgentia pro juramento, quod emittunt alumni qui educantur in Collegiis pro Missionibus.

364. Summus Pontifex Pius VI animadvertens, bono ac incremento Apostolicarum Missionum plurimum posse conducere, si ii, qui in Collegiis sive Seminariis *utriusque cleri,* Evangelii praecones mox futuri, educati sunt, vel qui *titulo Missionis* ad ecclesiasticos Ordines fuere promoti, animo identidem recolant *jusjurandum,* quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum; eos vehementer hortatur, ut in annos singulos, in anniversaria die praestiti juramenti, illud repetere curent.

Id autem ut promptius et alacrius praestent, laudatus Pontifex unicuique illorum *plenariam indulgentiam,* animabus quoque

in Purgatorio detentis applicabilem, in perpetuum impertitus est, non modo cum praedictum juramentum primo emiserint, verum etiam *cum illud statuta jam die renovaverint;* dummodo in utroque casu conscientiam suam Poenitentiae Sacramento expiare non omittant, ac Eucharisticam Communionem suscipiant, vel Missae celebrent sacrificium (S. C. de Prop. Fid. Ex Audientia SSmi, 7 Maji 1775; Collectanea S. C. de Prop. Fid. N. 364, pag. 129, et 1179, pag. 400, n. 15).

§ XII.

101. Oratio: Sacrosanctae.

365. Recitantes in fine Horarum canonicarum, ad quas tenentur, Orationem a D. Bonaventura Doctore nostro Seraphico compositam, videlicet « *Sacrosanctae et individuae Trinitati* » cum *Pater* et *Ave,* consequuntur *remissionem culparum in recitatione ex humana fragilitate contractarum* ex concessione Leonis X (Ferraris, verb. *Indulg.* art. VI. n. 11).

Etiam Lezana scribit: « Notandum, Leonem X *vivae vocis oraculo* concessisse, quod quicumque dixerit post quamlibet Horam diei orationem *Sacrosanctae,* et in fine illius unum *Pater noster,* et *Ave Maria* pro felici statu Suae Sanctitatis et Ecclesiae sanctae Dei, consequatur plenariam remissionem omnium delictorum in illa Hora humana fragilitate commissorum ». Postea citans Casarubium, verb. *Offic. divinum,* addit: « Idem Leo, ampliando praedictam gratiam, concessit quod non solum sufficiat dicere praedictam Orationem *Sacrosanctae* pro supplemento unius Horae, quando dicitur per se solam, *sed etiam omnium Horarum quae dicuntur semel, seu uno contextu,* licet aliquod parvum intervallum inter unam et aliam fiat ». Laudatus Auctor notat insuper:

a) Praefatam concessionem videri *(est certum)* factam pro omnibus recitantibus Officium, non pro Regularibus tantum.

b) Non fuisse revocatam, quamvis factam vivae vocis oraculo.

c) Dictam Orationem applicari debere « pro felici statu Summi Pontificis et sanctae Ecclesiae », ut patet ex dicta concessione, quod tamen aliqui non animadverterunt.

d) Culpas, quae remittuntur per recitationem memoratae orationis *Sacrosanctae,* non esse peccata mortalia, quae in recitatione

divini Officii committi possunt, sed tantum illos defectus, qui non excedunt culpam venialem.

e) Probabile esse valere istam concessionem, etiamsi talis oratio ab uno solo, Hebdomadario scilicet, aliorum nomine dicatur. Ita enim pie interpretari potest intentio Pontificis in re maxime favorabili (Lezana, Summa Quaestionum, vol. 2. verb. *Offic. div.* n. 13, pag. 470).

366. Ex recentioribus Auctoribus audiatur Scavini in adnotationibus ad Horas canonicas:

« Leo X dicenti orationem *Sacrosanctae flexis genibus* indulsit defectus et culpas per modum indulgentiae in recitatione contractas, nempe veniales, adeo ut (ait Dens) defectus, v. g. commissi in recitatione Matutini, si post Matutinum dicatur *Sacrosanctae,* non coalescant cum defectibus, quos postea eodem die quis committit in recitatione Primae, Tertiae etc. Sed dici debet corde contrito; indulgentia enim supponit culpam remissam; item addendum *Pater* et *Ave.* In choro autem (docet Pellizzarius) sufficit ut recitetur ab uno, aliis respondentibus; omnibus autem flexis genibus ».

367. De Oratione *Sacrosanctae* latius agit noster Sebaldus Minderer, qui cum Gobat et Amort inter alia scribit: « Perinde esse, sive illa oratio recitetur post Horam illam, in qua defectus est commissus, sive post aliam sequentem, sive *post omnes et toto penso canonico persoluto;* quia omnes Horae sunt quoddam Officium divinum; nec videtur Leonem X unum prae alio intendisse. Quinimmo licet illam orationem post intervallum aliquod, cum Horae jam fuerint persolutae, recitet, lucrabitur tamen indulgentiam. Item probabile est, si anticipando statim post Completorium recitet Matutinum et Laudes, et postea subjungat praefatam orationem, quod illa unica oratione acquirat indulgentiam pro defectibus commissis *tum in Officio correspondente illi diei, tum in Matutino et Laudibus pro sequenti die anticipatis,* cum forma concessionis in hoc nulla restrictione utatur » (Minderer, part. 2, Confer. 7, quaest. 12, n. 383).

368. Juxta Bordonum et Pellizzarium oratio *Sacrosanctae* remittit defectus veniales in Horarum recitatione commissos per modum cujusdam *Sacramentalis,* non autem per modum *indulgentiae,* quae numquam remittit culpam, sed solum poenam culpae jam deletae. Quare juxta ipsos praedicta oratio *in se* spectari potest *ut Sacramentale quoddam,* effectum suum exercens solum ex

opere operantis: *et ut adnexam habens indulgentiam* recitantibus concessam et plenariam remissionem omnium defectuum humana fragilitate commissorum in qualibet Hora canonica dici. Si oratio primo modo inspiciatur, ut *Sacramentale delet defectus quoad culpam contractam* mediante aliquo actu contritionis, ut loquitur Bordonus. Si secundo modo, tunc delet defectus non quoad culpam, quae supponitur remissa, sed quoad poenas post culpam remissam restantes: hic enim est effectus indulgentiae (Vid. Minderer, loc. cit.).

369. Quod autem Oratio *Sacrosanctae* recitari debeat *flexis genibus,* patet ex responsione ad sequens dubium;

An ad lucrandam indulgentiam, vel fructus orationis *Sacrosanctae,* necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo, recitari valeat?

Resp. *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam* (Decr. 12 Martii 1855. N. 367 ad 1m).

370. Verum, Summus Pontifex Pius IX per decretum Urbis et Orbis de die 26 Julii ejusdem anni 1855, ex speciali gratia clementer indulsit, ut oratio *Sacrosanctae* etc. pro lucranda indulgentia a s. m. Leone PP. X adnexa, seu fructu dictae orationis, *etiam non flexis genibus recitari possit ab iis, qui legitime impediti fuerint* INFIRMITATIS TANTUM CAUSA (Decr. auth. N. 368).

Postremo advertatur, in allatis documentis non reperiri praescriptum, quod etiam *Oratio Dominica et Salutatio Angelica* recitari debeant flexis genibus.

Cum haec gratia sit potius reparatio defectuum commissorum, quam vera indulgentia, consequitur, ipsam non suspendi tempore Jubilaei (Ita Mach apud Scavini loc. cit.).

ARTICULUS II.

BEATISSIMA VIRGO MARIA.

§ I.

1. Angelus Domini. — Regina coeli.

371. Non satis certo constat a quo vel quandonam precatio *Angelus Domini* originem habuerit. Sunt qui eam attribuunt Ur-

bano II currente saeculo XII; alii Joanni XXII saeculo XIV, qui tamen iuxta alios eam tantummodo confirmasset; alii aliis adscribunt. Quidquid sit de ejus origine, certum est eam esse valde piam et salutarem, utpote quae breviter in memoriam revocat mysterium Incarnationis, ac ideo a Summis Pontificibus indulgentiis cumulatam (Cf. Moroni, Dizion. di Erudiz.; D'Avino, Enciclop.; Scavini, vol 3, de Sacramentalibus; Joseph Catalani, Caeremoniale Episcoporum, edit. Romae 1744, tom. I, pag. 98).

372. *Pius* autem *usus salutandi* per eamdem precem beatissimam Virginem *ad campanae pulsum* sub noctem divo Bonaventurae merito adscribitur. In Capitulo enim generali, cui Seraphicus Doctor, qua Minister Generalis totius Ordinis Minorum, praesidebat, Assisii celebrato anno 1269, ordinavit, ut universi Fratres privatim hortarentur, et publice docerent fideles quosque ad triplicem campanae pulsum sub imo vespere ter eamdem Virginem salutare verbis *Angelicis,* sive cum prece *Angelus Domini* etc. In ea enim erat cum aliis plerisque Doctoribus sententia, sub illa hora B. Virginem a Gabriele Archangelo divinum nuntium de concipiendo Verbo aeterno recepisse; a quo tempore percrebuit hic mos in Ecclesia sancta, ut ubique terrarum in summa sit observantia (Cf. De Gubernatis, Orbis Seraph. vol. 1. pag. 131; Van den Haute, pag. 319; Chronol. Ord. vol. I Michaelang. p. 28; Catalani, loc. cit.).

Unde in nostro Breviario Seraphico in Lectionibus Doct. S. Bonaventurae legitur: « Plura quoque ab eo instituta, quae ad augendum Dei et Deiparae cultum pertinent. In his, ut *ad campanae pulsum sub noctem ter verbis Angelicis Virgo salutaretur* ».

373. Benedictus PP. XIII (1) Brevi *Injunctae Nobis,* die 14 Septembris 1724 concessit

1. *Indulgentiam plenariam* semel in mense omnibus Christifidelibus qui *quotidie mane, aut meridie seu vespere,* scilicet post occasum solis, ad pulsum campanae flexis genibus devote recitaverint *Angelus Domini* cum tribus *Ave Maria,* lucrandam in uno die per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo,

---

(1) Hic Pontifex s. m. fuit huius ritus, scribit Catalanus, adeo tenax et custos, ut etiam cum per Urbem iter ageret, tempore etiam pluvio e curru descendens in ipsis lutosis viis genuflecteret, et preces ipsas capite etiam nudo persolveret, ut toti Urbi notissimum fuit.

in quo vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti, pias ad Deum preces effuderint pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione;

2. *Indulgentiam centum dierum* in reliquis anni diebus, *quoties* corde saltem contrito et devote praedictos versiculos *Angelus Domini* cum tribus *Ave Maria* recitaverint, insimul declarans tales indulgentias tam *plenariam* quam *partialem* minime suspendi tempore Anni Sancti.

374. Idem Summus Pontifex per Rescriptum S. Congr. Indulg., die 5 Dec. 1727, benigne indulsit ut *Regulares omnes* utriusque sexus, aliique in religiosis domibus commorantes, si dum campanae pulsantur aliquod opus exercent, quod ad regularem observantiam pertineat, nihilominus suprememoratas indulgentias acquirere possint, dummodo statim ac opus praedictum expletum fuerit, praefatas preces flexis genibus devote recitent (*Raccolta,* pag. 195; Ferraris, verb. *Indulg.* art. VI. n. 19 et seq. ubi allegata documenta per extensum habentur).

375. Benedictus XIV sub die 20 Aprilis 1742 per edictum Emi Cardinalis Vicarii praedictas indulgentias confirmavit, ac praescripsit, ut supra memorata Oratio *a vesperis cujuslibet Sabbati* usque ad totam subsequentem diem Dominicam *stando* recitetur.

Praescripsit insuper ut, *toto tempore Paschali,* loco Orationis *Angelus Domini,* recitetur *stando* antiphona *Regina coeli* cum versiculo et oratione propria, pro cuius recitatione concessit easdem indulgentias supra relatas. Illi autem qui ipsam *memoriter recitare nesciunt,* easdem indulgentias consequi possunt, recitando ut supra *Angelus Domini (Raccolta)* et quidem *stando* singulis diebus toto tempore paschali (Decr. 12 Febr. 1833, apud Ferraris in Append. vol. 4, edit. Romae 1888, v. *Indulg.* n. 14; Catalani, loc. cit. pag. 99, n. XIV).

376. Angelus Domini, juxta exposita, *stando* recitari debet *diebus Dominicis* incipiendo *a vesperis Sabbati.* Cum autem in Sabbatis Quadragesimae *Vesperae* anticipentur *ante meridiem,* oritur dubium, utrum *Angelus Domini* in *meridie* debeat recitari *stando,* prout fit in recitatione antiphonae finalis Vesperarum, vel potius *flexis genibus?* Summus Pontifex Leo XIII in Audientia habita die 20 Maji 1896 ab Emo Cardinali Steinhuber Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, statuit

ut dicta precatio *Angelus Domini* in Sabbatis Quadragesimae *in meridie* recitari debeat *stando,* uti antiphona finalis Vesperarum, ac insuper decrevit, ut in Sabbato *infra octavam Pentecostes* recitari debeat *ad meridiem* precatio *Regina coeli,* ut in tempore paschali.

377. Ultimo majoris hebdomadae triduo laudabiliter recitatur *Angelus* ter in die, et obtinentur indulgentiae sicut per annum. Verum *in Sabbati sancti meridie* recitari debet *Regina coeli,* stando (S. C. Indulg. decr. 19 Junii 1885, apud Acta Ord. Min. ann. VI, p. 162; Nouv. Rev. Théol. tom. XVIII, p. 266).

378. Ad effectum lucrandi indulgentias a Summis Pontificibus concessas fidelibus, qui orationem *Angelus Domini* certis quibusdam diei horis ad campanae pulsum pie recitaverint, minime requiritur ut campana sit ritu ab Ecclesia praescripto benedicta (Decr. 29 Aug. 1864. N. 414).

379. Pius PP. VI per Rescriptum S. C. de Propaganda Fide die 18 Martii 1781 benigne indulsit, ut in iis locis, *in quibus deest campanarum usus,* fideles lucrari possint dictas indulgentias, dummodo *circa horas* supra memoratas, nempe primo diluculo, circa meridiem, et sub vesperam, corde saltem contrito et devote recitent praefatas preces, videlicet *Angelus Domini,* vel, tempore paschali, *Regina coeli* (*Raccolta* et Ferraris, penes quem reperiuntur per extensum citata documenta S. Sedis).

380. Tandem Summus Pontifex Leo PP. XIII probe animadvertens:

a) Non ubique gentium aes campanum ad hoc signum dandum pulsari, aut pulsari ter in die, aut iisdem horis;

b) Contingere quandoque posse, ut signum aeris campani, si detur, non audiatur ab omnibus, aut, si audiatur, aliquis Christifidelis, quominus in genua provolvatur et stata hora versiculos recitet, legitimo impedimento detineatur;

c) Innumeros ferme Christifideles esse, qui versiculos *Angelus Domini* etc. et antiphonam *Regina coeli* etc. nec memoria, nec de scripto recitare sciunt;

Haec omnia considerans laudatus Pontifex, nolensque ut tot Christifideles ob non adimpletas conditiones spiritualibus hisce gratiis priventur, benigne indulgere dignatus est, ut praedictae indulgentiae lucrifieri possint etiam ab illis Christifidelibus, qui *legitimo impedimento,* ut supra, detenti, *non flexis genibus nec ad cam-*

panae pulsum recitaverint digne, attente ac devote, sive mane, sive circiter meridiem, sive sub vespere versiculos *Angelus Domini* etc. cum tribus Angelicis Salutationibus, alio versiculo *Ora pro nobis* etc. et oratione *Gratiam tuam* etc.; tempore vero paschali antiphonam *Regina coeli* etc.; aut si nesciant praedictos versiculos, antiphonam et orationes tum memoriter dicere, tum legere, *quinquies* Salutationem Angelicam (Decret. S. C. Ind. 3 Apr. 1884 apud Acta Ord. Min. ann. III. pag. 113; *Raccolta,* loc. cit.).

381. Ex dictis liquido patet, in concessione et confirmatione priorum Pontificum praescribi recitationem *Angelus Domini cum tribus Ave Maria* DUMTAXAT. In concessione autem Leonis XIII dictis precibus adiungitur versiculus *Ora pro nobis* et Oratio *Gratiam tuam.* Porro ad hanc additionem non tenentur illi, qui *flexis genibus et ad campanae pulsum* recitant *Angelus Domini,* qui proinde sine illa additione acquirere possunt indulgentias eidem recitationi adnexas. Provisio enim Leonis XIII respicit fideles illos, qui *legitimo impedimento detenti, non flexis genibus nec ad campanae pulsum* praefatas preces recitant. Hi quidem pro lucrandis indulgentiis recitationi *Angelus Domini* adnexis, addere debent versiculum *Ora pro nobis,* et orationem *Gratiam tuam* (Vid. Beringer, Pars II, p. 183, nota 2).

382. Verum tamen est, laudabilem morem jamdiu invaluisse apud fideles adjungendi semper Salutationi Angelicae *Angelus Domini* cum *tribus Ave Maria* etiam versiculum et orationem supradictam. Imo in pluribus Italiae regionibus post orationem *Gratiam tuam* addere solent tria *Gloria Patri* in gratiarum actionem SS. Trinitati pro privilegiis B. Mariae Virgini collatis: quae quidem consuetudo non solum sancta, sed utilissima est. Nam recitantibus praedicta tria *Gloria Patri* (vid. n. 245), in *principio diei, in meridie* et *in sero* a Pio VII concessa est indulgentia *centum dierum* pro qualibet recitatione, nec non indulgentia *plenaria* semel in mense illis, qui constanter per spatium unius mensis in tribus distinctis horis, ut supra, praedictam devotionem exercuerint, susceptis tamen Sacramentis, et effusis precibus ad mentem Sanctitatis Suae.

383. Quando tempore paschali loco precum *Angelus Domini* recitatur antiphona *Regina coeli,* versiculus et responsum debent esse eadem, quae dantur in Breviario Romano, nempe *Gaude et laetare* etc.; commutatio in alium versiculum et responsum non

tribueret jus ad indulgentias lucrandas (Decr. 12 Mart. 1855. N. 367 ad 5m).

384. Hic adnotare placet, in opere *Raccolta* preces *Angelus Domini* esse distributas in versiculos et responsiones sequenti modo:

℣. *Angelus Domini nuntiavit Mariae.* ℟. *Et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria* etc.

℣. *Ecce ancilla Domini.* ℟. *Fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria* etc.

℣. *Et Verbum caro factum est.* ℟. *Et habitavit in nobis. Ave Maria* etc.

Hic recitandi modus, etsi nullibi expressis verbis inveniatur praescriptus, tamen ex quo a *Raccolta,* quae norma esse debet, tali modo proponitur (quando cum aliis recitatur) praeferendus esse videtur alii methodo pluribus in locis servatae, qua unus tantum recitat integram precationem *Angelus Domini* cum *Ave Maria,* ceteris respondentibus *Sancta Maria* dumtaxat. Verum, si recitatio fiat simul cum personis *imperitis,* quae versiculis respondere nesciunt, tunc, ut patet, tota salutatio *Angelus Domini* ab eo fiet, qui eam scit, aliis respondentibus *Sancta Maria.*

2. Salve Regina (in mane) — Sub tuum praesidium (in sero).

385. Summus Pontifex Pius VI per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum, die 5 Aprilis 1786, concessit

1. *Indulgentiam centum dierum* semel in die lucrandam ab omnibus Christifidelibus, qui vero religionis spiritu excitati, pro reparandis aliquo modo injuriis contra honorem B. M. V. Matris Dei et Sanctorum factis, nec non pro tuendo augendoque cultu erga sacras eorum imagines, recitant corde saltem contrito et devote *in mane* Salve Regina cum duobus hisce versiculis:

℣. *Dignare me laudare te, Virgo sacrata.* ℟. *Da mihi virtutem contra hostes tuos.*

℣. *Benedictus Deus in Sanctis suis.* ℟. *Amen;* et *in sero* Sub tuum praesidium cum praefatis versiculis;

2. *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum* in omnibus diebus Dominicis infra annum;

3. *Indulgentiam plenariam* bis in mense in duabus Dominicis, uniuscujusque arbitrio eligendis, iis omnibus, qui recitabunt,

ut supra, praedictas preces, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint;

4. *Indulgentiam plenariam* in omnibus et singulis festis beatae Mariae Virginis; nec non in festivitate Omnium Sanctorum, adimpletis conditionibus supra praescriptis;

5. *Indulgentiam plenariam in articulo mortis* iis omnibus Christifidelibus, qui, observata in vita pia praxi recitandi dictas preces, Confessione sacramentali *tunc* expientur ac sacra Communione reficiantur, vel saltem sint corde contriti (*Raccolta,* pag. 209 et seq.).

3. Ave Maris stella.

386. Summus Pontifex Leo PP. XIII, ad preces Illmi ac Rmi Dni Vincentii Leonis Sallua, Archiep. Chalcedonen. benigne concedere dignatus est omnibus Christifidelibus, qui corde contrito et devote recitaverint hymnum AVE MARIS STELLA... in honorem B. Virginis Mariae, ceu jacet in Breviario Romano,

Indulgentiam tercentum dierum, semel lucrandam in quolibet die (Decr. 27 Jan. 1888, apud Acta Ord. Min. ann. VII, pag. 118).

4. Stabat Mater.

387. Summus Pontifex Pius IX, cupiens ut Christifideles saepius recolant acerbissimum dolorem, quem beatissima Virgo passa est, stans sub cruce divini Filii sui Jesu, *extendit ad omnes Christifideles,* qui corde contrito et devote recitaverint Hymnum *Stabat Mater,* et quidem qualibet vice id egerint,

Indulgentiam centum dierum, quam Ven. Innocentius XI, Brevi 1 Sept. 1681, concesserat sub quibusdam praefinitis conditionibus, solis Confratribus et Consororibus SS. Virginis Perdolentis (Decr. 18 Junii 1876; *Raccolta,* pag. 328).

5. LITANIAE BEATAE MARIAE VIRGINIS (1).

388. Litaniae (nempe supplicationes) B. Mariae Virginis usu ecclesiastico dicuntur etiam Litaniae *Lauretanae,* quia ab imme-

(1) Vide quae diximus de Litaniis *in genere* n. 263.

morabili tempore singulis Sabbatis solemniter cantari solent in sacra Aede Lauretana. Supplicationes ad beatam Virginem dici possunt tam antiquae, quantum est Ecclesia ipsa; at actualis forma non videtur saeculum XIII excedere. Litaniae Lauretanae pulcherrimo modo enuntiant dotes, praerogativas, virtutes, potentiam et gloriam Virginis Matris. Hujusmodi formula precationis fuit semper et est charissima omnibus fidelibus, ab Apostolica Sede approbata, commendata ac indulgentiis locupletata. Nam

Pius PP. VII indulgentiam *biscentum dierum* a Sixto V et Benedicto XIII concessam omnibus Christifidelibus, quoties Litanias B. M. V. corde saltem contrito ac devote recitaverint, non modo confirmavit, verum etiam ad *tercentum dies* pro qualibet vice extendit.

Insuper eisdem Christifidelibus, Litanias praefatas *quotidie* recitantibus, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam publicam ecclesiam visitaverint, et ibi juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, clementer est elargitus

Indulgentiam plenariam in quinque B. M. Virginis festivitatibus de praecepto, scilicet Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis (Decr. 30 Sept. 1817, apud Rescr. auth. N. 334, et *Raccolta,* pag. 273 et seq.).

6. Officium parvum beatae Mariae Virginis.

389. Summus Pontifex Pius V, Bulla *Quod a Nobis* dici 9 Julii 1568, concessit omnibus Christifidelibus, qui, *obligatione detenti,* devote recitaverint *Officium parvum* B. Mariae Virginis diebus a Rubrica Breviarii Romani praescriptis

Indulgentiam centum dierum.

Idem Pontifex, Bulla *Superni omnipotentis Dei* de die 5 Aprilis 1571, iis fidelibus, qui *ex propria devotione* dictum Officium recitaverint, concessit

Indulgentiam quinquaginta dierum.

Fidelibus autem, qui devote recitaverint aliquam ex Orationibus in eodem Officio insertis, impertitus est

Indulgentiam quindecim dierum (*Raccolta,* pag. 193).

Quo vero ista tam salutaris christiano populo consuetudo recitandi *Mariales laudes* majus accipiat incrementum, hac praesertim aetate, qua

ad Deiparam Virginem fidenter confugiendum est, ne tot, quibus undique premimur, aerumnis obruamur, SSmus D. N. Leo PP. XIII, indulgentias, uti sequitur, benigne concessit:

1. *Indulgentiam plenariam,* lucrandam quolibet anni mense, die uniuscujusque arbitrio eligendo, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui *mense integro quotidie totum parvum Officium B. Mariae Virginis,* id est Matutinum, quod uno tantum constat Nocturno diei currentis cum reliquis Horis usque ad Completorium inclusive, devote recitaverint, dummodo praefato die vere poenitentes, confessi ad sacram Synaxim accesserint, piasque ad Deum preces aliquo temporis spatio ad mentem Sanctitatis Suae effuderint;

2. *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum* semel in die acquirendam ab iis Christifidelibus, qui praefatum parvum Officium devote pariter et corde saltem contrito persolverint;

3. *Indulgentiam tercentum dierum,* ab iis similiter semel in die lucrandam, qui *Matutinum tantum,* uti supra, *cum Laudibus* devote ac corde item contrito recitaverint. Quas omnes Indulgentias eadem Sanctitas Sua animabus quoque Christifidelium in Purgatorio detentis fore applicabiles benigne declaravit (Decr. Urbis et Orbis 17 Nov. 1887, apud Acta Ord. Min. ann. VII, pag. 66, vel Acta S. Sed. vol. XX, pag. 365).

390. P. Dominicus a Cordibus Jesu et Mariae Lusitanus, Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, solutionem sequentium dubiorum postulavit:

1° Utrum Christifideles cuicumque Sodalitio adscripti, loco recitandi preces, sive determinatas, sive non, quae Sodalibus praescribuntur pro acquirendis indulgentiis eisdem precibus adnexis, recitare valeant Officium parvum B. M. Virginis?

Resp. *Affirmative,* si nullae adsint preces *determinatae* Sodalibus praescriptae pro acquirendis indulgentiis; *Negative,* si adsint preces jam determinatae.

2° Utrum ad lucrandas praefatas indulgentias, idem sit recitare parvum Officium B. M. V. *in lingua latina vel vernacula?*

Resp. *Negative,* quoad Officium parvum B. M. V., *sed illud est recitandum in lingua latina;* quoad alias vero preces detur Decretum editum scilicet die 29 Decembris 1864 (Decr. 6 Maji 1887, Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 81...).

Decretum 29 Dec. 1864 de quo hic fit mentio ita sonat: *Indulgentiae adnexae precibus valent quocumque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles* (Decr. auth. N. 415).

7. Oratio: O excellentissima.

391. O excellentissima, gloriosissima, atque sanctissima semper intemerata Virgo Maria, Mater Domini nostri Jesu Christi, Regina mundi et totius creaturae Domina, quae nullum derelinquis, nullum despicis, nullum, qui ad te puro et humili corde recurrit, desolatum dimittis, noli me despicere propter innumerabilia et gravissima peccata mea, noli me derelinquere propter nimias iniquitates meas, nec etiam propter duritiam et immunditiam cordis mei: ne abiicias me famulum tuum a gratia tua et amore tuo. Exaudi me miserum peccatorem in tua misericordia et pietate confidentem; succurre mihi, piissima Virgo Maria, in omnibus tribulationibus, angustiis et necessitatibus meis; et impetra mihi a dilecto Filio tuo omnipotente Deo et Domino nostro Jesu Christo indulgentiam et remissionem omnium peccatorum meorum et gratiam timoris et amoris tui, sanitatem quoque et castitatem corporis, et liberationem ab omnibus malis et periculis animae et corporis. In extremis meis esto mihi pia auxiliatrix, et animam meam ac animas omnium parentum meorum, fratrum, sororum et amicorum, consanguineorum et benefactorum meorum omniumque fidelium vivorum et defunctorum ab aeterna caligine, et ab omni malo libera, illo auxiliante, quem in tuo sacratissimo utero novem mensibus portasti et in praesepe tuis sanctis manibus reclinasti Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen.

Christifidelibus hanc *Orationem* corde saltem contrito et devote recitantibus concessa est a Leone XII

Indulgentia centum dierum semel in die;

Indulgentia plenaria semel in mense iis omnibus, qui per mensem quotidie eam recitaverint, lucranda vel ultimo die mensis

vel in uno ex octo diebus immediate sequentibus, adimpletis conditionibus ordinariis Confessionis, Communionis, visitationis alicujus ecclesiae vel publici oratorii cum precibus juxta mentem Summi Pontificis (Decr. 30 Jan. 1828; *Raccolta,* pag. 281).

8. Oratio: Virgo potens.

392. Virgo potens, quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo, orbem christianum a laqueis diaboli libera et respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni haeretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, et ad veritatis catholicae redeant unitatem, te intercedente ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Indulgentia centum dierum semel in die lucranda ab omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote dictam orationem recitant, idque ex concessione Summi Pontificis Leonis XIII (Rescript. 19 Decemb. 1885; *Raccolta,* pag. 333).

9. Oratio: O Domina mea.

393. O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me ut rem ac possessionem tuam.

Summus Pontifex Pius IX omnibus Christifidelibus, qui animi fervore et corde saltem contrito recitaverint *mane et sero* unum *Ave Maria* et postea praefatam *Orationem* pro implorando a SS. Virgine victoria super tentationes speciatim contra castitatem, benigne concessit

Indulgentiam centum dierum semel in die;

Illis autem fidelibus, qui quotidie per mensem eam recitaverint,

Indulgentiam plenariam semel in mense, lucrandam ea die, in qua contriti, confessi et sacra Communione refecti visitaverint aliquam ecclesiam vel publicum oratorium, ibique per aliquod

temporis spatium oraverint juxta intentionem Sanctitatis Suae (Decr. 5 Aug. 1851; *Raccolta*, pag. 291).

10. Devota Aspiratio ad Virginem Matrem.

394. O Domina mea! O Mater mea! Memento, me esse tuum.

Serva me, defende me ut rem ac possessionem tuam.

Ex concessione Summi Pontificis Pii PP. IX, Christifideles corde saltem contrito et devote recitantes hujusmodi aspirationem tempore tentationum consequuntur

Indulgentiam quadraginta dierum qualibet vice (Decr. 5 Aug. 1851; *Raccolta*, pag. 292).

11. Oratio: Ave augustissima.

395. Ave augustissima Regina pacis, sanctissima Mater Dei, per sacratissimum Cor Jesu Filii tui, Principis pacis, fac, ut quiescat ira ipsius, et regnet super nos in pace. Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te venio. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi, o clemens, o dulcis Virgo Maria.

Pius PP. IX fidelibus cunctis corde saltem contrito et devote recitantibus dictam Orationem largitus est

Indulgentiam tercentum dierum qualibet vice;

Iis autem qui eamdem recitant, ut supra, semel saltem in die per unius mensis spatium, concessit

Indulgentiam plenariam, ea die pro libitu lucrandam, in qua Confessionis et Communionis Sacramentis susceptis, aliquam ecclesiam visitant sive publicum oratorium, ibique aliquo temporis spatio orant juxta intentionem Summi Pontificis (Decr. 23 Sept. 1846; *Raccolta*, pag. 289).

12. Oratio: Memorare.

396. Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implo-

rantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia, ad te, Virgo Virginum, Mater, curro; ad te venio; coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Christifidelibus regni Galliarum corde saltem contrito et devote recitantibus dictam Orationem Pius PP. IX concessit

Indulgentiam tercentum dierum pro qualibet vice;

Indulgentiam plenariam semel in mense, si eam recitaverint semel saltem quolibet die spatio unius mensis, ea die ad arbitrium acquirendam, in qua vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium oraverint ad intentionem Sanctitas Suae (Decr. 25 Julii 1846).

Praefatas indulgentias partialem et plenariam idem Pontifex *extendit* eodem anno ad omnes Christifideles catholici orbis, dummodo supra relatas conditiones adimpleant (Decr. 11 Decemb. 1846; *Raccolta*, pag. 288).

13. Oratio S. Aloysii Gonzagae ad beatam Virginem Mariam.

397. O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

Rescripto S. C. I. de die 15 Martii 1890, Leo PP. XIII Christifidelibus corde saltem contrito ac devoto hujusmodi Orationem recitantibus impertitus est

Indulgentiam biscentum dierum semel in die lucrandam, et defunctis quoque applicabilem (Acta S. Sed. vol. XXII, pag. 566).

14. Oratio ad obtinendam bonam mortem.

398. O Maria sine labe concepta, ora pro nobis, qui confugimus ad te. O refugium peccatorum, Mater agonizantium,

noli nos derelinquere in hora exitus nostri, sed impetra nobis dolorem perfectum, sinceram contritionem, remissionem peccatorum nostrorum, sanctissimi Viatici dignam receptionem, Extremae Unctionis Sacramenti corroborationem, quatenus securi praesentari valeamus ante thronum justi, sed et misericordis Judicis, Dei et Redemptoris nostri. Amen.

Fidelibus hanc Orationem corde saltem contrito et devote recitantibus concessa est a Summo Pontifice Pio IX

Indulgentia centum dierum semel in die lucranda (Rescript. ex Secretaria Brevium, 11 Martii 1856; *Raccolta,* pag. 301).

15. Jaculatoria.

399. Maria Mater Dei et Mater misericordiae, ora pro nobis et pro defunctis.

Indulgentia centum dierum semel in die, concessa a Summo Pontifice Leone XIII iis fidelibus, qui hujusmodi precem Jaculatoriam corde saltem contrito et devote recitant (Per Rescript. Emi Card. Vicarii, 15 Dec. 1883; *Raccolta,* pag. 330).

16. Invocatio.

400. O Maria sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad te confugimus.

Indulgentia centum dierum a Summo Pontifice Leone XIII concessa iis, qui talem invocationem recitant corde saltem contrito et devote, lucranda semel in die (Rescript. 15 Martii 1884; *Raccolta,* pag. 331; Rescr. auth. N. 450, pag. 686).

17. Invocatio Nominis Mariae.

401. Summus Pontifex Clemens XIII de novo confirmavit sequentem indulgentiam, jam concessam a Sixto V et Benedicto XIII iis omnibus, qui devote *Nomen Mariae* invocabunt,

Indulgentiam viginti quinque dierum qualibet vice (Decr. 5 Sept. 1759; *Raccolta,* pag. 209).

18. Jaculatoria.

402. In Conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium Jesum de Spiritu sancto conceptum peperisti.

Christifideles recitantes corde saltem contrito et devote hujusmodi *Jaculatoriam*, ex concessione Pii PP. VI lucrantur qualibet vice

Indulgentiam centum dierum (Rescr. S. C. Ind. 21 Nov. 1793; *Raccolta*, pag. 211).

19. Jaculatoria.

403. Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatissimae Virginis Mariae, Matris Dei.

Leo PP. XIII, revocata concessione facta sub die 21 Nov. 1793 a Pio PP. VI, indulsit omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote recitabunt dictam *Jaculatoriam*,

Indulgentiam tercentum dierum, qualibet vice acquirendam (Breve 10 Sept. 1878; *Raccolta*, pag. 329; Rescr. auth. pag. 687 in nota).

20. Breves precationes in honorem B. Virginis Mariae.

404. Virgo ante partum, ora pro nobis. *Ave Maria* etc.

Virgo in partu, ora pro nobis. *Ave Maria* etc.

Virgo post partum, ora pro nobis. *Ave Maria* etc.

Sacra Congregatio Indulgentiarum, utendo facultatibus a SS. Domino Nostro Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, concessit

Indulgentiam centum dierum semel tantum in die lucrandam ab omnibus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote recitantibus praefatas jaculatorias preces cum adnexa cuilibet ipsarum recitatione Salutationis Angelicae (Ex Secretaria ejusd. S. C. die 20 Maji 1893).

21. Antiphona, Versus et Oremus in honorem Mariae Immaculatae.

405. Antiph. Haec est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

℣. In Conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti.

℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

OREMUS. Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem etc.

Christifideles recitantes corde saltem contrito et devote dictam *Antiphonam, Versum,* et *Oremus,* lucrantur ex concessione Pii PP. IX

Indulgentiam centum dierum qualibet vice (Breve 31 Martii 1876; *Raccolta,* pag. 325).

22. JACULATORIA: **Cor dulcissimum Mariae, sis salus mea.**

406. Ex concessione Pii PP. IX, fideles recitantes corde saltem contrito et devote hujusmodi brevissimam precem lucrantur

Indulgentiam tercentum dierum qualibet vice;

Indulgentiam plenariam semel in mense, qui quotidie per mensem eam recitaverint, ea die ad libitum eligenda, in qua vere contriti, confessi, sacraque Communione refecti, aliquam ecclesiam visitaverint vel publicum oratorium, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint ad intentionem Summi Pontificis (Decr. 30 Sept. 1852; *Raccolta,* pag. 293).

23. PRECES JACULATORIAE AD OBTINENDAM BONAM MORTEM.

407. Jesus, Maria et Joseph, vobis dono meum cor et animam meam.

Jesus, Maria et Joseph, assistite mihi in ultima agonia.

Jesus, Maria et Joseph, expiret vobiscum in pace anima mea.

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l'anima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell' ultima agonia.

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con voi l'anima mia.

Pius PP. VII cuilibet fideli corde saltem contrito et devote recitanti tres supradictas Jaculatorias concessit

Indulgentiam tercentum dierum pro qualibet vice;

Indulgentiam centum dierum toties quoties, modo ut supra, unam tantum ex iisdem Jaculatoriis recitanti (Decr. 28 Apr. 1807; *Raccolta,* pag. 483).

24. Actus consecrationis studiorum ad beatam Virginem Mariam Immaculatam pro Juvenibus studentibus.

408. Sub patrocinio tuo, Mater dulcissima, et invocato Immaculatae Conceptionis tuae mysterio, studia mea laboresque litterarios prosequi volo; quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honori tuoque cultui propagando inserviam. Oro te igitur, Mater amantissima, sedes sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas. Ego vero, quod justum est, pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me tuae apud Deum intercessioni totum acceptum relaturum. Amen.

Leo PP. XIII, Rescripto S. C. Indulgentiarum, die 18 Nov. 1882, omnibus Juvenibus studentibus, qui corde saltem contrito et devote praedictum *Actum consecrationis* peregerint, concessit

Indulgentiam centum dierum semel in die (*Raccolta,* pag. 577).

Notandum est, in libro: *Rescripta authentica,* N. 425, pag. 342, ita legi: SSmus D. N. Leo PP. XIII in Audientia habita die 18 Nov. 1882 ab infrascripto... omnibus pueris et juvenibus litteris operam daturis, Orationem uti supra propositam... recitantibus

Indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit.

Quia *Raccolta,* ad decidenda dubia in materia indulgentiarum norma esse debet, textum ejus praetulimus.

§. II.

25. Indulgentiae pro mense Majo.

409. *Beatam me dicent omnes generationes* cecinit beatissima Virgo. Et revera ubique terrarum Christifideles eam proclamant Matrem Dei, ubique eam laudant Clerus populusque fidelis, ubique potentissimum auxilium suum invocat catholicus Orbis. Sed si semper et ubique ad eam, ut ad dulcissimam Matrem suam, confugiunt fideles, speciatim mense Majo eam invocant, honorant, laudant, benedicunt credentes tum in domibus, tum in oratoriis,

tum in ecclesiis publicis. Mensem Maji ceteris mensibus pulchriorem, fidelium pietas Matri Dei et suae dedicavit. Proculdubio REGINAE COELI ET TERRAE hoc debebatur obsequium, ROSAE MYSTICAE consecrari debebat mensis florum.

Summus Pontifex Pius VII per Rescriptum Secretariae Memorialium sub die 21 Martii 1815 concessit *ad decennium* omnibus Christifidelibus, qui sive publice sive privatim mense Majo honoraverint peculiaribus obsequiis, orationibus sive virtutis actibus sanctissimam Virginem Matrem Dei,

Indulgentiam tercentum dierum qualibet die;

Indulgentiam plenariam semel in praedicto mense, die, in qua vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, oraverint juxta intentionem Sanctitatis Suae.

Idem Pontifex, alio Rescripto S. C. Indulg. diei 18 Junii 1822, confirmavit *in perpetuum* dictas indulgentias.

Pius autem PP. IX, Decreto ejusdem S. C., sub die 8 Augusti 1859, indulsit ut praefata indulgentia plenaria acquiri possit etiam *prima die mensis Junii* (*Raccolta*, pag. 259).

26. INDULGENTIAE PRO MENSE SEPTEMBRI.

410. Summus Pontifex Pius IX, Brevi diei 3 Aprilis 1857, et Rescripto S. C. I., sub die 26 Novembris 1876, omnibus Christifidelibus, qui saltem corde contrito et devote pium exercitium *mensis Septembris in honorem B. Mariae Virginis Perdolentis* peregerint, ad id utentibus quocumque libro, dummodo sit approbatus, qui de Doloribus sanctissimae Matris tractet, concessit

Indulgentiam tercentum dierum in singulis dicti mensis diebus lucrandam (*Raccolta*, pag. 302).

Die vero 27 Januarii 1888, per Rescript. S. C. Indulg. SSmus D. N. Leo PP. XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui modo supra enuntiato quolibet die mense integro Septembri Dolores B. M. Virginis sive publice sive privatim devote recoluerint, benigne concessit

Indulgentiam plenariam defunctis quoque applicabilem, lucrandam eo die, *infra praedictum mensem* uniuscujusque arbitrio eligendo, quo vere poenitentes, confessi, sacram Synaxim susceperint, et aliquo temporis spatio ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint (Acta Ord. Min. ann. VII, pag. 118; Acta S. Sed. vol. XX, pag. 478).

Idem Pontifex *pro tertia Dominica Septembris* (festum Septem Dolorum B. M. V.) concessit indulgentiam plenariam defunctis quoque applicabilem, *toties quoties* acquirendam ab omnibus Christifidelibus, qui sacramentali Confessione expiati ac sacra Communione refecti, visitaverint aliquam ecclesiam sive Fratrum sive Monialium vel Tertiariorum Ordinis Servitarum, aut etiam Confraternitatis Matris Dolorum, ibique ad mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces aliquo temporis spatio effuderint (Rescr. S. C. I. 27 Jan. 1888, apud Nouv. Rev. Théol. tom. XXI, pag. 478).

27. Indulgentiae pro mense Octobri.

411. SS. D. N. Leo XIII per Decretum Sacrae Rituum Congregationis de die 20 Augusti anni 1885, et per aliud Decretum ejusdem S. C. die 26 Augusti 1886, statuit, *ut quoadusque tristissima perdurent adjuncta,* in quibus versatur Catholica Ecclesia, *ac de restituta Pontificis Maximi plena libertate Deo referre gratias datum non sit,* in omnibus catholici Orbis Cathedralibus et Parochialibus templis, et in cunctis templis ac publicis oratoriis B. Mariae Virgini dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinariorum designandis *Mariale Rosarium, quinque saltem decadum cum Litaniis Lauretanis* per totum mensem Octobrem (incipiendo a prima die ad secundam sequentis Novembris inclusive) quotidie recitetur. Quod si mane fiat, Missa inter preces celebretur; si post meridiem, sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum adorationi proponatur, deinde fideles rite benedicantur.

Ubi autem ob ecclesiarum paupertatem expositio SS. Sacramenti solemni modo, nempe per ostensorium, fieri haud valeat, eadem per modum exceptionis peragi possit, prudenti judicio Ordinarii, cum sacra Pyxide; aperiendo scilicet ab initio ostiolum ciborii, et cum ea populum in fine benedicendo (Apud Acta Ord. Min. ann. IV, pag. 129, et anno V, pag. 150).

Indulgentiae sunt sequentes:

1° *Indulgentia septem annorum ac septem quadragenarum,* singulis vicibus, omnibus qui statis diebus *publicae Rosarii recitationi* interfuerint, et ad mentem Sanctitatis Suae oraverint, et his pariter qui *legitima causa impediti* privatim haec egerint.

2° *Indulgentia plenaria* iis, qui supradicto tempore *decies saltem,* vel publice in templis, vel legitime impediti privatim eadem

peregerint, dummodo sacramentali Confessione expientur, et sacra Synaxi reficiantur.

3° *Indulgentia plenaria* iis pariter, qui vel ipso die festo B. Virginis a Rosario, vel quolibet ex octo sequentibus diebus, Sacramenta, ut supra, perceperint, et in aliqua sacra aede juxta mentem Sanctitatis Suae Deo ejusque sanctissimae Matri supplicaverint (Decr. S. R. C. 20 Aug. 1885, penes Acta Ord. Min. ann. IV pag. 130).

Idem Summus Pontifex per Encycl. *Quamquam pluries* sub die 15 Aug. 1889 decrevit, *ut Octobri toto in recitatione Rosarii, oratio ad* S. JOSEPHUM *adjungatur; idque singulis annis perpetuo servetur*. Christifidelibus autem dictam Orationem publicae Rosarii recitationi addentibus, *indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum* in singulas vices tribuit. — Praefata Oratio est adnexa ipsis Litteris Encyclicis *Quamquam pluries*, et per extensum habetur apud Acta Ord. Min. ann. VIII, pag. 132, ubi etiam invenitur citata Epistola Apostolica pag. 129. Nos dictam Orationem inferius afferemus.

Cum indulgentiae non debeant intelligi pro defunctis applicabiles, *nisi id exprimatur*, consequitur, indulgentias pro mense Octobri concessas, *de quibus modo egimus*, pro vivis tantummodo fuisse elargitas, cum in documentis de animabus Purgatorii nulla fiat mentio. Indulgentiae vero concessae fidelibus, aliquod pium exercitium peragentibus in ceteris mensibus in hac nostra tractatione memoratis, sunt omnes defunctis applicabiles, quia vel continentur in *Raccolta*, vel id expresse enuntiatur in apostolicis documentis.

SS. D. N. Leo XIII, per Decr. *Urbis et Orbis* 21 Sept. 1889, « Eidem Orationi (ad S. Josephum) *aliam Indulgentiam, defunctis quoque applicabilem,* adjicere dignatus est DIERUM TERCENTORUM semel in die *quovis anni tempore* lucrandam ab universis Christifidelibus, qui corde saltem contriti ac devote supramemoratam Orationem *etiam privatim* recitaverint » (Acta Ord. Min. ann. VIII, pag. 169).

28. PIUM EXERCITIUM QUINDECIM SABBATORUM IN HONOREM DEIPARAE SUB TITULO SANCTISSIMI ROSARII.

412. Pluribus abhinc annis Sodales Confraternitatum SS. Rosarii consueverunt singulare pietatis obsequium B. Mariae Vir-

gini tribuere quindecim Sabbatis haud interruptis, vel immediate ante festum ejusdem B. Mariae Virginis sub memorato titulo, vel etiam quolibet infra annum tempore. Haec autem pia praxis jam sacris indulgentiis a Summis Pontificibus pro supradictis tantummodo Sodalibus ditata, in eo sita est, ut nempe singulis praefatis Sabbatis Sodales accedant ad Sacramenta Confessionis et SS. Eucharistiae, simulque aliquem devotionis actum eliciant in honorem quindecim Mysteriorum, quae recensentur in Marialibus precibus SS. Rosarii.

Modo vero cum apud Christifideles usus exhibendi hujusmodi obsequium B. Mariae Virgini frequentissimus invaluerit, Summus Pontifex Leo XIII per Decretum *Urbis et Orbis* S. Congregationis Indulgentiarum die 21 Septembris 1889, alia quacumque abrogata indulgentia, quae fortasse *pro universis Christifidelibus* eidem pio exercitio quomodolibet fuerit adnexa, benigne concessit

Indulgentiam plenariam omnibus Christifidelibus, qui in singulis haud interruptis quindecim Sabbatis vel immediate praecedentibus idem festum B. Mariae Virginis de Rosario, vel etiam quolibet infra annum tempore, vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, tertiam saltem SS. Rosarii partem devote recitaverint, vel aliter ejusmodi SS. Rosarii Mysteria pie recoluerint, *semel tantum* lucrandam *in uno ex dictis Sabbatis* uniuscujusque arbitrio eligendo;

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in reliquis quatuordecim Sabbatis, sub iisdem conditionibus. Hae omnes indulgentiae animabus Purgatorii applicari possunt (Acta S. Sed. vol. XXII, pag. 304).

Praefatum pium exercitium peragi potest die Dominica. Cum experientia compertum sit, plerosque inter fideles, ii potissimum qui ad classem operariorum pertinent, feriatis diebus admodum difficile hujusmodi pium exercitium in honorem Deiparae Virginis praestare posse, proindeque indulgentiis eidem adnexis omnino privari, preces Summo Pontifici admotae sunt, *ut quoties Christifideles legitimo impedimento detineantur* quominus praefatum pium exercitium die Sabbati peragere valeant, *eisdem daretur absque indulgentiarum jactura illud explere die Dominica.*

Has porro preces Leo XIII peramanter excipiens, pro gratia *annuere dignatus est;* aliis ceteroquin servatis conditionibus in supradicto Decreto diei 21 Septembris 1889 jam praescriptis pro

indulgentiis assequendis eidem pio exercitio attributis (Decr. Urbis et Orbis, die 17 Sept. 1892; Nouv. Revue Théol. tom. XXV, pag. 267).

29. Undecim Novenae in honorem B. Mariae Virginis.

413. Summus Pontifex Pius IX omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote peregerint, *quolibet anni tempore,* quamcumque ex sequentibus *Novendialibus in honorem B. V. Mariae,* editis a Sacerdote Josepho M. Falcone Congregationis Missionis, concessit

Indulgentiam tercentum dierum quolibet die;

Indulgentiam plenariam vel decursu cujuslibet Novenae aut in uno ex octo diebus, qui eam immediate subsequuntur, dummodo vere contriti, confessi ac sacra Communione refecti oraverint pro S. Ecclesia et pro Summo Pontifice (Rescript. dat. Cajetae 5 Jan. 1849, et Decr. .S. C. EE. et RR. 28 Jan. 1850).

Verum ex posteriori concessione ejusdem Pontificis praefatae indulgentiae lucrari etiam possunt ab iis, qui easdem Novenas fecerint *quacumque alia precum formula,* dummodo approbata a competenti auctoritate ecclesiastica. Non est igitur necessarium uti formulis editis a P. Falcone (Rescript. 26 Nov. 1876).

Elenchus Novenarum.

1. In honorem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis.
2... Nativitatis ejusdem.
3... Praesentationis.
4... Annuntiationis.
5... Visitationis.
6... Sacri Partus ejusdem B. Virginis et Nativitatis Infantis Jesu.
7... Purificationis.
8... Septem Dolorum.
9... Assumptionis.
10. In honorem S. Cordis Mariae ejusdemque Patrocinii.
11. Pro festo SS. Rosarii B. M. V. (*Raccolta,* pag. 290).

30. Hora orationis infra annum in honorem B. Mariae Virginis Dolorosae.

414. Summus Pontifex Clemens XII concessit omnibus fidelibus

Indulgentiam plenariam, semel in anno, ea die lucrandam, in qua *horam orationis* in honorem B. Mariae Virginis Dolorosae per-

egerint, ejus Dolores recolendo, aliasque preces hujusmodi devotioni congruentes recitando, dummodo contriti Confessione expientur et sacram Synaxim suscipiant (Decr. 4 Febr. 1736; *Raccolta*, pag. 209).

31. Pium exercitium in honorem SS. Virginis Perdolentis.

415. Ad augendam in Christifidelibus devotionem erga SS. Virginem Dolorosam, eosque excitandos ad gratam Passionis Filii sui Jesu memoriam, Summus Pontifex Pius VII concessit iis, qui corde contriti recitaverint *septem Ave Maria*, et post quamlibet ex his stropham *Sancta Mater istud agas — Crucifixi fige plagas — Cordi meo valide;* vel vulgari idiomate, *Santa Madre questo fate — Che le piaghe del Signore — Siano impresse nel mio cuore,*

Indulgentiam tercentum dierum semel in die;

Indulgentiam plenariam semel lucrandam quolibet mense, die ad arbitrium eligenda, ab iis omnibus, qui hoc pium exercitium per mensem peregerint, dummodo vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, oraverint pro S. Ecclesia etc. (Breve 1 Decemb. 1815).

Praedictae indulgentiae confirmatae sunt a Summo Pontifice Pio IX (Rescript. 18 Junii 1876; *Raccolta*, pag. 271).

32. Pium exercitium in honorem SS. Virginis Mariae Desolatae feria VI. majoris hebdomadae et in aliis sextis feriis.

416. A Summo Pontifice Pio VII concessa est

Indulgentia plenaria omnibus Christifidelibus, qui a tertia circiter hora post meridiem feriae VI in Parasceve usque ad horam undecimam Sabbati Sancti, sive publice sive privatim *per unam horam* vel *saltem per dimidium horae* meditationibus vel devotis precibus comites se praebuerint B. Virgini Desolatae post mortem divini Filii sui, ea die lucranda, in qua praecepto paschali satisfecerint;

Indulgentia tercentum dierum iis omnibus, qui in qualibet anni hebdomada ab hora circiter tertia post meridiem (*dalle ore 21 del Venerdì* juxta horologium italicum) diei Veneris usque ad mane diei Dominicae meditationibus vel devotis precibus Virginem

Desolatam honoraverint ut supra per unam horam aut saltem per dimidium horae;

Indulgentia plenaria lucranda in uno ex ultimis diebus cujuslibet mensis a fidelibus, qui hujusmodi pium exercitium singulis hebdomadis peregerint, dummodo confiteantur et communicent.

Praefatae indulgentiae primitus *ad decennium* elargitae fuerunt per Rescripta Secretariae Memorialium (25 Febr. et 21 Martii 1815).

Deinceps idem Pontifex *in perpetuum* eas confirmavit per Rescriptum S. C. Indulg. (18 Junii 1822; *Raccolta,* pag. 258).

33. Septem Dominicae in honorem Immaculatae Conceptionis.

417. Summus Pontifex Pius IX concessit fidelibus, pium exercitium *septem Dominicarum in honorem Immaculatae Conceptionis* peragentibus,

Indulgentiam plenariam lucrandam in ultima ex septem Dominicis, ordinariis conditionibus adimpletis, nempe Confessione, Communione, visitatione alicujus ecclesiae cum precibus pro consuetis finibus;

Indulgentiam septem annorum pro qualibet Dominica;

Indulgentiam tercentum dierum pro visitatione in sero, et pro quolibet die Novenae Immaculatae Conceptionis, faciendae vel in principio aut in fine praedicti pii exercitii septem Dominicarum.

Indulsit insuper, pium hoc exercitium cum Ordinarii assensu a quolibet Sacerdote regulari vel saeculari propagari posse ubique locorum (Rescript. S. C. de Propag. Fide, 21 Sept. 1865; *Raccolta,* pag. 309).

ARTICULUS III.

ANGELI ET SANCTI.

§ I.

1. Exorcismus in Satanam et Angelos apostaticos jussu Leonis XIII P. M. editus.

418. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Ps. 67. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Ps. 34. Judica, Domine, nocentes me; expugna impugnantes me.

Confundantur et revereantur quaerentes animam meam.

Avertantur retrorsum, et confundantur cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: et angelus Domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebrae, et lubricum: et angelus Domini persequens eos.

Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat; et captio quam abscondit, apprehendat eum: et in laqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultabit in Domino: et delectabitur super salutari suo.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Ad S. Michaëlem Archangelum Precatio.

Princeps gloriosissime coelestis militiae, sancte Michaël Archangele, defende nos in praelio et colluctatione, quae nobis est adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in coelestibus (Ephes. 6.). Veni in auxilium hominum, quos Deus creavit inexterminabiles, et ad imaginem similitudinis suae fecit, et a tyrannide diaboli emit pretio magno (Sap. 2; I. Cor. 6.). Praeliare hodie cum beatorum Angelorum exercitu praelia Domini, sicut pugnasti olim contra ducem superbiae luciferum, et angelos ejus apostaticos; et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in coelo. Sed projectus est draco ille ma-

gnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem; et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt (Apoc. 12.). En antiquus inimicus et homicida vehementer erectus est. Transfiguratus in angelum lucis, cum tota malignorum spirituum caterva late circuit et invadit terram, ut in ea deleat nomen Dei et Christi ejus, animasque ad aeternae gloriae coronam destinatas furetur, mactet ac perdat in sempiternum interitum. Virus nequitiae suae, tamquam flumen immundissimum, draco maleficus transfundit in homines depravatos et corruptos corde; spiritum mendacii, impietatis et blasphemiae; halitumque mortiferum luxuriae, vitiorum omnium et iniquitatum. — Ecclesiam, Agni immaculati sponsam, vaferrimi hostes repleverunt amaritudinibus, inebriarunt absinthio; ad omnia desiderabilia ejus impias miserunt manus. Ubi sedes beatissimi Petri et Cathedra veritatis ad lucem gentium constituta est, ibi thronum posuerunt abominationis impietatis suae; ut, percusso Pastore, et gregem disperdere valeant. — Adesto itaque, Dux invictissime, populo Dei contra irrumpentes spiritales nequitias, et fac victoriam. Te custodem et patronum sancta veneratur Ecclesia; te gloriatur defensore adversus terrestrium et infernorum nefarias potestates; tibi tradidit Dominus animas redemptorum in superna felicitate locandas. Deprecare Deum pacis, ut conterat satanam sub pedibus nostris, ne ultra valeat captivos tenere homines, et Ecclesiae nocere. Offer nostras preces in conspectu Altissimi, ut cito anticipent nos misericordiae Domini, et apprehendas draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, ac ligatum mittas in abyssum, ut non seducat amplius gentes (Apoc. 20).

Hinc tuo confisi praesidio ac tutela, sacra ministerii nostri auctoritate, ad infestationes diabolicae fraudis repellendas in nomine Jesu Christi Dei et Domini nostri fidentes et securi aggredimur.

℣. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae. ℟. Vicit Leo de tribu Juda, radix David.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, invocamus nomen sanctum tuum, et clementiam tuam supplices exposcimus, ut per intercessionem immaculatae semper Virginis Dei Genitricis Mariae, beati Michaëlis Archangeli, beati Joseph ejusdem beatae Virginis sponsi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli et omnium Sanctorum, adversus satanam omnesque alios immundos spiritus, qui ad nocendum humano generi animasque perdendas pervagantur in mundo, nobis auxilium praestare digneris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Exorcismus.

Exorcizamus te, omnis immunde spiritus, omnis satanica potestas, omnis incursio infernalis adversarii, omnis legio, omnis congregatio et secta diabolica, in nomine et virtute Domini nostri Jesu † Christi, eradicare et effugare a Dei Ecclesia, ab animabus ad imaginem Dei conditis ac pretioso divini Agni Sanguine redemptis †. Non ultra audeas, serpens callidissime, decipere humanum genus, Dei Ecclesiam persequi, ac Dei electos excutere et cribrare sicut triticum †. Imperat tibi Deus altissimus †, cui in magna tua superbia te similem haberi adhuc praesumis; qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (I. Tim. 2.). Imperat tibi Deus Pater †; imperat tibi Deus Filius †; imperat tibi Deus Spiritus sanctus †. Imperat tibi majestas Christi, aeternum Dei Verbum caro factum †, qui pro salute generis nostri tua invidia perditi, hu-

miliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem (Phil. 2.); qui Ecclesiam suam aedificavit supra firmam petram, et portas inferi adversus eam numquam esse praevalituras edixit, cum ea ipse permansurus omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (Matth. 27, 20.). Imperat tibi sacramentum Crucis †, omniumque christianae fidei Mysteriorum virtus †. Imperat tibi excelsa Dei Genitrix Virgo Maria †, quae superbissimum caput tuum a primo instanti immaculatae suae conceptionis in sua humilitate contrivit. Imperat tibi fides sanctorum Apostolorum †. Imperat tibi Martyrum sanguis, ac pia Sanctorum et Sanctarum omnium intercessio †.

Ergo, draco maledicte et omnis legio diabolica, adjuramus te per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam (Joan. 3.): cessa decipere humanas creaturas, eisque aeternae perditionis venenum propinare: desine Ecclesiae nocere, et ejus libertati laqueos injicere. Vade, satana, inventor et magister omnis fallaciae, hostis humanae salutis. Da locum Christo, in quo nihil invenisti de operibus tuis; da locum Ecclesiae uni, sanctae, catholicae, et apostolicae, quam Christus ipse acquisivit sanguine suo. Humiliare sub potenti manu Dei; contremisce et effuge, invocato a nobis sancto et terribili nomine Jesu, quem inferi tremunt, cui Virtutes coelorum et Potestates et Dominationes subjectae sunt; quem Cherubim et Seraphim indefessis vocibus laudant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus coeli, Deus terrae, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virgi-

num, Deus, qui potestatem habes donare vitam post mortem, requiem post laborem; quia non est Deus praeter te, nec esse potest nisi tu, creator omnium visibilium et invisibilium, cujus regni non erit finis: humiliter majestati gloriae tuae supplicamus, ut ab omni infernalium spirituum potestate, laqueo, deceptione et nequitia nos potenter liberare, et incolumes custodire digneris. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ab insidiis diaboli; Libera nos, Domine.

Ut Ecclesiam tuam secura tibi facias libertate servire; Te rogamus, audi nos.

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris; Te rogamus, audi nos.

(Et aspergatur locus aqua benedicta).

Ex Audientia SSmi, die 18 Maji 1890.

SSmus D. N. Leo divina providentia PP. XIII omnibus Rmis Episcopis, nec non Sacerdotibus ab Ordinariis suis legitime ad id auctoritatem habentibus, qui exorcismum supra expressum devote semel in die recitaverint, *partialem tercentum dierum Indulgentiam* singulis diebus lucrandam: iisdem vero per totum mensem id peragentibus, confessis, ac sacra Eucharistia refectis, *plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam* semel in mense, die eorum arbitrio designanda, pariter lucrandam impertitus est: quam etiam animabus Christifidelium in purgatorio detentis applicari posse declaravit.

Praesentibus in perpetuum valituris.

† D. Archiepiscopus Tyrensis,
S. C. de Propaganda Fide Secretarius.

2. Antiphona seu Oratio in honorem sancti Michaëlis Archangeli.

419. A Summo Pontifice Leone XIII sub die 19 Augusti 1893 concessa est omnibus Christifidelibus, qui corde contrito atque devote recitaverint antiphonam:

Sancte Michaël Archangele, defende nos in praelio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Indulgentia centum dierum semel in die lucranda (Acta S. Sedis, vol. XXVI, pag. 183).

3. Oratio ad S. Raphaëlem Archangelum.

420. Gloriose Archangele S. Raphaël, coelestis Curiae princeps inclyte, sapientiae et gratiae donis praeclare, dux peregrinantium terra marique, miserorum solamen peccatorumque refugium, mihi, quaeso, praesto sis in cunctis vitae hujus necessitatibus ac aerumnis, sicut juniori Tobiae peregrinanti astitisti. Cum sis medicina Dei, te humiliter exoro, ut animae meae infirmitates ac mala, quibus corpus meum premitur, sanare digneris, si mihi id expedierit. Angelicam praesertim a te peto puritatem, qua Spiritus sancti templum vivum esse merear. Amen.

Omnibus Christifidelibus corde saltem contrito supradictam Orationem devote recitantibus Leo XIII per Rescriptum S. C. I. diei 21 Junii 1890 concessit

Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam, et defunctis quoque applicabilem (Acta Ord. Min. ann. IX, pag. 99).

4. Novenae in honorem SS. Archangelorum Michaëlis, Gabrielis et Raphaëlis.

421. Summus Pontifex Pius IX omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote peregerint *quolibet anni tempore* Novenam in honorem vel S. Michaëlis, vel S. Gabrielis, aut S. Raphaëlis, sequentes indulgentias concessit:

Indulgentiam tercentorum dierum quolibet die novendialium;

Indulgentiam plenariam vel novendialium decursu, vel in uno die intra octiduum, quod eamdem Novenam immediate sequitur, dummodo vere contriti, confessi, et sacra Synaxi refecti, preces effuderint pro S. Ecclesia et pro Summo Pontifice.

Juxta primaevam concessionem praefatae Novenae fieri debebant juxta formulas a P. Josepho M. Falcone Congregationis Missionis editas, sed in posterum Pius PP. IX super hac praescriptione dispensavit, et ideo praedictae Novenae peragi possunt quacumque precum formula, dummodo sit

a competenti auctoritate ecclesiastica approbata (Rescript. 26 Nov. 1876. Cf. *Raccolta*, pagg. 339, 346, 347).

5. Novena in honorem S. Angeli Custodis.

422. Etiam haec Novena fieri potest *quolibet anni tempore*, et quacumque precum formula. Indulgentiae tam partialis quam plenaria acquiruntur eodem prorsus modo, quo supra in Novendialibus in honorem SS. Archangelorum. Discrimen est in indulgentia *partiali* dumtaxat, quia in Novena S. Angeli Custodis concessa est indulgentia *centum* dierum quolibet die, non vero tercentum prout supra (Vid. *Raccolta*, pag. 349).

6. Oratio ad S. Angelum Custodem.

423. Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

Pius PP. VI Christifidelibus corde saltem contrito et devote recitantibus dictam Orationem concessit

Indulgentiam centum dierum qualibet vice lucrandam;

Indulgentiam plenariam in festo SS. Angelorum Custodum, die 2 Octobris, iis omnibus, qui mane et sero per totum annum praefatam Orationem recitaverint, dummodo ea die vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitent, orando juxta mentem Summi Pontificis (Breve 2 Octob. 1795).

Idem Pontifex elargitus est

Indulgentiam plenariam in articulo mortis iis, qui in vita frequenter recitaverint eamdem precem, dummodo sint digne dispositi (Rescr. S. C. I. 11 Junii 1796).

Pius PP. VII non solum confirmavit descriptas indulgentias, sed insuper concessit

Indulgentiam plenariam semel in mense omnibus Christifidelibus, qui quotidie per mensem, ut supra, recitaverint, acquirendam in una die ad arbitrium eligenda, in qua vere contriti, confessi ac sacra Communione refecti, aliquam ecclesiam devote visitaverint, orando ad intentionem Sanctitatis Suae (Rescr. 15 Maji 1821; *Raccolta*, pag. 348).

§ II.

7. Oratio ad sanctum Joseph Sponsum B. M. V.

424. Ad te, beate Joseph, in tribulatione nostra confugimus, atque implorato Sponsae tuae sanctissimae auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quaesumus, quae te cum immaculata Virgine Dei Genitrice conjunxit, charitatem, perque paternum, quo Puerum Jesum amplexus es, amorem, supplices deprecamur, ut ad haereditatem, quam Jesus Christus acquisivit Sanguine suo, benignus respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras. Tuere, o Custos providentissime divinae Familiae, Jesu Christi sobolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorum ac corruptelarum luem; propitius nobis, sospitator noster fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine e coelo adesto; et sicut olim Puerum Jesum e summo eripuisti vitae discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende: nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in coelis beatitudinem assequi possimus. Amen.

Per Decretum Urbis et Orbis S. Congregationis Indulgentiarum de die 21 Septembris 1889, Leo PP. XIII *motu proprio* omnibus Christifidelibus supradictam Orationem corde saltem contrito ac devote quovis anni tempore, etiam privatim recitantibus, concessit

Indulgentiam tercentorum dierum, semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem.

Per Litteras Encyclicas *Quamquam pluries* diei 15 Augusti 1889 idem Pontifex fidelibus eamdem Orationem *publicae Rosarii recitationi per mensem Octobrem addentibus,* jam concesserat

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum singulis vicibus acquirendam (Acta Ord. Min. ann. VIII, pag. 169).

8. Oratio: Virginum Custos.

425. Virginum Custos et Pater sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Jesus, et Virgo virginum Maria commissa fuit, te per hoc utrumque charissimum pignus Jesum et Mariam obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

Summus Pontifex Pius IX, revocata quacumque alia indulgentia antea elargita, concessit omnibus Christifidelibus corde saltem contrito et devote dictam Orationem recitantibus

Indulgentiam centum dierum semel in die (Rescr. S. C. I., 4 Febr. 1877; *Raccolta,* pag. 369).

9. Oratio S. Bernardini Senensis ad S. Joseph.

426. Memento nostri, beate Joseph; et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede; sed et beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est ejus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

Ad preces Emi Cardinalis Cajetani Aloisi-Masella, Summus Pontifex Leo XIII universis Christifidelibus corde saltem contrito et devote recitantibus supradictam Orationem benigne concessit

Indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam (Decr. ex Secr. S. C. I. die 14 Decemb. 1889; apud Acta Ord. Min. ann. IX, pag. 69).

10. Responsorium in honorem S. Joseph.

427. Quicumque sanus vivere,
Cursumque vitae claudere
In fine laetus expetit,
Opem Josephi postulet.
Hic Sponsus almae Virginis,
Paterque Jesu creditus,

Justus, fidelis, integer,
Quod poscit, orans impetrat.
Quicumque etc.
Foeno jacentem Parvulum
Adorat, et post exulem
Solatur; inde perditum
Quaerit dolens, et invenit.
Quicumque etc.
Mundi supremus Artifex
Ejus labore pascitur;
Summi Parentis Filius
Obedit illi subditus.
Quicumque etc.
Adesse morti proximus
Cum Matre Jesum conspicit,
Et inter ipsos jubilans
Dulci sopore solvitur.
Quicumque etc.
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.
Quicumque etc.

Antiph. Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

℣. Ora pro nobis, beate Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS. Deus qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es: praesta quaesumus; ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis et regnas etc.

Per Rescriptum Emi Cardinalis Vicarii de dato 6 Septembris 1804, Pius PP. VII concessit omnibus Christifidelibus, quoties corde saltem contrito et devoto recitaverint dictum *Responsorium* cum Antiphona, Versiculo et Oremus,

Indulgentiam unius anni (*Raccolta,* pag. 350-351).

11. Invocatio ad S. Joseph.

428. Fac nos innocuam, Joseph, decurrere vitam, sitque tuo semper tuta patrocinio.

Universis Christifidelibus, corde saltem contrito et devote hanc *Invocationem* recitantibus, concessa est a Summo Pontifice Leone XIII

Indulgentia tercentum dierum semel in die (Rescr. S. C. I., 18 Martii 1882; *Raccolta*, p. 370).

12. Altera Invocatio ad S. Joseph.

429. S. Joseph, exemplar et patrone amantium sacratissimi Cordis Jesu, ora pro nobis.

Summus Pontifex Leo XIII omnibus Christifidelibus praedictam *Invocationem* corde contrito et devote recitantibus benigne concessit

Indulgentiam centum dierum, animabus quoque Purgatorii applicabilem, semel in die lucrandam (Rescr. S. C. I. die 19 Decemb. 1891; Acta Ord. Min., ann. XI, pag. 53).

13. Preces in honorem S. Joseph pro Agonizantibus.

430. Aeterne Pater, propter amorem quo prosequeris S. Josephum, inter omnes a te selectum ad tuas in terris implendas vices, miserere nostri pauperumque animam agentium. *Pater, Ave* et *Gloria.*

Aeterne divine Fili, propter amorem quo prosequeris S. Josephum, tuum in terris fidelissimum custodem, miserere nostri pauperumque animam agentium. *Pater, Ave* et *Gloria.*

Aeterne divine Spiritus, propter amorem quo prosequeris S. Josephum, custodem studiosissimum SSmae Virginis Mariae, tuae dilectae Sponsae, miserere nostri pauperumque animam agentium. *Pater, Ave* et *Gloria.*

Omnibus Christifidelibus, qui supra relatas preces corde saltem contrito ac devote recitaverint, Summus Pontifex Leo XIII, Rescr. S. C. I. die 17 Maji 1884, benigne concessit

Indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam (*Raccolta,* pag. 371; Rescr. auth. N. 451, pag. 687).

14. Novena in honorem S. Josephi Sponsi B. Mariae Virginis.

431. Christifidelibus corde saltem contrito et devote peragentibus quolibet anni tempore *Novenam in honorem S. Joseph Sponsi B. M. V.*, in lucem editam a Sacerdote Josepho M. Falcone, Congregationis Missionis, elargita est a Summo Pontifice Pio IX

Indulgentia tercentum dierum, quolibet die;

Indulgentia plenaria vel infra Novenam, vel in uno die intra octiduum, quod immediate Novenam sequitur, dummodo contriti, confessi et sacra Communione refecti oraverint pro S. Ecclesia et pro Summo Pontifice (Rescr. dat. Cajetae die 5 Jan. 1849, etc.; *Raccolta,* pag. 366).

Idem Pontifex benigne concessit, ut *eaedem indulgentiae* lucrari possint etiam ab iis fidelibus, qui Novendiales peragunt in honorem S. Joseph *alia quacumque precum formula,* dummodo sit approbata a competenti auctoritate ecclesiastica (Decr. 18 Julii 1877; *Raccolta,* loc. cit.).

15. Indulgentiae pro mense Martio.

482. Sancto Joseph Sponso purissimo B. Mariae Virginis, Patri putativo D. N. J. C., ac universalis Ecclesiae Patrono potentissimo, consecratus est mensis Martius, idque ob occurrentiam ejus festi principalis in eodem mense.

Summus Pontifex Pius IX concessit omnibus Christifidelibus peragentibus integro mense Martio pium exercitium, quod in libro Romae impresso continetur, cui titulus: *Considerazioni delle virtù del S. Patriarca Giuseppe a dedicargli il mese di Marzo,*

Indulgentiam tercentum dierum quolibet die;

Indulgentiam plenariam in uno dierum mensis ad arbitrium eligendo, quo confessi et sacra Communione refecti, juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint (Rescr. Secret. Brevium, 12 Junii 1855; *Raccolta,* pag. 366).

Idem Pontifex concessit easdem indulgentias iis fidelibus, qui mense Martio *legitime impediti,* dicabunt praedicto modo *quemlibet alium mensem* in honorem ejusdem S. Patriarchae.

Insuper, ut erga tantum coelestem Patronum devotio magis magisque augeatur, et illa precationis methodus facilius ac latius propagetur, laudatus Pontifex indulsit, ut *easdem indulgentias* universi Christifideles lucrari possint, *dummodo pium aliquod precum ac virtutum exercitium per integrum mensem Martium peregerint, ad instar illarum quae mense Majo* in honorem B. M. V. solent persolvi (Decr. 27 Apr. 1865, apud Acta S. Sed. vol. 1. pag. 46).

Concessit tandem, ut *easdem indulgentias* consequi possint ii, qui hoc pium exercitium ita peragunt, *ut Mensis terminet ipso festo S. Joseph,* die nempe 19 Martii (Rescr. S. C. I. 18 Julii 1877; *Raccolta,* pag. 367).

§ III.

16. Oratio in honorem S. Joannis Apostoli et Evangelistae.

433. Inclyte Apostole, qui ob tuam virginalem puritatem Jesu tam carus extitisti, ut supra pectus ejus reclinares caput, quique dignus es habitus quem, loco sui, Matri beatissimae uti filium relinqueret; da mihi, supplex oro, ut Jesum et Mariam flagrantissima charitate complectar. Fac, quaeso, tua ad Deum prece, ut ego quoque, corde ab omni terrena affectione emundato, Jesu fidelis discipulus, Mariae filius amans, semper adhaeream in terris, ut eis in sempiternum conjungi merear in coelis. Amen.

Versio italica.

O glorioso Apostolo, che per la vostra verginale purità foste cotanto amato da Gesù da meritarvi di posare il vostro capo sul suo divin petto, e di essere lasciato in sua vece qual figlio alla sua santissima Madre; io vi supplico ad accendermi del più vivo amore verso Gesù e verso Maria. Ottenetemi, vi prego, dal Signore che ancor io, col cuore scevro da mondani affetti, sia fatto degno di star sempre unito a Gesù, qual fedele discepolo, ed a Maria, qual figlio divoto qui in terra per rimanervi poi eternamente nel cielo. Cosi sia.

Leo PP. XIII, in Audientia habita die 21 Martii 1891 a Secretario S. Congregationis Indulgentiarum, benigne concessit omnibus Christifidelibus, corde saltem contrito ac devote recitantibus supradictam Orationem,

Indulgentiam centum dierum, defunctis quoque applicabilem, semel in die lucrandam (Acta Ord. Min. ann. X, p. 107; Nouv. Rev. théol. tom. XXIII, p. 305).

17. Indulgentiae pro Festo vel Octava S. P. N. Francisci, nec non pro novendiali supplicatione vel piis exercitiis infra mensem Octobrem.

434. Summus Pontifex Leo XIII omnibus Christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui quamlibet ecclesiam seu publicum oratorium *die festo S. P. Francisci, vel uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus,* cuiusque fidelium arbitrio sibi eligendo, singulis annis devote visitaverint, ibique pro consuetis finibus et pro peccatorum conversione oraverint, concessit

Indulgentiam plenariam.

Insuper, eisdem Christifidelibus, corde saltem contritis, quoties vel *novendiali supplicationi,* vel *piis exercitiis per mensem* in honorem ejusdem S. P. Francisci celebrandis, adfuerint, elargitus est

Indulgentiam tercentum dierum (Breve, *ad Decennium,* 11 Junii 1883; Acta Ord. Min. ann. II, pag. 111).

Idem Summus Pontifex per organum S. Indulg. Congregationis benigne annuit pro prorogatione praefatarum indulgentiarum *ad aliud decennium* a praesenti data computandum (Rescript. 18 Sept. 1893, apud Acta Ord. Min. ann. XII, pag. 175).

18. Pium exercitium quinque Dominicarum in honorem SS. Stigmatum S. P. N. Francisci.

435. Ad augendam devotionem erga Seraphicum Patriarcham, Christifidelibus, qui *in quinque Dominicis* festum sacrorum Stigmatum ejusdem Patriarchae praecedentibus, *vel per alias quinque anni Dominicas consecutivas,* piis meditationibus, aut vocalibus orationibus aliisve pietatis operibus in honorem sacrorum Stigmatum vacaverint, Summus Pontifex Leo XIII concessit

Indulgentiam plenariam semel in anno lucrandam *in qualibet ex dictis quinque Dominicis,* dummodo vere contriti, confessi

et sacra Communione refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium oraverint ad mentem Sanctitatis Suae (Rescr. S. C. I. die 21 Nov. 1885; *Raccolta*, pag. 397. — Acta Ord. Min. ann. V, pag. 10).

19. Hymnus in honorem S. P. Francisci Assisiensis.

436. O divini amoris victima,
Quino cruenta vulnere,
Francisce, qui vivam crucis
Christi refers imaginem.

Tu charitatis fervidis
Flammis adustus sanguinem
Christo daturus, barbara
Ter cogitasti littora.

Voti sed impos non sinis,
Languere flamma desides;
Et excitas coelestia,
Flagrans amore, incendia.

In prole vivens, efferas
Pervadis oras: algida,
Gelu soluto, ut ferveant
Ardore sancto pectora.

Sic pertimendis lividum
Armis Avernum conteris,
Virtutis et firmum latus
Templo labanti subjicis.

Adsis, Pater, precantibus,
Ignemque, late quo tua
Exarsit ingens charitas,
Accende nostris mentibus.

Sit laus Patri, sit Filio,
Sit inclyto Paraclito,
Qui nos Parentis optimi
Det aemulari spiritum. Amen.

S. Indulgentiarum Congregatio, utendo facultatibus a Summo Pontifice Leone XIII sibi specialiter tributis, omnibus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote supra relatum hymnum in honorem S. Francisci Assisiensis recitantibus concessit

Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem (Rescript. 13 Sept. 1893; Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 19).

20. Responsorium: Si quaeris miracula in honorem S. Antonii Patavini.

437. Universis Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote recitaverint in honorem S. Antonii Patavini Responsorium *Si quaeris miracula* cum Versu *Ora pro nobis* etc. et Oratione *Ecclesiam tuam* etc. quod extat in nostris Breviariis et Diurnalibus, Summus Pontifex Pius IX benigne concessit

Indulgentiam centum dierum qualibet vice;

Indulgentiam plenariam semel in mense, in uno die ad arbitrium eligendo, iis omnibus, qui quotidie per mensem dictum Responsorium ut supra recitaverint, dummodo vere contriti, confessi et sacra Communione refecti ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique aliquo temporis spatio oraverint juxta intentionem Sanctitatis Suae (Decr. 25 Jan. 1866; *Raccolta,* pag. 417).

20. Oratio ad S. Ludovicum Episcopum Tolosanum.

438. Ad te supplices confugimus, beate Ludovice, lilium virginitatis, stella fulgens et vas sanctitatis. Supra catholicas Nationes quibus affinitate conjungeris et quarum a Deo Protector es constitutus, coelestes gratias intercessione diffunde. Deum ac Immaculatam Virginem deprecare, ut in christiano populo avorum fides rursum excitetur, ferveat charitas, moresque componantur. Intercede veram principibus ac civibus concordiam, sanctae Matri Ecclesiae contra hostes triumphum, Christi in terris Vicario plenam in sacro animarum regimine libertatem, nobisque omnibus tuum implorantibus auxilium aeternam in coelo felicitatem. Amen.

Versio italica.

A voi supplichevoli ricorriamo, o beato Lodovico, giglio di verginità, splendida stella, esimio vaso di santità. Con la vostra intercessione diffondete, ve ne preghiamo, le grazie celesti sopra le cattoliche Nazioni, alle quali vi unisce regal parentela, e delle quali Dio vi costituì Protettore. Intercedete presso Dio e presso l' Immacolata Vergine, affinchè ritorni nel popolo cristiano l'avita fede, si riaccenda la carità e si riformino i costumi. Ottenete ai principi ed ai cittadini tutti vera concordia; alla S. Madre Chiesa il trionfo sui nemici; al Vicario di Gesù Cristo qui in terra piena libertà nel dirigere e guidare le anime, ed a noi tutti che invochiamo il vostro soccorso, ottenete l' eterna ricompensa nel cielo. Così sia.

S. Congregatio Indulgentiarum, die 12 Junii 1894, utendo facultatibus a Summo Pontifice Leone XIII sibi specialiter tributis, universis Christifidelibus corde saltem contrito ac devoto supra descriptam Orationem recitantibus concessit

Indulgentiam centum dierum, semel in die lucrandam, et defunctis quoque applicabilem (Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 118).

21. Oratio ad S. Thomam Patronum Scholarum catholicarum.

439. Doctor angelice sancte Thoma, Theologorum Princeps et Philosophorum norma, praeclarum christiani orbis decus et Ecclesiae lumen, scholarum omnium catholicarum coelestis Patrone, qui sapientiam sine fictione didicisti et sine invidia communicas, ipsam Sapientiam Filium Dei deprecare pro nobis, ut veniente in nos Spiritu Sapientiae, ea quae docuisti intellectu conspiciamus, et quae egisti imitatione compleamus; doctrinae et virtutis, quibus in terris solis instar semper eluxisti, participes efficiamur; ac tandem earum suavissimis fructibus perenniter tecum delectemur in coelis, divinam Sapientiam collaudantes per infinita saecula saeculorum. Amen.

Leo PP. XIII, per Rescriptum S. C. I. diei 3 Julii 1885, omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote recitaverint praefatam *Orationem*, impertitus est

Indulgentiam ducentorum dierum, semel in die (*Raccolta,* pag. 418).

22. Sex Dominicae in honorem S. Thomae Aquinatis.

440. Ad augendam Christifidelium, et maxime studiosae juventutis devotionem ac pietatem erga divum Angelicum Thomam Aquinatem Leo PP. XIII, supplicante Procuratore Generali Ordinis Praedicatorum, benigne indulsit ut ii omnes, qui *qualibet* ex sex Dominicis Festum ejusdem Angelici Doctoris immediate antecedentibus vel *infra annum* consequentibus, vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, supplicationibus, piis meditationibus, aliisque religiosis exercitiis operam devote impenderint, lucrari possint et valeant

Indulgentiam plenariam, animabus quoque fidelium defunctorum applicabilem, ad instar earum, quas Romani Pontifices pro diebus Dominicis a S. Aloysio Gonzaga nuncupatas concesserunt (Rescript. 21 Aug. 1886; apud Nouv. Rev. théol. tom. XXI, pag. 254).

23. Festum S. Aloysii Gonzagae.

441. Ad augendam devotionem fidelium, maxime juventutis, erga angelicum juvenem S. Aloysium Gonzagam, per organum S. Congregationis Indulgentiarum Summi Pontifices Benedictus XIII, Decreto 22 Nov. 1729, Clemens XII, Decreto 21 Nov. 1737, et Benedictus XIV, Decreto 12 Apr. 1742, concesserunt

Indulgentiam plenariam omnibus Christifidelibus, qui vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, altare S. Aloysio Gonzagae dicatum visitaverint in ejus die festo, orando pro necessitatibus S. Matris Ecclesiae et juxta intentionem Sanctitatis Suae.

Hoc festum, de licentia Ordinarii, celebrari potest *quolibet die infra annum, in quocumque loco et in quocumque altari,* ut deducitur ex citatis Decretis (*Raccolta,* pag. 428).

24. Sex Dominicae in honorem S. Aloysii Gonzagae.

442. Christifidelibus, qui *in sex Dominicis* festum S. Aloysii Gonzagae (21 Junii) immediate praecedentibus, *vel per alias sex anni Domi-*

nicas consecutivas, ad libitum eligendas, piis meditationibus, aut vocalibus orationibus aliisve pietatis operibus in honorem ejusdem Sancti vacaverint, Summus Pontifex Clemens XII concessit

Indulgentiam plenariam, lucrandam in *singulis* sex Dominicis supradictis, dummodo vere contriti, confessi et sacra Communione refecti fuerint (Decr. S. C. Indulg. 11 Decemb. 1739, et 7 Jan. 1740; *Raccolta,* pag. 428).

ARTICULUS IV.

PRECES ET PIA EXERCITIA PRO DEFUNCTIS.

§ I.

1. Psalmus: De profundis.

443. Ex concessione Summi Pontificis Clementis PP. XII Christifideles recitantes *flexis genibus* circa primam noctis horam ad pulsum campanae psalmum *De profundis,* vel semel *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* cum versiculo *Requiem aeternam,* in suffragium animarum Purgatorii, *quo die id egerint,* lucrantur *indulgentiam centum dierum.*

Qui autem *per integrum annum* praemissa peregerint, in uno die cujuslibet anni per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, lucrantur *indulgentiam plenariam* (Breve *Coelestes Ecclesiae Thesauros,* 11 Aug. 1736, apud Ferraris, verb. *Indulg.* art. VI. n. 21; *Raccolta,* pag. 456 etc.).

In iis autem locis ubi deest campanarum usus, acquiri possunt praedictae indulgentiae, recitando ut supra psalmum *De profundis,* vel unum *Pater* etc. *circa* horam primam noctis, idque ex concessione Pii VI per Rescript. S. C. Ind. die 18 Martii 1781 (*Raccolta* et Ferraris loc. cit. n. 20).

Pius PP. IX, Rescripto S. C. Ind. die 18 Julii 1877, declaravit praefatas indulgentias lucrifieri posse, recitando ut supra psalmum *De profundis* vel unum *Pater* etc., quamvis, juxta consuetudinem alicujus ecclesiae et loci, campanae signum detur vel ante vel post horam noctis *(Raccolta).*

Tandem Leo XIII omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote recitaverint praedictum psalmum cum adnexo versiculo *Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis,* in perpetuum concessit indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, *quinquaginta dierum,* ter in die lucrandam (Decr. 3 Febr. 1888, apud Acta S. Sed. vol. XX, p. 477).

2. Officium Defunctorum.

444. Summus Pontifex S. Pius V, Bulla *Quod a Nobis* diei 9 Julii 1568, omnibus fidelibus, qui *ex obligatione* devote recitaverint *Officium Defunctorum* diebus a Rubrica Breviarii Romani praescriptis, concessit *indulgentiam centum dierum.*

Illis autem, qui idem Officium recitaverint *ex propria devotione,* Bulla *Superni Omnipotentis Dei* de die 5 Aprilis 1571, concessit *indulgentiam quinquaginta dierum* (*Raccolta,* pag. 453).

3. Pium exercitium in suffragium Defunctorum.

445. Pius PP. VII, Brevi diei 6 Februarii 1817, concessit

Indulgentiam tercentum dierum semel in die omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote Passionem D. N. J. C. meditantes, recitabunt in suffragium fidelium defunctorum *quinque Pater* et *quinque Ave* cum versiculo: *Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti;* vel Jaculatoriam: *Aeterne Pater, per pretiosum Sanguinem Jesu, misericordia,* et *Requiem aeternam.*

Iis autem fidelibus, qui quotidie per mensem hoc pium exercitium peregerint, idem Pontifex elargitus est

Indulgentiam plenariam die ad arbitrium in dicto mense lucrandam, dummodo contriti, confessi ac sacra Communione refecti oraverint pro concordia inter principes christianos, pro extirpatione haeresum, pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, et pro aeterna requie Defunctorum (*Raccolta,* pag. 458).

4. Preces pro Defunctis feria V, VI et Sabbato Majoris Hebdomadae.

446. Quia memoratis tribus diebus Hebdomadae Majoris a sacra Liturgia non conceditur Sacerdotibus ut Missam celebrent, aliquibus

in locis introductum est pium exercitium peragendi in quolibet ex praefatis tribus diebus per unius saltem horae spatium, orationem vel mentalem aut vocalem in suffragium animarum Purgatorii, ut hae, suffragiis ex Missis provenientibus orbatae illis tribus diebus, possint alio modo adjuvari. Ut haec pia praxis servaretur, Benedictus PP. XIV, Decreto S. C. Indulgentiarum diei 10 Aprilis 1745 concessit

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, in praedictis diebus acquirendam ab omnibus fidelibus, qui corde saltem contrito et devote memoratam orationis horam expleverint.

Idem Pontifex per Decretum praefatae S. Congregationis, die 3 Aprilis 1751, extendit eamdem indulgentiam ad omnes Christifideles, qui interfuerint sacris functionibus, quae illis diebus fieri solent sive per ritum sive per consuetudinem in memoriam Passionis D. N. Jesu Christi, dummodo, ut supra dictum est, aliquam effundant precem pro animabus fidelium defunctorum (*Raccolta*, pag. 457).

5. Indulgentiae pro mense Novembri.

447. Inter cetera christianae pietatis officia, illud etiam in permultis locis obtinuit, mense integro Novembri juvandi quotidianis suffragiis animas piacularibus poenis excruciatas. Quo autem ferventior erga defunctorum animas foveatur charitas, SSmus D. N. Leo PP. XIII omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui sive publice sive privatim peculiaribus piis exercitiis devotisque obsequiis animabus in Purgatorio detentis solamen *per integrum mensem Novembrem quotidie* afferre studuerint, clementer impertitus est

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel in singulis praefati mensis diebus lucrandam;

Indulgentiam plenariam in una memorati mensis die, uniuscujusque arbitrio eligenda, qua vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam vel publicum sacellum adiverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint; quas indulgentias eadem Sanctitas Sua defunctis quoque applicabiles benigne declaravit (Decr. Urbis et Orbis, 17 Jan. 1888, apud Acta Ord. Min. ann. VII, pag. 67).

§ II.

6. Actus heroicus charitatis erga animas in Purgatorio detentas.

448. Actus heroicus charitatis erga animas in Purgatorio detentas in eo consistit, quod Christifidelis, *sive aliqua adhibita formula, sive etiam tantummodo mente,* offerat Deo O. M. pro animabus Purgatorii *omnia opera satisfactoria* quae ipse, quoad vixerit, peraget; nec non *omnia suffragia* quae post mortem quomodocumque ei obvenire poterunt. Multi Christifideles B. Virgini Mariae devotissimi, auctore aut suasore b. m. Gaspare Oliden ex Ordine Clericorum Regularium Theatinorum, consueverunt hujusmodi opera satisfactoria et suffragia in manus quodammodo B. Virginis deponere, ab eadem pro suo misericordi beneplacito distribuenda in favorem animarum Purgatorii.

449. Hic actus heroicus charitatis non semel ab Apostolica Sede fuit approbatus; immo, ut defunctis evaderet utilior, a Benedicto XIII, Decreto 23 Augusti 1728, indulgentiis fuit ditatus, auctique privilegiis ii, qui illum emiserunt: quae omnia confirmata fuerunt a Pio PP. VI sub die 12 Decembris 1788.

450. Rursus Summus Pontifex Pius IX, instantibus nonnullis ecclesiasticis viris, per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum diei 10 Septembris 1852, non modo favores omnes confirmavit, verum etiam voluit eos, ut infra, declarare:

1. Quod Sacerdotes ipsam Oblationem profitentes *indulto altaris privilegiati personalis* gaudere possint *singulis anni diebus.*

2. Quod omnes Christifideles, qui idem Votum seu Oblationem emittunt, *indulgentiam plenariam* fidelibus tantum defunctis applicabilem lucrari queant *quocumque die* ad sacram Communionem accesserint, et *qualibet anni feria secunda* sacrum Missae sacrificium in suffragium eorumdem defunctorum fidelium audierint, dummodo in utroque casu aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint.

3. Quod ipsis Christifidelibus omnes et singulas indulgentias *quocumque modo* concessas, vel in posterum concedendas, quas lucrari possunt, animabus pariter defunctorum applicare liceat.

4. Quod, ut magis ac magis animabus piacularibus flammis addictis perenne tribuatur auxilium, ad universi Orbis Christifideles dictam Oblationem exsolventes, quatenus opus sit, hoc indultum extensum habeatur.

451. Praeterea eadem Sanctitas Sua prae oculis habens tum *adolescentes nondum ad sacram Communionem accedentes,* tum vero *infirmos, chronicos, senes, villicos, in carceribus detentos, ceterosque fideles, qui aut ad sacram Synaxim accedere, aut in feria secunda sacrum Missae sacrificium audire nequeunt,* per aliud Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 20 Novembris 1854 clementer indulsit, ut omnibus et singulis Christifidelibus, qui *legitimo impedimento* nequeunt Sacrum audire feria secunda, pro acquisitione supraenuntiatae indulgentiae in qualibet secunda feria, ut supra, concessae, suffragetur Missa, quam *die Dominico ex praecepto audire tenentur;* pro omnibus et singulis vero fidelibus, qui aut nondum sacrae Eucharistiae sumendae capaces, aut legitima alia ratione hoc Sacramentum sumere nequeunt, benigne *remisit facultatem arbitrio respectivi pro tempore Ordinarii locorum* subdelegandi Confessarios ex approbatis pro opportuna Communionis in alia pia opera commutatione *(Raccolta,* pag. 453 et seq.; Rescr. auth. N. 392, pag. 304 et seq.).

Quamvis actus heroicus charitatis designetur aliquando nomine *voti,* certum est tamen, ipsum nullatenus obligare sub peccato (*Raccolta,* pag. 455).

452. De ejusdem actus seu oblationis obiecto, de essentialibus conditionibus, nec non de indulgentiis ac privilegiis eidem adnexis, identidem dubia oborta sunt. S. Indulgentiarum Congregatio, cui hujusmodi dubia proposita sunt solvenda, sequentes dedit responsiones, a Summo Pontifice Leone XIII sub die 19 Decembris 1885 approbatas:

1. Quod inter opera satisfactoria, quae in actu heroico charitatis offeruntur pro animabus Purgatorii, comprehenduntur etiam indulgentiae, quae declaratae fuerunt a Summis Pontificibus applicabiles Christifidelibus defunctis.

2. Quod praedicto actui seu oblationi non satisfit ab iis, qui sibi reservare volunt indulgentias, quae *pro vivis* conceduntur; sed juxta indultum a Summo Pontifice concessum emittentibus actum heroicum charitatis, hae quoque indulgentiae sunt defunctis applicandae.

3. Conditio praescripta ad privilegiorum participationem est quidem, ut propriae satisfactiones omnes atque indulgentiae pro Purgatorii animabus offerantur; minime autem ut B. Virgini, prout ipsi placuerit, distribuendae relinquantur. Quare, haec in Virginis manus veluti consignatio non est habenda ut pars integralis actus heroici charitatis, sed dumtaxat ut pia actui accessoria devotio Christifidelibus commendanda.

4. Quod plenariae indulgentiae, quas Christifideles actum heroicum charitatis emittentes lucrantur tum ob sacram Communionem, tum ob Missae feria II auditionem, necesse non est, ut applicentur animabus, quas B. V. Maria prae aliis a Purgatorio liberari cupit; sed possunt applicari cuilibet Purgatorii animae (ad libitum cujuscumque fidelis).

5. Indulgentia plenaria altaris privilegiati personalis debet a Sacerdote, qui actum heroicum charitatis emisit, applicari *animae, pro qua Missam celebrat: hoc enim modo privilegium altaris conceditur a Summo Pontifice* (Vid. integr. Decr. apud Acta S. Sed. vol. XVIII, pag. 337 et seq.; Nouv. Rev. Théol. vol. XVIII, pag. 173 et seq.).

453. Per actum heroicum charitatis Christifidelis offert, ut ex definitione patet, *omnia opera satisfactoria*... quae ipse peraget, nec non *omnia suffragia* quae post mortem ei obvenire poterunt. Non ergo per hujusmodi actum offertur fructus operum, in quantum haec sunt *meritoria:* talis fructus alteri applicari nequit, sed operanti remanet, quem Deus in coelo superabundanti compensat praemio. Nec pariter per eumdem actum charitatis *vis impetratoria* nostrarum precum impeditur, sed quisque liber est tum pro se, tum pro aliis orare ad aliquem favorem obtinendum. Per praefatum actum igitur offertur animabus Purgatorii fructus *specialis ac personalis,* qui nobis provenit ex nostris operibus, quatenus haec sunt *satisfactoria,* et ex suffragiis quae nobis post mortem applicantur. Est revera eximiae charitatis actus, quem Deus justus magno compensabit proemio in coelis.

CAPUT II.

JUBILAEUM.

§ I.

NOTIO ET DIVISIO JUBILAEI.

454. Nomen *Jubilaeum,* juxta communiorem Auctorum sententiam, derivat ab hebraico verbo *jobel. Jobel* autem significat tum *quinquagesimum,* quia apud Hebraeos annus Jubilaei quolibet anno *quinquagesimo* recurrebat; tum *sonum tubae,* quia hoc modo annus quinquagesimus indicebatur. Sunt alii Scriptores, qui vocem istam deducunt a *Jubal* vel *Jobal,* quae significat *germinare,* quia illo anno quinquagesimo terra non colebatur, et incolae Hebraei fructibus sponte germinantibus vescebantur. Annus ille erat pro Hebraeis annus laetitiae, jubilationis et veniae. Hinc etiam simili quidem sed altiori ratione, institutum est Jubilaeum sive Jubilaeus in Ecclesia catholica, de quo modo loquimur.

455. **Definitio.** Jubilaeum est indulgentia plenaria solemnis cum privilegiis adnexis, a Summo Pontifice concessa fidelibus certa pia opera peragentibus.

Ex hac definitione deducitur, Jubilaeum *quoad effectum* idem esse ac ceteras indulgentias plenarias, a quibus proinde nonnisi *accidentaliter* differt, ratione scilicet solemnitatis et privilegiorum, quae ipsi adnectuntur.

456. **Divisio.** Jubilaeum multiplex est:

a) Jubilaeum *majus* sive *maximum* seu *ordinarium,* qui *Annus sanctus* dicitur, et regulariter occurrit quolibet vigesimo quinto anno.

b) Jubilaeum *minus* seu *extraordinarium,* quod extra Annum sanctum a Summis Pontificibus concedi solet post uniuscujusque exaltationem vel ob aliam gravem causam.

c) Jubilaeum *generale,* quod conceditur universo orbi, cujusmodi est Jubilaeum *majus,* et plerumque etiam Jubilaeum minus.

d) Jubilaeum *particulare,* seu *in forma Jubilaei,* quod conceditur alicui provinciae, civitati, communitati seu particulari loco, ut est illud concessum a Leone XIII per Litteras Apostolicas *Felix Nazarethana Domus* die 23 Januarii 1894 pro sexto centenario Translationis sacrae Domus Lauretanae.

457. Licet plerique Auctores demonstrent, ante tempora Bonifacii VIII Jubilaeos fuisse celebratos, tamen certum est, ipsum Bonifacium VIII anno 1300 primum constituisse, ut *quolibet anno centesimo redeunte,* Jubilaeum seu Annus sanctus celebraretur. Clemens VI ad *quemlibet annum quinquagesimum* reduxit, et ideo anno 1350 aliud solemne Jubilaeum celebratum fuit. Deinde Urbanus VI creatus Pontifex anno 1378 constituit, ut *ob memoriam annorum triginta trium,* quibus Dominus noster in terris vixit, Jubilaeum celebraretur quovis anno *trigesimo tertio.* Tandem, ut omnis aetas tanti pretiosi thesauri particeps efficeretur, Paulus II anno 1470 statuit, ut in posterum Jubilaeum quolibet anno *vigesimo quinto* perageretur; decrevitque proinde ut anno 1475 celebraretur, quod quidem indixit Sixtus IV successor immediatus Pauli II.

458. Periodus *viginti quinque annorum* pro Anno sancto celebrando a Paulo II statuta, ab omnibus ejus successoribus servata fuit et usque ad praesens immutata remansit, quamvis non semper, ob temporum adjuncta, celebratio Jubilaei maximi fieri potuerit, saltem in forma consueta et solemni. Sic ea omissa fuit tum anno 1800 ob rebellionem in Gallia et mortem Pii VI mense Augusto 1799, cui mense Martio subsequentis anni successit in Summo Pontificatu Pius VII; tum anno 1850 ob exilium ab Urbe Summi Pontificis Pii IX, seu *propter luctuosam temporum rationem, Jubilaei maximi solemnitatem anno* 1850 *occurrentem, Nos omittere debuimus,* ut ait ipse Pontifex in Epistola Encyclica d. d. 24 Decembris 1874, qua indixit, *servata ea forma, quam temporum conditio sinit,* pro anno 1875 Jubilaeum maximum, quod est ultimum usque ad praesens; cui proinde alterum succedet anno 1900.

459. Cajetanus Moroni in suo « *Dizionario di erudizione* » ad verbum *Anno santo,* viginti *Jubilaeos ordinarios* seu Annos sanctos enumerat, quibus si addatur Jubilaeum magnum anni 1875, Urbi et Orbi simul concessum, sunt 21 Jubilaei maximi hucusque celebrati (Cf. etiam *Enciclopedia* D' Avino, verb. *Giubileo,* et Ferraris).

460. Die Ascensionis Domini ante Annum sanctum, maximo apparatu, in Basilica S. Petri recitatur publice Pontificis diploma de proximi anni Jubilaeo.

Annus sanctus, saltem juxta antiquam consuetudinem, incipit a primis Vesperis Nativitatis Domini, et durat usque ad primas Vesperas ejusdem Nativitatis Domini anni sequentis.

Ante Vesperas autem aperitur *Porta sancta* in Basilica S. Petri. Ipse Pontifex aperit, sive potius dat signum apertionis, ter malleo argenteo portam sanctam percutiendo. Deinde a fabris murariis disjicitur murus dictae portae, cujus lapides ac coementum magna devotione colligunt populus Romanus ac peregrini.

Eodem die, eodemque ritu a tribus Cardinalibus ad id delegatis aperiuntur Portae sanctae Basilicarum Lateranensis, S. Pauli extra muros, et S. Mariae Majoris.

Anno sequenti, ipsa die vigiliae Natalis Domini post solemnes Vesperas clauduntur, magnifico apparatu, omnes Portae sanctae, et sic cessat Annus sanctus.

461. Ideo porta dicitur *sancta,* quia, qui per eam, ut decet, ingrediuntur, pie creditur sanctitatem seu gratiam divinam consequi. Verum ad injunctam Basilicarum visitationem et ad Jubilaeum lucrandum non est opus in easdem Basilicas per Portas sanctas, vel per harum aliquam ingredi vel egredi (Bened. XIV, Bulla *Convocatis,* § 49).

462. Jubilaeum majus *Romae soli* per integrum annum concedi solet. Post absolutum in Urbe Annum sanctum solet Pontifex gratiam Jubilaei extendere per brevius tempus, puta sex menses, ad universum orbem. Morem hunc secuti sunt Summi Pontifices Benedictus XIV anno 1751, Pius VI 1776, Leo XII 1826. Verum Pius IX ob temporum adjuncta, quae peregrinationem fidelium ad Urbem minus congruam et opportunam reddebant, anno 1875 Jubilaeum majus indixit simul pro Urbe et Orbe.

463. Praeter Jubilaeum *majus* seu *ordinarium,* quod a Summo Pontifice tempore a jure statuto, nempe *quolibet vigesimo quinto anno,* conceditur, alios solent Romani Pontifices elargiri *extraordinarios et generales Jubilaeos,* praesertim, ut supra innuimus, post cujuslibet ad Summum Pontificatum exaltationem, et non raro aliis gravibus de causis. Tales sunt, quos indixit Pius IX anno 1846, 1851, 1854, 1864 et 1869. Anno vero 1875 fuit Jubilaeum majus. Sub Pontificatu Leonis XIII tria Jubilaea celebrata sunt, nempe anno 1879, 1881 et 1886.

464. Advertendum est, Jubilaeum, quod post clausuram Anni sancti in Urbe extenditur ad universum orbem catholicum, posse iterum lucrari ab iis fidelibus, qui illud Romae jam adepti sunt (Benedict. XIV, Bulla *Benedictus Deus,* § 2).

§ II.

REGULAE IN JUBILAEO SERVANDAE A BENEDICTO XIV TRADITAE.

465. Summus Pontifex Benedictus XIV quasdam edidit Constitutiones, in quibus traduntur regulae in Jubilaeo a se indicto pro anno 1750 servandae. Constitutiones sunt sequentes:

Bulla *Peregrinantes* de dato 5 (in Bullario 15) Maji 1749, qua Jubilaeum magnum indicitur;

Bulla *Cum Nos nuper* d. d. 17 Maji 1749, qua indulgentiae et facultates suspenduntur;

Bulla *Convocatis* d. d. 25 Novembris 1749, qua Poenitentiariis Urbis facultates conceduntur;

Bulla *Inter praeteritos* d. d. 3 Decembris 1749, qua pluri mae de Jubilaeo quaestiones resolvuntur;

Bulla *Paterna charitas* d. d. 17 Decembris 1749, qua Monialibus, Oblatis, Tertiariis, Anachoretis, Eremitis, infirmis, captivis etc. providetur;

Bulla *Benedictus Deus* d. d. 25 Decembris 1750, qua Jubilaeum extenditur ad universum orbem catholicum;

Bulla *Celebrationem* d. d. 1 Januarii 1751, de Jubilaei extensione, de operibus injunctis, de facultatibus concessis etc. (Cf. Decr. auth. pag. 493 ad 524; Bullar. Bened. XIV; Ferraris, verb. *Jubilaeum*).

466. Relate ad praedictas regulas in hujusmodi Constitutionibus contentas, a S. Congregatione Indulgentiarum postulatum est:

An in Jubilaeo tum ordinario, tum extraordinario, servandae sint omnes regulae a s. m. Benedicto XIV traditae, quibus non adversatur Bulla Jubilaei?

S. Congregatio respondit: *Affirmative;* quam resolutionem approbavit Summus Pontifex Pius IX (Decr. 15 Martii 1852; Decr. auth. N. 353).

Igitur regulae a Benedicto XIV traditae occasione Jubilaei magni pro anno 1750 a se indicti, adhuc vigent et sunt servandae *in omnibus, in quibus non opponuntur Bullis Jubilaei.*

Praecipue ergo *attendendum est semper ad tenorem Bullae indictionis;* siquidem regulae quae communes esse solent singulis Jubilaeis, nusquam praevalere possunt Litteris Encyclicis, quibus Romanus Pontifex novum Jubilaeum indicit, si cum ipsis non cohaereant, aut cum mente Pontificis per authentica responsa fortasse significata. Summi enim Pontifices superno lumine in regenda Ecclesia Dei illustrati, id unice in gratiis elargiendis sibi proponunt, quod ad augendum Dei honorem magis confert, et christiano populo, temporum et hominum circumstantiis inspectis, magis accommodatum et salutare esse judicant. Nil mirum proinde si quoad facultates et privilegia tempore Jubilaei concessa, nec non quoad conditiones pro eo lucrando praescripta, non semper perfecta habeatur uniformitas.

467. Illud certum est, a materna S. Ecclesiae sollicitudine neminem excludi: non navigantes et iter agentes, quibus benigne conceditur, ut Jubilaeum lucrari possint, ubi ad certam stationem se receperint; non Moniales, Oblatae, carceribus detenti, vel infirmitate impediti etc., pro quibus datur facultas vel dispensandi vel commutandi praescriptas visitationes Ecclesiarum; non pueri nondum ad primam Communionem admissi, in quorum favorem conceditur Confessariis potestas super eamdem dispensandi, vel eam in aliud pium opus commutandi.

468. Quia regulae a Benedicto XIV pro Jubilaeo traditae, sunt servandae in omnibus, *quibus non adversatur Bulla novi Jubilaei indicti,* consequitur, illarum notitiam Sacerdotibus omnibus, sed praesertim curam animarum habentibus, valde utilem esse, ne dicam necessariam, ut pares sint populo sibi commisso maturas tutasque instructiones tradere. In decursu hujus tractationis non paucae ex dictis regulis occurrunt, quibus accedunt nonnullae authenticae declarationes et responsiones, quibus diluuntur difficultates ac resolvuntur dubia, quae semper oriri solent occasione Jubilaei.

Si res quae expenduntur aliquam praeseferant varietatem et inter se intimo nexu colligatae non appareant, id ipsi rei naturae tribuendum est. Hoc tamen non impedit, quominus attentus lector generalem et satis sibi congruam notitiam de Jubilaeo assequatur, proindeque multam utilitatem ex lectione retrahat.

§ III.

SUSPENSIO FACULTATUM IN CONFESSARIIS.

469. Anno sancto in Urbe perdurante, suspenduntur omnes facultates, quovis titulo concessae, absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi super irregularitatibus. Hujusmodi autem suspensio *non comprehendit ipsam Romanam Urbem,* in qua eo maxime anno praestat operariorum copiam et auxilia pro expediendis poenitentibus non imminui (Bened. XIV, Bulla *Cum nos nuper,* et *Convocatis,* § 55 et 56).

470. A praedicta suspensione excipiuntur: a) facultates tribunalis Officii Inquisitionis, ejusque Officialium; b) facultates, quas S. Sedes, vel S. Congregatio de Propaganda Fide, vel S. Poenitentiaria concedunt Missionariis, in locis Missionum; c) facultates dispensandi et absolvendi subditos in casibus occultis *Episcopis* concessae a Tridentina Synodo, nec non illae, quibus iidem Episcopi jure communi gaudent, vel etiam quae ab Apostolica Sede per speciale indultum pro certis personis et casibus elargitae fuerint; d) facultates a Sede Apostolica tributae Superioribus Ordinum Regularium favore suorum subditorum (Bulla *Cum Nos super*).

Notandum est etiam in suspensione facultatum non comprehendi indulta communicandi indulgentias in articulo mortis, neque facultates applicandi objectis piis indulgentias, quamvis istae, durante Anno sancto, nequeant lucrifieri nisi pro defunctis tantum.

§ IV.

SUSPENSIO INDULGENTIARUM.

471. Durante Jubilaeo maximo seu Anno sancto suspenduntur omnes indulgentiae tam plenariae quam partiales, quae concessae sunt pro vivis, nisi expresse excipiantur. Indulgentiae vero *pro defunctis* non solum non suspenduntur, sed toto Anno sancto perdurante, defunctis applicari possunt *omnes indulgentiae,* etiam illae quae alias ipsis non essent applicabiles: videlicet, indulgentiae concessae pro vivis, suspensae remanent pro iisdem, at acquiri

possunt favore animarum Purgatorii (Bened. XIV, Bulla *Cum Nos nuper*, § 1-2; et *Inter praeteritos*, § 24).

472. Nonnullae tamen indulgentiae a suspensione excipiuntur, scilicet:

1. Indulgentia concessa fidelibus *in articulo mortis* constitutis.

2. Indulgentiae annexae recitationi *Angelus Domini.*

3. Indulgentiae concessae pro visitatione SS. Sacramenti occasione Orationis quadraginta Horarum.

4. Indulgentiae concessae iis, qui comitantur SS. Eucharistiae Sacramentum, cum ad infirmos defertur.

5. Indulgentiae a S. R. E. Cardinalibus de Latere Legatis, et Apostolicae Sedis Nuntiis ac Episcopis in usu seu exercitio Pontificalium, aut impertienda benedictione aliave forma consueta, concedi solitae (Bulla cit. *Cum Nos nuper*).

Indulgentia tamen plenaria adnexa *Benedictioni Papali,* quam Episcopi impertiri solent in aliquibus diebus solemnioribus, suspensa manet (Decr. 22 Dec. 1824. N. 255).

Nec item suspenditur, nisi aliter expressum habeatur in concessione Jubilaei, indulgentia Portiunculae in ecclesia S. Mariae Angelorum prope Assisium, ut patet ex Brevi Innocentii XII de die 21 Augusti 1699, quod jacet per extensum apud Ferraris, verb. *Indulgentia,* art. V, n. 55. In aliis vero ecclesiis Ordinis S. Francisci indulgentia Portiunculae suspenditur pro vivis, non vero pro defunctis, nisi aliter a Summo Pontifice declaretur.

473. Praedicta indulgentiarum suspensio extenditur quidem ad universum catholicum orbem, sed perdurante *Anno sancto tantummodo,* durante scilicet toto anno Jubilaei magni, quod *Romae dumtaxat* conceditur. Quare hujusmodi suspensio incipit a primis Vesperis Natalis Domini et durat usque ad primas Vesperas inclusive ejusdem Natalis Domini anni sequentis; seu ab apertione Portae sanctae usque ad clausuram ejusdem. Unde consequitur, indulgentiarum suspensionem non habere locum nec in Jubilaeo, quod subsequenti anno ad totum orbem extenditur, nec in Jubilaeis minoribus seu extraordinariis.

474. Jubilaeum, quod post Annum sanctum in Alma Urbe celebratum ad universum catholicum orbem extenditur, a nonnullis vocatur *extraordinarium;* sed videntur rectius illi opinari, qui illud ad *ordinarium* reducunt; siquidem non secus ac Jubilaeum

Anni sancti, *jure quodam jam statuto, quolibet anno vigesimo quinto recurrente,* celebrari soleat. Nihilominus, quando simpliciter et sine addito dicitur Jubilaeum ordinarium seu *Annus sanctus,* communiter intelligitur solemne Jubilaeum Romanum.

§ V.

REQUISITA GENERALIA PRO LUCRANDO JUBILAEO.

475. Ad lucrandam Jubilaei indulgentiam, sicut ceteras indulgentias, omnino requiritur ut conditiones appositae et opera praescripta integre adimpleantur et quidem eo modo quo in Bulla concessionis sive a legitima auctoritate ordinatur.

476. Indulgentia Jubilaei acquiri nequit per opus, ad quod praestandum *ex alio titulo* quis obligatur, nisi qui indulgentiam concedit, nominatim dicat, quod per praedictum opus acquiri possit. (Bened. XIV, Bulla *Inter praeteritos,* § 53).

477. « Nulla est necessitas, ut omnia opera injuncta peragantur *in una hebdomada* » (nisi tamen aliter disponatur in Bulla, praesertim quoad jejunium) (S. Poenit. 1865; apud Acta S. Sed. vol. 1, pag. 176).

478. In exequendis operibus pro acquirendo Jubilaeo non requiritur certus ordo; quare nihil impedit, quominus sacramentali Confessioni praemittatur, ex. gr. visitatio ecclesiae (Bened. XIV, Bulla *Convocatis,* § 45).

479. Ad lucrandam Jubilaei indulgentiam necessarium prorsus est, ut saltem ultimum opus fiat in gratia (Bulla *Convocatis,* § 47; *Inter praeteritos,* § 73-79).

480. Declaratum est, posse lucrari Jubilaeum eos, qui conditiones praescriptas partim in una dioecesi, partim in alia *quacumque ex causa* adimplent aut perficiunt, si observent ordinationes Ordinariorum locorum (S. Poenit. 15 Jan. 1886; apud Acta S. Sed. vol. VIII, p. 486, et vol. XVIII, pag. 334, n. VII).

Quapropter ex expressis declarationibus ipsius S. Poenitentiariae anno 1875 Jubilaeum lucratur:

1. Qui Confessionem et Communionem peragit in aliena dioecesi, ubi non habet domicilium, dum cetera opera injuncta in propria dioecesi adimplevit aut adimplere intendit juxta modum a proprio Ordinario praescriptum.

2. Qui postquam partem visitationum peregerit in dioecesi sui domicilii, in aliam dioecesim se transfert, ibi novum acquisiturus domicilium, si in ea numerum visitationum juxta praescriptum Ordinarii novi domicilii complet.

3. Generatim: opera incepta uno in loco, impleri et perfici possunt in alio, ubi quis vitam degere debeat ratione officii, servitutis vel matrimonii (Vid. Acta S. Sed. vol. VIII, pag. 486).

481. Indultum pro navigantibus et iter facientibus, qui impediuntur, quominus currente anno Jubilaei opera injuncta pro lucrando Jubilaeo exequi possint, extenditur etiam ultra annum (S. Poenit. 1875; apud Acta S. Sed. vol. VIII, pag. 485).

Verum, in Bulla *Quod auctoritate Apostolica* pro Jubilaeo anni 1886 nulla fit mentio *de prorogatione Jubilaei.* Quare S. Poenitentiaria die 30 Januarii 1886 de re interrogata, respondit: *In praesenti Jubilaeo nihil de prorogatione proponi* (Nouv. Rev. Théol. vol. XVIII, p. 92 ad IX^{m} et X^{m}).

§ VI.

CONDITIONES SPECIALES PRO LUCRANDO JUBILAEO.

Pro lucrando Jubilaeo *ordinario* tres praescribi solent conditiones, nempe *Confessio, Communio* et *visitatio ecclesiarum cum precibus.* His pro Jubilaeo *extraordinario* adduntur *jejunium* et *eleemosyna.*

1. Confessio et Communio.

482. Pluries S. Poenitentiaria ex mandato Summi Pontificis declaravit: *Una eademque Confessione et Communione non posse satisfieri praecepto Paschali et simul acquiri Jubilaeum* (25 Jan. 1875; 26 Febr. 1879; 25 Martii 1881; 15 Jan. 1886; Vid. Acta S. Sed. vol. VIII, pag. 268, n. IV; vol. XVIII, p. 333, n. III).

Ergo ad lucrandam Jubilaei indulgentiam requiritur Confessio et Communio distincta a Confessione et Communione paschali.

483. Attamen quaesitum est: An possit unus et alter attingi finis *duabus Communionibus, et unica Confessione?*

Resp. *Affirmative; firma tamen remanente obligatione satisfaciendi, si nondum quis satisfecerit, praecepto annuae Confessionis* (S. Poenit. 1875; Acta S. Sed. vol. VIII, pag. 360 ad VII).

484. Ratio hujus resolutionis est manifesta. Nam quivis fidelis tenetur quidem unam Confessionem peragere *intra annum,* sed non taxative intra tempus Paschale, ajente Concilio Later. IV, *semel saltem in anno.* Ergo per unicam Confessionem factam in Paschate potest quis sibi praestituere Jubilaei acquisitionem, et differre, si nondum praecepto Ecclesiae satisfecerit, ad aliud tempus intra annum alteram Confessionem pro adimplemento praedicti praecepti Ecclesiae.

485. Verum, anno 1865 concessum est, ut *Communio paschalis* sufficeret ad Jubilaeum lucrandum et simul ad satisfaciendum praecepto Paschatis. Interrogata enim S. Poenitentiaria:

An Episcopi, in quorum dioecesibus Jubilaeum in tempus Paschale incidit, fidelibus declarare possint, per unicam Communionem, nempe Paschalem, satisfieri Communioni ex Jubilaeo injunctae? Resp. *Affirmative* (20 Jan. 1865; Gury-Baller. vol. II, append. de Jubilaeo, pag. 1060, edit. 7; Acta S. Sed. vol. I, p. 174 ad 2^m).

486. Confessio *hebdomadalis* minime sufficit ad lucrandum Jubilaeum; requiritur proinde Confessio specialis intra Jubilaei tempus peragenda (Decr. 9 Dec. 1763. N. 231).

487. Confessio etiam illi est necessaria pro lucrando Jubilaeo, qui sola venialia habet, seu qui culpae certae immemor est ex ultima Confessione (Decr. 6 Maji 1852. N. 359 ad 4^m; Bened. XIV, Bulla *Convocatis,* § 46).

488. Licet Confessio, *qua opus injunctum,* sit necessaria pro lucrando Jubilaeo illis etiam fidelibus, *qui solis peccatis venialibus tenentur,* tamen non idem dicendum est *de absolutione,* quae an tribui debeat vel non, arbitrio prudentis Confessarii relinquitur: *dummodo tamen in Bulla concessionis aliud expresse non habeatur.* Revera Pius IX in Bulla Jubilaei anni 1851 *sacramentalem absolutionem* praescripsit illis verbis: « *fideles peccata sua confessi et sacramentali absolutione expiati* ».

489. Si quis post Confessionem peractam, in lethale peccatum inciderit antequam omnia omnino opera pro Jubilaeo lucrando injuncta expleverit, Confessionem denuo praemittere debet, priusquam ultimum saltem ex aliis injunctis operibus expleat, ut indulgentiam Jubilaei consequatur (Bulla *Convocatis,* n. 47; et *Inter praeteritos,* § 79).

490. Benedictus XIV in citata Constit. *Inter praeteritos,* § 79, commemorat sententiam illorum Theologorum, qui ad repetendam

Confessionem illum etiam obligari putant, qui peccati alicujus in Confessione prius facta *per innoxiam oblivionem* non enuntiati, reminisceretur. Pontifex de hac opinione nihil expresse dicit. Nobis videtur certa sententia P. Theodori a Sp. S. qui existimat, hujusmodi fidelem non teneri pro acquirendo Jubilaeo novam Confessionem peragere, licet tamen teneatur in proxima Confessione illud peccatum manifestare (De Jubilaeo, cap. 9, § 3, quaest. 10).

491. Qui Confessarium adit duabus vicibus in ordine *ad unicam absolutionem* non satisfacit duplici praecepto Confessionis annualis et Jubilaei (S. Poenit. 1875; Acta S. Sed. vol. VIII, p. 555).

492. Quia omnia opera injuncta fieri debent intra intervallum temporis pro lucrando Jubilaeo praefinitum, consequitur, Confessionem factam in *vigilia* primae diei Jubilaei, non sufficere ad indulgentiam acquirendam. Potest tamen inchoari Confessio, sive in vigilia, sive ante, modo tempore Jubilaei terminetur. Et potest tota Confessio peragi in ea parte vigiliae, quae *primas Vesperas* subsequitur; quia prima dies, ecclesiastico more, a primis Vesperis computari solet; et hoc in Jubilaeo ordinario Urbis constanter servatur, ut patet ex Benedicti XIV Bulla, *Peregrinantes* 5 Maji 1749, § 5 (Gury, II. n. 1069).

493. In Confessione pro lucrando Jubilaeo cuique poenitenti salutaris poenitentia imponenda est a Confessario, ne mutilum maneat Sacramentum (Bulla *Convocatis,* n. 26; *Inter praeteritos,* § 64, 65).

2. Visitatio ecclesiarum.

494. In Jubilaeo *ordinario* ecclesiae visitandae *pro Urbe* de more sunt Basilicae SS. Petri et Pauli, Lateranensis, et Liberiana. In Jubilaeo *extraordinario* sunt eaedem Basilicae, excepta illa S. Pauli. In aliis orbis catholici dioecesibus ecclesiae visitandae designantur ex delegatione apostolica ab Episcopis vel ab eorum delegatis.

495. Ad lucrandum Jubilaeum extraordinarium a Summo Pontifice Leone XIII pro toto anno 1886 indictum, visitationes ita fuerunt praescriptae:

1° Ut « quotquot Romae sunt cives hospitesve, Basilicam Lateranensem, item Vaticanam et Liberianam *bis* adeant. — Ceteri vero omnes extra Urbem degentes, tria templa ab Ordinariis lo-

corum designanda, *bis* adeant; si duo templa tantum fuerint, *ter;* si unum, *sexies,* dicto temporis intervallo adeant».

496. Ad injunctas visitationes exequendas designari possunt etiam capellae et oratoria, dummodo sint publico cultui addicta, et in iis soleat Missa celebrari (S. Poenit. 15 Jan. 1886; Acta S. Sed. vol. XVIII, pag. 334, V).

497. Ubi visitatio *plurium* ecclesiarum fieri nequit, quia in loco unica tantum adest ecclesia, tributa est Ordinariis facultas toties visitandi unicam ecclesiam, quot sunt ecclesiae pro acquisitione Jubilaei visitandae (Decr. Urbis et Orbis 15 Mart. 1852. N. 353).

498. Visitationes ad lucrandum Jubilaeum indictae, dummodo praescripto numero fiant, institui possunt pro lubito fidelium sive uno, sive diversis diebus (S. Poenit. 1879, et 15 Jan. 1886; Acta S. Sed. vol. XI, p. 528, et vol. XVIII, p. 334, VI).

499. Verum occasione *Anni sancti* seu Jubilaei maximi, visitationes quatuor ecclesiarum in uno die fieri debent. Dies autem potest esse sive naturalis, a media nocte ad mediam noctem; sive ecclesiasticus, nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum (Bened. XIV, *Inter praeteritos,* § 8, 11, 13; S. Poenit. 25 Jan. 1875, apud Acta S. Sed. vol. VIII, pag. 266, I).

500. Religiosi lucrari nequeunt Jubilaeum peragentes in propria ecclesia visitationes ad id praescriptas. Debent ergo etiam ipsi visitare ecclesias ab Ordinario designatas (S. Poenit. 1875; Acta S. Sed. vol. VIII, pag. 554, III).

501. Nec Abbates et Praelati regulares, licet jurisdictionem quasi episcopalem in subditos intra septa sui respectivi monasterii habentes, possunt ecclesiam seu oratorium monasterii proprii suis subditis visitandum designare ad lucrandam Jubilaei indulgentiam (S. Poenit. 15 Dec. 1886, apud Nouv. Revue théol. vol. XIX, pag. 28).

502. Ad distinguendas numero visitationes necesse est ut fideles egrediantur, et rursus in eamdem statutam ecclesiam ingrediantur (S. Poenit. 1875, apud Acta S. Sed. vol. VIII, pag. 267, II).

Quando ergo quatuor in die visitationes praescriptae in ecclesia eadem peragi debeant, non sufficit, in eadem ecclesia manendo, de uno in alium locum transire, aut etiam tantummodo assurgere, uti pro Stationibus S. Viae Crucis vulgo usuvenit, *sed necesse est egredi ab ecclesia, et iterum in eamdem ingredi* (Ibid. pag. 268, n. VIII).

503. Per Litteras Encyclicas Episcopis dari solet potestas, ut Capitulis et Congregationibus tam saecularium quam regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus, collegiis quibuscumque, ecclesias designatas *processionaliter* visitantibus, easdem visitationes *ad minorem numerum* pro eorum prudenti arbitrio reducere possint.

Etiam *Christifidelibus* cum Capitulis, Congregationibus, Confraternitatibus, nec non cum proprio Parocho aut Sacerdote ab eo deputato, ecclesias pro lucrando Jubilaeo *processionaliter* visitantibus, applicari potest ab Ordinariis indultum in Litteris Apostolicis iisdem Capitulis, Congregationibus etc. concessum (S. Poenit. 25 Mart. 1881; 15 Jan. 1886, etc. apud Acta S. Sed. vol. XIII, pag. 423; v. XVIII, p. 333).

504. Fideles in processionibus *extra januas ecclesiae aut oratorii* ob illius angustiam remanentes, et cum aliis orantes, unum corpus moraliter efformant, ac proinde visitationi pro lucrando Jubilaeo satisfaciunt (S. Poenit. 1875, in Act. S. Sed. vol. VIII, pag. 554).

Quaesitum est: An censeri possint veluti *processiones* ad quatuor ecclesias designatas pro Jubilaeo lucrando, visitationes, quas Ordinarius peragit una cum Capitulo et Seminario *in vestimentis haud choralibus, sed nigris,* psallendo voce submissa; et proinde, an sit in suo *(Ordinarii postulantis)* arbitrio numerum visitationum imminuere, sicut est in sua facultate eas imminuere quae processionaliter fiunt? Resp. *Quatenus processiones fieri nequeant more solito, affirmative* (S. Poenit. 1875; apud Acta S. Sed. vol. VIII, pag. 554).

505. Fideles illi, qui pro lucrando Jubilaeo Anni sancti iter Romam versus susceperunt, vel qui cum ad ipsam pervenerint, non possunt vel complere vel incipere visitationem Basilicarum, sive morte praeventi, sive alia legitima causa impediti, gaudere possunt fructu indulgentiae, dummodo poenitentes sint, Confessionem fecerint, et sanctam Eucharistiam receperint (Bulla *Inter praeteritos,* § 14; *Peregrinantes,* § 7; vid. etiam Bullam Pii IX *Gravibus Ecclesiae* pro Jubil. anni 1875.

3. Preces.

506. Piae ad Deum preces effundendae in praedictis ecclesiarum visitationibus non sunt determinatae, sed sunt ad uniuscujus-

que fidelis libitum. Earum tamen *finis* vel fines specificari solent his vel similibus formulis «... *ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro catholicae Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum, omniumque errantium conversione, pro christianorum principum concordia, ac totius fidelis populi pace et unitate, ac juxta mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint...* » (Cf. Litt. Apost. Leonis XIII apud Acta S. Sed. vol. XI, p. 417; vol. XIII, p. 385; nec non Bulla *Peregrinantes* Bened. XIV, § 6).

507. Injunctae preces in singularum ecclesiarum visitatione juxta mentem Summi Pontificis effundendae, satis est, si vocales fuerint. Qui sola mente pro expressis finibus devote orare voluerit, laudandus est; *aliquam tamen etiam vocalem orationem adjungere debet* (Bulla *Convocatis*, n. 51; *Inter praeteritos*, § 83).

4. Jejunium.

508. Jejunium pro lucrando Jubilaeo extraordinario anni 1886 praescriptum, « adimpleri non potest, ita S. Poenitentiaria, diebus stricti juris jejunio reservatis, nec diebus quatuor temporum per annum, et nisi adhibeantur cibi esuriales, vetito usu, circa qualitatem ciborum, cujuscumque Indulti seu privilegii etiam Bullae Cruciatae. In iis vero locis, *ubi cibis esurialibus uti difficile sit*, Ordinarii possunt indulgere, ut ova et lacticinia adhibeantur, servata in ceteris jejunii ecclesiastici forma » (S. Poenit. 15 Jan. 1886, in Act. S. Sed. vol. XVIII, p. 333).

509. Licet Summi Pontifices tres jejunii dies praescribere consueverint pro lucrando Jubilaeo, tamen Leo XIII in suis Litteris Encyclicis *Pontifices Maximi* diei 15 Febr. 1879, et *Militans* de die 12 Martii 1881, *unum tantum jejunii diem* praescripsit; *duos autem dies* pro Jubilaeo anni 1886, per Epistolam Encyclicam *Quod auctoritate* diei 23 Nov. 1885 indicto. Iejunium tamen debebat esse rigorosum (*stretto magro*): *Duos dies* (vel *semel*) *esurialibus tantum cibis utentes, jejunent, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos, aut alias simili stricti juris jejunio ex praecepto Ecclesiae consecratos.*

510. Generatim jejunium ex alio titulo debitum suffragari nequit pro jejunio ad lucrandum Jubilaeum praescripto, *nisi ex Bulla aliter constet.* Et revera id non semel concessum est. Pro Jubilaeo

anni 1879 S. Poenitentiaria die 26 Febr. 1879 de mandato Summi Pontificis declaravit:

Jejunium pro hoc Jubilaeo consequendo praescriptum adimpleri posse etiam *tempore Quadragesimae*, dummodo fiat extra dies in Litteris Apostolicis exceptos, et adhibeantur cibi tantum esuriales, vetito usu, quoad qualitatem ciborum, cujuscumque indulti seu privilegii etiam Bullae Cruciatae (Acta S. Sed. vol. XI, p. 527; vol. XIII, p. 422).

511. *Qui aut voto, aut praecepto, uti sunt Franciscales,* aut quocumque alio titulo tenentur toto anni tempore jejunare aliquo die ex diebus praescriptis pro Jubilaeo, suffragatur tale jejunium ad lucrandam indulgentiam (Decr. 10 Julii 1869. N. 425 ad 3m).

512. Cum *Religiosi S. Francisci* teneantur jejunare a secunda die Novembris usque ad Nativitatem Domini, quaeritur, utrum, hoc decurrente tempore, ipsi possint unico jejunio tribus praescriptis diebus facto, satisfacere duplici obligationi tum praecepti, tum Jubilaei? Resp. *Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto,* dummodo esurialibus tantum cibis pro dictis tribus Jubilaei jejuniis utantur, quamvis fortasse ab usu ciborum esurialium dispensationem pro dicta Quadragesima obtinuerint (Decr. eod. ad 4m).

513. An idem dicendum sit pro Quadragesima Ecclesiae etiam quoad Christifideles? Resp. *Permittitur ex speciali Sanctitatis Suae indulto,* ut in superiori responsione, et cum eadem conditione in ea apposita (Decr. eod. ad 5m).

514. Qui obtinuit indultum vescendi carnibus etiam pro jejuniis Jubilaei, tenetur lege de non permiscendis epulis, nempe carnibus cum piscibus (Decr. eod. ad 7m).

515. Etiam ii, qui ad statutam aetatem pro jejunii obligatione nondum pervenerunt, nec non operarii, aliique, qui ob legitimam causam ad jejunia ab Ecclesia praecepta non tenentur, debent jejunare, ut indulgentiam Jubilaei lucrentur. Quod si judicio Confessarii id praestare nequiverint, Confessarius ipse poterit jejunium in alia pia opera commutare (Decr. eod. ad 8m).

516. Licet jejunium pro Jubilaeo in una hebdomada (feria IV, et VI ac Sabbato) ordinarie perfici debeat, tamen *in Jubilaeo anni* 1869 benignitate Pii IX, singuli dies jejunii in diversas hebdomadas dividi poterant (Ibid. ad 9m). Item, occasione Jubilaei anni 1886 quaesitum est, an duo jejunia praescripta fieri debeant duo-

bus diebus *unius ejusdemque hebdomadae?* Resp. *Negative* (S. Poenit. 11 Martii 1886; in Act. S. Sed. vol. XVIII, pag. 512).

5. ELEEMOSYNA.

517. In Jubilaeis extraordinariis praescribi solet, ut supra innuimus, etiam eleemosyna. Quia haec praescribitur *ut conditio* ad indulgentiam Jubilaei lucrandam, consequitur, etiam pauperes teneri ad eam elargiendam, si Jubilaeum consequi velint. Quod si contingat, aliquem tantam penuriam pati, ut sine gravi incommodo eam tribuere nequeat, eleemosyna potest ei in aliud opus commutari.

518. Eleemosyna etiam per alium fieri potest. Hinc pro Religiosis, filiisfamilias, uxoribus et servis, sufficit, si eleemosyna ab eorum Superioribus erogetur. Oportet tamen, ut ii omnes praemoneantur, ut sciant et efforment intentionem. Quod si Superior eam erogare renuat, consultius est commutationem petere (Cf. S. Alph. Lib. VI, n. 358, q. 11).

519. Quaeri solet a Theologis, quaenam quantitas eleemosynae eroganda sit? S. Alphonsus loc. cit. respondet: In hoc praecipue attendenda sunt verba Indulti. Nam si in eo dicatur: *Quantum pro sua cuique facultate visum fuerit;* tunc quantitatem oportet proportionari cujusque facultatibus; unde sufficiet pauperi dare obulum, non diviti. Si vero dicitur: *Prout unicuique suggeret devotio, vel quantum quisque pro arbitrio judicaverit,* tunc Pasqualigus dicit eleemosynam erogandam juxta cujusque facultates. Sed Theodorus a Sp. S. tenet sufficere *quamlibet etiam modicam quantitatem.* Si tandem dicatur simpliciter: *Qui dederit eleemosynam;* distinguendum: si Papa eam postulet tantum ad exercendam misericordiam in pauperes, tunc sufficit dare quamlibet summam; secus, si eleemosyna exposcatur in subsidium alicujus operae piae ».

520. In Jubilaeo anni 1879 Leo PP. XIII praescripsit *aliquam eleemosynam in pauperes vel in pium aliquod opus, prout unicuique devotio suggeret,* erogandam.

In Jubilaeo anni 1881 statuit ut fideles *eleemosynae nomine in pium aliquod opus quidquam conferant.* Qua de re commemoravit et commendavit quaedam sancta instituta, nempe, *Propagationem Fidei, sacram Jesu Christi Infantiam et Scholas Orientis.*

In Jubilaeo anni 1886 praescripsit *stipem aliquam pro sua quisque facultate, adhibito in consilium Confessario, in aliquod pium opus, quod ad propagationem et incrementum Fidei catholicae pertineat, conferendam.* Duo nominatim designavit Pontifex, nimirum *privatas puerorum scholas,* et *Seminaria Clericorum.*

Juxta sententiam S. Alphonsi supra relatam, in primo casu, nempe in Jubilaeo anni 1879, quaelibet eleemosyna, *etiam modica,* sufficit. In secundo casu, quia exclusive *in subsidium pii operis petitur,* aliquanto copiosior danda foret. In tertio casu, eleemosyna *cujuscumque facultatibus* proportionari deberet.

521. Relate ad clausulam « *adhibito in consilium Confessario* » S. Poenitentiaria die 30 Januarii 1886 declaravit: Confessarii consilium adhibendum esse ab iis, *qui de quantitate stipis sibi conveniente dubitant.* Quantitatem vero ipsam eatenus debere singulorum facultati respondere, quatenus quae sufficit pauperibus, non sufficit divitibus (Apud Nouv. Rev. Théol. vol. XVIII, pag. 91 ad VIII^{m}).

§ VII.

FACULTATES ET PRIVILEGIA, QUAE TEMPORE JUBILAEI CONCEDI SOLENT.

Romani Pontifices consueverunt elargiri occasione Jubilaei quaedam privilegia seu facultates, quae, tamquam auxilia, valde conferunt ad expediendam multitudinem fidelium, qui eo tempore ad suscipienda Sacramenta accedere solent. Inter hujusmodi facultates praecipue recensentur: 1° facultas pro poenitentibus eligendi Confessarium; 2° facultas pro Confessario commutandi opera injuncta; 3° facultas commutandi vota; 4° facultas absolvendi a peccatis et censuris reservatis; 5° facultas dispensandi super irregularitate; 6° facultas prorogandi Jubilaeum. Haec autem omnia cum cautelis et limitationibus, quas pro singulis recensitis facultatibus modo subjicimus.

1. Facultas eligendi Confessarium.

522. Jubilaei tempore Christifidelibus poenitentibus conceditur facultas eligendi Confessarium inter approbatos ab Episcopo loci, ubi fit Confessio. Eadem facultate etiam Regulares cujusvis Ordinis

et Instituti absque Superiorum suorum licentia uti possunt (Bulla *Inter praeteritos,* § 35, 36).

523. In Epistola Encyclica *Quod auctoritate,* qua Leo XIII Jubilaeum indixit pro toto anno 1886, habetur: « Universis et singulis Christifidelibus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus ac regularibus cujusvis Ordinis et Instituti, etiam specialiter nominandi, facultatem concedimus, ut sibi ad hunc finem eligere possint quemcumque presbyterum Confessarium tam saecularem quam regularem *ex actu approbatis* ». Hinc postulatum est:

Cum Bulla indictionis Jubilaei concedat eligi Confessarium *ex actu approbatis,* nec addat *ab Ordinariis locorum,* an possit Regularis regularem Sacerdotem *a solo Superiore regulari,* et non ab Ordinario loci approbatum eligere, atque ab eo privilegiorum vel facultatum Jubilaei applicationem recipere? S. Poenitentiaria die 30 Januarii 1886, de speciali Apostolica Auctoritate, respondit: *Affirmative* (Nouv. Rev. Théol. vol. XVIII, pag. 91 ad XIm).

524. Facultate sibi eligendi Confessarium uti possunt etiam *Moniales, Novitiae, aliaeque mulieres intra Claustra degentes,* dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus (Ita in Bullis pro Jubilaeo, Pii IX et Leonis XIII).

Eligere proinde possunt quemcumque Confessarium, qui sit approbatus ad hunc finem *generatim* vel pro aliquo vel aliis monasteriis. Et haec regula valet pro quibuscumque mulieribus in communitate viventibus.

2. Commutatio operum injunctorum.

525. Jubilaei tempore Confessariis tribuitur facultas commutandi opera praescripta in alia pietatis opera. Hujusmodi autem facultas ex doctrina Benedicti XIV non extenditur ad *Confessionem* et *Communionem,* nec etiam ad *preces,* quae a visitatione ecclesiarum separari possunt. Restringitur ergo ad visitationes ecclesiarum dumtaxat (Bulla *Inter praeteritos,* § 52 et 53; et Bulla *Benedictus Deus,* § 3).

526. *Exceptio pro pueris quoad Communionem.* Pueri, qui nondum ad primam Communionem admissi sunt, neque intra Jubilaei tempus, parochi proprii vel Confessarii judicio admittendi videantur, censentur ab isto injuncto opere legitime impediti; Confessariis proinde tribuitur facultas commutandi eisdem Commu-

nionem in aliud pium opus (Bulla *Convocatis,* § 48; *Inter praeteritos,* § 80).

527. Leo XIII in tribus Jubilaeis a se indictis pro anno 1879, 1881, et 1886, concessit facultatem *simpliciter dispensandi* cum pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi fuerint (Vid. Bullas in Act. S. Sed. vol. XI, p. 417; vol. XIII, p. 385; vol. XVIII, pag. 257).

528. Benedictus XIV in citatis locis loquitur tantum de Jubilaeo *maximo* seu *ordinario,* cujus conditiones seu opera injuncta tres esse solent, nempe *Confessio, Communio* et *ecclesiarum visitatio cum precibus.* Ast, praeter hujusmodi opera, in Jubilaeis *minoribus* seu *extraordinariis* solent Summi Pontifices alia duo opera injungere, scilicet *jejunium* et *eleemosynam,* et ad haec etiam extenditur potestas facta Confessariis commutandi opera injuncta. Dici ergo potest, facultatem in Confessariis commutandi opera injuncta sese extendere, *saltem ordinarie,* ad tria, videlicet *ad visitationem ecclesiarum, jejunium et eleemosynam.*

529. Hic tandem adnotare praestat, Summos Pontifices in Jubilaeis *extraordinariis* latiori formula usos fuisse relate ad operum injunctorum commutationem. Sic in Bulla Jubilaei anni 1886 Leo XIII his utitur verbis:

« Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, qui carcere, infirmitate corporis, aut alia qualibet justa causa impediantur, quominus *memorata opera, vel eorum aliqua* praestent, concedimus, ut ea Confessarius in alia pietatis opera commutare possit, facta etiam potestate dispensandi super Communionem cum pueris nondum ad primam Communionem admissis ». Idem prorsus est *quoad hanc facultatem* tenor Apostolicarum Constitutionum de Jubilaeo anni 1879 et 1881.

530. Ex descripta generalitate verborum inferri posse videtur, etiam aliquod opus, praeter supra commemorata, commutari posse *pro legitime impeditis;* non quidem *Confessio,* quae omnino requiritur; siquidem ipsa operum commutatio nonnisi in foro conscientiae seu *intra actum Confessionis sacramentalis fieri potest;* sed *Communio,* cujus commutatio in certis casibus merito concipitur necessaria, puta pro in carcere detentis, pro infirmis in lecto, praesertim si pluries lucrari cuperent Jubilaeum. Ad rem anno 1886 declaratum fuit:

Pro Jubilaeo *(anni* 1886*)* valere etiam concessionem diei 18 Septembris 1862, ita ut pro aegrotis, qui domo egredi non possunt, Confessarius Communionem in alia pietatis opera commutare possit (S. Poenit. 10 Maji 1886).

531. Facultate commutandi opera injuncta uti debent Confessarii non cum omnibus indiscriminatim, sed cum iis tantum qui *legitimo impedimento* seu *justa causa impediuntur,* quomimus praescripta opera praestent. Non enim Confessarii praedicta facultate abuti possunt (Bulla *Inter praeteritos,* § 52 et 54; *Convocatis,* § 21; et Bullae Jubilaei anni 1879, 1881, et 1886).

532. Commutatio fieri nequit in alia pia opera, ad quae poenitens *ex alio titulo* obligatur. Agitur enim de subrogatione unius operis loco alterius. Sicut ergo opus pro Jubilaeo a Summo Pontifice praescriptum, est liberum seu supererogatorium, ita opus ei subrogatum liberum esse debet, seu non ex alio titulo obligatorium (*Inter praeteritos,* § 53).

Quod si contingat, ut ex concessione Papae aliquod opus pro assequendo Jubilaeo injunctum valeat, etiamsi ex alio titulo debitum, puta jejunium; ratione oppositi dici posse videtur, quod Confessarius in hoc casu facere possit commutationem in opus aliunde debitum: *subrogatum* enim *naturam sequitur et conditionem illius pro quo subrogatur* (Cf. Ferraris, verb. *Jubilaeum,* art. 2, n. 53).

533. Commutatio fieri debet in opera *moraliter aequalia,* quod non scrupulose aestimandum est. Talis aequalitas spectanda est, respectu habito non tam ad praestantiam et poenalitatem operis, quam ad mentem et finem Papae et ad circumstantias poenitentis (Cf. Ferraris ibid. n. 54; vid. etiam S. Ligor. lib. III, n. 246, 4).

Facile intelligitur, commutari posse, justa de causa, non solum integrum opus in aliud, sed etiam partem operis, prout id facile contingere potest in jejunio et visitationibus ecclesiarum.

534. Praedicta commutatio operum, etiam super Communione cum pueris fieri debet *intra actum sacramentalis Confessionis.* Sacra enim Poenitentiaria, die 30 Januarii 1886, rogata a quosdam Episcopo: Ut opera pro Jubilaeo injuncta, vel eorum aliqua, commutare, et super Communione cum pueris Communionis nondum capacibus dispensare valeat etiam extra actum sacramentalis Confessionis; Resp. *Non expedire* (Nouv. Rev. Théol. vol. XVIII, p. 91, ad 2^{m}).

In Jubilaeo tamen anni 1865, ex declaratione facta a Summo Pontifice Pio IX, commutatio *operum injunctorum* fieri poterat

extra actum sacramentalis Confessionis (S. Poenit. die 16 Mart. 1865; apud Acta S. Sed. vol. I, pag. 176, ad IV^m).

535. Quando Jubilaeum vi Bullae bis aut pluries lucrifieri potest, opera pro eo lucrando injuncta potest Confessarius, justis de causis, de novo commutare favore eorum, qui Jubilaeum iterare cupiunt (S. Poenit. 18 Martii 1886; apud Acta S. Sed. vol. XVIII, p. 512).

Eamdem declarationem jam dederat S. Poenitentiaria die 30 Januarii 1886 cuidam Episcopo, qui supplicabat: *Ut opera pro Jubilaeo injuncta, vel eorum aliqua, Confessarius non semel tantum, sed pluries, erga volentem Jubilaeum pluries lucrari, commutare possit.* — Cui responsum est: *Confessarios hac facultate non carere* (Nouv. Rev. Théol. tom. XVIII, p. 91, ad 11^m).

3. Commutatio votorum.

536. In Litteris Apostolicis pro Jubilaeo solent Summi Pontifices concedere Confessariis facultatem commutandi in alia pia et salutaria opera, vota simplicia quaecumque, etiam jurata ac Sedi Apostolicae reservata. Excipiuntur: 1° votum castitatis perpetuae; 2° votum ingrediendi religionem; 3° vota obligationis, seu in favorem tertii, si sint acceptata, nisi tertius juri suo renuntiaverit; 4° vota poenalia praeservativa a peccato, nisi commutatio fiat in aliud opus, quod non minus ac prior materia a peccato committendo refraenet (Bened. XIV, *Convocatis,* n. 32; Pius IX, Bulla *Gravibus Ecclesiae;* et Leo XIII in supra citatis Bullis).

Praedicta commutatio votorum fieri nequit extra actum sacramentalis Confessionis (Bened. XIV, *Convocatis,* n. 25; *Inter praeteritos,* § 63).

537. Sed probe advertendum, commutationem non esse confundendam cum *dispensatione.* Nam dispensatio obligationem voti tollit sine alia subrogatione; at simplici commutatione non extinguitur obligatio voti, *verum materia voti transfertur in aliam materiam, quae ipsi subrogatur* (*Inter praeteritos,* § 45).

538. Quando dicitur: *commutatio votorum fiat dispensando,* principaliter attendi debet ad commutationem, ita ut materia subrogata non sit exorbitanter minor; secus si dicatur: *dispensatio fiat commutando* (Ibid. et S. Alph. lib. VI, n. 536, VIII).

Generatim dici potest commutationem fieri posse *in opus etiam aliquantulum minus, modo excessus non sit notabilis.* Nam si potestas commutandi non esset talis, esset pluribus anxietatibus obnoxia, ideo inutilis, cum difficillimum sit aequalitatem invenire in re subrogata (S. Alphons. libr. III, n. 247).

539. Vota a Confessario jubilari commutata non reviviscunt, etiamsi non ponantur deinde opera pro Jubilaeo lucrando injuncta, quia commutatio est absolute facta (Ferraris, verb. *Jubilaeum,* art. II. n. 50).

540. Pro praefata commutatione votorum *non requiritur,* juxta S. Alphonsum et Suarez cum communi, *specialis causa,* sed sufficit causa illa communis, ob quam Pontifex motus est ad Jubilaeum indicendum (S. Alph. lib. VI, n. 537, quaest. 4 in fine).

541. Quaeri hic potest: quid praestat *usus sententiae probabilis* in materia Jubilaei sive indulgentiarum in genere?

Respondetur 1°: Qui sequitur sententiam probabilem, quae tamen sit contra formam concessionis et mentem concedentis, *is non lucratur Jubilaeum;* nam indulgentiarum valor non a resolutione nostra sive Auctorum, sed a forma et mente concedentis pendet. Hinc si opus pro lucrando Jubilaeo praescriptum sit in sua specie et cum omnibus circumstantiis, v. g. recitatio sex *Pater* et *Ave,* vel addendo aliquam vocalem orationi mentali, sententia utut probabilis, quae tueretur sufficere quinque *Pater* et *Ave* aut solam orationem mentalem, nihil valeret. — Si vero opus non fuerit in specie et cum omnibus suis circumstantiis praescriptum, sed tantum in genere, v. g. *qui oraverit* etc., is qui sequitur sententiam vere probabilem, lucrari potest indulgentiam (vid. n. 79): hoc enim prudenter praesumi potest de mente Pontificis.

Respondetur 2°: Sequendo sententiam vere probabilem obtinere quis potest Jubilaeum, quantum ad effectum accessorium, seu *favores annexos,* ut sunt absolutio a reservatis, commutatio votorum etc.; quia sequendo talem sententiam Ecclesia suppleret, si opus esset, defectum jurisdictionis (Cf. Minderer, part. 1, Conferentia 12, n. 857, quaest. 4; n. 862, q. 5; de Jubil. Conf. 3, q. 16, n. 121).

4. Facultas absolvendi a censuris et peccatis reservatis.

542. Inter facultates, quae occasione Jubilaei conferuntur, adnumeratur *facultas pro Confessario absolvendi in foro dumtaxat*

conscientiae ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum ac Summo Pontifici seu Sedi Apostolicae, etiam *in casibus* cuicumque ac Summo Pontifici et Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi, nec non ab omnibus peccatis et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Romano Pontifici et Sedi Apostolicae reservatis (Ex Bullis cit. Pii IX et Leonis XIII).

543. Verum Summi Pontifices per Bullas, quibus Jubilaeum indicitur, numquam intendunt derogare Constitutioni cum appositis declarationibus a Benedicto XIV editae sub die 1 Junii 1741, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae.* Quare omnes dispositiones in dicta Bulla contentae, etiam occasione Jubilaei, in pleno vigore remanent. Hinc

a) Nulli penitus Confessario datur in quovis Jubilaeo facultas absolvendi complicem *in peccato turpi.* Si Confessarius id attentaret, absolutio ab eo data nulla atque invalida foret, et ipse in poenam excommunicationis majoris incideret Romano Pontifici reservatae.

b) Vigore facultatum per Bullam Jubilaei concessarum, numquam comprehensa intelligitur potestas absolvendi ab hujusmodi excommunicatione.

c) Nullus Sacerdos sive Confessarius absolvere potest poenitentem qui impie calumniando, innoxios Sacerdotes et Confessarios sollicitationis insimulat.

d) Firma remanet obligatio denuntiandi sollicitantes, a qua proinde obligatione nullus Confessarius, non obstantibus amplissimis Jubilaei facultatibus, eximere potest poenitentes (Cf. cit. Bullam *Sacramentum Poenitentiae; Convocatis,* n. 23; *Inter praeteritos,* § 56-61).

e) Item excipitur absolutio illorum, qui a S. Sede vel aliquo Praelato, seu Judice ecclesiastico, *nominatim* excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse *declarati, vel publice denuntiati fuerint,* nisi intra praefinitum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint (Ex cit. Bullis Pii IX et Leonis XIII).

544. Praedicta privilegia seu facultates non possunt a Confessariis exerceri extra actum sacramentalis Confessionis, et *semel*

tantum in quolibet Jubilaeo iis uti possunt favore cujuslibet fidelis (Bened. XIV, *Convocatis,* n. 25; S. Poenit. 25 Jan. 1875; apud Acta S. Sed. vol. VIII, p. 267).

545. *Absolutio ab haeresi.* In Jubilaeis a Pio IX et Leone XIII indictis data est etiam facultas *absolvendi ab haeresi, adjuratis prius et retractatis erroribus.* S. Poenitentiaria quoad Jubilaeum anni 1886 declaravit: « Absolvi possunt poenitentes a crimine haeresis, abjuratis erroribus prout de jure, et injuncta gravi poenitentia salutari, cum frequentia Sacramentorum et obligatione se prudenter retractandi apud personas, coram quibus haereses pronuntiaverint, ac reparandi scandala » (15 Jan. 1886; Acta S. Sed. vol. XVIII, pag. 334, 1).

546. Eidem S. Poenitentiariae propositum fuit dubium sequens: An possint absolvi ab haeresi exterius prodita, et cesset obligatio denuntiandi haereticos eorumque fautores?

Resp.: *Ab haeresi posse quidem absolvi, haereticos tamen ac fautores, aliosque denuntiandos esse prout de jure* (S. Poenit. 16 Mart. 1865; Acta S. Sed. vol. I, p. 176 ad III^{m}).

Notandum vero est, haeresim formalem externatam, quamvis occultam, esse excipiendam a supradictis facultatibus, nisi *potestas ab ea absolvendi expresse indicetur in Bullis,* prout fecerunt laudati Pontifices Pius IX et Leo XIII (Cf. Bullam Bened. XIV, *Convocatis,* § 53, et *Inter praeteritos,* § 85).

547. Si quis Jubilaei indulgentiam jam fuerit assecutus, quin tamen unquam peccato reservato esset irretitus, ac propterea numquam jubilari privilegio absolutionis a reservatis usus sit, si postea, *Jubilaeo adhuc perdurante,* in censuram vel peccatum reservatum incidat, absolvi potest a quovis Confessario, dummodo repetat opera, quae ad Jubilaeum consequendum injuncta sunt (S. Poenit. 1873, penes Acta S. Sed. vol. VII, pag. 221).

Qui vero vi Jubilaei fuerit a censuris et a casibus reservatis absolutus, si iterum incidat in casus et censuras reservatas, non potest secunda vice absolvi, peragens iterum opera injuncta (S. Poenit. 1 Junii 1869; Acta S. Sed. vol. V, p. 32 ad 13^{m}).

548. Praefata declaratio pluries a S. Poenitentiaria confirmata fuit, et non tantum quoad casus et censuras reservatas, sed etiam *quoad cetera privilegia* occasione Jubilaei concessa.

In Instructionibus ab eadem S. Poenitentiaria die 15 Januarii 1886 datis ex mandato Summi Pontificis, dicitur: Jubilaeum quoad

plenariam indulgentiam bis aut pluries acquiri posse, injuncta opera bis aut pluries iterando; *semel vero, id est prima tantum vice* quoad ceteros favores, nempe *absolutiones a censuris et a casibus reservatis, commutationes aut dispensationes* (Acta S. Sed. vol. XVIII, pag. 333, IV).

Ceterum haec doctrina seu regula reperitur in Constitutionibus Benedicti XIV, *Convocatis,* § 52, et *Inter praeteritos,* § 84, ubi Pontifex hisce verbis rem declarat:

Neminem posse, *nisi semel,* id est *prima tantum vice,* frui seu potiri favoribus (*huic*) Jubilaeo adjunctis: quare post primam vicem nullus gaudere amplius poterit beneficio aut *absolutionum a novis censuris et casibus reservatis de novo fortasse contractis, aut commutationum, aut dispensationum* in facultatibus...

549. Advertendum est, commutationem hic referri ad commutationem *votorum,* non operum injunctorum, ut constat ex citata Bulla *Inter praeteritos.* Commutatio enim operum pro lucrando Jubilaeo praescriptorum, juxta exposita sub n.° 535 pluries fieri potest favore eorum, qui pluries (si Bulla id concedat) Jubilaeum lucrari desiderant.

550. Confessarii uti non possunt *facultatibus extraordinariis* per Litteras Apostolicas concessis cum iis, qui petunt absolvi et dispensari, *sed nolunt adimplere opera injuncta et lucrari Jubilaeum.* Favores enim hujusmodi non conceduntur, nisi in ordine ad hunc finem, et per modum praeparationis ad effectum Jubilaei. Ergo qui non habet animum implendi et obtinendi Jubilaeum, non potest gaudere facultatibus extraordinariis (Bulla *Inter praeteritos,* § 62; S. Poenitent. 1 Junii 1869; 15 Jan. 1886; apud Acta S. Sed. vol. V, p. 33 ad 15^{m}; vol. XVIII, p. 334, VIII).

Exinde consequitur, praedictis privilegiis non posse gaudere ne illum quidem, qui culpabiliter et sacrilege confessionem peragit (S. Alph. lib. VI, n. 537, q. 2).

551. Qui cum sincero animo lucrandi Jubilaeum obtinuit absolutiones a censuris et a peccatis reservatis, vel commutationes votorum et dispensationes, et postea, mutato proposito, Jubilaeum non lucretur, eo quod cetera opera praescripta non implet, quamvis a culpa non eximatur, absolutus tamen remanet a reservatis et dispensatus a votis: seu absolutiones a reservatis, commutationes votorum ac dispensationes in suo vigore permanent, ac ideo abolitae minime intelliguntur (Bulla *Convocatis,* § 54; *Inter praeteritos,* § 86).

552. Qui confessus est tempore Jubilaei et oblitus fuit confiteri peccata reservata vel censurata, aut cum causa illa omisit, potest deinde, etiam transacto Jubilaeo, a quocumque Confessario ab eis absolvi. Nam ex una parte poenitens vi Jubilaei jus acquisivit ad favorem Pontificis, ita ut ex eo tempore a quolibet Confessario possit absolvi; ex altera parte primus Confessarius praesumitur per suam absolutionem velle conferre suo poenitenti omne beneficium quod potest. Unde sicut indirecte absolvuntur peccata illa oblita, ita indirecte tollitur reservatio (S. Alph. lib. VI, n. 537, q. 4; Ferraris, verb. *Jubilaeum*, art. 2, n. 27).

553. Bona fide confessus tempore Jubilaei, et ex invincibili defectu doloris vel propositi *invalide* absolutus, si cetera praescripta impleverit, remanet probabiliter immunis a reservatione peccatorum et censurarum, ita ut post Jubilaeum possit a quolibet simplici Confessario absolvi (Ferraris, loc. cit. n. 28).

554. Favore enuntiatae sententiae tum a citato P. Ferraris, tum a S. Alphonso, adducitur auctoritas plurium Theologorum, inter quos Cardinalis de Lugo. At S. Alphonso (loc. cit. n. 537, q. 2) *probabilior videtur* contraria sententia, quae tenet poenitentem per Confessionem bona fide factam, sed nullam defectu doloris, non posse gaudere privilegiis Jubilaei. Hoc tamen non obstante, prior opinio a tot et quidem gravibus Doctoribus defensa, censenda est *vere probabilis.* Hinc, infert cl. Beringer, tom. I, p. 497, peccatorum reservatio est saltem dubia, ac ideo ea non amplius in praxi existit. Ratio praecipua, qua sententia haec innititur, est, quia poenitens habet verum animum lucrandi Jubilaeum, bona fide Confessionem suam facit, et Confessarius, absolvendo, voluit facere quantum potuit. *Reservatio autem potest tolli, non sublatis peccatis.*

555. Si quis intra Jubilaei tempus coeperit Confessionem, quam materialiter imperfectam oporteat differri longius, potest tunc absolvi a reservatis et commutari vota: postea vero extra tempus Jubilaei absolvi ab omnibus, etiam quae oblitus est, reservatis, ac in oblitis etiam dispensari; imo potest postea omnia facere Confessarius finita Confessione, quae ante: quia coepta causa, manet potestas delegati, donec finiatur (S. Alph., loc. cit. n. 535, 3°).

Eamdem sententiam S. Doctor repetit n. 537, q. 4, ubi dicit: « Omnes conveniunt, quod si quis coeperit confessionem intra Jubilaeum, possit deinde absolvi ab omnibus reservatis... et hoc probabiliter extendunt Sanchez et Viva cum Bossio et communi etiam

ad illa reservata, quae poenitens committat *transacto tempore Jubilaei,* quia pro eo perseverat adhuc idem favor facultatum ».

5. Facultas dispensandi super irregularitate.

556. Occasione Jubilaei solent Summi Pontifices in Litteris Apostolicis concedere Confessariis facultatem dispensandi super una irregularitate dumtaxat, nempe super irregularitate, *occulta tamen,* incursa ob violationem censurae per exercitium Ordinum.

6. Prorogatio Jubilaei.

557. In Jubilaeis *extraordinariis* indulgetur plerumque facultas, ut Confessarius possit prorogare Jubilaeum favore eorum qui aliquo legitimo impedimento detinentur. In Jubilaeis anni 1879 et 1881 Leo XIII benigne concessit, ut Confessarius in alia pietatis opera commutare possit opera pro lucrando Jubilaeo injuncta, vel *in aliud proximum tempus prorogare,* et hoc in favorem eorum, qui *carcere, infirmitate corporis, aut alia qualibet justa causa impediantur,* quominus memorata opera, vel eorum aliqua praestent. *Hujusmodi ergo impeditis* duplici modo Confessarius providere potest, scilicet vel per commutationem operum injunctorum, vel per prorogationem Jubilaei. Facultate prorogandi uti poterit Confessarius (ubi non praeferat commutare) cum iis poenitentibus qui *temporaneo* impedimento detinentur. Ubi vero impedimentum fuerit perpetuum vel diuturnum, ad commutationem recurrendum ei erit: siquidem concessio hac formula exprimi solet: *in aliud proximum tempus prorogare.*

Verum quoad praefatam Jubilaei prorogationem inspicienda semper est Bulla indictionis; quia non semper ea conceditur, prout contigit in Jubilaeo anni 1886.

CAPUT III.

BENEDICTIO APOSTOLICA

Quia agendo de Indulgentiis saepe occurrit verbum *benedicere* sive *benedictio*, utile est hujus vocis significationem breviter evolvere, ut exinde pateat quid et quaenam sit *Benedictio Apostolica.*

ARTICULUS I.

NOTIO BENEDICTIONIS, EJUSQUE SPECIES.

558. Benedicere, juxta Angelicum Doctorem, *est bonum dicere,* et tripliciter dici potest, scilicet 1° *enuntiative,* quod fit laudando juxta illud Psalmi 33: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo;* 2° *optative,* quod fit aliquod bonum alicui optando et precando juxta illud Psalmi 127: *Et non dixerunt qui praeteribant: Benedictio Domini super vos;* item: *Benedicat tibi Dominus ex Sion;* 3° *imperative,* quod fit imperando et operando effectus intentos, et sic benedicere *per auctoritatem* est proprium solius Dei, qui vel per se vel per suos ministros benedicit, simulque operans praedictos effectus.

559. Relictis duobus prioribus modis, qui certe non restringuntur ad solos ministros sanctae Ecclesiae, de benedictione *imperativa* seu *per auctoritatem* est observandum, ipsam, *large sumptam,* esse duplicem: unam scilicet quae datur a puro homine propter meritum *sanctitatis,* in quo Christus per gratiam inhabitat, prouti est illa, quae a Sanctis viris peti consuevit; et aliam esse, quae confertur propter *meritum Christi* alicui instrumentaliter applicatum, et in hac danda requiritur regulariter Ordo sacer, non autem sanctitas necessario.

560. Haec postrema Benedictio, quae nempe per Ecclesiae ministros tribuitur ob merita Christi Redemptoris, est pariter duplex, inspecto duplici objecto sive subjecto, super quod cadit Benedictio. Et revera benedicuntur *res,* puta, Altaria, Vasa, Vestes, Cerei, Palmae, Cineres, Oleum, Aqua, Vinum, Cruces, Numismata, Coronae etc. Hujusmodi benedictiones, ratione objectorum seu *rerum* quae benedicuntur, vocari possunt *reales.* Benedicuntur insuper *personae,* ut Abbates, Virgines, Sponsi, populus etc., et tales benedictiones, utpote cadentes super *personas,* dici possunt *personales* (1).

561. Si quaeratur, quinam sint fines ac effectus harum Benedictionum, respondemus plures esse et varios juxta exigentiam objectorum vel personarum, quae benedicuntur, *eosque a Benedicente intentos* clare indicari in respectivis formulis, quae legi possunt in Rituali Romano. Diversae quippe sunt gratiae seu effectus, qui a Deo expostulantur in Benedictionibus ex. gr. novae domus, ignis, viae ferreae, aquae, crucis, numismatis, coronae, scapularis, indumentorum sacerdotalium, Agnus Dei etc. Idem dicendum de effectibus benedictionum personalium.

562. Illud est animadvertendum, per nonnullas benedictiones (quae *constitutivae* dicuntur) fieri, ut quaedam « res seu personae benedictae constituantur in esse permanenti rei sacrae, religiosae et sanctae, adeo ut eum statum deinceps non mutent, neque ad profanum usum redire possunt. Quo in genere nonnulla ad significandum et repraesentandum aliquid sacrum spectant; ut cereus paschalis, cruces,... rami in Dominica Palmarum. Quaedam vero ad cultum Dei et certa Religionis nostrae officia et ministeria destinantur, ut Abbates, Abbatissae, ecclesiae,... sacerdotalia indumenta. Quaedam denique ad aliarum rerum benedictionem et sanctificationem comparata sunt, ut chrisma et oleum catechumenorum et infirmorum, thus, aqua benedicta. Haec sane omnia, cum per benedictionem seu consecrationem in jus Domini transierint, non possunt sine sacrilegio ad proprium hominis usum transferri » (Catalanus, *Pontificale Romanum,* apud cl. Melata, Tractatus de Benedictione papali, pag. 25).

---

(1) Cfr. Rituale Rom. Editio prima post typicam, typ. Friderici Pustet, Ratisbonae 1888; Ferraris, verb. *Benedicere;* cl. Melata, Tractatus *de Benedictione papali;* Moroni, Dizionario di erudizione, v. *Benedizione.*

563. Habito respectu *ad ministros,* quibus ex ordinatione Ecclesiae competit potestas benedicendi, Benedictiones distinguuntur in *Presbyterales, Episcopales et Papales:* aliae enim ex praefatis benedictionibus fieri vel conferri possunt a Sacerdotibus, aliae ab Episcopis, et aliae sunt reservatae Summo Pontifici. Hinc in Rituali Romano « *De Benedictionibus Regulae generales* » dicitur: « *Noverit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quae ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, aut imperite unquam usurpet propria auctoritate* ». Hinc est etiam, quod in eodem Rituali, novis Benedictionibus aucto, accurate per opportunas rubricas distinguuntur Benedictiones *reservatae,* puta Episcopis vel nonnullis Ordinibus Regularibus, a *non reservatis.*

564. Benedictiones, quae sunt Romano Pontifici reservatae, *Papales* vel *Apostolicae* sive *Pontificiae* nuncupantur. Ex his aliae sunt *constitutivae* seu *consecratoriae,* per quas res benedictae, ut supra diximus, constituuntur in statu permanenti rei sacrae et sanctae, ut benedictio *Agnus Dei, Rosae aureae* etc. Aliae sunt *invocativae,* quae vel impertiuntur cum adnexa indulgentia plenaria, vel tribuuntur sine hujusmodi indulgentia, ut est illa quam Papa manu elevata impertitur multitudini in via seu itinerando, vel concedit et mittit particularibus personis, Benedictionem Apostolicam postulantibus.

565. Relate *ad Benedictiones cum indulgentia plenaria* facile intelligitur, eas *per se* non posse, nisi a Summo Pontifice dispensari: siquidem indulgentiam plenariam Papa dumtaxat concedere potest; ergo et Benedictionem, *cui ex intentione Papae praefata indulgentia plenaria adnectitur.*

Diximus *per se,* quia licentia et auctoritate Summi Pontificis tum Episcopus tum simplex Sacerdos potest, ut patet, Benedictionem cum indulgentia plenaria Christifidelibus impertire, aut indulgentiam ipsam per ritualem benedictionem piis objectis adnectere. Et sane Romanus Pontifex, sive per se sive per organum Sacrarum Congregationum, tribuere solet hujusmodi facultatem non solum Episcopis, sed etiam aliis Sacerdotibus, qui proinde non quidem jure proprio, sed *jure delegato* eamdem exercent facultatem.

566. Inter Benedictiones *personales* cum adnexa indulgentia plenaria Romano Pontifici reservatas, quarum tamen impertio de-

legari (1) solet, recensentur *Benedictio super populum* et *Benedictio in articulo mortis,* et de his modo in separatis articulis agendum est.

ARTICULUS II.

BENEDICTIO PAPALIS SUPER POPULUM.

Benedictio papalis seu Apostolica super populum, vel impertitur ab ipso Summo Pontifice, vel ex Pontificia delegatione ab Episcopis aliisque Praelatis inferioribus usum Pontificalium habentibus, vel ex privilegio a quibusdam religiosis Ordinibus, vel ex speciali indulto a Sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus.

§ I.

BENEDICTIO PAPALIS SUPER POPULUM, QUAE IMPERTITUR AB IPSO SUMMO PONTIFICE.

567. Benedictio super populum quae datur ab ipso Romano Pontifice, Christi in terris Vicario, solemnis est. Qui felicioribus temporibus interfuit Benedictioni, quae in quibusdam magnis solemnitatibus a Pio PP. IX s. m. e superiori porticu S. Petri vel alterius Urbis Basilicae super frequentissimum populum omnium nationum effundebatur, probe noscit, et proculdubio ipse quoque expertus est intimum devotionis sensum ac animi commotionem, quae in fidelibus, magnifico Pontificali actui praesentibus, sponte excitabatur. Haec Benedictio, utpote quae *a Persona ipsa* Summi Pontificis *pleno jure supremaque potestate* impertitur, proprio ac stricto sensu *Papalis* dicitur et est.

568. Omnes Christifideles dictam Benedictionem papalem recipientes, plenariam indulgentiam lucrantur, pro cujus lucro nullae in benedictionis formula reperiuntur conditiones praescriptae, praeter *praesentiam in loco ubi datur benedictio.*

---

(1) Modus diversus, quo fieri potest delegatio, ita explicatur a cl. Benedicto Melata, Tract. de Benedictione papali, pag. 40: « *Delegatio duplici modo fieri potest, scilicet vel ita ut delegatus agat in persona propria, licet ex potestate sibi ab alio commissa, vel ita ut quis non solum agat ex potestate ab alio accepta, sed etiam in persona et vice alterius, ita ut actio delegati moraliter habeatur ut actio delegantis* ».

Sunt quidem Auctores, qui asserunt, ad acquirendam praefatam indulgentiam requiri, tamquam opera injuncta, Confessionem et Communionem; at nobis cum cl. Melata (loc. cit. pag. 207) videtur verius oppositum. Nam, ut modo notavimus, Sacramentorum susceptio non reperitur praescripta; et tamen Pontifex, quando eam pro indulgentiae acquisitione imponere intendit, expresse dicit. — Addi etiam potest, quod sive consideretur *Persona,* quae solemniter benedicit, sive *causa sanctissima (obsequium fidelium Sedi Apostolicae)* pro concessione indulgentiae, sive etiam perpendatur *magna difficultas* ex parte saltem plurimorum, attenta populi multitudine ex fere omnibus Orbis terrae partibus in Urbem confluente, accedendi ad Sacramenta, congruum videtur, nisi aliter Summus Pontifex decernat, ut praeter statum gratiae, quae semper necessario pro assequenda indulgentia requiritur, nullae sint conditiones.

§ II.

CONCESSIO FACTA EPISCOPIS ET QUIBUSDAM ALIIS PRAELATIS INFERIORIBUS, MITRAE ET PONTIFICALIUM USUM TERRITORIUMQUE SEPARATUM HABENTIBUS.

569. Clemens PP. XIII per suam Constitutionem « *Inexhaustum Indulgentiarum thesaurum* » sub die 3 Septembris 1762, omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis concessit facultatem solemniter impertiendi, Romani Pontificis nomine, *duabus anni solemnitatibus,* nimirum Paschate Resurrectionis Domini, alioque die festo solemni eorum respective arbitrio designando, Benedictionem Apostolicam populo in ecclesia congregato. Eamdem facultatem indulsit, sed *semel in anno tantum* (in uno ex diebus, quibus eorum singulis pontificalium usus ab Apostolica Sede permittitur), Praelatis inferioribus, mitrae et pontificalium usum, territoriumque separatum cum vera qualitate *Nullius Dioecesis* habentibus.

570. Praedictam tamen facultatem Praelati omnes nunc memorati *debent postulare;* ait enim laudatus Pontifex: «... Ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos ac supra memoratos Praelatos... in Domino hortamur, ut pro dignitatum eorum splendoris augmento, et fidelium populorum ipsis creditorum congrua erga

divinam iustitiam satisfactione, a Nobis et successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, facultatem hujusmodi ultro ipsis oblatam *postulent et impetrare non praetermittant* ».

Praefata facultas, quae gratis conceditur, solemniter benedicendi *cum elargitione plenariae indulgentiae,* Episcopis et Praelatis postulantibus conceditur, *quamdiu illi suis respective Ecclesiis praefuerint.*

571. Ritus et formula ab Episcopis adhibenda pro impertienda Benedictione papali una cum plenaria indulgentia *post Missarum solemnia,* reperitur in supradicta Constitutione, quae habetur per extensum tum in Append. ad *Decreta authentica* S. C. Indulg. pag. 456-461, tum apud Ferraris, verb. *Benedicere-Benedictio,* art. V, 63.

572. Quoad ritum et formulam pro impertienda Benedictione papali sequens dubium propositum fuit:

Episcopus Lemovicensis facultatem obtinuit impertiendi bis in anno Benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria, sed in ritu et formula Benedictionis papalis praescribitur inter cetera, ut legantur Litterae Apostolicae ad hoc concessae, ante benedictionem impertiendam, atque etiam post benedictionem impertitam publicetur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae indulgentiae. Mos autem in Ecclesia Lemovici a multis annis est, ut lectio Litterarum Apostolicarum supprimatur, ne diutius populus in ecclesia retineatur; loco vero Litterarum Apostolicarum legitur latino et vernaculo idiomate formula: *Attentis facultatibus* etc., ut de delegatione constet. Episcopus Lemovicensis modo quaerit:

An hic ritus et forma sufficiat ad lucrandam indulgentiam plenariam?

S. C. Resp.: *Ritum et formam, de quibus in precibus, attenta rationabili causa supra exposita, revera sufficere ad lucrifaciendam indulgentiam Apostolicae Benedictionis,* dummodo per formulam: *Attentis facultatibus* etc. *fidelibus constet, ex Pontificia delegatione tantum impertitam fuisse* (Decr. 30 Junii 1840. N. 282).

Hoc responsum habendum est ut generale, ita ut quotiescumque adsit illa rationabilis causa, liceat Litterarum Apostolicarum lectionem supprimere, maxime si alias jam iterum iterumque in-

tegre lectae sint (Decr. 24 Junii 1885, apud Melata, Tract. de Benedictione papali, pag. 175).

573. Ad lucrandam indulgentiam plenariam adnexam Benedictioni papali, quae datur ab Episcopo, requiritur *Confessio* et *Communio*. Horum tamen Sacramentorum susceptio non reperitur expresse praescripta in citata Constitutione Clementis XIII, sed ut conditio pro indulgentiae lucro addita est in formula, quae una cum Brevi concessionis ad Episcopos mittitur.

Ut alias diximus, per Confessionem et Communionem die Paschatis peractam, et indulgentia plenaria papali Benedictioni adnexa lucratur, et satis praecepto Paschatis fit (Decr. auth. N. 288; 296; 327).

574. Si contingat, Episcopum Benedictionem papalem impertire extra ecclesiam, puta in platea, ii fideles, qui per fenestras domorum, eamdem plateam respicientium, dictam Benedictionem accipiunt, ut *praesentes* habentur, et ideo indulgentiam assequuntur. Id patet ex responso ad dubium, quod hic ad litteram transcribimus:

Titius suum habet domicilium prope plateam, ubi quibusdam solemnioribus anni diebus coadunatur populus pro Papali Benedictione accipienda, quam Episcopus dioecesanus solet impertiri. Idem Titius per fenestras domus suae, quae plateam respiciunt, accipit praefatam Benedictionem simul cum tota familia et nonnullis extraneis, qui hac de causa ad praedictam domum accedunt. At vero, cum Moniales ejusdem loci in Monasterio non longe distanti ab ipsa platea degentes, Apostolicam dispensationem impetrarunt pro dictae Papalis Benedictionis consecutione, dubitatur a Titio:

Utrum ipse quoque dispensatione indigeat, an potius in plateam descendere sit obligatus?

S. C. respondit: « Titius ejusque familia, nec non et omnes, qui apud ipsum actu inveniuntur, habita ratione localitatis ipsius, vere praesentes considerandi, et indulgentiam, quae in Episcopali Benedictione populo impertitur, reapse consequuntur; minime vero Moniales, quae etiamsi non longe distent, tamen *ut absentes ex earum localitate* merito sunt habendae » (Decr. 7 Jan. 1839. N. 266).

575. Indulgentia plenaria occasione Benedictionis solemnis ab Episcopis impertiri solitae in aliquibus diebus solemnioribus suspenditur in Jubilaeo universali (Decr. 22 Dec. 1824. N. 255).

576. *Indulgentia plenaria Benedictioni papali adnexa acquiri etiam potest ab Episcopo, qui eam elargitur,* ceu constat ex responsione ad hoc dubium:

Num plenariam indulgentiam lucrandam a Christifidelibus Benedictionem nomine Summi Pontificis recipientibus a respectivis Episcopis, lucrari valeat et ipse Episcopus, qui eam impertit?

Et Emi Patres in Congregatione Generali habita die 5 Martii 1896 responderunt: *Affirmative,* facto verbo cum SSmo.

Et SSmus D. N. Leo PP. XIII, in Audientia habita ab Emo Cardinali Praef. S. C. I. die 20 Maji 1896, responsionem Emorum Patrum benigne approbavit.

Per hanc decisionem confirmatur thesis a nobis sub n. 89 propugnata, quod scilicet *qui indulgentias largitur, etiam pro se lucrari eas potest.* Hinc etiam qui *Absolutionem generalem* impertit, indulgentiam plenariam eidem adnexam pro se quoque lucrari potest, dummodo opera injuncta adimpleat, atque ad eam jus habeat.

§ III.

CONCESSIONES FACTAE QUIBUSDAM ORDINIBUS REGULARIBUS.

577. Ad lectorum notitiam et eruditionem notare volumus praecipua capita, quae de proposita materia continentur in Litteris Encyclicis Benedicti XIV: *Exemplis Praedecessorum.* Hujusmodi Litterae datae sunt *ad Superiores Generales Ordinum, quibus praescribitur ritus impertiendi Pontificiam Benedictionem super populum, servandus a Regularibus eorum Ordinum, quibus facultas hujusmodi, statis diebus, a S. Sede indulta fuit.* Formula et normae pro impertienda praefata Benedictione, prout jacent in Rituali Romano, desumptae sunt ex eisdem Litteris Encyclicis. — Sequentia igitur breviter indicamus:

1° Nonnullis familiis Regularium permissum est, ut Monasterii Praeses, vel alius Sacerdos a P. Provinciali designandus, populo congregato Summi Pontificis nomine Benedictionem statis diebus impertiret.

2° Nullus umquam ritus ad hanc rem peragendam praescriptus fuit.

3° Ritus enim, qui Urbani VIII auctoritate probatus asseritur, ad eam Benedictionem, de qua est sermo, minime pertinet, sed illam complectitur, quae, aliqua urgente legitima causa, populis et agris tribui consuevit, et pro qua certus Delegatus apostolicus semper constituitur etc.

4° Cum haec ita sint, tamen Summus Pontifex Benedictus XIV deprehendit, quemdam ritum temere et inconsulto excogitatum esse pro supradicta Benedictione Pontificia invocativa:

5° Nam simplex Sacerdos in medio altaris collocatus, ministris circumadstantibus, et sacris indumentis ornatis, trinam benedictionem populo impertit, et alia plura gerit, quae enumerare hoc loco supervacaneum Pontifex existimavit.

6° Postea de *Benedictione super populum* historice tractat.

7° *Benedictio super populum,* ait, solemnis est, eamque in quacumque orbis terrae parte Romanus Pontifex elargiri potest; Episcopus autem in sua dioecesi et locis ipsius etiam exemptis; Archiepiscopus in sua provincia et locis ejus exemptis eamdem exercere valet potestatem... Abbatibus praefata facultas conceditur in ecclesiis, quae ipsis plene subjiciuntur, modo tamen Apostolicum privilegium ad id necessarium obtinuerint: quo sane uti nequeunt, nisi postquam Sacrum solemne aut Vesperas in ecclesia peregerint. Nam *populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet,* nisi id clare in eodem privilegio declaretur.

8° Simplex ergo Sacerdos nequit Benedictionem super populum elargiri.

9° Modo tamen eidem Sacerdoti permittitur, *postquam divinum Sacrificium absolvit.*

10° Dictum est: *modo permitti:* si enim sacram antiquitatem inquiramus, neque id presbytero licitum olim fuisse cognoscemus... Etsi quidem in usu semper fuerit, ut, re divina peracta, populus ab ecclesia Benedictione dimitteretur; id tamen non a Sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo, si praesens aderat, vel, si aberat, ab Archipresbytero ejus jussu praestabatur.

11° Ast, temporum decursu, contraria praevaluit disciplina, quae Sacerdoti celebranti potestatem fecit *Benedictionem super populum in fine Missae effundendi.* Haec benedictio, ait Bellotus, ad Missae perfectionem pertinet hodie, sine qua fas non est ab incepto Sacro recedere, nec jure queat populus ante ipsam Benedictionem ecclesiam egredi.

12° Ergo hodie simplex Sacerdos post ea verba: *Ite Missa est; jure suo* dimittit populum, eique benedicit, sive absit, sive intersit Episcopus; ea tamen lege, ut si intersit et in sua sit dioecesi, ad eum prius se convertat, eique caput inclinet, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod ab eodem Sacerdote praetermittitur, si Episcopus Missae intersit, sed extra suam dioecesim versetur.

13° Cum jam perspectum sit, quo tempore et loco simplex Sacerdos populo possit *jure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam Benedictionem *super populum* ab ipso impertiri licite, nisi *jure delegato.*

14° Hujus naturae, nempre *juris delegati,* est *Benedictio Apostolica* de qua agitur, quae cum unice concedatur per delegationem Apostolicam, « *Nostrum est omnino,* sunt verba Pontificis, *ritum praescribere, quem inferius pro norma in posterum servanda subjiciemus, quo sane uti volumus ac decernimus eos Ordines Regulares, sive Mendicantes, sive non Mendicantes, Monasticos vel Clericorum Regularium, quibus Nos ipsi, vel Praedecessores Nostri, vel futuri Romani Pontifices facultatem tribuendae populis benedictionis permiserint* ».

15° Exinde Pontifex gradum facit ad normas statuendas quae in impertienda *Benedictione Apostolica* observari debent, formulamque praescribit omnino a Regularibus usurpandam in hujusmodi sacra functione peragenda.

16° Praecipue admonendus est populus de indulgentia a S. Sede concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, quae ordinarie sunt *Confessio, Communio* et *preces* pro S. Ecclesia, de die quo visitanda est designata ecclesia, et de hora qua dabitur Pontificia Benedictio.

Coadunato in ecclesia populo, alta voce legantur Apostolicae Litterae seu Decreta, quibus indulgentia conceditur, una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut *de delegatione* audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem conversa pronuntietur. Brevi sermone excitetur populus ad suorum scelerum detestationem; post quae Sacerdos, *nullis circumstantibus ministris, stola et superpelliceo indutus,* ante altare genuflectit, et ibi ea peragit quae in Rituali Romano praescribuntur juxta tenorem memoratae Bullae Summi Pontificis Benedicti XIV.

17° Tandem mandat Summus Pontifex, ut Sacerdos ad impertiendam Pontificiam Benedictionem delegatus, stans in cornu epistolae, *non trina, hoc est triplici signo Crucis, sed una benedictione, uno videlicet signo Crucis, benedicat, proferens alta voce haec verba:*

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. ℟. Amen.

Trina siquidem benedictio Episcopo competit, non Sacerdoti.

18° Etiam Abbates usu Pontificalium praediti, ritu solemni celebrantes, trinam Benedictionem impertire possunt; quod iisdem penitus interdicitur, cum rem divinam privatim conficiunt.

Haec sunt potiora, quae continentur in memoratis Litteris Encyclicis « *Exemplis Praedecessorum* » editae sub die 19 Martii 1748. Qui eas cupit integre perlegere, adeat Bullarium vel Decreta auth. appendix N. XVI, pag. 485.

578. Certum est ergo, nonnullis Ordinibus Regularibus, ex speciali privilegio, concessam fuisse facultatem pro certis anni solemnitatibus effundendi super populum, Romani Pontificis nomine, Apostolicam Benedictionem. Et Clemens XIII in citata Bulla *Inexhaustum,* dum revocat omnia *particularia* indulta usque tunc elargita Sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus, impertiendi populo Pontificiam Benedictionem, vult tamen *salvas et illaesas praeservare hujusmodi facultates aliquibus regularibus Ordinibus jam concessas.*

579. Summus Pontifex Leo XIII, Brevi *Quo universi* 7 Julii 1882, quoad praedictam Benedictionem ita decrevit: Benedictio nomine Summi Pontificis impertiatur cum formula approbata in Litteris Encyclicis ejusdem s. m. Benedicti Papae XIV *Exemplis Praedecessorum,* sed nonnisi *bis in anno,* et sub conditione, quod haec Benedictio numquam detur eodem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat (Decr. auth. pag. 491 et 411 in fine).

Item Benedictio papalis impertiri nequit bis in die (S. R. C. 1 Sept. 1790; apud Aloysium Adone lib. I, n. 1105).

580. Regulares, qui facultate gaudent Benedictionem populo impertiendi Summi Pontificis nomine, ea facultate uti non possunt sine Ordinarii licentia in scriptis mature vel saltem triduo ante ipsam diem Benedictionis impetranda sub poena suspensionis ab omni officio et dignitate (Clemens XIII, Bulla *Decet Romanos Pontifices,* die 30 Aug. 1753, penes Chronolog. Ord. Min. tom. IV, pag. 523).

581. Regulares, facultate ipsis a S. Sede concessa dandi Pontificiam Benedictionem, uti dumtaxat possunt in ecclesiis *suorum Conventuum,* non autem in ecclesiis Monialium tam Ordini quam Ordinario loci subjectarum, neque in ecclesiis, in quibus Confraternitates Ordinum suorum sunt erectae (Decr. 4 Febr. 1754. N. 199).

§ IV.

CONCESSIO FACTA DIRECTORIBUS TERTII ORDINIS FRANCISCALIS.

582. *Tertiariis Franciscalibus saecularibus* Benedictio nomine Summi Pontificis dari debet *bis in anno,* sic concedente Leone XIII P. M., et quidem *juxta formulam Benedicti XIV;* at non eodem die, nec in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat. Cum igitur secundum praedictam formulam talis Benedictio *super populum* effundatur, ideo *non singulis seorsim Tertiariis, sed adunatae Congregationi danda est* ab ipso ejus *Praeside,* cui commissa intelligitur impertitio illius Benedictionis (Caeremoniale Tert. Ord. S. Franc. a S. R. C. approb.).

§ V.

CONCESSIONES FACTAE SACERDOTIBUS PARTICULARIBUS.

583. Aliquando Sacerdotibus particularibus tum saecularibus tum regularibus *supplicantibus,* conceditur facultas impertiendi populo Benedictionem in fine quadragesimalis praedicationis, vel spiritualium exercitiorum, aut Missionum, adjecta conditione, ut qui plenariam indulgentiam lucrari cupiunt, quemdam concionum numerum audire debeant. Quinam ritus tunc adhibendus sit, an nempe solemnis a Benedicto XIV praescriptus, de quo hucusque locuti sumus, an alius, ex rescripto concessionis dignoscendum est. Idem dicendum de conditionibus pro lucranda indulgentia adimplendis. Quoad ritum plerumque praescribitur, ut Missionarius, vel concionator aut director exercitiorum Benedictionem papalem impertiat, *unico Crucis signo cum Crucifixo.* En pro norma et in exemplum tenor quarumdam concessionum:

A)... Nos igitur piis hisce tuis votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes... omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Com-

munione refectis, qui tuis concionibus *Quadragesimae, Adventus, Missionum ac spiritualium Exercitiorum saltem ultra medietatem temporis*, quo eaedem conciones respective perduraverint, interfuerint et *Benedictioni cum Cruce* in postrema concionum hujusmodi a te impertiendae adstiterint, *nec non ecclesiam* ubi praedictae conciones habebuntur, sive sacellum, vel ecclesiam domorum ubi praefata spiritualia Exercitia peragentur, *devote visitaverint*, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, *plenariam* omnium peccatorum suorum *indulgentiam* et remissionem misericorditer in Domino concedimus. — *Quoties* vero Christifideles hisce concionibus saltem contriti adfuerint, et ecclesiam vel sacellum ut supra visitaverint, ibique ut supra oraverint, eisdem *biscentum dies* de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. In contrarium etc.

B) Patres Missionarii nostri Ordinis in Belgio postularunt et obtinuerunt sequentes facultates:

Bme Pater. Minister Provincialis Minorum Recollectorum in Belgio implorat facultatem pro omnibus religiosae suae Provinciae Missionariis concedendi *indulgentiam plenariam*, applicabilem per modum suffragii animabus Purgatorii, omnibus fidelibus, qui confessi et sacra Communione refecti oraverint juxta intentionem Sanctissimi Patris et *quinquies* interfuerint exercitiis Missionis vel Exercitiorum spiritualium, quae a Patribus tradentur.

Similiter petit, ut iidem Missionarii in fine Missionum et Exercitiorum spiritualium omnibus fidelibus praesentibus *dare possint Benedictionem papalem*.

Ex Audientia SSmi habita die 16 Novembris 1851.

Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa IX, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. de Prop. Fide die et anno quibus supra.

Al. Barnabò, *a Secretis.*

C) Ex recentioribus dispositionibus ampliores gratiae a S. Sede obtineri possunt. Formula petitionis, juxta exemplar authenticum nobis exhibitum, potest esse sequens:

Bme Pater. Sacerdos (vel Parochus)... dioecesis... ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, implorat facultatem ad *quinquennium* impertiendi cum SS. Crucifixo *Benedictionem* in fine concionum Quadragesimae, S. Adventus, Exercitiorum spiritualium, sacrarum Missionum, nec non in fine mensium, — Martii in honorem S. Joseph, — Maji in honorem B. Mariae Virginis, — Junii in honorem SS. Cordis Jesu, — Octobris in honorem B. Mariae Virginis de Rosario, — et Novembris in suffragium defunctorum, quas conciones Orator dabit, obtenta prius Ordinariorum licentia, cum *indulgentia plenaria,* quae sit applicabilis etiam per modum suffragii animabus Purgatorii, lucranda ab omnibus Christifidelibus, qui confessi et sacra Communione refecti praedictis Oratoris concionibus, saltem *ultra medietatem,* adfuerint, orando pro felici statu S. Matris Ecclesiae juxta mentem Sanctitatis Vestrae.

§ VI.

ALIAE PARTICULARES CONCESSIONES PRO IMPERTIENDA BENEDICTIONE PAPALI SUPER POPULUM.

584. Non raro potestas conferendi populo Benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria, ab ipso Summo Pontifice benigne conceditur Sacerdotibus, praesertim Parochis, Romam peregrinantibus pro exhibendo eidem Christi Vicario obsequium fidelitatis, obedientiae, submissionis, et aliquando etiam sensa gratulationis pro aliquo felici eventu. Testes sumus id contigisse sub Pontificatu Summorum Pontificum Pii IX et Leonis XIII. In hisce casibus quo ritu uti debent Sacerdotes in impertienda Benedictione papali, *casu quo Papa nihil de eo dixerit?*

Respondemus, praefatos Sacerdotes uti debere ritu et formula a Benedicto XIV pro regularibus Ordinibus praescripta. Haec sententia, quam cl. Melata suam fecit (Man. de Indulg. p. 86; Tract. de Bened. papali, p. 179) quamque alii negant vel dubitanter sustinent, nobis videtur certa. Conferantur inter se duo responsa S. R. Congregationis (Decr. auth. pag. 410-411) ad dubium 3^m, et ad dubium 6^m.

In 3° dubio quaeritur: An pro impertienda absolutione *in articulo mortis* Tertiariis saecularibus Franciscalibus, debeat formula Benedictina adhiberi... ?

Resp. *Formula Benedictina est praescribenda sub poena nullitatis* PRO OMNIBUS INDISCRIMINATIM, facto verbo cum SSmo.

In 6° dubio petitur: An pro impertienda Tertiariis Franciscalibus saecularibus *Benedictione papali* obligatio adsit formula Benedictina utendi, vel sit eadem praescribenda?

Resp. UT IN TERTIO.

Porro *in tertio,* ut vidimus, formula Benedictina praescribitur sub poena nullitatis *pro omnibus indiscriminatim.* Ergo tam pro impertienda absolutione in articulo mortis, quam pro impertienda Benedictione papali populo coadunato, exhiberi debet respectiva formula Benedictina *ab omnibus indiscriminatim,* nisi pro Benedictione papali alius ritus praescribatur in concessione.

ARTICULUS III.

INDULGENTIA PLENARIA IN ARTICULO MORTIS.

§ I.

PRAECIPUA CAPITA CONSTITUTIONIS « PIA MATER » BENEDICTI XIV SUPER BENEDICTIONE APOSTOLICA CUM INDULGENTIA PLENARIA IN ARTICULO MORTIS.

585. Ut lectoribus clarius pateat dispositio Ecclesiae circa Apostolicam Benedictionem fidelibus in articulo mortis constitutis impertiendam, praecipua puncta adnotamus, quae Pontifex Benedictus XIV in sua celebri Constitutione *Pia Mater,* edita sub die 9 Aprilis 1747, docuit ac decrevit; eo prorsus modo, quo id fecimus de altera ejusdem Pontificis Constitutione: *Exemplis Praedecessorum.* En igitur potiora, prout ad rem nostram faciunt.

1° Facultas impertiendi Benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in articulo mortis constitutis, ante Benedictinam Constitutionem *Pia Mater* Episcopis concedi consuevit per privatas Epistolas Secretarii Brevium *ad triennium proximum;* et hac lege, ut quilibet Episcopus uteretur *per se ipsum immediate,* vel quatenus Episcopum suffraganeum haberet, *per Dominum suffraganeum suum;* nec, *nisi necessitate urgente, et quidem nocturno tempore,* alium Sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset. Quo vero *ad Moniales,* ordinarii earum Confessarii opera in eum finem uteretur.

2° Hanc porro facultatem, prout in hujusmodi Litteris concedebatur, Ecclesiarum Pastores jamdudum judicarunt angustiis nimium limitibus cirumscriptam; non solum ob breve triennii spatium ipsi praefinitum, verum etiam quia, propter relatas leges circa illius usum praescriptas, ab hujusmodi indulgentiae plenariae beneficio excludi videbant plerosque fideles sibi subjectos, praesertim vero eos, quos extra ipsorum residentiae locum, et in remotis dioecesum regionibus infirmari contingeret.

3° Ut his incommodis mederetur, S. Congregatio Indulgentiarum non semel egit *pro ampliatione facultatum* in memoratis Epistolis contentarum, idque dum ipse Pontifex Benedictus XIV in minoribus esset constitutus. Ob tamen specialia adjuncta, res in priori statu relicta fuit.

4° Cum autem doctissimus Prosper Lambertini in Collegium S. R. E. Cardinalium fuerit cooptatus, indeque ad regendam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam se contulisset, ex qua biennio post ad Metropolitanam Bononiensem fuit translatus; ipso statim usu et propria experientia, in eas incidit difficultates, quae a se, dum esset pariter in minoribus, propositae fuerant S. Congregationi: animadvertit scilicet, ob interdictam Episcopis praefatae facultatis subdelegationem, omnes plerumque dioecesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio in extremo vitae momento orbatos manere.

5° Ad summum Pontificatus apicem evectus, Benedictus XIV, sua perpetuo valitura Constitutione, *Pia Mater,* novas in hac materia regulas praefinire constituit. *Decrevit scilicet:*

a) Ut facultates impertiendi Benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in articulo mortis constitutis, ab Episcopis tunc existentibus jam obtentae, sive ad triennium dumtaxat, sive ad aliud definitum tempus, in suo robore maneant, *quoad iidem Antistites dioecesum regimen obtinebunt.*

b) Ut tam Antistitibus ad aliarum Ecclesiarum regimen translatis, quam novis Episcopis, qui catholicis gregibus in posterum praeficientur, dictam facultatem *postulantibus,* Apostolicae Litterae in forma Brevis gratis per omnia expedirentur, eisque memorata facultas concederetur *non ad triennium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiae regimen obtinebunt.*

c) Tam Episcopis tunc propriam dioecesim habentibus, quam illis qui in posterum catholicis gregibus praeficientur, *concessit*

facultatem subdelegandi tam pro civitate quam pro dioecesi absque distinctione temporis, nocturni vel diurni, *alios pios Sacerdotes* sive saeculares, sive regulares, prout necessarium fore judicassent.

d) Easdem facultates indulsit Praelatis inferioribus territorium separatum habentibus, cum vera qualitate *Nullius* et activa in clerum et populum jurisdictione; *dummodo et ipsi has gratias postulent,* sacra Apostolorum limina praescriptis temporibus visitent, relationem status Ecclesiarum sibi subjectarum Apostolicae Sedi exhibeant etc.

e) Declaravit, hujusmodi Indulta nequaquam morte concedentis expirare, *cum jurisdictio delegata in iis, quae non justitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat.*

f) Decrevit etiam, praefatas subdelegationes per subdelegantis cessum aut decessum, *similiter non expirare,* sed potestatem Sacerdotibus tributam perseverare *usque ad superventum novi Praesulis,* cujus arbitrio relinquitur, eosdem in hujusmodi officio confirmare vel ab eo removere.

g) Hinc 1° Summo Pontifice decedente, Antistites, qui memoratam facultatem jam obtinuerant, opus non habent pro illius confirmatione ad Apostolicae Cathedrae Successorem recurrere.

Hinc 2° cedente vel decedente Episcopo seu Praelato, a quo eadem facultas in sua dioecesi aut territorio subdelegata fuerat, nova concessione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium aut Apostolicorum regimine; cum subdelegatorum auctoritas semper manere debeat, quamdiu vel Episcopus ipse, aut Praelatus, vel illius successor eamdem ipsis non ademerit.

h) Declaratum tamen voluit praelaudatus Pontifex Maximus, *non id propositum sibi fuisse, ut Episcopos sive Praelatos prorsus eximeret ab hoc paternae charitatis officio, per seipsos adeundi miseros aegrotos,* plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos; imo hortatur, ut quoties Praesules legitime impediti non fuerint, exercere gaudeant per semetipsos tam pium opus, non tantum erga nobiliores et potentes hujus saeculi, sed erga pauperes quoque et abjectae sortis homines.

6° Postea Summus Pontifex Sacerdotibus, qui fideles in extremo agone laborantes pie adjuvant, vel Ecclesiae Sacramenta ipsis ministrant, mandat ut in mentem illis reducant, quid ad

consequendam indulgentiam agere debeant, atque omni ratione studeant moribundos fideles excitare *ad novos de admissis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimae in Deum charitatis affectus; praesertim vero ad ipsam mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam.* « Hoc enim praecipue opus in hujusmodi articulo constitutis *imponimus et injungimus,* verba sunt Pontificis, quo se ad plenariae indulgentiae fructum consequendum se praeparent atque disponant ».

7° Cum autem pro impertienda moribundis praefata Benedictione applicandaque ipsis plenaria indulgentia, *nulla certa formula* olim praescripta fuerit, et Benedictus XIII anno 1726 pias quasdam preces et orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandaverit, Benedictus XIV *aliam de novo formulam* in Constitutione, de qua est sermo, magis congruentem confecit, *quam ab omnibus in posterum usurpari praecepit.* Quae formula una simul cum respectiva rubrica, cum reperiatur in Rituali tum Romano tum Seraphico, supervacaneum ducimus hic eam transcribere. Si quis integram constitutionem perlegere cupit, adeat Bullarium Romanum, vel Decreta auth. in Append. pag. 471, n. XV.

Quibus praejactis, ad alia de eadem indulgentia in articulo mortis exponenda transeamus.

§ II.

INDULGENTIA IN ARTICULO MORTIS FERENDA ET LATA.

586. Pro clariori intelligentia indulgentiae plenariae pro articulo mortis concessae, valde juvat noscere distinctionem inter indulgentiam *ferendam* et *latam.* En quomodo explicatur a Suarez (Disp. 56, sect. 1. n. 2-3):

« Advertendum est, duplicem posse a nobis distingui formam concedendi indulgentias, unam continentem indulgentiam *ferendam,* aliam *latam,* ad eum modum quo in excommunicatione distingui solet. Quod enim hi duo modi etiam in indulgentiam inveniantur, manifestum est: nam aliquando concedit Papa, v. g. alicui, ut cum venerit ad articulum mortis, *possit a Confessario absolvi,* non solum a culpa, *sed etiam ab omni poena;* et tunc ex vi illius concessionis ipse immediate non absolvit, sed concedit alteri, ut absolvere possit, ut ex ipsa forma concessionis manifestum est; ergo recte dicitur talis indulgentia *ferenda...*

« Aliquando vero concedit Pontifex indulgentiam plenariam alicui eo ipso quod in gratia et in omnibus culpis remissis moriatur: et haec est indulgentia *ipso jure seu facto lata:* quia eo ipso, quod homo in eo statu moriatur, ex vi illius absolvitur a tota poena. In quo principaliter differt haec concessio a praecedente: nam in illa praeter primariam concessionem Pontificis, *necessarius est actus alterius hominis,* ut effectus fiat; in hac vero *nullam alterius actionem intervenire oportet,* sed posita conditione, ipse Pontifex immediate absolvit ».

Unde brevius: indulgentia *ferenda* ea dicitur, quae, ut obtineatur, alterius ministerium expostulat; *lata,* quae a Summo Pontifice immediate conceditur, ita ut citra alterius ministerium hanc indulgentiam moriturus percipiat. Hinc indulgentia plenaria in articulo mortis, quae communicatur a Sacerdote per Benedictionem Apostolicam, adhibita formula Benedicti XIV, est *ferenda.* Eadem indulgentia, quae saepe conceditur ex variis titulis, ordinarie est *lata,* quae proinde sine Sacerdotis ministerio, expletis praescriptis conditionibus, moribundus per seipsum acquirit.

587. Cum igitur indulgentia in articulo mortis duplici modo, juxta diversitatem formae concessionis, a moribundis acquiri possit, consequitur, sermonem nostrum hic non restringi ad eam, quae per Benedictionem Apostolicam applicatur eisdem moribundis, sed extendi etiam ad illam, quae, utpote *lata,* sine Sacerdotis ministerio, seu absque formulae Benedictinae usu, a morientibus percipi potest.

Verum tamen est, ea quae sequuntur, *praecipue* respicere indulgentiam quae moribundis communicatur per *Benedictionem Apostolicam,* utpote quae communis est omnibus Christifidelibus.

§ III.

CONDITIONES DE REGULA GENERALI SERVANDAE TUM A SACERDOTE IN APPLICANDA, TUM AB INFIRMO IN RECIPIENDA INDULGENTIA PLENARIA IN ARTICULO MORTIS.

588. Ad indulgentiam plenariam *in articulo mortis valide* impertiendam, duo requiruntur *ex parte Sacerdotis:* 1° ut sit ad hoc delegatus; 2° ut adhibeat formulam a Benedicto XIV praescriptam.

Ex parte infirmi haec de *regula generali* et juxta tenorem Benedictinae Constitutionis requiruntur:

a) Intentio, saltem interpretativa, lucrandi indulgentiam, ut patet ex verbis rubricae Ritualis Romani. Dicitur enim eam impertiendam esse illis « *qui vel illam petierint... seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis* ».

b) Ut infirmus sit confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, *saltem contritus Nomen Jesu* ore si potuerit, sin minus corde devote invocaverit.

c) Actus, quo aegrotus mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiat. — De hujusmodi conditionibus iterum dicetur infra.

Notant Auctores, *rem prudentiae esse,* adhortationem in Rituali Romano praescriptam ita observare et moderari, ut aegroti perturbatio vel adstantium indignatio evitetur. Hujusmodi adhortatio liberius et commodius fieri potest praecipue in Confessione.

§ IV.

NECESSITAS ADHIBENDI FORMULAM BENEDICTINAM PRO INDULGENTIA FERENDA.

589. Pro impertienda Benedictione Apostolica in articulo mortis adhiberi debet formula a Benedicto XIV confecta. « Aliam de novo formulam, ait laudatus Pontifex, magis congruentem confecimus et instituimus, *quam ab omnibus in posterum usurpari praecipimus* » (Constit. *Pia Mater).*

590. Formula a Benedictio XIV praescripta pro impertienda Benedictione Apostolica in articulo mortis omnino *ad valorem* requiritur, ita ut si omittatur, etiam ob libri deficientiam, indulgentia non confertur, et hoc ideo, quia dicta formula non est tantum directiva, sed *praeceptiva* (Decr. 5 Febr. 1841. N. 286 ad 8^m; 22 Martii 1879. N. 444 ad 3^m; *Raccolta,* pag. 452).

Praedicta formula Benedictina praescribitur sub nullitatis poena *pro omnibus indiscriminatim* (Decr. N. 444 ad 3^m; *Raccolta,* p. 452).

Quare *Regulares* etiam, quorum *antiquae formulae* pro conferenda indulgentia plenaria in articulo mortis usitatae, *abrogatae et suppressae sunt,* praefatam formulam Benedictinam sub

nullitatis poena adhibere debent, addito tantum ad *Confiteor* nomine sancti proprii Fundatoris (Leo XIII, Brev. *Quo universi* 7 Julii 1882; Decr. auth. pag. 491).

591. Sed advertendum, *pro Regularibus* nullam esse necessitatem ad acquirendam indulgentiam plenariam in articulo mortis, ut moribundo Religioso applicetur per formulam. Nam Paulus V omnibus Regularibus eam concessit lucrandam *sine alterius ministerio:* in Bulla enim *Romanus Pontifex* conceditur indulgentia plenaria « *in cujuslibet Religiosi mortis articulo, si vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem corde, devote invocaverit* ». Dummodo ergo Religiosus in mortis articulo constitutus, *praescripta opera adimpleat,* indulgentiam plenariam lucrabitur, quin opus sit ut ei applicetur per formulam a Sacerdote.

592. Nec etiam pro fidelibus *Confraternitatibus* adscriptis nulla est necessitas, generatim loquendo, ut indulgentia plenaria in mortis articulo applicetur a Sacerdote, adhibita formula. « Quia, ait Theodorus a Sp. S., indulgentia pro Confratribus in articulo mortis, saltem juxta modernum stilum Apostolicae Sedis, non est *ferenda,* ac per consequens non est commissa Sacerdotibus facultas eam impertiendi; sed *lata,* hoc est sine requisito applicantis ministerio concessa... Non improbamus tamen, subjungit, imo maxime commendamus (ut Confratres in extremis laborantes melius ad hanc indulgentiam se disponant), morem vocandi Sacerdotes, qui eos solantes, ad verum contritionis actum eliciendum, devoteque dulcissimum Jesu Nomen invocandum inducant... » (De Indulg. pars. II, pag. 200).

593. Confratri tamen et etiam Religioso infirmo rite disposito (susceptis antea, si fieri potest, Sacramentis), potest Sacerdos ad eum vocatus, *si facultatem habeat,* applicare per praescriptam formulam (prout ceteris fidelibus), etsi hoc non sit necessarium, indulgentiam plenariam, praesertim si moribundus id petat.

594. Saepe contingit, ut fidelis petat et Summus Pontifex concedat, sive rescripto, sive vivae vocis oraculo, indulgentiam plenariam in articulo mortis favore alicuius familiae vel particularis personae in extremo agone laborantis. Haec etiam indulgentia, cum sit non *ferenda,* sed *lata,* minime requirit Sacerdotis ministerium ut applicetur infirmo.

595. Cum in formula Benedictina contineatur etiam *Confiteor*, ideo in impertienda Benedictione cum indulgentia plenaria in articulo mortis, recitari illud debet juxta praxim et rubricas, licet recitatum jam sit in praecedenti Sacramento Poenitentiae; hoc tamen *nisi necessitas urgeat* (Decr. 5 Febr. 1841. N. 286 ad 5^{m}).

Item quando administratur Viaticum, Extrema Unctio ac indulgentia in mortis articulo impertitur, necesse est juxta praxim et rubricas tribus vicibus recitare *Confiteor* (Decr. eod. ad 6^{m}). Dictum est supra: *nisi necessitas urgeat:* quia, « *si infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur* (Bened. XIV, Const. *Pia Mater;* Rit. Rom.; Caeremon. Tertii Ord. S. Francisci).

596. In Benedictione Apostolica cum indulgentia plenaria in articulo mortis impertienda, tolerari potest praxis, qua *semel in plurali numero* et proprio genere admonentur *insimul plures moribundi* de his, quae Benedictus XIV (Constit. *Pia Mater*) praemittenda praescribit, et dicuntur preces et orationes eadem Constitutione designatae; ipsa vero formula, quae incipit « *Dominus noster Jesus Christus* » etc. usque ad verba « *tibi concedo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen* », singulariter singulis pronuntiatur (Decr. 10 Junii 1884; cf. Beringer, tom. I, pag. 515).

§ V.

FACULTAS SUBDELEGANDI CONCESSA EPISCOPIS.

597. Juxta Constit. Benedictinam *Pia Mater,* Episcopus *subdelegare potest ad Benedictionem papalem* cum indulgentiae plenariae applicatione in articulo mortis, suis dioecesanis impertiendam, unum vel plures Sacerdotes saeculares aut regulares, *quotquot pro numero animarum necessarios esse prudenter judicaverit.* Consultius tamen est, si subdelegatio fiat singulis *speciatim et in scriptis* (Decr. 23 Nov. 1878. N. 440).

Potest Episcopus subdelegare omnes Parochos speciatim ruri degentes, non autem *omnes suae dioecesis Confessarios* (Decr. 23 Sept. 1775. N. 237 ad 8^{m}).

598. Quoad *Moniales* Episcopus subdelegare debet earum *Confessarium ordinarium.* Patet ex Brevi, quo ab Apostolica Sede conceditur Episcopis facultas subdelegandi Sacerdotes ad impertiendam fidelibus in articulo mortis constitutis praedictam Benedictionem. In hujusmodi enim Brevi apponitur haec clausula restrictiva: « *quoad Moniales autem, illarum Confessario ordinario communicare valeat* ».

Porro ex hac clausula restrictiva non pauca dubia exorta sunt, quae S. Congregationi Indulgentiarum sequenti modo proposita sunt solvenda:

Statuitne (praedicta clausula) *tale munus invalide quoad illas exerceri a quolibet Sacerdote (etiam Vicario Generali) deputato ad hanc Benedictionem impertiendam, sive omnibus et singulis fidelibus in tota dioecesi, sive Monialibus tantum, sive specialiter Moniali hic et nunc aegrotanti, nisi sit illarum Confessarius ordinarius? Si ita sit, quisnam est ille Confessarius ordinarius? An qui jurisdictione in illas gaudet ordinaria? an monasterii, de quo agitur, Confessarius ordinarius? Seu Confessarii ordinarii, si plures sint? An Monialis aegrotae Confessarius actualis, sive ejus qui ante morbum, quo laborat, Confessiones exceperit, sive non? Sive sit monasterii Confessarius ordinarius, sive non?*

S. Congregatio ad omnes istas interrogationes simpliciter respondit: *Facultas pro Confessario ordinario tantum* (Decr. 23 Sept. 1775. N. 237 ad 9^{m}).

599. Praefata clausula « *pro Monialibus vero Confessarium ordinarium* » applicanda est etiam Monialibus improprie dictis, cum votis nempe simplicibus (ut sunt hodie in Gallia et alibi), degentibus nihilominus in claustris sub clausura episcopali tantum, *dummodo tamen Confessarius ordinarius in domo, in qua dictae Sorores degunt, habeatur.*

Item saepedicta clausula applicanda est etiam iis puellarum sive Sororum Communitatibus, quae vota emittentes simplicia non habent clausuram, ut sunt permulta Instituta religiosa operibus charitatis vel educationis juventutis dedita: *dummodo tamen puellae vivant in communitate ad formam Monialium, et Confessarium ordinarium habeant; secus, Negative* (Decr. 2 Dec. 1868; Rescr. auth. N. 408, pag. 324).

§ VI.

DISPOSITIONES IN MORIBUNDIS ET TEMPUS COMMUNICANDI EIS INDULGENTIAM PLENARIAM.

600. Rubrica Ritualis Romani dicit: « *Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae, et Extremae Unctionis* » etc. His verbis indicatur tum tempus magis congruum, tum praxis quae ordinarie servatur in dicta Benedictione moribundis impertienda, *nisi tamen necessitas urgeat, aliudve expostulet.*

601. Porro invocatio *saltem mentalis* SS. Nominis Jesu, de qua fit mentio in Brevibus ad Episcopos de hac Benedictione missis, praescribitur, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, *ut conditio sine qua non* pro omnibus Christifidelibus ad indulgentiam vi istius Benedictionis lucrandam (Decr. 23 Sept. 1775. N. 237 ad 7m; 22 Sept. 1892, apud Collect. S. C. de Prop. Fide, N. 2174, pag. 876).

Eamdem indulgentiam lucrantur etiam *simpliciter contriti* (ideo neque confessi, neque SS. Communione refecti), nisi Pontifex in sua concessione Confessionem, vel aliud simile requirat (Decr. 23 Apr. 1675. N. 9 ad 3m).

Ergo Confessio et Communio, etsi ab infirmo recipi debeant si est ei possibile, non constituunt tamen conditionem necessariam ad validitatem indulgentiae in articulo mortis. Et sane neque in Bulla *Pia Mater,* neque in *Raccolta* Sacramentorum susceptio praescribitur.

602. Ad formam Bullae Benedicti XIV, Benedictio in articulo mortis cum applicatione indulgentiae plenariae potest, si sit periculum in mora, concedi tum valide, tum licite, iis qui etiam *culpabiliter* non fuerunt ab incepto morbo Sacramentis refecti vel Poenitentiae, vel Eucharistiae, vel Extremae Unctionis, vel nullo horum, subitoque vergunt ad interitum (Decr. 23 Sept. 1775. N. 237 ad 5m).

603. Moribundus tamen paratus esse debet ad acceptandum a Deo quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. « *Hoc enim praecipue opus,* ait Benedictus XIV in Bulla *Pia Mater, in*

hujusmodi articulo constitutis imponimus et injungimus, quo se ad plenariae indulgentiae fructum consequendum praeparent atque disponant».

604. Indulgentia plenaria in articulo mortis accipitur *in vero* tantum mortis articulo, non *in praesumpto* (Decr. 23 Apr. 1675. N. 9 ad 1^{m}).

Videlicet: eo temporis momento acquiritur, quo mors realiter sequitur, nempe quando anima a corpore separatur. Quando igitur Sacerdos Benedictionem impertit, indulgentia adhuc *suspensa manet,* quod est singulare hujus indulgentiae *dumtaxat,* dum ceterae indulgentiae eo instanti acquiruntur, quo omnes praescriptae conditiones fuerint adimpletae. Articulus vero *praesumptus* habetur, ut dicunt, quando medicorum aliorumque judicio infirmus putatur brevi moriturus, sed revera non moritur.

605. Quia indulgentia in articulo mortis effectum suum sortitur, non cum Benedictio Apostolica accipitur, *sed in exitu vitae,* consequitur, quod si infirmus convaluerit, *nihil obtinet.* Quae modo dicta sunt, referuntur ad momentum *acquirendi* indulgentiam, non ad tempus *impertiendi* per Sacerdotem Benedictionem Apostolicam, quae infirmo jus tribuit eam acquirendi. Ad hanc Benedictionem infirmo conferendam non est expectandum illud tempus, quo aegrotus vix sui compos, impar evadit ad eos animi motus eliciendos, quos Rituale Romanum praescribit. Id ex dicendis melius patebit, et specialiter ex sequenti declaratione:

Postulatum est: Utrum Benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria in articulo mortis dari possit post collata extrema Sacramenta, cum periculum quidem mortis adest, *non tamen imminens?*

S. C. resp.: *Affirmative: quam responsionem* EX REI NATURA *pro omnibus aegrotis Christifidelibus in mortis periculo constitutis valere dixerunt* Emi Patres; et Summus Pontifex hanc responsionem approbavit (Decr. 19 Dec. 1885; apud Acta S. Sed. vol. XVIII, pag. 414).

§ VII.

QUIBUS DANDA EST BENEDICTIO APOSTOLICA CUM INDULGENTIA PLENARIA.

606. Indulgentia plenaria in articulo mortis *cunctis petentibus* est concedenda (Decr. 23 Apr. 1675. N. 9 ad 2^{m}).

Nempe concedenda est illis infirmis in periculo mortis existentibus, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiam si postea linguae, ceterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Item, si sit periculum in mora, concedi potest iis, qui etiam *culpabiliter* non fuerunt ab incepto morbo Sacramentis refecti, subitoque vergunt ad interitum.

Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda (Ritual. Rom.).

607. Quaesitum est: An Benedictio cum indulgentia plenaria juxta Const. Benedicti XIV *Pia Mater,* impertienda sit *pueris,* qui defectu aetatis primam Communionem necdum instituerunt?

Resp.: *Affirmative* (S. Rit. Congr. 16 Dec. 1826, apud Collectanea S. Congr. de Prop. Fid. N. 1138).

At vero hujusmodi responsum intelligendum est de pueris, *qui sint rationis capaces,* quique proinde peccare possunt. Id patet tum ex natura rei, tum ex quodam responso a Secretaria S. C. I. dato sub die 9 Julii 1832, quod refertur a P. Beringer, tom. I, pag. 511, nota 1.

608. Postulatum est etiam: Utrum indulgentia plenaria in articulo mortis concedi possit *damnatis ad mortem,* dum ad illam subeundam ducuntur, vel eadem die qua eam subituri sunt?

Resp.: *Affirmative, cum fieri poterit* (Decr. 10 Aug. 1841; Collect. S. C. de Prop. Fid. N. 1141).

§ VIII.

INDULGENTIA PLENARIA IN ARTICULO MORTIS VARIIS TITULIS LUCRARI POTEST.

609. Indulgentia in articulo mortis non solum per Benedictionem Apostolicam seu per ministerium Sacerdotis moribundis conceditur, sed etiam sine Sacerdotis ministerio *ex aliis titulis* ea potest ab ipsis moribundis obtineri, nempe:

a) Si possideant, secumque habeant aliquod *objectum pium,* v. g. crucem, crucifixum, numisma, coronam, apostolicis indulgentiis ditatum. Aegroti hujusmodi res sacras aut secum habere debent,

vel, ut ait S. Alphonsus lib. VI, n. 534, prope lectum, quamvis eas nec videant, nec tangant.

b) Si gestent aliquod scapulare approbatum, cui fuerit applicata indulgentia plenaria in articulo mortis.

c) Si sint Sodales alicujus Ordinis religiosi (vid. n. 591), ex Bulla *Romanus Pontifex* Pauli V, qui plenariam indulgentiam concessit *cuilibet Religioso* (et *Religiosae Moniali*) in vero mortis articulo constituto, si vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus Nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem corde, devote invocaverit.

d) Item si sint Sodales alicujus Confraternitatis, puta SS. Rosarii, vel B. M. Virginis de Monte Carmelo.

e) Si *frequenter in vita* elicuerint actus virtutum theologalium, nempe fidei, spei et charitatis (n. 248), vel SS. Nomen Jesu invocaverint (n. 264), vel in honorem S. Angeli Custodis saepe recitaverint precem *Angele Dei* (n. 423) etc.

Optima proinde et valde commendanda fidelibus est praxis, qua quisque mortis horam frequenter animo recogitans, non solum adprecetur Deum ut sit propitius in transitu ad aeternitatem, sed propositum saepe renovet recipiendi, quantum in se est, in illo extremo et terribili momento, omnia sanctae Religionis subsidia, omnesque, quoad licet, indulgentias, ne secus ei contingat quod Doctor Navarrus pronuntiavit, ut scilicet « *moriatur plenus Bullis, et vacuus Indulgentiis* ».

§ IX.

BENEDICTIO APOSTOLICA IN EODEM MORTIS ARTICULO UNA TANTUM VICE IMPERTIRI POTEST.

610. Benedictio Apostolica in articulo mortis cum applicatione indulgentiae *semel tantum,* eadem permanente infirmitate etsi diuturna, impertiri potest. Potest autem pluries impertiri, si infirmi convaluerint, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeant (Decr. 23 Sept. 1775. N. 237 ad 6^m; 24 Sept. 1838. N. 263 ad 2^m; 12 Febr. 1842. N. 300).

Item, non licet iterum applicare indulgentiam in articulo mortis, eo quod aegrotus eam accepit in statu peccati mortalis, vel relapsus est in peccatum, vel Extremam Unctionem aut absolutionem denuo recepit (Decr. 20 Junii 1836. N. 257 ad 7^m).

611. Non potest infirmus, in eodem mortis articulo, *pluries* lucrari indulgentiam plenariam in articulo mortis *a pluribus Sacerdotibus* facultatem habentibus impertiendam (Decr. 5 Febr. 1841 in una Valentinen. N. 286 ad 7^{m}).

Hac resolutione praejacta, duo sequentia dubia proposita sunt enodanda Sacrae Congregationi Indulgentiarum:

1° Utrum vi praecedentis resolutionis *prohibitum sit,* infirmo, in eodem mortis periculo permanenti, impertiri *pluries ab eodem vel a pluribus Sacerdotibus hanc facultatem habentibus,* indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae vulgo *Benedictio papalis* dicitur?

2° Utrum vi ejusdem resolutionis *item prohibitum sit,* impertiri *pluries* infirmo in iisdem circumstantiis ac supra constituto, indulgentiam plenariam in articulo mortis *a pluribus Sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus,* puta, ratione aggregationis Confraternitati SS. Rosarii, sacri Scapularis de Monte Carmelo, SS. Trinitatis etc.

S. C. resp.: *Affirmative ad utrumque, firma remanente resolutione in una Valentinen. sub die* 5 *Febr.* 1841. Quam resolutionem Summus Pontifex Pius IX approbavit et confirmavit (Decr. 12 Martii 1855. N. 362).

612. Ex dictis patet ratio harum decisionum. Indulgentia enim, de qua agitur, non acquiritur nisi in exitu vitae, in ipso instanti mortis, quando nempe anima separatur a corpore. Ergo semel impertita per Benedictionem Apostolicam, quaelibet reiteratio esset prorsus inutilis. Pro acquisitione hujusmodi indulgentiae per praedictam Benedictionem jam collatae a Sacerdote legitime ad hoc deputato, aliud non requiritur ex parte morientis, nisi ut sit in statu gratiae dum exhalat animam, et ut ceteras conditiones praevie expleverit.

Hinc ante aetatem Benedicti XIV, formula qua utebantur Sacerdotes in applicanda moribundis indulgentia plenaria, quaeque passim citatur ab Auctoribus et etiam videri potest in antiquis Breviariis Franciscanis, haec vel similis erat: Auctoritate D. N. J. C... concedo tibi omnem illam indulgentiam peccatorum tuorum, quam concedere possum virtute privilegiorum Apostolicorum: *si tamen hac vice moriaris; alias eam tibi reservo pro vero mortis articulo.* In nomine Patris et Filii etc. (Vid. Theod. a Spir. S. p. II, pag. 205).

Ex qua formula patet, quod, absolute loquendo, Benedictio hujusmodi semel data sufficere posset ut fidelis, sanus deinde factus, indulgentiam plenariam lucretur (dummodo rite sit dispositus) *cum in verum mortis articulum* inciderit, licet hic post longum tempus eveniat. At sancta Mater Ecclesia ad consolationem filiorum morientium permittit, ut in tali casu reiteretur formula super eodem Christifideli.

613. Ex eo quod indulgentia plenaria in articulo mortis semel tantum acquiri potest, non est inferendum, quod diversa pietatis opera, quibus adnexae sunt indulgentiae pro articulo mortis, inutilia evadant moribundis, ac ideo inutiliter multiplicentur tituli ad eamdem indulgentiam lucrandam. Nam preces sive pietatis et devotionis opera maxime conferunt ad excitandos in moribundis fidei, spei et charitatis sensus; eos disponunt ad ipsam mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam, ac simul adjuvant ad augendam fiduciam in Christi et Sanctorum merita. Ex quo fit, ut ipsi melius ac perfectius se praeparent ac disponant ad consequendam in articulo mortis indulgentiam plenariam, remissionem nempe omnium peccatorum.

Insuper contingere etiam potest, ut fidelis in extremo agone laborans non lucretur ex *tali* titulo indulgentiam plenariam, quia non adimplevit juxta praescriptum aliquam conditionem, forsan in illo morbi statu nimis onerosam, ut esset ex. gr. recitatio *Credo* vel *Salve Regina;* dum econtra acquirere eam poterit ex *alio* titulo per actum faciliorem, v. g. per invocationem SS. Nominis Jesu corde saltem factam post susceptionem Sacramentorum (Cf. Beringer, tom. I, p. 521).

Praeterea evenire quoque potest, ut Sacerdos, parum peritus, non adhibeat praescriptam formulam vel non habeat legitimam facultatem impertiendi Benedictionem in articulo mortis; quibus in casibus indulgentia nulla foret. At moribundus aeque eam acquirere poterit, si ex alio titulo ad eam, quae sit *lata,* jus habeat. Tituli ergo diversi pro lucranda indulgentia plenaria nullatenus dici possunt inutiles ex eo, quod eadem in articulo mortis semel tantum acquiri possit.

§ X.

FINIS CONCESSIONIS PRAEFATAE INDULGENTIAE ET AN SIT ANIMABUS PURGATORII APPLICABILIS.

614. Finis Summorum Pontificum hujusmodi gratiam concedentium est, ut decedentibus nihil supersit post hanc vitam mortalem purgandum; ac per consequens Summi Pontifices eam peccatorum remissionem impertiuntur, quae (quantum est ex se) efficaciam habeat perducendi illos vere contritos de peccatis ad aeternam beatitudinem *statim possidendam* (Theod. a Sp. S. pars II, pag. 204).

615. *An sit applicabilis animabus Purgatorii?* Ex fine modo enuntiato, quo pia Mater Ecclesia movetur ad largiendam filiis suis plenariam indulgentiam in articulo mortis, jure infertur, eam non defunctis, sed *morientibus tantummodo esse applicabilem*. Ut defunctis quoque esset applicabilis, oporteret ut Summus Pontifex id concederet. At Decreta supra allata et concessionis finis, quem indicavimus, ostendunt talem pro defunctis concessionem non esse factam. Insuper a Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 17 Martii 1886 exiit Epistola, qua expresse declarabatur, indulgentiam plenariam in articulo mortis non esse applicabilem animabus Purgatorii, sed juxta mentem Summorum Pontificum eam esse *favorem omnino personalem,* qui ipsi fideli in exitu vitae applicatur. In illa epistola dicebatur:

« *Questa* (indulgentia in articulo mortis) *per altro, almeno come plenaria e pienamente non si può lucrare che una sola volta, non essendo essa applicabile, a modo di suffragio, alle anime sante del Purgatorio, perchè personale al moribondo giusta la mente del Sommo Pontefice che la concede* ». Hujus epistolae mentionem etiam facit cl. P. Beringer, tom. I, pag. 521-522.

616. Ab hac tamen generali dispositione exceptio facienda esse videtur quoad fideles illos, *qui actum heroicum charitatis* emiserunt. Juxta enim naturam hujus actus, fideles qui eum emittunt, offerre Deo debent pro animabus Purgatorii *omnia opera satisfactoria,* quae ipsi, quoad vixerint, peragent; nec non *omnia suffragia,* quae post mortem quomodocumque eis obvenire poterunt. Declaratum est autem, quod inter opera satisfactoria, quae in actu

heroico charitatis offeruntur pro animabus Purgatorii, *comprehenduntur etiam indulgentiae,* quae eisdem applicabiles declaratae sunt, et insuper quod praedicto actui non satisfit ab iis, qui sibi reservare volunt indulgentias, quae *pro vivis* conceduntur; nam *hae quoque indulgentiae sunt defunctis applicandae* (vid. n. 448 sqq.).

Verum haec exceptio, auctoritate Apostolicae Sedis facta, non infirmat, sed potius confirmat regulam generalem, quod scilicet indulgentia plenaria pro articulo mortis concessa, ex mente Pontificum non defunctis, sed ipsis tantum morientibus sit applicabilis.

§ XI.

CONCESSIONES ET DECLARATIONES PRO LOCIS MISSIONUM.

617. Ne Christifidelibus, *in locis Missionum* in qualibet orbis parte degentibus, et in ultimo vitae discrimine constitutis, ea spiritualia auxilia desint, quae Catholica pia Mater Ecclesia filiis suis a saeculo recedentibus solet misericorditer impertiri, Summus Pontifex Clemens PP. XIV omnibus et singulis *Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis apostolicis, nec non Praefectis seu Superioribus Missionum,* tam Cleri saecularis quam regularis, in dictis locis Missionum modo existentibus, seu quocumque tempore extituris, peramanter concessit facultatem impertiendi Benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus praedictis ad extremum agonem redactis, *cum ea etiam extensione, ut facultatem hujusmodi Sacerdotibus et respectivis Missionariis* eorum jurisdictioni subjectis, pro locis tamen suarum dioecesum, vel pro Missionum districtibus tantum, *communicare possint et valeant,* dummodo in hac Benedictione impertienda servetur formula praescripta a s. m. Benedicto XIV in Const. data 9 Apr. 1747, quae incipit *Pia Mater* (S. C. de Prop. Fid. 5 Apr. 1772; vid. cl. Bucceroni, *Enchiridion morale,* pag. 204).

618. Quoniam autem facile continget, ut aliqui ex praedictis Christifidelibus ex hac vita decedant, quin Ecclesiae Sacramentis fuerint muniti, et absque Sacerdotis cujuslibet assistentia, ideo Sanctitas Sua, ex ubere apostolicae benignitatis fonte, etiam illis plenariam indulgentiam elargitur, *si contriti Nomen Jesu corde saltem invocaverint,* et mortem de manu Domini, ea qua decet

christiana animi demissione et spiritus humilitate, susceperint, animamque in manus Creatoris sui commendaverint. Quae postrema Decreti pars, ut Christifidelibus omnibus innotescat, eam in suis dioecesibus ac missionibus Antistites et Superiores memorati, identidem, et praesertim sanctae Visitationis tempore, publicare curent ac satagant (Decr. eod.).

619. « Juxta Indultum a S. Sede concessum, *Missionarii omnes* habent per communicationem facultatem elargiendi indulgentiam plenariam in articulo mortis constitutis. Verum cum raro inveniant fideles praecise in articulo mortis constitutos, *inde fit ut alii dictam indulgentiam elargiantur ubi tantum est mortis periculum,* licet proxime admodum non videatur imminere; *alii vero juxta vigorem verborum non applicant, nisi quo tempore agonia videtur proxima;* et tunc, quando non observant tam proximum mortis periculum, sive ope medalliorum quibus, auctoritate S. Sedis, hujusmodi indulgentiae adnexae sunt, quae fidelibus dant, sive invocatione SS. Nominis Jesu, prout concessum est a pluribus Summis Pontificibus, monent fideles ut conditiones apponant, quibus tantum beneficium consequi mereantur. Si S. C. determinare censeat cui pacto potius adhaerendum, omnes quotquot sumus praesto erimus S. Sedis judicio ».

Resp. Ad id quod inter Missionarios controvertitur de tempore impertiendae indulgentiae plenariae constitutis in mortis articulo, S. C. censuit « *eam temporis circumstantiam satis esse ut rite conferatur, quae sufficit Extremae ipsi Unctioni conferendae,* cum nempe infirmus vi morbi cernitur ad interitum vergere. Neque proximius agoni tempus expectandum esse, quo aegrotus vix sui compos, ad eos plane animi motus edendos impar est quos Rituale Romanum efflagitat, ut tanti beneficii, sicut Extremae Unctionis, fructus uberius percipiatur. Quamobrem Missionariorum debito fore, post adbibitam infirmo sacramentalem Unctionem, eumdem excitare ad ea animo concipienda, quae in eodem Rituali libro leguntur, mox vero tam insigni beneficio plenariae remissionis eumdem communire; *idque tunc potissimum praestare, cum haud reversuros praevident* » (S. C. S. Off. Jan. 1780, apud Collectanea S. Sedis, et Bucceroni, *Enchiridion morale,* pag. 205).

CAPUT IV.

INDULGENTIAE OBJECTIS PIIS APPLICATAE.

Explicantur in hoc capite Indulgentiae illae, quae *reales* nuncupantur, utpote quae objectis devotionis *portatilibus* sunt adnexae.

ARTICULUS I.

CORONAE, ROSARIA, CRUCES, CRUCIFIXI, PARVAE STATUAE, NUMISMATA IN GENERE.

§ I.

NOTITIA HISTORICA PIORUM OBJECTORUM.

Conjunctim hic agimus de hujusmodi objectis piis, quia conjunctim unico crucis signo benedici possunt cum applicatione *Indulgentiarum Apostolicarum,* et etiam quia a Summis Pontificibus promiscue usurpantur in Indulgentiarum elenchis, quos in principio sui Pontificatus edere solent.

620. Coronae nomine, ut omnes norunt, plura significantur: modo enim sumitur pro *ornamento regis,* corona regalis; modo pro *signo victoriae,* corona triumphalis; modo pro *signo laetitiae,* ut quando die nuptiarum sponsorum capita, ut moris est in aliquibus locis, florum sertis decorantur; modo pro *honore, gloria, gaudio, mercede* etc., ut quando dicitur: *Gloria et honore coronasti eum;* vel juxta illud Pauli ad Philippenses: Fratres mei charissimi et desideratissimi, *gaudium et corona mea.*

Interdum coronae nomine intelligitur etiam *series precum,* id est pium exercitium cum opportunis devotisque considerationibus, quod *haud exigit coronam materialem.* Sic in *Raccolta* habentur coronae sive corollae (vulgo *coroncine*) SS. Cordis Jesu, Immaculatae Conceptionis, Immaculati Cordis B. M. V. etc.

Jamvero ob quamdam *similitudinem* vel *analogiam* cum descriptis coronis sive objectis, *etiam grana seu globuli,* plerumque rotundi vel ovales, ex ligno, vel ebore, aut coralio, sive ex plantarum fructibus confecti, ac *inter se filo vel catenula conjuncti, coronae* nomen obtinuerunt.

Praedicta corona etiam *Rosarii* nomine nuncupari solet, quia sertum quoddam exhibet, veluti variis roseis flosculis eleganter contextum.

621. Quoad *originem talium coronarum* valde disputant inter se eruditi. Sunt qui earum usum antiquissimum, imo Ecclesiae exordio coaevum censent, a Christifidelibus invectum pro computandis 150 *Pater noster,* quae praesertim ab Hebraeis ad Christum conversis *loco* 150 *Psalmorum* recitabantur. — Fertur etiam, penes quosdam Monachos in more fuisse, ut in recitandis tercentis precibus, has computarent per lapillos in sinu collectos, ita ut prece una absoluta, unum lapillum in terram projicerent, et sic gradatim (Cfr. Theod. a Sp. S. part. II, pag. 217).

Alii autem Scriptores putant, Coronarum usum saeculo XI vel XII inter fideles introductum fuisse. Quia coronis utebantur (ne memoria in supputatione deficeret) ad computandas praesertim Orationes Dominicas, nempe *Pater noster,* exinde accidit, ut coronae passim vocarentur *Paternostralia,* vel *signa Paternostralia;* fabricatores autem coronarum, *Paternostrarii* (Cf. Moroni, *Dizionario di erudizione*).

Videbimus infra, coronas fere omnes, de quibus in hac tractatione agitur, ab aliquo religioso Ordine in majori parte originem habuisse. Unde fit, ut respectivus Ordo privilegio gaudeat benedicendi proprias coronas, eisque applicandi indulgentias, nec non aliis Sacerdotibus extra proprium Ordinem eamdem facultatem concedendi.

622. Numismatum usus antiquissimus est, quem constat viguisse etiam apud Gentiles, qui in iis sculpere solebant effigiem suorum Imperatorum. Etiam Summi Pontifices ad perennandam memoriam alicujus magni eventus, puta, Anni sancti, exaltationis ad Summum Pontificatum, Canonizationis Sanctorum etc., solebant numismata cudere.

Numismata, prout a nobis hic accipiuntur, quaeque etiam *medaliae* nuncupari solent, sunt ea quae impressam habent *imaginem Christi Redemptoris seu ejus Crucis, vel beatae Mariae Virginis, vel Sanctorum.*

De Crucibus et Crucifixis nihil est dicendum quod cuilibet Christifideli non sit notum. Christus est Redemptor noster, salus nostra; *Crux vero signum reparationis humanae, vexillum gloriosum christiani nominis.*

623. Piis objectis nunc memoratis etiam parvae Statuae noviter adjectae fuerunt, quae ut benedictionis et indulgentiarum sint capaces, repraesentare debent *vel Dominum nostrum Jesum Christum, vel B. Mariam Virginem, vel Sanctos canonizatos, sive in martyrologio Romano descriptos.*

624. Usus ditandi indulgentiis praedicta objecta, praesertim *numismata,* coepit circa saeculum XVI. Theodorus a Sp. S. ad rem ita scribit: « Quamvis indulgentiarum *realium,* de quibus agimus, exordium S. Pio V, vel Paulo IV sit antiquius (quod in praesentiarum inquirere nec possumus, nec opus est); hoc unum pro certo recipiendum ducimus: Summos Pontifices non consuevisse numismatibus indulgentias applicare ante saeculum XVI, cum non reperiatur hujusmodi concessionis in sacris antiquioribus historiis memoria » (Part. II, pag. 209).

625. Cum agitur de piis objectis mox descriptis, prae oculis habeantur *Decreta S. Sedis de Libris prohibitis,* et de rebus ac indulgentiis item prohibitis. Hujusmodi Decreta *Indici Librorum prohibitorum inveniuntur praeposita.* Pro re nostra sequentia adnotare sufficiat:

1. Indulgentiae omnes concessae coronis, seu calculis, crucibus, et imaginibus sacris *ante Decretum Clementis VIII, anno* 1597 *editum de forma indulgentiarum... revocatae sunt, atque apocryphae habendae,* nisi ab iisdem Summis Pontificibus aut eorum successoribus renovatae ac confirmatae fuerint (Loc. cit. § III, n. 9).

2. Indulgentiae concessae coronis S. Birgittae ab Alexandro VI declarantur apocryphae, et nullius roboris ac momenti; sine praejudicio tamen indulgentiarum a Leone X dictis coronis concessarum VI idus Julii 1515 (Ibid. n. 10).

3. Indulgentiae concessae crucibus S. Turibii ab Urbano VIII tamquam falsae habendae sunt (Ib. n. 11).

4. *Rosaria quaecumque de novo inventa aut invenienda,* sine opportuna S. Sedis facultate, quibus authenticum rosarium Deo et B. Virgini sacrum antiquaretur, prohibentur (Ib. § IV, n. 8).

626. Advertendum est, non omnia objecta quae benedicuntur indulgentiis quoque ditari posse, etiamsi a Summo Pontifice benedicantur. Multa enim sunt, *quae benedictionis quidem, non autem indulgentiarum sunt capaces.* Sat est consulere Rituale Romanum, ubi plurimae inveniuntur benedictionum formulae, accommodatae objectis, quae indulgentiis ditari nequeunt. Sic benedicuntur personae, animalia, vestes, panis, vinum, fructus, novae domus, naves, fontes, ignis etc. (vid. n. 558 sqq.).

Non est nostrum de his Benedictionibus agere, sed tantum *de indulgentiis,* quae applicari possunt coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, numismatibus et parvis statuis. De hujusmodi objectis ita pertractabimus, ut prius normas generales, quae scilicet omnibus praefatis objectis applicantur, exponamus; deinde vero ea, quae cuilibet in particulari sunt propria.

§ II.

MATERIA OBJECTORUM ET SUBJECTUM IMAGINUM.

627. **Materia** objectorum, generatim, debet esse *solida, non fragilis.* « In facultate concessa benedicendi coronas, rosaria, cruces, numismata etc. et iisdem applicandi indulgentias, expresse dicitur, quod ab hujusmodi benedictione Sanctitas Sua *rejicit imagines sive impressas, sive depictas, nec non cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata,* vulgo *medaglie nuncupata, quae ex ferro* (modo ferrum non amplius excluditur), *stamno, plumbo, vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur* (Decr. 29 Febr. 1820. N. 249).

Unde deducitur, a praedicta benedictione cum applicatione indulgentiarum non excludi pia objecta *ex ligno,* quod non sit fragile, ex ebore, coralio, concha *(madreperla),* ex succino flavo *(ambra gialla),* alabastro, marmore, similibusque materiis solidis conflatis. Imo, juxta responsum S. Congregationis Indulgentiarum de die 1 Aprilis 1887, possunt etiam applicari indulgentiae imaginibus et statuis ex *Carton-Madera* confectis; siquidem haec materia praesefert duritiem ligno majorem (Apud Nouv. Rev. Théol. tom. XX, p. 27; cf. Beringer, tom. I, p. 331).

628. Verum a praedicta benedictione cum applicatione indulgentiarum *non rejiciuntur* CORONAE *seu* ROSARIA, quae ex ferro,

stamno, plumbo, vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur (Decr. sup. cit. N. 249 ad 1m).

Possunt etiam applicari indulgentiae *coronis ex vitro seu crystallo* confectis, dummodo globuli sint *ex vitro solido atque compacto* (Decr. eod. ad 2m).

Item, indulgentiae applicari etiam possunt coronis precatoriis *ex chalibe polito (acciajo polimentato)* factis (Decr. 22 Martii 1839. N. 271 ad 2m).

Archiepiscopi quoque et Episcopi, dum adnectunt indulgentiam quadraginta dierum *imaginibus seu statuis* ab ipsis designandis, lucrandam a visitantibus, seu recitantibus ante eas nonnullas praescribendas orationes, tenentur servare Apostolicas ordinationes *circa fragilitatem objectorum, quibus non sunt adnectendae indulgentiae* (Decr. 24 Jan. 1846. N. 333).

629. **Subjectum imaginum.** Imagines (parvae statuae et numismata) repraesentare debent *Sanctos, qui vel jam consueta forma canonizati, vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint* (Summarium Leonis Pp. XIII penes Rescr. auth. pag. 345).

Etiam Sacra Rituum Congregatio sub die 16 Junii 1674 statuit: *Indulgentias non esse concedendas in posterum, nisi Sanctis descriptis in martyrologio, et canonizatis* (Gardellini, N. 2704).

Attamen praedictae indulgentiae applicari etiam possunt illis numismatibus, quae duplicem imaginem, *Sancti* videlicet et *Beati* praeseferunt (Decr. 22 Dec. 1710. N. 32).

Ad rem Theodorus a Spiritu Sancto: Sicut numismatibus ex una parte Sancti canonizati vel in martyrologio descripti imaginem, ex alia vero *templum* aut quid simile repraesentantibus citra dubium applicari possent indulgentiae; ita possunt, si habeant ex una parte expressam imaginem *Beati,* ex alia Sancti canonizati (Part. II, pag. 233).

§ III.

RITUS SERVANDUS IN APPLICATIONE INDULGENTIARUM OBJECTIS PIIS.

630. Ad indulgentias applicandas crucibus, rosariis etc. alius ritus non est necessarius, *praeterquam signum crucis* a Sacerdote, qui hanc facultatem accepit, factum (Decr. 11 Apr. 1840. N. 281 ad 5m).

Excipitur casus, quo aliqua specialis formula fuerit pro aliquo ex piis objectis expresse praescripta.

Quando in indulto existit clausula: *In forma Ecclesiae consueta,* (etiam tunc) *sufficit signum crucis* manu efformare super res benedicendas absque pronuntiatione formulae benedictionis, et sine aspersione aquae benedictae (Decr. 7 Jan. 1843. N. 313 ad 2^m).

Notum est, Summum Pontificem descripto modo benedicere cruces, coronas, aliaque pia objecta, quae ei pro benedictione et applicatione indulgentiarum exhibentur.

631. Recentioribus temporibus solet S. Sedes concedere una simul cum facultate applicandi objectis piis *indulgentias apostolicas,* etiam facultatem applicandi coronis *indulgentias,* quae dicuntur *S. Birgittae.* Formula qua in praesens utitur S. Congregatio Indulgentiarum, dum hujusmodi facultates elargitur, est sequens:

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo Domino Nostro sibi specialiter tributis, potestatem facit Oratori, dummodo ad excipiendas sacramentales Confessiones sit approbatus, benedicendi privatim extra Urbem ac de consensu Ordinarii loci Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas ac Numismata, eisque applicandi Indulgentias a Sanctitate Sua concessas, ut in postremo Elencho edito typis S. C. de Propaganda Fide die 23 *Februarii* 1878, *nec non applicandi Coronis precatoriis Indulgentias a S. Birgitta nuncupatas. Praesenti ad quinquennium valituro* etc.

Alia formula a descripta parum discrepans habetur penes *Decreta authentica* N. 271.

632. Sacerdos qui obtinuit dictam facultatem, applicandi scilicet *indulgentias Apostolicas et indulgentias S. Birgittae,* potest eas applicare *unico eodemque crucis signo,* et hoc sive facultas sit obtenta uno tantum Rescripto, sive duobus distinctis. Sat erit igitur, ut Sacerdos intendat binis facultatibus uti, facultate nempe applicandi indulgentias Apostolicas et facultate applicandi *eodem tempore, eodemque crucis signo* indulgentias S. Birgittae (Cf. Nouv. Rev. Théol. tom. XIX, pag. 679; tom. XXVIII, pag. 172).

Advertendum est, praefatum signum crucis debere esse *reverentale, non motum quemcumque manus,* ut interdum videre accidit, ne, ita faciendo, periculo nullitatis exponatur ipsa benedictio cum amissione indulgentiarum (Guerra, *Il Tesoro delle Indulgenze,* pag. 89).

633. Infertur ex dictis, quod in benedicendis praedictis objectis, eisque applicandis indulgentiis, nec ulla benedictionis formula, nec aquae benedictae aspersio, nec alius ritus exigitur *praeter signum crucis.* Verum ab hac regula dantur exceptiones. « Per praefatas enim declarationes non comprehenditur *nec benedictio coronarum seu rosariorum S. Dominici,* quae a PP. Ordinis Praedicatorum, *nec benedictio coronarum Septem Dolorum,* quae a PP. Ordinis Servorum Mariae benedicuntur ». Unde S. Congregatio declaravit ac statuit:

Pro coronis Rosarii, et Septem Dolorum servandam esse formulam, cum responsa Sacrae Congregationis dierum 11 Aprilis 1840 et 7 Januarii 1843 (vid. n. 630) non comprehendant casus, de quibus agitur in proposito dubio (Decr. 29 Febr. 1864. N. 401).

Formula pro coronis Rosarii et Septem Dolorum servanda est *ad valorem,* etiamsi facultas eas benedicendi et ditandi indulgentiis obtenta sit directe ab Apostolica Sede (Decr. eod.).

Etiam ad applicandas indulgentias *Crucifixis Viae Crucis,* non requiritur ut adhibeatur formula benedictionis, neque ut Crucifixi hujusmodi aspergantur aqua benedicta, nec alius ritus quicumque, sed sufficit signum crucis factum a Sacerdote facultatem habente praedictos Crucifixos benedicendi, cum intentione applicandi indulgentias Viae Crucis. Id eruitur ex Decretis supra citatis n. 630 (Cf. Instruct. de Stat. Viae Crucis, n. 51).

Perpensis expositis, statui potest tamquam regula generalis, quod *ad applicandas indulgentias pietatis objectis, de quibus agimus, sufficiat signum crucis, dummodo specialis formula praescripta non fuerit pro aliquo speciali objecto.*

634. Qui obtinuit facultatem benedicendi cruces, sacra numismata et coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum, *non potest ea facultate uti publice,* v. g. in ecclesia vel oratorio coram fidelibus inibi congregatis, et res benedicendas manu tenentibus, *si in Indulto facultatis sit clausula* PRIVATIM (Decr. 7 Jan. 1843. N. 313 ad 1^m).

Item Sacerdos, qui habet facultatem applicandi tantum *privatim* indulgentias piis rebus, non potest in fine officii publici applicare indulgentias iisdem rebus *depositis super aliquo altari,* quod designavit (Decr. 6 Maji 1852. N. 359 ad 2^m).

635. Coronae deprecatoriae, numismata sacra, cruces etc., antequam singulis personis distribuantur, *possunt valide benedici* in

GLOBO cum applicatione indulgentiarum, ita ut indulgentias adnexas possit quisque lucrari. (Decr. 12 Martii 1855. N. 363).

§ IV.

EIDEM PIO OBJECTO APPLICARI POSSUNT INDULGENTIAE DIVERSAE.

636. *Uni et eidem rei,* puta, *uni coronae, possunt applicari indulgentiae diversae,* v. g. indulgentiae dictae Apostolicae, et indulgentiae dictae S. Birgittae, *dummodo ad eas. lucrandas renoventur opera injuncta iterabilia* (Decr. Urb. et Orb. 29 Febr. 1820. N. 249 ad 3^{m}).

Dictum est: *Dummodo ad eas lucrandas renoventur opera injuncta iterabilia.* Non enim *per unam eamdemque coronae recitationem* acquiri possunt, in exposito casu, tum indulgentiae apostolicae, tum indulgentiae S. Birgittae, sed duplex ejusdem coronae recitatio necessaria est ad eas omnes lucrandas. Recitatio enim coronae est utique opus iterabile, quod tale non esset ex. gr. sacra Communio in eadem die.

637. Ut autem uni et eidem rei applicari possint indulgentiae *diversae,* requiritur ut objectum pium *sit capax ad eas recipiendas:* requiritur nempe, *ut objecta habeant eamdem, vel similem formam.* Exinde sequentia inferuntur:

1. Uni et eidem Crucifixo applicari possunt tum indulgentiae Apostolicae, tum indulgentiae Viae Crucis, quin necesse sit pro his et illis applicandis duos habere Crucifixos. Crucifixi enim eamdem habent formam externam.

2. Parvae statuae S. Petri (quae similis sit magnae statuae ejusdem Apostoli in Basilica Vaticana existenti), cui pro osculo pedis adnexa fuerit a Summo Pontifice indulgentia quinquaginta dierum, applicari etiam possunt indulgentiae Apostolicae.

3. Una eademque corona, puta, *quinque* vel *sex decadum,* apta est ad recipiendas indulgentias coronae Apostolicae, coronae Crucigerorum, Rosarii S. Dominici et coronae Birgittinae. Hujusmodi enim coronae habent *similem vel quasi similem formam.*

4. Ob eamdem rationem *Coronae Franciscanae* septem decadum applicari possunt indulgentiae diversae, quibus gaudent coronae modo commemoratae. At indulgentia plenaria, recitationi

ejusdem coronae Franciscanae adnexa, nequit ab extraneis Ordini Franciscano acquiri: ea enim est *exclusive* propria Ordinis Seraphici.

5. Coronae quae exterius habent *formam propriam* et *ab aliis diversam,* ut sunt coronae *Domini, Quinque Plagarum, Septem Dolorum* etc., minime possunt indulgentiis Rosarii S. Dominici, vel coronae S. Birgittae ditari. Cum enim illae non decadibus constent, sed partibus ac precibus variis, ut suo loco videbimus, sequitur *eas non esse aptas* ad recipiendas indulgentias aliarum coronarum, quas modo nominavimus, nempe Rosarii S. Dominici, et Coronae S. Birgittae. — Et vicissim hae ultimae incapaces censentur ad recipiendas indulgentias coronarum *formae diversae,* ut sunt illae superius citatae, videlicet *coronae Domini, Quinque Plagarum, et Septem Dolorum.* (Cf. Guerra, pag. 89; Beringer, tom. I, pag. 330).

6. Verum, *omnibus et singulis coronis* modo enuntiatis applicari proculdubio possunt *indulgentiae Apostolicae;* siquidem hujusmodi indulgentiae acquiruntur non solum per recitationem unius ex praefatis coronis, *sed etiam eas deferendo in propria persona, vel apud se,* v. gr. in cubiculo, *retinendo* uti simplex objectum pium, adimpletis tamen diversis operibus injunctis.

638. Notandum est, Religiosos Ordinis Praedicatorum non benedicere rosaria, nisi haec constent quinque, vel decem, vel quindecim decadibus. Unde in parvo libello, quo Magister Generalis praedicti Ordinis concedit Sacerdotibus extraneis facultatem benedicendi rosaria, expresse dicitur: *Rosaria benedicenda debent omnino quinque, vel decem, vel quindecim decenariis coalescere.*

§ V.

DECLARATIONES PRO HABENTIBUS FACULTATEM BENEDICENDI PIA OBJECTA.

639. In facultate a S. Sede concessa benedicendi pro numero mille cruces, crucifixos, numismata etc. haec verba *pro numero mille* non sunt intelligenda de mille crucibus, mille crucifixis, mille numismatibus etc., *sed de mille in totum* (Decr. 29 Maji 1841. N. 291 ad 6^{m}).

Porro facultas applicandi objectis piis indulgentias, olim concedi solebat, ut etiam deduci potest ex enuntiata declaratione, *pro determinato numero objectorum;* hodie vero concedi solet *pro aliquo determinato tempore.*

640. Qui obtinuit facultatem benedicendi coronas precatorias, iisdemque indulgentias impertiendi, non habet *absque speciali privilegio* facultatem quoque benedicendi et ditandi indulgentiis *coronas Domini,* vulgo dictas *Camaldulensium* (Decr. 29 Maji 1841, N. 291 ad 7^{m}).

641. Nequit Episcopus, vel alius quicumque Praelatus, crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa vel Sacerdote legitima facultate munito benedictis, novas adnectere indulgentias, *nisi novae conditiones adimplendae praescribantur* (Decr. 12 Jan. 1878. N. 433 ad 1^{m}).

Si ergo Episcopus *nova opera pietatis seu novas conditiones adimplendas praescribat,* utique potest novas adnectere indulgentias supramemoratis objectis *a Papa* vel *Sacerdote* facultatem habente benedictis. Minime autem potest Episcopus *eidem rei vel eidem actui pietatis,* cui jam *antecessor* indulgentias adnexuit, novas indulgentias applicare. Patet ex responso S. Congregationis ad dubium sequens: *Potestne Episcopus eidem rei vel eidem actui pietatis, cui jam antecessor indulgentias adnexuit, novas indulgentias applicare?*

S. Congregatio respondit: *Negative* (Dec. eod. ad 3^{m}).

642. Qui obtinet facultatem ab Apostolica Sede benedicendi cruces, numismata etc. non tenetur eam exhibere Ordinario, *nisi aliter disponatur in obtenta concessione.* Ita decisit S. Congregatio in responso ad dubium: Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes Viae Crucis, *benedicendi cruces, numismata* etc., debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum Rescriptis?

S. Congregatio respondit: *Affirmative quoad Viae Crucis erectionem; Negative relate ad alias facultates, nisi aliter disponatur in obtentis concessionibus* (Decr. 5 Febr. 1841. N. 286 ad 2^{m}).

Hodie tamen solet Apostolica Sedes, ut patet ex formula quam sub n. 631 retulimus, *exigere consensum Ordinarii,* ut quis legitime uti possit facultate applicandi indulgentias objectis pietatis.

Advertendum, *etiam Regulares indigere consensu Ordinarii loci* ut praedicta pietatis objecta benedicere possint. Super re dubium sequens propositum fuit S. Congregationi Indulgentiarum:

Bme Pater. Frater Marcolinus Cicognani Procurator generalis Ordinis Praedicatorum, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus exponit: in Litteris Apostolicis in forma Brevis, quibus Regularibus concedi solet facultas benedicendi Coronas, Rosaria etc., haberi verba: *de consensu Ordinarii tui;* in Rescriptis vero S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, quibus eadem facultas iisdem Regularibus conceditur, legi tantum verba: *de consensu Ordinarii.*

Tum humillimo Oratori, tum nonnullis aliis Religiosis Viris, verba *Ordinarii tui,* et *Ordinarii* absque addito, dubium ingesserunt, cujus solutio modo petitur. Dubium est:

Utrum nomine Ordinarii, cujus in casu requiritur consensus, intelligendus sit localis Superior Ordinis, ad quem pertinet Regularis, qui facultatem obtinuit benedicendi Coronas, Rosaria etc., aut potius Superior ecclesiasticus dioeceseos, intra cujus limites idem Regularis reperitur?

Eadem S. Congregatio, die 22 Julii 1886, proposito dubio respondit:

Ad primam partem, Negative; ad secundam partem, Affirmative (Analecta ecclesiast. ann. III, pag. 28).

Quoties vero agatur de exercenda praedicta facultate intra septa *tantummodo* sui Conventus vel domorum Residentialium, *sufficit licentia Superioris Regularis* vera jurisdictione pollentis in suo Ordine, uti sunt Abbates, Provinciales, vel Generales Ordinum (S. C. I. Decr. 2 Jan. 1888, penes loc. cit. pag. 29).

643. Qui habet facultatem benedicendi cruces, rosaria etc., eisque applicandi indulgentias, etiam *pro seipso* cruces et rosaria benedicere potest, hisque utendo sibi quoque indulgentias lucrari potest (Decr. 16 Julii 1887, apud Act. S. Sedis vol. XX, pag. 63 ad VI; Act. Ord. Min. anno VI, pag. 133).

644. *Rosaria et Coronae* PROMISCUE *accipienda sunt:* unde qui accepit facultatem benedicendi *tercentum coronas precatorias* cum applicatione indulgentiarum divae Birgittae nuncupatarum, eo ipso facultatem accepit benedicendi *totidem rosaria loco coronarum* (Decr. 23 Sept. 1775. N. 237 ad 2^{m}).

Praedictae facultati benedicendi totidem rosaria loco corona-

rum minime obstat, quod *rosaria quindecim constent decadibus, et coronae quinque tantum,* ita ut tercentum rosaria nongentis coronis aequivaleant (Decr. eod. ad 2m).

Hic est notandum, quod *stricto sensu* dicuntur *Rosaria* si ex quindecim decadibus constent; *Coronae,* si ex quinque, licet usus illa et istas promiscue usurpet.

645. Quando in Rescripto alicujus supplicationis conceditur facultas pro benedicendis coronis, intelligi debent *quaecumque coronae et rosaria* cum communicatione indulgentiarum in formula impressa dumtaxat contentarum (Decr. 21 Jan. 1747. N. 161 ad 1m).

Intelligi nempe debent *quaecumque coronae et rosaria* quoad formam externam, sive constent quinque, sive quindecim decadibus, sive aliam formam externam habeant, cum communicatione tamen indulgentiarum, quae continentur in elencho edito a Summo Pontifice *dumtaxat:* non autem cum communicatione indulgentiarum, quae *sunt propriae coronae S. Dominici, Septem Dolorum* etc. Brevius: *cum communicatione indulgentiarum Apostolicarum dumtaxat.*

646. Quando in Rescripto alicujus supplicationis conceditur facultas benedicendi *numismata,* in hujusmodi facultate comprehenditur etiam facultas benedicendi *cruces, etiamsi non exprimatur* (Decr. eod. N. 161 ad 2m).

Item, in facultate benedicendi *cruces seu numismata* cum applicatione indulgentiae plenariae *in articulo mortis,* etsi nulla de eo fiat mentio, subauditur hoc additum, *cum applicatione omnium indulgentiarum* (Apostolicarum) *in elencho recensitarum* (Decr. 23 Sept. 1775. N. 237 ad 3m).

647. Indulgentia *crucifixis* concessa *cadit solum in Christum* ex aere, ligno, vel ex alia quacumque materia confectum, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam (Decr. 11 Apr. 1840. N. 281 ad 6m).

648. Indulgentia *coronis et rosariis* concessa applicatur non filo aut catenulae, sed *granis.* Hinc si accidentaliter vel ex industria rumpatur vel renovetur filum seu catenula, indulgentiae remanent, quamvis grana disjungantur et commisceantur (Decr. 10 Jan. 1839; Acta pro Societ. SS. Ros. vol. I, pag. 45).

649. Non possunt applicari indulgentiae coronis, seu *annulis* argenteis, vel aureis, in quibus sculpti sunt *globuli decem* ad

recitandum Rosarium, vel tertiam ejus partem (Decr. 20 Junii 1836. N. 257 ad 5^{m}).

Quoad istos annulos, Episcopus Bouvier ita scribebat ad Summum Pontificem: Apud Belgas et Gallos et apud alios forsan populos, mos invaluit, ut *loco coronarum precatoriarum, seu rosariorum B. M. V., saepius utantur fideles quibusdam aureis vel argenteis annulis* per prostrantem crucem et alia decem gibbera seu prominentias distinctis, *sicque iisdem quinquies aut decies quinquies volutis, coronas vel rosaria perficiant.* Insuper expetunt dicti fideles, *ut istiusmodi annuli benedicantur, iisque applicentur,* sicut et ipsis coronis et rosariis, *consuetae indulgentiae,* etiam S. Birgittae nuncupatae. Quaerit igitur a Sanctitate Vestra cum omni humilitate praedictus Episcopus Cenomanensis orator, utrum praedicti annuli aeque ac verae coronae precatoriae aut rosaria benedici possint cum applicatione indulgentiarum consuetarum, etiam S. Birgittae dictarum, ab iis scilicet Sacerdotibus, qui talem a S. Sede Apostolica obtinuerunt, vel in posterum obtinebunt facultatem?

Responsum *negativum* datum fuit ab Emo Cardinali Praefecto S. Congregationis Indulgentiarum sub die 23 Julii 1836 (Vid. Beringer, tom. I, pag. 332).

§ VI.

REQUISITA PRO ASSEQUENDIS INDULGENTIIS IN USU PIORUM OBJECTORUM.

650. Statui potest tamquam regula generalis, quod ille solus indulgentias piis objectis adnexas lucratur, qui ea rite possidet et praescriptas preces vel opera adimplet. Quoad vero recitationem coronae *cum aliis fidelibus,* generatim pariter dici potest, quod illi soli indulgentias lucrantur, qui coronam benedictam *manu tenent et in recitatione adhibent.* Constat ex responso ad hoc dubium:

An, quando possessor *coronae Domini,* vel *crucis,* cui applicatae sunt indulgentiae Viae Crucis, preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam, sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae, seu crucis?

S. Congregatio respondit: *Negative absque speciali facultate* (Decr. 29 Maji 1841. N. 291 ad 12^{m}).

651. Haec *specialis* facultas indulta est a S. Sede Apostolica *pro recitatione coronae seu rosarii Ordinis Praedicatorum.* Siquidem Summus Pontifex Pius IX concedere dignatus est, ut omnes utriusque sexus Christifideles rosarium, vel tertiam saltem ejusdem partem *in communi recitantes lucrentur indulgentias, licet manu non teneant rosarium benedictum, ac sufficere, ut una tantum persona,* quaecumque ea sit ex communitate, *illud manu teneat,* eoque in recitatione de more utatur. Hanc autem expresse addidit conditionem, *quod fideles omnes, ceteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona, quae tenet coronam, ut rosarii indulgentias lucrari queant* (Decr. 22. Jan. 1858. N. 384).

652. Summus Pontifex Leo XIII praefatum Indultum extendere dignatus est *ad Crucifixos Viae Crucis,* ita ut omnes Christifideles praescripta viginti *Pater, Ave* et *Gloria* in communi recitantes, lucrari valeant indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas, *licet manu non teneant Crucifixum benedictum, ac sufficiat, ut una tantum persona,* quaecumque ea sit ex communitate, *illum manu teneat,* ceterique omnes, ceteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona, quae tenet Crucifixum (Rescrip. 19 Jan. 1884, penes Rescr. auth. pag. 682).

653. Ex eo, quod ad lucrandas indulgentias rosarii S. Dominici requiratur, ut suo loco videbimus, *meditatio mysteriorum vitae, mortis, et resurrectionis Domini nostri Jesu Christi,* sequentia dubia exorta sunt:

1° Quando coronis B. M. V. de licentia S. Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum indulgentiis sanctae Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes *tenenturne meditari quindecim mysteria D. N. Jesu Christi,* ut indulgentias percipere valeant? S. Congregatio resp.: *Negative* (Decr. 1 Julii 1839. N. 273 ad 1^{m}).

2° Daturne eadem obligatio mysteria meditandi, quando coronis applicata fuit benedictio cum indulgentiis ordinariis?

Resp.: *Negative, si benedictio respiciat indulgentias consuetas, quae citantur ut in elencho* etc. (scilicet indulgentias Apostolicas); *Affirmative, si coronae benedicantur cum indulgentiis pro recitatione Rosarii* (Decr. eod. ad 2^{m}).

654. Fideles, *qui non intendunt recitare coronam precatoriam,* recitant quasdam preces manu tenentes coronam sive Domini, sive beatae Virginis, et grana volvunt, non lucrantur pro unoquoque *Pater,* vel *Ave,* vel *Credo,* vel alia oratione easdem indulgentias, quas lucrarentur pro iisdem precibus, si recitarent coronam precatoriam (Decr. 29 Maji 1841. N. 291 ad 8^{m}).

655. Vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. impertitae, *non intelligitur privilegio gaudere altaria,* ubi hujusmodi objecta collocata fuerint, neque pariter Missas, quas Sacerdos eadem secum deferens celebraverit (Bened. XIV, Decr. 19 Aug. 1752, et Leo XIII in suo elencho Indulgentiarum).

656. Idem Summus Pontifex Leo XIII *vetat, ne* qui morientibus adsistunt, *benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum hujusmodi Crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta,* cum satis in id provisum fuerit a Summo Pontifice Benedicto XIV, in Constitutione *Pia Mater* (Loc. cit.).

657. Quamvis *cum praedictis Crucifixis* haud liceat *moribundis* impertiri Pontificiam Benedictionem, tamen certum est, inter indulgentias Apostolicas concessas iis, *qui aliquod ex supradictis objectis retinent et pia opera ad eas assequendas durante vita impleverint, adnumeratur etiam indulgentia plenaria in articulo mortis,* dummodo fidelis « in mortis articulo constitutus animam suam devote Deo commendaverit, atque... paratus sit obsequenti animo a Deo mortem oppetiri, vere poenitens, confessus et S. Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SS. Nomen Jesu (Leo XIII, loc. cit.).

§ VII.

CESSATIO INDULGENTIARUM PIIS OBJECTIS ADNEXARUM.

658. *Amittuntur indulgentiae adnexae objectis benedictis, quando haec substantialiter mutantur,* sive quoad materiam, sive quoad formam. Hinc si numisma ex. gr. ita consumatur, ut effigies impressa seu sculpta non amplius conspici possit, benedictionem et indulgentias amittit. Audiatur P. Theodorus a Spiritu Sancto:

Quaeres: *An per fractionem numismatis, seu rosarii pereant indulgentiae?*

Respondemus cum distinctione: *Si parva sit fractio,* puta funiculi, seu paucorum calculorum, aut fibulae numismatis, *non perire indulgentias,* quia adhuc quoad formam moralem eaedem res mobiles perseverant. *Secus* vero si numisma *notabiliter frangeretur,* ut Sancti imaginem non referret, quia idem numisma moraliter minime remaneret (Part. II, pag. 230).

659. *Si rumpatur coronarum filum,* sive voluntarie, ut catenis nectantur, sive involuntarie et fortuito id accidat, vel etiam si globuli *quatuor aut quinque deperdantur; coronae indulgentias non amittunt, quia eaedem perseverant quoad formam moralem* (Decr. 10 Jan. 1839, apud Prinzivalli, n. 482; vid. supra n. 648).

Hujusmodi quatuor vel quinque globulis deperditis vel fractis, possunt alii substitui, licet id non sit necessarium (Guerra, pag. 90).

660. Juxta Theodorum a Spiritu Sancto (loc. cit.) si coronae globuli seu calculi *successive* frangerentur vel perderentur, *et statim fieret aliorum substitutio,* indulgentiae non amitterentur; novi siquidem traherentur ad unitatem numericam ejusdem coronae seu rosarii, et corona semper eadem *moraliter* remaneret.

E contrario, indulgentiae proculdubio cessarent, *si insimul et eodem momento deperderetur notabilis numerus calculorum,* ex. gr. *medietas coronae.* Tunc enim corona substantialiter mutaretur, nec amplius dici posset moraliter eadem ac antea.

661. Alexander PP. VII declarat et decernit, quod quaecumque coronae, rosaria, grana, calculi, cruces, numismata (*medaglie* vulgo nuncupatae) et sacrae imagines cum indulgentiis, quae a Sanctitate Sua concessae sunt vel in posterum concedentur, *non transeant personam illorum, quibus ab eodem SSmo concessae fuerint, aut quibus a praedictis de ordine ejusdem SSmi prima vice fuerint distributae, ita ut a nemine aliis commodato vel precario concedi possint, alioquin careant indulgentiis concessis. Ac aliqua re ex praemissis, ut praefertur, benedicta, deperdita, altera pro ea subrogari nullo modo possit,* quacumque concessione in contrarium non obstante etc. (Decr. 6 Febr. 1657, in append. Decr. auth. pag. 447, IV).

Observantia hujus Decreti semper praecipitur a Summis Pontificibus in Indulgentiarum elenchis a se editis. In elencho Leonis XIII haec habentur:

Jubet deinde idem Summus Pontifex, indulgentias Christifidelibus concessas, qui *retinent aliquod ex praedictis objectis,* juxta Decretum s. m. Alexandri VII, editum die 6 Febr. 1657, *non transire personam illorum pro quibus benedicta fuerint, vel illorum quibus ab iis prima vice fuerint distributa;* et si fuerit omissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem objectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium; nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi *ad hoc ut indulgentiam communicent,* secus eamdem indulgentiam amittent; itemque recensita objecta benedicta, vix dum Pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, juxta Decretum S. Congr. Indulg., editum die 5 Junii 1721 (Vid. Rescr. auth. pag. 348).

662. Ad pleniorem cognitionem rei, de qua agimus, juvat sequentis facti expositionem cum respectivo responso transcribere:

Solent nonnulli in iis Urbis locis, in quae rustici plerique operam locaturi turmatim conveniunt, christianae fidei rudimenta tradere. Inter alia vero, quibus homines ad pias cohortationes audiendas... alliciunt, sacris quibusdam munusculis utuntur; frequentissime vero *numismata illa distribuunt, quibus SSmus D. N. Pontificiam benedictionem impertitus est.* Non raro autem accidit, ut rustici, qui semel sacrum numisma susceperunt, concionibus deinde adesse recusent, id in causam afferentes, quod datum sibi numisma sufficiat, nec alia, quae sibi tradenda essent, distribuere valeant: norunt enim, quod, si praedictum numisma ab alio acceptum alteri tradatur, indulgentia careat. Quapropter illi, quibus maxime cordi est catechismi opus uberrimo sane animarum fructu susceptum, in dies magis magisque prosequi, aegre ferentes, plures ea de causa christianae doctrinae pabulo destitui, humiliter petunt ab hac S. Congregatione declarari:

An ratione aliqua fieri possit, quod rustici, quibus ab oratoribus numismata traduntur, eadem suis aut consanguineis aut amicis absque indulgentiae detrimento deferre valeant?

Verba formulae, quibus statuitur, ut numismata aliis tradita indulgentiis careant, sunt quae sequuntur:

« *In distribuendis hujusmodi coronis, crucibusque etc. eorumque usu SSmus servari jubet Decretum f. r. Alexandri VII editum sub die 6 Febr. 1657, nimirum, ut coronae, cruces, rosaria, numismata, quae vulgo « medaglie » nuncupantur, et*

sanctae imagines cum praefatis indulgentiis benedictae, non transeant personam illorum, quibus a Sanctitate Sua concessae sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur, neque commodari aut precario dari possunt, alioquin careant indulgentiis jam concessis ».

S. Congregatio, die 19 Jan. 1711, proposito dubio respondit: *Servetur formula Decreti f. r. Alexandri PP. VII.*

Eadem re iterum proposita, S. Congregatio die 23 Febr. 1711 respondit: *Negative* (Decr. auth. N. 34).

663. Ad tramitem praescriptionum Summorum Pontificum S. Congregatio Indulgentiarum plures edidit de hac materia declarationes, quarum nonnullas hic subjungimus:

Coronae, cruces, numismata etc. *in proprium usum accepta, non possunt sine amissione indulgentiarum aliis tradi vel commodari.*

Quando quis cruces, numismata, coronas etc. cum applicatione indulgentiarum benedictas *sibi proprias fecit et iis usus fuit* cum intentione lucrandi indulgentias, non potest eadem alias tradere (Decr. 12 Julii 1847. N. 344 ad 2^{m}).

Vi decreti de non commodandis coronis, indulgentiae concessae coronis S. Birgittae nuncupatis adhuc durant, si dictae coronae commodentur dumtaxat *ad enumerandos calculos, seu ad recitationem orationum* (Decr. 13 Febr. 1745. N. 151).

Coronae, si praestentur seu commodentur *ad coronam simpliciter recitandam,* indulgentias non amittunt; sed amittunt, si commodentur *ad indulgentias lucrandas.* Ut enim pereant indulgentiae coronis aliisque rebus mobilibus affixae, *requiritur finis dandi vel praestandi pro indulgentiarum communicatione* (Decr. 10 Jan. 1839, apud Prinzivalli, N. 482).

Unica igitur ratio, ob quam amittuntur indulgentiae, est *finis* in proprietario piorum objectorum *transmittendi seu communicandi aliis dictas indulgentias,* contra expressam prohibitionem Summorum Pontificum, qui pluries decreverunt: *Indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis objectis, non transire personam illorum, pro quibus benedicta fuerint, vel illorum, quibus ab iis prima vice fuerint distributa* (Leo PP. XIII in elencho Indulg.).

Amittuntur pariter indulgentiae etiam pro personis Religiosis, quae propriis Constitutionibus vel ex usu obstrictae remanent sin-

gulis annis, nedum vestes et cellulas atque alia hujusmodi invicem commutare, sed etiam coronas et sacra numismata (S. C. Indulg. Decr. 9 Jun. 1721; Acta pro Societ. SS. Ros. vol. I, pag. 44, n. 104).

664. *Si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem objectis, nequit ei subrogari aliud ad libitum.*

Haec verba reperiuntur inserta in catalogo Indulgentiarum Apostolicarum, ut suo loco videbimus. Si quis proinde objecto *deperdito* vel *fracto* vel *essentialiter mutato* aliud *ad arbitrium* subrogaret, hoc nullatenus indulgentiis gauderet. Ut hujusmodi objectum ad libitum subrogatum indulgentiis ditetur, requiritur ut ab habente facultatem benedicatur cum applicatione indulgentiarum.

Consequitur, non lucrari indulgentias eum, qui utitur objecto sive *invento*, sive in *haereditatem* habito, nisi eidem objecto de novo applicentur indulgentiae. Indulgentiae enim objectis devotionis adnexae non transeunt personam illorum, pro quibus benedicta fuerint.

665. Verum, si quis ex haereditate plura ex praedictis objectis reciperet, quae certe constat defunctum non in proprium usum habuisse, sed ut aliis distribueret, posset ipse haeres ea distribuere sine indulgentiarum detrimento. Tunc enim haeres subrogaretur defuncto, *ut simplex rerum distributor* (Guerra, pag. 87; Beringer, tom. I. pag. 334).

666. *Objecta pia indulgentiis ditata non possunt vendi.* Res indulgentiis ditatae tradi debent fidelibus *omnino gratis;* ita ut si aliquid quocumque titulo *sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynae* requiratur, vel accipiatur, *indulgentiae ex hoc amittuntur* (Decr. 16 Julii 1887, apud Acta S. Sed. vol. XX, pag. 63; Act. Ord. Min. ann. VI, pag. 133 ad 3m).

Hinc ad dubium: An qui *emit* cruces, numismata etc. ut ea distribuat postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, *possit horum petere pretium ab accipientibus sine culpa vel sine periculo indulgentias amittendi:* S. C. resp.: *Negative* (Decr. 12 Julii 1847. N. 344).

Aliter autem dicendum foret in casu, quo quis *ex commissione* vel *mandato accepto* ab alia persona, puta ab amico, emeret praedictas res benedicendas, quarum pretium reciperet post benedictionem cum applicatione indulgentiarum. *Tunc enim nulla prorsus interveniret venditio seu mercimonium.* Amicus enim,

qui objectorum emptionem amico suo committit, ipse est eorumdem objectorum *verus proprietarius.* Quare *mandatarius,* qui res, nomine alterius emptas et benedictas, alteri tradit, earum pretium percipiendo, dici nullatenus potest earumdem rerum venditor (Cf. Guerra, pag. 87).

667. *Coronae etiam Hierosolymorum* indulgentias amittunt, quoties non dentur *immediate* vel *mediate* a persona facultatem habente eas distribuendi (Decr. 10. Jan. 1839, apud Prinzivalli, N. 482). De his coronis inferius in particulari loquemur.

Hanc autem facultatem coronas distribuendi habet quicumque res benedictas recepit, ut aliis distribuat, vel qui easdem in hunc finem benedicendas curavit, quam distributionem exequi potest tum per se, tum per alios (Guerra, pag. 86).

668. A S. Congregatione Indulgentiarum postulatum est: *An amittant indulgentias cruces, coronae, rosaria, statuae* etc., *quae ante* OMNEM USUM, *ab una, deinde in aliam, tertiam et quartam quoque manum transierint?* Resp.: *Negative* (Decr. 16 Julii 1887, apud Acta S. Sed., et Acta Ord. Min. loc. cit. ad 3^m).

669. Quae modo exposuimus quoad distributionem piorum objectorum, minime opponuntur Decreto Alexandri Pp. VII supra n. 661 relato, quo Pontifex decernit, coronas, cruces, numismata, sacras imagines cum indulgentiis, non transire personam illorum, quibus a Pontifice concessae fuerint, *aut quibus a praedictis de ordine ejusdem Pontificis prima vice fuerint distributae.* Nam in postremis verbis non agitur de iis, qui praefata objecta receperunt, *ut aliis distribuant,* nec de primis intermediariis *pro hujusmodi distributione facienda,* sed agitur de illis primis fidelibus, qui eadem objecta *in proprietatem sive in proprium usum acceperunt.*

Nec pariter resolutiones supra enuntiatae opponuntur Decreto sub n. 662 a nobis allato, quo declaratum est, non posse absque indulgentiarum detrimento, alteri donari numismata, quae aliqua persona in praemium recepit diebus Dominicis ob suam assiduitatem ac diligentiam in adsistendo sacris instructionibus et catechismis. Siquidem S. Congregatio ad istiusmodi resolutionem edendam alia ratione mota est. Nam in exposito casu, Parochus sive catechista, dum rusticis diligentioribus numismata distribuit, generaliter intendit, prout rei natura satis indicat, donare objectum *in personalem usum donatarii,* minime autem ut aliis distribuat (Cf. Beringer, tom. I, pag. 335).

§ VIII.

BREVIOR CONSPECTUS RERUM EXPOSITARUM MAJORIS MOMENTI.

670. Quae ex relatis sint praecipue retinenda, sequentibus numeris continentur:

1. Generatim materia objectorum piorum debet esse solida, non fragilis, exceptis coronis seu rosariis, quae non tam rigorose soliditatem expostulant.

2. Imagines, ut parvae statuae et numismata, repraesentare debent Sanctos canonizatos, vel in martyrologiis approbatis descriptos.

3. Pia objecta benedicuntur solo *signo crucis,* excepto casu, quo pro aliquo ex eisdem objectis praescripta fuerit specialis formula, ut pro rosario S. Dominici et corona Septem Dolorum, quorum respectivae formulae servandae sunt ad validitatem.

4. Etiam ad applicandas indulgentias crucifixis Viae Crucis sufficit signum crucis.

5. Qui obtinuit facultatem benedicendi pia objecta *privatim,* non potest ea facultate uti *publice,* v. gr. in ecclesia vel oratorio coram fidelibus, nec in fine officii publici, rebus depositis super aliquo altari.

6. Coronae, numismata, cruces etc. possunt benedici *in globo* cum applicatione indulgentiarum.

7. *Uni et eidem rei* possunt applicari indulgentiae diversae: ex. gr. rosario S. Dominici possunt applicari indulgentiae coronae S. Birgittae; eidem crucifixo indulgentiae Apostolicae et indulgentiae crucifixi Viae Crucis; dummodo ad eas lucrandas renoventur opera injuncta iterabilia.

8. Ad id autem requiritur, ut objectum pium habeat eamdem, vel similem, vel quasi similem formam. Unde v. gr. rosario S. Dominici nequeunt applicari indulgentiae coronae Domini, et vicissim.

9. Coronae franciscanae applicari possunt indulgentiae coronae Crucigerorum, Rosarii et S. Birgittae, sed indulgentia plenaria coronae franciscanae adnexa nequit aliis coronis pro ceteris Christifidelibus applicari, cum ea sit *exclusiva* pro Religiosis Ordinis Seraphici.

10. Verum omnibus et singulis coronis cujuscumque formae externae applicari possunt *indulgentiae Apostolicae.*

11. Qui habet facultatem benedicendi cruces, rosaria etc., eisque applicandi indulgentias, etiam *pro seipso* ea benedicere potest.

12. Qui accepit facultatem benedicendi tercentum coronas, eo ipso facultatem accepit benedicendi totidem rosaria loco coronarum; *quia rosaria et coronae promiscue accipienda sunt.*

13. Indulgentia crucibus concessa cadit solum *in Christum;* coronis et rosariis impertita, non filo neque catenae applicatur, sed *granis.*

14. Annulis argenteis vel aureis, in quibus sculpti sunt *globuli decem* ad recitandam coronam, non conceduntur indulgentiae.

15. Qui recitant coronam *cum aliis,* generatim illi soli indulgentias lucrantur, qui coronam benedictam manu tenent, excepta ex privilegio recitatione Rosarii vel ejus tertiae partis. Simile privilegium indultum fuit pro crucifixo Viae Crucis.

16. Cum crucifixis indulgentiis Apostolicis ditatis non licet impertire moribundis indulgentiam plenariam.

17. Amittuntur indulgentiae objectis benedictis adnexae, quando haec substantialiter mutantur sive quoad materiam sive quoad formam.

18. Si coronarum grana *quatuor* vei *quinque* deperdantur, coronae indulgentias non amittunt, quia eaedem perseverant *quoad formam moralem.*

19. Res indulgentiis ditatae tradi debent fidelibus *omnino gratis,* ita ut si aliquid quocumque titulo requiratur vel accipiatur, indulgentiae ex hoc amittuntur.

20. Non autem amittuntur, si ex *praevia commissione accepta,* quis emeret objecta benedicenda, eorumdem pretium percipiendo post benedictionem cum applicatione indulgentiarum.

21. Res benedictae, nempe coronae, cruces, numismata etc. sibi *ad proprium usum concessae,* nequeunt alteri tradi sine amissione indulgentiarum.

22. Nec possunt aliis *commodari* vel precario tradi *ad hoc ut indulgentiam communicent,* quin indulgentiam ipsam amittant.

23. Quod si coronae commodentur *simpliciter ad recitationem orationum* sive ad Rosarium recitandum, indulgentias non amittunt.

24. Aliquo ex praedictis objectis *deperdito,* nequit ei subrogari aliud ad libitum, sed novum objectum erit rite benedicendum, ut indulgentiis gaudeat.

25. Non gaudet indulgentiis, qui utitur objecto pio *invento,* vel *in haereditatem* habito.

26. Res benedictae, quae *ante omnem usum* ab una, dein in aliam, tertiam et quartam quoque manum transierunt, non amittunt indulgentias.

27. Revera enim licitum est alteri tradere (gratis et ante omnem usum) res benedictas, quas quis habet *cum facultate eas distribuendi.*

28. Res benedictae nequeunt *vendi* vel *permutari* sine amissione indulgentiarum.

ARTICULUS II.

OBJECTA PIA IN SPECIE.

Hucusque *generice* egimus de objectis devotionis, deque indulgentiis quibus ditantur. Modo de eisdem rebus *speciatim* sermo erit.

§ I.

INDULGENTIAE APOSTOLICAE SEU PAPALES APPLICATAE CRUCIBUS, CRUCIFIXIS, CORONIS, PARVIS STATUIS, AC NUMISMATIBUS.

671. Indulgentiae, quas Summus Pontifex impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus ab eodem Summo Pontifice benedictis, dici solent *Indulgentiae Apostolicae;* et rosaria, coronae, cruces etc. dicuntur item *coronae Apostolicae, cruces Apostolicae* etc.

672. Quilibet Pontifex suum edit Indulgentiarum elenchum, qui morte ejus cessat, et post novi Pontificis electionem iterum confirmatur vel renovatur. Pius IX per organum Secretariae S. Congr. Indulg. sub die 14 Maji 1853, Indulgentiarum elenchum *revisum et emendatum* pro majori fidelium commodo imprimi fecit, quique videri potest apud Acta S. Sedis (vol. I, pag. 573).

673. Elenchus autem Indulgentiarum a Piano elencho minime discrepans quoad substantiam, a Summo Pontifice Leone XIII editus per organum praefatae Secretariae ejusdem S. Congregationis, reperitur insertus in volumine quod inscribitur *Rescr. auth.* (Summarium I, pag. 345), quem nos hic ad litteram transcribimus.

SUMMARIUM INDULGENTIARUM SUMMI PONTIFICIS LEONIS PP. XIII.

Monita. Ut quis valeat indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Leo XIII impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis, requiritur:

1° Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enuntiatis objectis.

2° Quod si id minime fiat, requiritur ut in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3° Excluduntur ab Apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4° Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel jam consueta forma canonizati, vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Hisce praehabitis, indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis objectis retinet, et pia opera quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam, vel aliquam ex coronis B. V. Mariae aut rosarium ejusve tertiam partem, aut divinum Officium, vel Officium parvum ejusdem B. Virginis, aut fidelium Defunctorum, aut septem Psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere vel pauperibus opitulari, aut Missae interesse, eamve peragere si fuerit Sacerdos: quisquis haec fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad S. Synaxim accedet,

quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis SSmae Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis S. Joannis Baptistae, S. Josephi Sponsi ejusdem B. Mariae Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi, Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae, Mathiae, et Omnium Sanctorum: eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum extirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum plenariam indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. V. Mariae, quolibet dictorum dierum indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret; quavis Dominica vel alio anni festo indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur: sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum indulgentiam acquiret.

Praeterea quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel Officium parvum B. Mariae Virginis vel fidelium Defunctorum, aut Vesperas, aut Nocturnum saltem cum Laudibus, aut septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis adjectisque precibus, quoties id peregerit, centum dierum indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus animam suam devote Deo commendaverit, atque juxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Constitutione quae incipit *Pia Mater* sub die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus et S. Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SSmum Nomen Jesu, plenariam indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae vel sanctae Communionis, aut recitationi divini Officii, vel Officii parvi B. Mariae Virginis, toties quinquaginta dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad aeris campani signum, mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini,* aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria,* vel pariter sub primam noctis horam edito pro defunctorum suffragio campanae signo dixerit psalmum *De profundis,* aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria* centum dierum indulgentiam acquiret.

Eamdem pariter consequetur indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini nostri Jesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Is qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater* et *Ave Maria* in honorem SSmae Trinitatis, aut in memoriam quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi quinquies pronuntiaverit *Pater* et *Ave Maria,* centum dierum indulgentiam acquiret.

Quisque devote pro fidelibus oraverit qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria,* quinquaginta dierum indulgentiam consequetur.

Omnes indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex, supradictarum indulgentiarum concessione nullatenus derogari indulgentiis a Praedecessoribus suis jam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

Jubet deinde idem Summus Pontifex indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis objectis juxta Decretum sa. me. Alexandri VII editum die 6 Februarii 1657 (vid. n. 661), non transire ab illis pro quibus benedicta fuerint, vel illis, quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem objectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent: itemque recensita objecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, juxta Decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 Junii 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat Decretum sa. me. Benedicti XIV, editum die 19 Augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. uti supra impertitae, non intelligi privilegio gaudere altaria ubi hujusmodi objecta collocata fuerint, neque pariter Missas quas Sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus adsistunt, benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum hujusmodi crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in praecitata Constitutione *Pia Mater*.

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit, praesentem elenchum Indulgentiarum pro majori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen ut prô quolibet elencho, qui ubicumque et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione, aut dispositione in contrarium etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae, die 23 Februarii 1878.

A. Card. Oreglia a S. Stephano, *Praef.*
A. Panici, *Secret.*

674. Ut lectoribus statim pateat, quaenam sint indulgentiae a Summo Pontifice in praefato elencho concessae, quibus diebus fideles lucrari eas possint, quaenam opera, qualesque conditiones requirantur ad eas consequendas, sequenti modo laudatum elenchum exponendum censemus.

I. Indulgentia plenaria *pro quolibet ex infrascriptis diebus concessa,* nempe:

a) Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes itemque diebus festis SSmae Trinitatis, et Corporis Domini.

b) Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis B. V. Mariae.

c) Nativitatis S. Joannis Baptistae.

d) S. Josephi Sponsi B. M. V.

e) SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi, Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae, et Mathiae.

f) Omnium Sanctorum.

Opera adimplenda ad praedictas indulgentias acquirendas. Illi fideles lucrari possunt descriptis diebus indulgentiam plenariam, qui *semel saltem in hebdomada recitaverint* coronam Domini, — vel aliquam ex coronis B. V. Mariae aut rosarium ejusve tertiam partem, — aut divinum Officium, — vel Officium parvum ejusdem B. Virginis, — aut Officium fidelium Defunctorum, — aut septem Psalmos poenitentiales, — aut Psalmos graduales, — vel *consueverit* catechesim christianam tradere, — aut carceribus detentos, vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, — vel pauperibus opitulari, — aut Missae interesse, — vel eam celebrare, si fuerit Sacerdos.

Conditiones sunt Confessio, Communio et *Preces* pro consuetis finibus. Quisquis haec fecerit, ait Pontifex, vere contritus et peccata sua confessus ad S. Synaxim accedet *quolibet ex dictis diebus, eodemque die devote Deum exoraverit* pro haeresum et schismatum extirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum *plenariam indulgentiam* lucrabitur.

II. Indulgentia plenaria *in articulo mortis,* quoties fidelis animam suam devote Deo commendaverit, atque juxta instructionem Benedicti XIV in Constitutione, quae incipit *Pia Mater* sub die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem suscipere, et vere poenitens, confessus, et S. Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SSmum Nomen Jesu.

III. Indulgentiae partiales:

1. *Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum in aliis festis Domini et B. V. Mariae* (vid. n. 223), dummodo fideles omnia opera supra memorata peregerint.

2. *Indulgentia quinque annorum totidemque quadragenarum* quavis Dominica vel alio anni festo, iisdem, ut supra, conditionibus adimpletis.

3. *Indulgentia centum dierum,* si fideles eadem opera alio quocumque anni die expleverint.

4. *Indulgentia centum dierum* qualibet vice lucranda ab iis, qui *consueverint* semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel Officium parvum B. Mariae Virginis, vel Officium fidelium Defunctorum, aut Vesperas, aut Nocturnum saltem cum Laudibus, aut septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis adjectisque precibus.

5. *Indulgentia quinquaginta dierum* qualibet vice lucranda ab iis, qui praemiserint qualemcumque orationem praeparationi Missae vel sanctae Communionis, aut recitationi divini Officii, vel Officii parvi B. V. Mariae.

6. *Indulgentia biscentum dierum* toties quoties acquirenda ab eo, qui detentos in carcere aut aegrotantes in nosocomiis visitaverit, iisque opitulatus fuerit, vel in ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit.

7. *Indulgentia centum dierum* iis concessa, qui ad pulsum campanae, mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini* etc. recitaverint, vel si eas ignoraverint, semel *Pater noster* et *Ave Maria;* vel pariter sub primam noctis horam, dato pro defunctorum suffragio campanae signo, dixerint psalmum *De profundis,* aut si hunc nesciverint, *Pater noster* et *Ave Maria.*

8. *Indulgentia centum dierum* ab iis fidelibus lucranda, qui feria sexta devote cogitaverint de passione ac morte Domini nostri Jesu Christi, terque *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* recitaverint.

9. *Indulgentia centum dierum* iis fidelibus concessa, qui suam examinaverint conscientiam, et quos sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverint *Pater noster* et *Ave Maria* in honorem SSmae Trinitatis, aut in memoriam quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi quinquies pronuntiaverint *Pater noster* et *Ave Maria.*

10. *Indulgentia quinquaginta dierum* acquiretur ab iis, qui pro fidelibus oraverint qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerint *Pater noster* et *Ave Maria.*

Omnes indulgentiae superius expositae vel *pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum Purgatorii levamen applicari. Expresse declaravit Summus Pontifex, supradictarum indulgentiarum concessione nullatenus derogari indulgentiis a Praedecessoribus suis jam concessis pro quibusdam operibus piis*

superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore manere.

Insuper vetat laudatus Pontifex, ne qui morientibus adsistunt, benedictionem cum indulgentia in articulo mortis iisdem impertiantur cum hujusmodi crucifixis *absque speciali facultate* in scriptis obtenta.

675. Ex eo quod « quisquis praemiserit *qualemcumque* orationem praeparationi Missae vel sanctae Communionis, aut recitationi divini Officii, vel Officii parvi B. V. Mariae, *toties quinquaginta dierum* indulgentiam acquirat », licet inferre orationem *Aperi Domine* ante divinum Officium vel Officium parvum B. M. Virginis recitatam, sufficere ad acquirendam hujusmodi indulgentiam.

676. Pro clariori notitia indulgentiarum, quae *Apostolicae* nuncupantur, attendatur ad sequentia.

1° Indulgentiae *Apostolicae* sunt communes et *aeque* adnectuntur omnibus et *singulis* objectis supra memoratis, cum a Summo Pontifice, vel a Sacerdote legitima facultate munito, benedicta fuerint. Hoc patet ex verbis concessionis earumdem indulgentiarum, quae elargiuntur iis fidelibus, qui in propria deferunt persona ALIQUOD EX ENUNTIATIS OBJECTIS, vel illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retinent, et CORAM EO devote praescriptas preces recitant.

2° Ad effectum igitur lucrandi indulgentias Apostolicas idem prorsus est deferre, sive possidere et apud se habere, *numisma aut coronam, crucem vel parvam statuam, unum vel plura ex hisce objectis.*

3° Cum inter pia objecta comprehendantur rosaria et coronae, sciendum est, indulgentias Apostolicas applicari *directe coronae materiali,* non autem recitationi precum, eodem prorsus modo quo eaedem indulgentiae applicantur cruci, parvae statuae, numismati. Quare rosaria et coronae relata *ad indulgentias Apostolicas* considerari debent simpliciter *ut objectum pium,* non secus ac si essent numismata, sive parvae statuae, sive cruces.

4° Hinc, cum inter preces recitandas pro consecutione indulgentiarum Apostolicarum adnumeretur etiam, ut constat ex citato elencho, recitatio coronae Dominicae, vel unius ex coronis B. M. V., non est necessarium, ut talis recitatio fiat cum corona Apostolica, sed fieri potest cum alia corona, dummodo peragatur *vel secum deferendo* coronam Apostolicam aut aliud objectum pium rite benedictum, vel *coram ea* vel *eo* in cubiculo.

5° Consequitur etiam quod si coronae Apostolicae applicentur etiam ab habente facultatem indulgentiae alterius coronae, puta rosarii S. Dominici, tunc *eadem corona erit, sub diverso respectu, corona Apostolica, et corona sive rosarium S. Dominici,* et lucrifieri possunt respectivae indulgentiae, dummodo renoventur opera injuncta iterabilia; in casu nostro, dummodo iteretur recitatio coronae.

677. Ex dictis satis collucet, alias esse *indulgentias* coronis Apostolicis adnexas, alias coronis S. Dominici, S. Birgittae, Camaldulensium; alia essa *opera praescripta* ad illas lucrandas, alia ad istas consequendas. Quare qui obtinuit generalem facultatem benedicendi cruces, numismata, coronas etc., non eo ipso facultatem habet benedicendi coronas S. Dominici, coronam Domini et Septem Dolorum, *nisi aliter disponatur in concessionis Rescripto.* Unde si quis apud se haberet coronam a Papa benedictam, *haec quidem sufficeret ad lucrandas indulgentias Apostolicas,* minime vero indulgentias SS. Rosarii, excepto casu quo Summus Pontifex voluntatem suam aliter declaraverit, benedicendi nempe dictam coronam, etiam cum indulgentiis SS. Rosarii.

678. Infertur, hoc loco agi tantummodo de indulgentiis communiter *Papalibus* seu *Apostolicis* nuncupatis, quae applicantur crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus et coronis *ab ipso Summo Pontifice benedictis, vel a Sacerdote hanc facultatem habente,* quae ideo vocantur coronae *Apostolicae*, cruces *Apostolicae* etc., prout supra innuimus.

679. Coronae cujuslibet formae externae, quae sint ab Ecclesia approbatae, aptae sunt ad recipiendas *indulgentias Apostolicas.* Habere igitur possunt vel quinque, vel sex, vel decem, vel quindecim decades, aut diversimode confectae, ut coronae Domini, Septem Dolorum etc. (Decr. auth. N. 161). Summus enim Pontifex indulgentias impertitur omnibus Christifidelibus, qui retinent *aliquam ex coronis, rosariis...* ab eadem Sanctitate Sua benedictis, quin distinguat coronas a coronis; eo semper adnotato, quod Papa adnectere solet tantum *indulgentias Apostolicas,* non vero illas quae sunt propriae quarumdam coronarum, ut coronae SSmi Rosarii, Crucigerorum, coronae Domini et Septem Dolorum. Ad applicandas dictis coronis hujusmodi indulgentias, requiritur *specialis benedictio ab eo qui facultatem habet impertita.*

680. Etiam cruces, crucifixi, numismata, parvae statuae aptae sunt ad recipiendas indulgentias Apostolicas, *quamvis varias di-*

versasque formas habeant, dummodo tamen observentur praescriptiones *quoad materiam,* ex qua confecta esse debent, et *quoad imagines,* quae Sanctos canonizatos etc. repraesentare debent.

Nostris temporibus, ut sub n. 631 diximus, facultati benedicendi praefata objecta cum applicatione indulgentiarum Apostolicarum *ordinarie adjungi solet* a S. Congregatione *etiam facultas benedicendi coronas S. Birgittae,* eisque applicandi indulgentias. Et notandum, hujusmodi indulgentias applicari posse coronis quinque, sex, decem vel quindecim decadum (Cf. Decr. 23 Sept. 1775. N. 237 ad 2^{m}).

681. Quilibet Sacerdos, ad excipiendas Confessiones approbatus, potest a Sede Apostolica obtinere facultatem applicandi piis objectis indulgentias Apostolicas, dummodo petat.

Ad eadem benedicenda sufficit, ut alibi diximus, signum crucis cum intentione eisdem applicandi indulgentias.

682. Ad consequendas indulgentias Apostolicas non sufficit, ut ex dictis patet, in propria deferre persona aliquod *ex enuntiatis objectis,* vel illud *in proprio cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis retinere,* sed requiritur ulterius ut fideliter adimpleantur preces vel pia opera, quae pro qualibet indulgentia praescripta sunt.

§ II.

OBJECTA PIA, QUAE LOCA TERRAE SANCTAE SACRASQUE RELIQUIAS IBI EXISTENTES TETIGERUNT.

683. Rmus P. Petrus Marinus Sormanus, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum, Summo Pontifici Innocentio XI exposuit, varias exortas fuisse dubitationes super indulgentiis, quae a pluribus Romanis Pontificibus asserebantur concessae iis, qui *penes se* haberent *cruces, coronas, rosaria,* vel *grana* ex lignis Terrae Sanctae confecta. Propterea idem Minister Generalis, ut omnes in posterum hac in re controversiae praeciderentur, humillimas preces laudato Pontifici porrexit, ut in praemissis benignitate Apostolica providere dignaretur.

Summus Pontifex piis votis Ministri Generalis clementer annuens, revocatis antea et annullatis quibuscumque indulgentiis, quae pro crucibus, coronis, rosariis et granis Terrae Sanctae quomodocumque concessae fuisse dicebantur, Bulla *Unigeniti* de die

28 Januarii 1688, novas indulgentias elargiri dignatus est, quae descriptae habentur in ipsa Bulla, quam quisque videre ac legere ex integro potest penes *Rescripta authentica* pag. 349. Vide etiam *Raccolta,* pag. 448.

684. Quia hujusmodi indulgentiae *sunt eaedem ac illae, quibus sunt ditata pia objecta, nempe cruces, coronae, rosaria* etc. *Apostolica* nuncupata, ideo superfluum est earum elenchum hic de novo transcribere: sufficit legere sub n. 673 vel 674 *Summarium indulgentiarum Apostolicarum. — Una tantummodo differentia existit inter indulgentias Apostolicas et illas crucibus et coronis Terrae Sanctae concessas,* et est, quod pro objectis Terrae Sanctae non connumerantur festa *Immaculatae Conceptionis* et *S. Josephi.* Haec duo festa, serius introducta in Summario Indulgentiarum Apostolicarum, non fuerunt similiter inserta in altero Summario.

685. Praefatas indulgentias lucrantur omnes et singuli utriusque sexus Christifideles, *quamdiu cruces, coronas aut rosaria dumtaxat,* quae loca Terrae Sanctae, sacrasque Reliquias ibi existentes tetigerunt, *penes se habuerint, et preces vel pia opera ad eas assequendas assignata, impleverint* (Ex cit. Bulla *Unigeniti*).

686. Innocentius PP. XIII per Decretum S. Congregationis Indulg. sub die 4 Junii 1721 indulgentias a Ven. Innocentio XI crucibus et coronis Terrae Sanctae concessas confirmavit. Et quia tunc temporis Summarium quoddam Germanico idiomate conscriptum evulgabatur, quod *super coronis et crucibus factis Hierosolymis et Bethlehem* nonnullas indulgentias falsas, aut apocryphas, aut ab Apostolica Sede revocatas continebat, ideo S. Congregatio per memoratum Decretum declaravit « *gestantes cruces et coronas, quae loca Terrae Sanctae et sacras Reliquias ibi existentes tetigere, illas dumtaxat indulgentias lucrari posse, quas s. m. Innocentius XI Litteris in forma Brevis emanatis die* 28 *Januarii anni* 1688 *praedicta gestantibus, et pia opera in eodem Brevi praescripta devote peragentibus concessit* » (Decr. auth. N. 78).

687. Vigore praefatae Bullae Innocentii XI indulgentiis ditantur *non parvae statuae, nec numismata, sed cruces, coronae et rosaria dumtaxat.* Verum Summus Pontifex Leo XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum, quod per extensum damus, concedere dignatus est, ut etiam numismata, parvae statuae aliaque pia objecta, quae Terrae Sanctae loca tetigerunt, iisdem indulgentiis sint ditata. En Rescriptum:

Fr. Raphaël ab Aureliaco, Procurator Generalis Ordinis Minorum, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, sequentia exponit:

Summus Pontifex Innocentius XI s. m. Constit. *Unigeniti* die 28 Januarii 1688 plures indulgentias adnectere dignatus est crucibus, coronis aut rosariis, quae loca Terrae Sanctae, sacrasque Reliquias ibi existentes tetigerint. In hac tamen benigna concessione non inveniuntur comprehensa aliqua pia objecta, ut numismata, statuae etc. quorum usus apud Christifideles, qui Palaestinam incolunt, vel peregrinationis gratia ad eam se conferunt, frequentissimus est, ea praecipue de causa, quod ex tactu Locorum Sanctorum, ditata putent praefata objecta thesauro indulgentiarum. Id praesertim accidit de simulacris seu statuis Pueri Jesu, quae in Bethlehem continuo afferuntur vel mittuntur, ut locum Nativitatis divini Salvatoris tangant.

Ut igitur fidelium devotioni fiat satis, neve in falsa persuasione quoad lucrum indulgentiarum amplius sint, humilis Orator Sanctitatem Tuam exorat, ut eaedem indulgentiae, quae coronis, crucibus, crucifixis jam concessae sunt, concedantur etiam numismatibus, statuis, aliisque piis objectis, quae dicta Loca Sancta tetigerint.

Quam gratiam etc.

S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo Domino Nostro Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia juxta preces, ita ut non cruces tantum, aut coronae, rosaria prouti hucusque, verum etiam numismata, parvae statuae aliaque pia devotionis objecta, quae Terrae Sanctae loca aut reliquias ibidem existentes tetigerint, in posterum ditata maneant indulgentiis juxta tenorem et formam Constitutionis s. m. Innocentii XI, quae incipit UNIGENITI *data sub die* 30 (1) *Januarii* 1688. *Praesenti* IN PERPETUUM *valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.*

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 18 *Augusti* 1895.

Card. BONAPARTE.

† A. Archiep. Nicopolit., *Secret.*

---

(1) Penes *Rescr. auth.* pag. 349-352, et Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 63, data praedictae Constitutionis est sub die 28 ejusdem mensis et anni.

Advertendum est, pro praedictis objectis piis nullam praescribi benedictionem: *sufficit, quod loca Terrae Sanctae, sacrasque Reliquias ibi existentes* tetigerint.

688. Cruces, coronae, numismata et parvae statuae, postquam loca Terrae Sanctae, sacrasque Reliquias ibi existentes tetigerint, nequeunt *vendi,* vel *permutari,* vel *aliis commodari* ad indulgentias lucrandas etc., ut supra dictum est de objectis piis, quibus applicatae sunt indulgentiae *Apostolicae* vel aliae quaecumque. Si secus fieret, memorata objecta *illico indulgentias amitterent.*

689. Expedit super re sequentes authenticas declarationes referre, ex quibus manifeste apparet, quam severe S. Sedes prohibeat quodcumque mercimonium vel simplicem venditionem etc. quoad pia objecta indulgentiis ditata.

« Cum S. Congregationi Indulgentiarum delatum fuerit, nonnullos turpis lucri cupidos non sine magno fidelium scandalo praedictas cruces et coronas, quae loca Terrae Sanctae et sacras Reliquias ibi existentes tetigere, publice vendere, aut mercibus commutare ausu temerario non erubescere; *ideo districte prohibuit, ne in posterum aut publice, aut secreto vendantur, vel quomodocumque commutentur;* addita etiam declaratione, quod non transeant personam illorum, quibus prima vice distribuuntur, *et quod neque commodari, aut precario dari possint,* et quod, aliqua re ex praedictis deperdita, *pro ea subrogari altera non valeat. Quod si secus fiat, saepe dictae cruces et coronae careant indulgentiis jam concessis* » (Decr. 4 Junii 1721. N. 78).

« Post hujusmodi Decretum Jacobus de Le Cluse, civis Augustanus, huic S. Congregationi humiliter exposuit, se quamplurimas ex dictis coronis et crucibus, quae sacra Loca sacrasque Reliquias tetigere, ab Hierosolyma secum detulisse, facultatem postulans praedicta vendendi, justo tamen pretio, nec ullo habito respectu vel ad contactum rerum sacrarum, vel ad indulgentias, quas praedicta gestantibus s. m. Innocentius XI concessit. Pretium vero exigere contendit tum pro expensis in emptione praedictarum rerum, tum pro vectigalibus pro earum asportatione solutis, tum etiam pro summo labore, ac discrimine vitae, cui se adeo longa peregrinatione exposuit. Nonnulla insuper documenta addit, quibus Ordinarius Oratoris fidem et probitatem commendat.

Quaeritur itaque:

An, non obstante supra memorato Decreto, danda sit facultas Oratori supradictas cruces et coronas vendendi?

S. Congr. respondit: *Negative* (Decr. 14 Dec. 1722. N. 82).

Ex dictis sequitur, res indulgentiis ditatas tradi debere fidelibus *omnino gratis*. Sed de hac materia latius egimus supra n. 661 et sequentibus.

§ III.

CRUCIFIXUS BONAE MORTIS.

690. Haud raro solet Summus Pontifex, dum ei preces porriguntur, benedicere crucifixos *cum applicatione indulgentiae plenariae, impertiendae* cum iisdem seu cum uno ex iisdem crucifixis *Christifidelibus in articulo mortis constitutis.* Hujusmodi crucifixi, utpote qui *favore morientium solummodo* ordinati atque plenaria indulgentia ditati, vocari solent crucifixi *bonae mortis.*

691. Praefati crúcifixi a crucifixis *ordinariis seu Apostolicis* in eo differunt, quod

1° Crucifixi ordinarii, non secus ac coronae, cruces, numismata et parvae statuae, benedicuntur *pro usu omnium fidelium,* quatenus nempe *quilibet Christifidelis potest habere suum crucifixum* cum adnexa indulgentia plenaria pro articulo mortis. Crucifixi vero, de quibus modo agimus, benedicuntur *pro usu exclusivo Sacerdotum,* ita ut Sacerdos tantum possit eum habere, et eo uti.

2° Indulgentiae Apostolicae, inter quas indulgentia plenaria in articulo mortis, *crucifixis ordinariis,* prout ceteris objectis piis, applicatae, *ab iis tantum fidelibus lucrari possunt, qui unum ex praedictis crucifixis possident,* seu ab illa tantum persona, quae est proprietaria ejusdem crucifixi. — Indulgentia vero plenaria crucifixis *bonae mortis* adnexa, est *in bonum omnium fidelium,* ita ut cum uno eodemque crucifixo possit Sacerdos, qui eum legitime possidet, plenariam indulgentiam impertire *omnibus indiscriminatim moribundis.*

3° Ex his alia panditur differentia, quod scilicet crucifixus *bonae mortis* non amittit suam indulgentiam ex eo quod Sacerdos eodem utatur successive pro pluribus morientibus, dum econtra crucifixus *ordinarius* illico amitteret, si alii vel aliis commodaretur ad indulgentiam lucrandam.

692. *Sacerdos tantum, pro quo Summus Pontifex praefatum crucifixum benedixit, uti eo potest in favorem morientium.* Nequit ergo eum alteri Sacerdoti commodare, ut eo in eumdem

finem utatur, nec potest eum donare vel in haereditatem relinquere, vel per gyrum ad moribundos *per interpositas personas mittere.* Haec omnia deducuntur ex Summorum Pontificum et S. Congregationis Indulgentiarum declarationibus, quas superius n. 661 retulimus, quod scilicet indulgentiae non transeunt personam illorum, pro quibus objecta benedicta fuerint, nec objecta ipsa possunt aliis commodari vel precario tradi etc.

Quapropter *Sacerdos ipse, memorati crucifixi possessor, deferre eum debet ad moribundos,* eis exhibere crucifixum osculandum, vel tangendum, vel inter eorumdem manus ponendum, eos interim charitative adjuvans in eliciendis virtutum actibus, atque in explicanda magnitudine gratiae, quam mediante crucifixo recepturi sunt in communicatione indulgentiae plenariae.

693. Nunc exposita confirmantur sequentibus S. Sedis documentis, quae, licet ante celeberrimam Benedicti XIV Constitutionem, incipientem *Pia Mater,* edita fuerint, explicant tamen modum utendi praefato privilegio, qui si aliter non disponatur in concessionibus, etiam nunc temporis observari debet.

Ex Audientia SSmi die 19 Septembris 1742, *SSmus, ut quotiescumque Orator particularem Jesu Christi D. N. crucifixi imaginem, quam semel electam amplius mutare nequeat, ad quemcumque Christifidelem intra limites suae paroeciae, in articulo mortis constitutum, non autem in praesentia Episcopi aut ubi aliquis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis praevenerit, pie deferet, si hic vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, saltem contritus Nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit, imaginem hujusmodi* A PRAEFATO ORATORE, NON AUTEM AB ALIO PORRECTAM, *osculatus fuerit, seu tetigerit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequatur, benigne concessit* (Rescr. auth. N. 137).

Per decretum vero, quod hic subjungimus, declaratur crucifixum bonae mortis *etiam ipsimet Parocho* (vel Sacerdoti) *cui concessus est,* pari modo suffragari. En verba Decreti:

Urbis et Orbis. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV die 30 Maji 1744 benigne declaravit, imaginem crucifixi D. N. J. C. quae Parochis pro impertienda benedictione cum indulgentia plenaria in articulo mortis conceditur, *etiam ipsimet parocho,* cui concessa est, in articulo mortis constituto, qui singula in Decreto eidem expedito

injuncta peregerit, pari modo suffragari, *etiamsi ab alio ejusmodi imago eidem porrigatur* (Decr. auth. N. 144).

Haec postrema verba satis clare indicant, regulam generalem esse, ut crucifixus bonae mortis moribundo *porrigatur ab ipso Sacerdote, cui a Summo Pontefice hujusmodi privilegium concessum est.* Exceptio enim quae fit favore Parochi seu Sacerdotis, praedictum crucifixum possidentis, et in mortis articulo constituti, regulam generalem confirmat.

694. Quamvis Sacerdos debeat per seipsum deferre ad moribundum saepedictum crucifixum, non est tamen necessarium, ut penes morientem permaneat usque ad obitum ejus: poterit potius ei relinquere crucifixum, ut eum aspiciat, vel osculetur, vel inter manus teneat. Secuta morte, vel recuperata sanitate, Sacerdotis erit crucifixum suum resumere, ut eo in bonum aliorum fidelium animam agentium opportune uti possit.

695. Obiter notamus, Summum Pontificem Alexandrum VII, Brevi *Ut saluti* de die 25 Januarii 1656, concessisse privilegium impertiendi dictam indulgentiam cum crucifixo tum Religiosis professis Ministrantium Infirmis, tum Religiosis Societatis Jesu. Praefatis Religiosis « *deferentibus osculandam vel tangendam imaginem Crucifixi (quam semel electam mutare non licet, nisi in eventu amissionis) cuicumque infirmo confesso et sacra Communione refecto, vel saltem invocanti nomen Jesu, ut plenariam indulgentiam applicare possint, concessit Alexander VII* (Rescr. auth. pag. 613, 12; et 635, 1).

696. Pro conferenda indulgentia supradicti crucifixi nulla requiritur precum formula, nec formula praescripta a Benedicto XIV. Imo, ut Sacerdos formula Benedicti XIV uti possit, necesse est ut sit legitime, puta ab Episcopo, delegatus *ad impertiendam benedictionem Apostolicam in articulo mortis,* ut constat ex Constitutione *Pia Mater* laudati Benedicti XIV.

Unde infertur, tum crucifixum, de quo nunc agitur, tum crucifixum ordinarium, etsi uterque indulgentia plenaria in articulo mortis sit ditatus, *nullum jus conferre Sacerdoti utendi formula Benedictina.*

697. Si Sacerdos, qui morienti adsistit, facultatem habeat a suo Episcopo impertiendi benedictionem Apostolicam in articulo mortis, et simul crucifixum possideat pro conferenda indulgentia in eodem mortis articulo, *liberum ei erit primo vel secundo modo uti ad communicandam indulgentiam.*

698. Si Sacerdos deest, qui morienti adsistat, poterit hic, ut alias diximus, plenariam indulgentiam lucrari, *si secum vel apud se habeat* aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus a Summo Pontifice vel a Sacerdote facultatem habente benedictis vel quae Loca sancta tetigerint, dummodo praescripta opera vel preces adimpleverit.

699. Conditiones pro dicta indulgentia a moribundo, mediante crucifixo bonae mortis, lucranda, ad Summum Pontificem pertinet determinare, ac ideo standum est terminis concessionis. Quod si Pontifex nihil in particulari praescripserit, consuetae conditiones pro moribundis praescriptae vigere censendae sunt, quae sunt *Confessio et Communio,* et si id moribundus facere nequiverit, *invocatio SSmi Nominis Jesu ore, si potuerit, secus corde.* Insuper *paratus esse debet obsequenti animo a Deo mortem recipere* (De Crucifixo bonae mortis cf. Beringer, tom. I, pag. 345 et seqq.).

§ IV.

CORONA DOMINI.

700. Auctor hujus Coronae fuit B. Michaël monachus Camaldulensis, Florentinus, qui, ut scribit Cajetanus Moroni in suo *Dizionario di erudizione* ad verbum *Corona* vel *Camaldolesi,* habitum S. Romualdi in eremo *Camaldoli* induit anno 1502. In solitudine sui recessus servus Dei continuo meditabatur *super septem petitionibus,* quae continentur in oratione Dominica, menteque volvebat quomodo possent fideles salutares fructus ex eis retrahere. Dum haec cogitaret, divina inspiratione cognovit Christifidelibus valde conferre, si ad imitationem coronae, quae in honorem B. Mariae Virginis recitatur, altera recitaretur *in honorem D. N. Jesu Christi.* Hinc suis ipse manibus coronam confecit, quae componitur 33 *Pater noster* in memoriam et venerationem 33 annorum, quibus Dominus noster super terram vixit.

Triginta tribus *Pater noster* adduntur quinque *Ave Maria* in memoriam et honorem quinque Plagarum D. N. Jesu Christi, et in fine in honorem SS. Apostolorum recitatur *Credo.*

701. Modus recitandi hanc coronam est sequens: cuilibet ex tribus decadibus orationis Dominicae praemittitur recitatio unius *Ave Maria,* idque etiam ante cetera tria *Pater noster,* eodem

modo, quo in rosario B. M. V. cuilibet decadi praemittitur recitatio unius *Pater noster*. Expletis triginta tribus *Pater noster* cum quatuor *Ave Maria*, recitatur quinta *Salutatio Angelica* seu quintum *Ave Maria*, et deinde *Credo*, quo praefata corona terminatur. — Si corona recitetur pro defunctis, in fine cujusvis decadis, et post ultimum *Ave Maria* dicitur *Requiem aeternam* etc.

702. Methodus vere pulchra et pia recitandi hanc coronam habetur in *Raccolta*, pag. 42, videlicet: praemisso contritionis actu ante *quamlibet* Salutationem Angelicam et ante *quamlibet* Orationem Dominicam, paucis verbis enuntiatur mysterium seu factum nativitatis, vitae, operum, mortis, resurrectionis etc. D. N. Jesu Christi. Haec tamen methodus, licet accommodata capacitati fidelium, eisque utilissima, non necessario requiritur ad lucrandas indulgentias recitationi dictae coronae adnexas: sufficit sequi modum supra descriptum.

703. Ad lucrandas indulgentias *coronae Dominicae* adnexas, requiritur juxta *Raccolta*, pag. 48:

1° Ut hujusmodi coronae benedicantur a PP. Eremitis, nempe a Monachis Camaldulensibus, vel ab iis qui Apostolicam facultatem obtinuerunt: facultas enim, qua quis gauderet, applicandi piis objectis *indulgentias Apostolicas*, minime sufficeret, ut dictum est sub n. 640 (Decr. auth. N. 291, ad 7).

2° Ut fideles in recitatione coronae meditentur *juxta propriam cujusquè capacitatem* mysteria vitae, mortis etc. D. N. Jesu Christi.

704. Formula benedictionis coronae Dominicae invenitur in Append. Rit. Rom., quae tamen formula non videtur requiri ad validitatem, cum nullibi reperiatur absolute praescripta. Ad eam igitur benedicendam sufficit signum crucis.

Praefatae coronae *rite benedictae* non possunt vendi, nec aliis commodari cum intentione eis communicandi indulgentias. Ita jussit Clemens X in Brevi quod modo citabimus, et etiam abunde constat ex dictis sub nn. 661-666.

705. Indulgentiae. Summus Pontifex Clemens X Brevi *De salute gregis Dominici*, sub die 20 Julii 1674, recitantibus coronam Domini cum praescriptis conditionibus, sequentes concessit indulgentias:

1. *Indulgentiam* 200 *annorum* qualibet vice iis fidelibus, qui eam recitaverint vere contriti et confessi, vel saltem cum firmo proposito confitendi.

2. *Indulgentiam* 150 *annorum* iis, qui confessi et sacra Communione refecti, secum deferentes unam ex dictis coronis, eam recitabunt feria secunda, quarta, sexta ac diebus festis de praecepto.

3. *Indulgentiam plenariam* semel in anno iis, qui praefatam coronam consueverint recitare quater in hebdomada, dummodo Confessione expientur ac sacra Communione reficiantur die ad libitum eligenda.

4. *Indulgentiam plenariam* semel in mense iis, qui decursu ejusdem mensis quotidie coronam recitaverint, deinde vere contriti, confessi, sacraque Communione refecti oraverint pro concordia inter principes christianos, extirpatione haeresum, et exaltatione S. Matris Ecclesiae.

5. *Indulgentiam plenariam in articulo mortis* iis, qui contriti et confessi invocabunt sanctissimum Nomen Jesu corde saltem, si ore non potuerint, dummodo cum intentione hujusmodi indulgentiam acquirendi recitaverint in sua infirmitate praefatam coronam. *Quod si convaluerint,* acquirere poterunt

6. *Indulgentiam* 200 *annorum.*

7. *Indulgentiam* 20 *dierum* iis fidelibus, qui unam ex dictis coronis secum deferentes et SS. Nomen Jesu invocantes, conscientiae examine peracto, vereque contriti recitabunt ter *Pater noster* et *Ave Maria,* orando pro felici statu S. Ecclesiae.

8. *Indulgentiam* 20 *annorum iis,* qui post conscientiae examen et peccatorum suorum Confessionem Deum deprecabuntur pro dilatatione fidei catholicae, haeresum extirpatione, et S. Ecclesiae exaltatione.

9. *Indulgentiam* 10 *annorum* iis, qui secum habentes dictam coronam, toties recitaverint tria *Pater noster* et *Ave Maria,* quoties opus quodlibet sive spirituale sive temporale peregerint in honorem D. N. Jesu Christi aut B. M. V. sive alicujus Sancti, vel etiam in bonum proximi.

10. *Indulgentiam* 200 *annorum* iis, qui memoratam coronam apud se habentes, extra Romam existentes diebus Stationum Urbis, confessi et sacra Communione refecti, visitabunt ecclesiam ad proprium cujusque arbitrium, vel si id quominus perficiant, fuerint impediti, recitabunt coronam et septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis precibusque sequentibus. Eamdem indulgentiam assequentur, si Romae commorantes, legitime impediti quominus ecclesiam Stationis visitent, recitaverint coronam et Psalmos poenitentiales ut supra.

Benedictus XIII autem, Decreto S. C. Indulgentiarum die 6 Aprilis 1727, confirmando supradictas indulgentias, aliam *plenariam* addidit, lucrandam ab iis fidelibus, qui confessi et sacra Communione refecti, praefatam coronam recitabunt *feria sexta:* quae *plenaria indulgentia* acquiri potest *in singulis feriis sextis mensis Martii dumtaxat,* adimpletis operibus supra praescriptis, prout declaravit Leo PP. XII per Decretum S. C. Indulgentiarum, die 11 Augusti 1824 (Ex *Raccolta,* pag. 46 et seq. Vide etiam Rescr. auth. N. 340).

706. In *prompta Bibliotheca* P. Lucii Ferraris haec habentur: « Fratres Minores et alii Regulares ex concessione Julii II et Leonis X, quoties recitant coronam Domini J. C. *ex triginta tribus Pater* et *totidem Ave Maria* in honorem annorum, quibus inter mortales vixit Christus Dominus... *lucrantur indulgentiam plenariam pro animabus Purgatorii.* Et Leo X pariter pro hac corona concessit Minoribus *plenariam indulgentiam sibi ipsis applicandam,* quam tamen Paulus V revocavit. Sed Peyrinus, Rodriguez, Bordon... asserunt illam Minoribus ab eodem Paulo V restitutam esse »... (Ferraris, verb. *Indulgentia,* art. V, n. 11).

Testimonio et auctoritate praefati Auctoris innixus Procurator Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, duo dubia anno 1862 proposuit S. Congregationi Indulg. enodanda, quorum unum fuit sequens:

An ad lucrandas indulgentias a SS. Pontificibus concessas, prout refert Ferraris, verb. Indulg. art. 5, n. 10 et 11, *iis qui recitant coronam septem Gaudiorum B. M. V.* etc., vel coronam D. N. J. C. ex 33 *Pater noster* et *Ave Maria, necesse sit ut praedictae coronae modo in Ecclesia consueto benedicantur?*

Per alterum dubium quaerebatur, an omnes Sacerdotes Ordinis Minorum facultatem habeant benedicendi praefatas coronas?

Sacra Congregatio, duobus auditis Consultoribus, distulit resolutionem, rescribens: *Dilata et scribant duo.* Itaque duo alii auditi fuerunt Consultores, quorum unus fuit Rmus P. Angelus Savini, tunc Procurator Generalis Carmel. Calceat.; alter A. R. P. Frigdianus a Luca, Procurat. Generalis Ordinis Minorum. Quoniam in primo dubio supponitur *ut certa et genuina plenaria* indulgentia pro unaquaque ex duabus indicatis coronis, Consultores examen instituerunt etiam super *ejus genuinitate,* quaerentes scilicet, an *praefata indulgentia plenaria de facto constaret pro utraque corona.*

Rationibus a Consultoribus allatis hinc inde perpensis et discussis, S. Congregatio in Comitiis habitis die 29 Aug. 1864 jussit *reformanda esse dubia* sequenti modo:

1. *An corona septem Gaudiorum B. M. V. in Ordine Seraphico ditata sit indulgentia plenaria?*

2. *An ad effectum lucrandi dictam indulgentiam necesse sit ut praefatae coronae benedicantur?*

S. Congregatio resp.: Ad 1m *Affirmative;* ad 2m: *Negative* (Decr. auth. N. 412).

707. Ut vides, in dubiis a S. Congregatione reformatis nullum fit verbum *de corona Domini.* Haec enim corona, observabatur, vel spectat ad Ordinem Camaldulensium, *et tunc benedicenda est...,* vel potius (ut ex Julio II et Leone X colligitur, *apud Rodericum collect. Privileg. t. I, pag.* 273, *n.* 14; *pag.* 291-92) eadem corona Minorum Ordini adscribitur, cui restitutam esse post revocationem ostendit Ferraris *loc. cit.,* et tunc ob easdem supra dictas rationes (concernentes coronam septem Gaudiorum, de qua postea) non erit benedicenda. Ex iis colliges, S. Congregationem ex adductis constare censuisse de existentia indulgentiae pro corona septem Gaudiorum; e converso, ex adductis *non constare censuisse de renovata concessione indulgentiae pro corona D. N. J. C., quae propria Franciscalis Ordinis sit* (Cf. *Disceptatio Synoptica* apud Acta S. Sedis vol. I, pag. 550 et seqq.).

§ V.

CORONA QUINQUE PLAGARUM.

708. Componitur haec corona quinque partibus *(cinque poste),* in quarum qualibet in memoriam quinque Plagarum D. N. Jesu Christi recitari devote debent quinque *Gloria Patri,* et in fine cujuslibet partis addi *Ave Maria* in honorem B. Mariae Virginis Dolorosae.

709. Ad acquirendas indulgentias hujusmodi coronae adnexas, necesse est ut corona benedicatur a Rmo P. Generali Congregationis Clericorum Excalceatorum Passionis Domini nostri Jesu Christi, vulgo *Passionisti,* vel ab alio Sacerdote a praefato P. Generali ad id deputato. Pro benedictione sufficit *signum crucis.*

710. Indulgentiae concessae recitantibus praedictam coronam sunt sequentes ex concessione Leonis XII per Decretum S. C. Indulg. de die 20 Decemb. 1823:

Indulgentia unius anni semel in die lucranda ab omnibus Christifidelibus corde saltem contrito et devote dictam coronam recitantibus.

Indulgentia plenaria in una ex sextis feriis Martii, nec non in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, vel in una die inter respectivas Octavas harum solemnitatum ab iis lucranda, qui ut supra recitabunt dictam coronam saltem *decies* quolibet mense; dummodo indicatis diebus vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, devote orent per aliquod temporis spatium juxta intentionem Sanctitatis Suae.

Indulgentia plenaria concessa iis fidelibus, qui memoratam coronam recitabunt a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum *inclusive, lucranda ea die, qua* vere contriti et confessi, *praeceptum Paschale adimplebunt.*

Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum omnibus aliis diebus, lucranda a fidelibus eamdem coronam recitantibus corde saltem contrito et devote.

Summus Pontifex Pius IX, Decreto S. C. Indulg. die 11 Augusti 1851, nedum omnes et singulas descriptas indulgentias confirmavit, sed ulterius concessit

Indulgentiam plenariam in festis Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, SS. Nominis Jesu, Paschae Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Domini, et Transfigurationis D. N. J. C., vel in una die ad libitum respectivarum Octavarum, omnibus Christifidelibus, qui saepedictam coronam devote recitabunt *saltem decies in quolibet mense,* dummodo vere contriti, confessi et sacra Communione refecti visitaverint aliquam ecclesiam vel publicum oratorium, ac inibi per aliquod temporis spatium oraverint juxta mentem Sanctitatis Suae (Ex *Raccolta,* pag. 137 et seq.).

§ VI.

CORONA FRANCISCANA, SIVE CORONA SEPTEM GAUDIORUM B. MARIAE VIRGINIS (PRO ORDINE SERAPHICO).

711. P. Lucas Waddingus, Annalista clarissimus Ordinis Minorum, sequentia narrat de *origine* coronae Franciscanae.

Anno Christi 1422 associatus est Minoribus adolescens quidam, B. Mariae Virgini reverenter addictus, qui contexta ex floribus corolla, simulacrum ejusdem decorabat. Cum legendis floribus, et huic prosequendae pietati non adeo liceret in tyrocinio intendere, juvenili levitate constituit ad saeculum redire. Discessurus Virginem salutavit, et patrocinium ejus poposcit. Cui illa apparens ait:

« Noli contristari ob dimissum vel impeditum, quod mihi praestabas, florum obsequium; docebo te, quomodo illud in aliud praeclarius convertas, et coronam mihi compingas serto illo rosarum valde pulchriorem. Singulis diebus coronam mihi contexe, non ex floribus, qui cito marcescunt, neque semper haberi possunt, sed ex piis precibus, quas tu potes, et Angelus docuit recitare. Profer decies Salutationem Angelicam, et semel Orationem Dominicam, in honorem gaudii, quo ego exultavi de concepto Verbo aeterno. — Secundo, easdem repete propter illud, quo surrexi cum festinatione in montana Judaeae cognatam Elisabetham invisura. — Tertio, propter summam laetitiam, qua Christum Dominum absque dolore, integro pudore sum enixa. — Quarto, propter eam, qua Magos Infantulum adoraturos excepi. — Quinto, ob repertum in templo Filium, quem prius deflebam amissum. — Sexto, ob gloriosam ejus resurrectionem. — Septimo, ob meam in coelos assumptionem. Haec si singulis diebus dixeris, certo scias, sertum mihi gratum, et tibi meritorium te compacturum ».

Obsecutus adolescens, qua potuit devotione, recitare coepit praescriptam precum formulam, et accedens caute tyronum magister, ut exploraret quid in cubiculo ageret, vidit Angelum rosas filo paulatim inserentem, et singulis denis aureum lilium connectentem, mox coronam ex omnibus composuisse, et tyronis genuflexi capiti imposuisse.

Paulo post praeceptor imperavit, ut quae tunc faciebat, enarraret, dixitque eo se modo preces illas obtulisse, quo a beata Virgine instructus fuerat, unde visionis arcanum magister percepit.

Hinc invaluit mos in Ordine Minorum, transivitque ad alios, coronam beatae Virginis recitandi, quam Oratione Dominica septies, et Salutatione Angelica septuagies et bis, repetita, in honorem annorum septuaginta duorum, quibus sacratissima Virgo, juxta probabiliorem sententiam, vixit, et Gaudiorum septem ab ipsa expressorum complendam pii viri asseverant (Annal. Ord. Min. tom. X, ad ann. 1422, n. 8).

712. Non solum ex tunc invaluit mos in Ordine Minorum recitandi praedictam coronam, sed etiam usus generalis incepit, eam, *ex granis confectam,* deferendi Fratrum cingulo appensam, ut sic Fratres eamdem semper haberent pro recitatione paratam, et indulgentias eidem adnexas lucrari possent. Unde hodie dici posset, hujusmodi coronam tamquam tesseram Filiorum Seraphici P. S. Francisci factam fuisse et habendam esse.

713. Modo demonstrari oportet, coronam septem Gaudiorum B. Mariae Virginis *indulgentia plenaria esse ditatam.* Res statim definiri posset, authenticam decisionem S. Congregationis Indulgentiarum referendo (vid. n. 706), sed pro historica notitia non inutile censemus, veritatem aliis auctoritatibus illustrare.

Corona Franciscana ditata est indulgentia plenaria. Id constat

1° *Ex testimonio Scriptorum Ordinis nostri.* Ferraris haec habet: « Fratres et Sorores de Ordine Minorum, et consequenter Tertiarii et Chordigeri, recitando coronam B. M. V. ex 72 *Ave Maria* et 7 *Pater noster,* cum adhuc uno *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, lucrantur *indulgentiam plenariam* sibi in primis concessam a Leone X, quam Paulus V, post generalem indulgentiarum Regularibus concessarum revocationem, *de novo concessit* 8 Junii 1608, ad instantiam P. Ludovici a S. Joanne Evangelista, Commissarii generalis Ultramontanae familiae Minorum de Observantia, ut referunt Lantusca, Kazenberger, Portell., Peregrin., Rodriguez, Bordon... et alii passim, et demum confirmavit Innocentius XI » (Verb. *Indulg.* art. V, n. 10).

P. Angelus a Lantusca a P. Lucio Ferraris citatus scribit: « Paulus V Fratribus Minoribus, et per participationem Fratribus et Sororibus Tertii Ordinis et Chordigerorum concessit *indulgentiam plenariam, quoties* (ogni volta) quis eorum recitaverit coronam B. M. V. ex septem *Pater noster,* et septuaginta duobus *Ave Maria,* cum adhuc uno *Pater* et *Ave* pro Sanctitate Sua, prout fieri consueverat pro sa. me. Leone X, qui eamdem elargitus erat indulgentiam, revocatam anno 1606 ab ipso Paulo V, et postea anno 1608 die 8 Junii de novo ab eodem Pontifice concessam (Theatrum Regularium, verb. *Indulg.* n. 3).

Laurentius a Portellis enarrat se vidisse litteras testimoniales impressas, in quibus, non obstante generali revocatione, Paulus V hanc *indulgentiam plenariam* denuo concesserat (Dubia Regularia, pag. 262; Acta S. Sed. vol. I, pag. 552).

2° Constat ex Rubricis particularibus nostri antiqui Breviarii Franciscani, confirmatis ab Innocentio XII, in quibus n. 90 haec reperiuntur: « *Sabbato praesertim, et singulis aliis hebdomadae diebus* recitanda est a nostratibus ex devotione Corona B. M. V. Dominae nostrae, approbata a sa. me. Leone X in Brevi *Exponi nobis,* die 14 Septembris 1517 concesso, et per aliud ejusdem Pontificis Breve, quod incipit: *Dum praeexcelsa,* die 19 Junii 1515 ea indulgentia decorata, quam Paulus V post generalem indulgentiarum revocationem benigne innovavit, et recol. mem. Innocentius XI per suas etiam in forma Brevis Litteras similiter incipientes: *Exponi Nobis,* die 15 Maji 1688, firmam esse voluit atque sancivit ».

3° Patet ex Summario Indulgentiarum Ordinis Seraphici, uti *authentico* recognito a S. Congregatione Indulgentiarum. Ibi enim legitur: « Fratres et Moniales Ordinis Minorum, recitando coronam B. M. V. vulgo dictam Ordinis, quae constat 70 *Ave Maria* et septem *Pater noster,* et insuper uno *Pater noster* et uno *Ave Maria* pro Summo Pontifice, lucrantur *indulgentiam plenariam* concessam a Leone X et Paulo V » (Rescr. auth. pag. 394 etc.).

Similia leguntur in elencho *authentico* Indulgentiarum Confraternitatis *Devotorum Jesu Christi ad Calvarium,* vulgo *Sacconi rossi,* quae Confraternitas anno 1776 aggregata et affiliata fuit Seraphico Ordini Minorum a Rmo P. Paschali a Varisio Ministro Generali. Ibi enim haec habentur: « Recitando coronam B. M. V., vulgo dictam Ordinis, quae constat septuaginta *Ave Maria* et septem *Pater noster,* addito uno *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, acquiritur *indulgentia plenaria,* cum dispositionibus debitis, ut in principio dictum est » (Rescr. auth. pag. 503, n. 34).

4° Patet tandem, et *res extra omnem dubitationem posita est,* per expressam declarationem S. Congregationis Indulgentiarum, quae proposito dubio:

Utrum corona septem Gaudiorum B. M. V. in Ordine Seraphico ditata sit indulgentia plenaria?

Resp.: *Affirmative* (Decr. 29 Augusti 1864. N. 412).

714. Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino Minister Generalis Ordinis Minorum sequens dubium solvendum proposuit S. Congregationi Indulgentiarum:

An ad lucrandas indulgentias Rosarii B. M. Virginis, sive Coronae Franciscanae, vel parvae Coronae Immaculatae Conceptio-

nis B. M. Virginis (*vulgo* Coroncina della Inmacolata), vel S. Birgittae etc., necessarium sit habere Rosarium materiale ad hoc benedictum, vel simplex recitatio sufficiat?

Auctores hac super re non eamdem tenent sententiam; quapropter Orator Sanctitatis Tuae judicium exquirit, ut dubium tollatur.

S. Congregatio respondit: *Standum esse terminis concessionum indulgentiarum adnexarum singulis precatoriis coronis, de quibus in proposito dubio* (Decr. 7 Aug. 1889, apud Nouv. Rev. Théol. tom. XXVI, pag. 264).

Qua decisione praemissa, nos affirmamus, quod relate ad effectum lucrandi indulgentiam plenariam coronae Franciscanae adnexam haud necesse sit eam benedicere. Sane indulgentia hujusmodi non realis, sed personalis est, scilicet non adnexa *coronae materiali,* sed *recitationi precum.* Ex historia enim, quam de corona Franciscana supra dedimus verbis celebris P. Waddingi, constat beatissimam Virginem non aliud Fratri Novitio, cui apparuit, commendasse, quam *recitationem* 70 *Ave Maria* cum 7 *Pater,* quibus melius quam floribus coronam Virgini acceptissimam efformasset; de corona autem *ex granis confecta* ne verbum quidem.

Accedit, et hoc est praecipuum, quod Summi Pontifices, qui praefatam indulgentiam vel concesserunt, vel restituerunt vel confirmarunt, ut Leo X, Paulus V, et Innocentius XI, nullam mentionem faciunt *de materiali corona,* nec de necessitate eam benedicendi.

Res confirmatur ex more in Ordine Seraphico semper habito et servato non benedicendi materialem coronam (Cf. Acta S. Sed. vol. I, pag. 553).

Tandem veritas *extra omne dubium* ponitur per sequentem authenticam decisionem:

An ad effectum lucrandi dictam indulgentiam necesse sit, ut praefatae coronae benedicantur?

S. Congregatio resp.: *Negative* (Decr. cit. 29 Aug. 1864. N. 412).

715. Ex dictis sequentia corollaria deducuntur.

1. Ex eo quod corona septem Gaudiorum B. M. V. ditata sit indulgentia plenaria in Ordine Seraphico, consequitur ipsam esse *exclusive* propriam Ordinis Minorum. Et revera Summi Pontifices hujusmodi indulgentiam *non omnibus Christifidelibus concesse-*

runt, sed Fratribus et Sororibus de Ordine Minorum, et per participationem Tertiariis et Chordigeris.

Tertiarii saeculares autem post Constitutionem *Misericors Dei Filius* Summi Pontificis Leonis XIII nec non declarationes S. Congregationis Indulgentiarum in Decreto 31 Januarii 1893 ad X et XVIII dubium, jus ad praedictam indulgentiam amiserunt.

Verum benignitate ejusdem gloriosi Pontificis, per Breve diei 7 Julii 1896, praedicti Tertiarii admissi sunt *per quinquennium* ad participationem indulgentiarum ac piorum operum, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet. Quocirca Tertiarii quoque lucrari possunt per tempus memorato Brevi praefinitum indulgentiam plenariam recitationi coronae Franciscanae adnexam (Vid. Breve circa finem Tractatus de Tertio Ordine).

Sodales etiam Archiconfraternitatis *Devotorum Jesu Christi ad Calvarium,* vulgo *Sacconi rossi,* gaudent indulgentia coronae Seraphicae adnexa (Vid. Rescr. auth. pag. 503, n. 30).

2. Ex eo quod pro lucranda dicta indulgentia necesse non sit, ut praefatae coronae benedicantur, legitime infertur, coronam Franciscanam non indigere benedictione, *tum in casu quo Loca Sancta tetigerit, tum in casu quo ea non tetigerit,* sed aliunde habeatur.

3. Ex eo quod ad consequendam praedictam indulgentiam plenariam non sit necessarium *coronam materialem* adhibere, jure deducitur, quod si quis ex Fratribus vel Monialibus Ordinis Minorum recitaret praescriptas 72 Salutationes Angelicas cum 7 Orationibus Dominicis, cum adhuc uno *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, *quin utatur materiali corona,* vel quia eam non possidet, vel secum non defert, vel uti ea non vult, *lucrari aeque potest indulgentiam plenariam.*

716. Quia *de coronis quae Loca Sancta tetigerunt,* mentio nunc facta est, probe notandum, hujusmodi coronas, quae etiam *Hierosolymitanae* dicuntur, quibusque passim Fratres Minores *pro recitatione coronae septem Gaudiorum utuntur, indulgentias plurimas adnexas habere,* ut jam diximus n. 684, *quae tamen nullatenus confundi debent cum plenaria* de qua loquimur. Haec enim distinguitur ab illis etiam ex eo, quod *hanc lucrari possunt tantum Fratres et Sorores Ordinis Minorum,* dum econtra illas consequi possunt, dummodo opera praescripta compleverint, omnes et singuli Christifideles (vid. n. 685), juxta Constitutionem Innocentii XI *Unigeniti* die 28 Jan. 1688 (Cf. Acta S. Sedis, vol. I, pag. 553).

717. Si attente considerentur documenta, quibus evincitur, coronam septem Gaudiorum B. M. V. in Ordine Seraphico esse ditatam indulgentia plenaria, videbitur profecto, eamdem indulgentiam *toties* acquiri posse, *quoties* praefata corona recitatur. Concessa est enim recitantibus 70 vel 72 Salutationes Angelicas et septem Orationes Dominicas, absque determinatione temporis *et quin definiantur vices,* quasi proinde diceretur, indulgentiam plenariam adnexam esse *cuilibet recitationi* praedictae coronae. P. Angelus a Lantusca autem, qui vidit concessionis folium impressum anno 1609 in typographia Camerali, expresse dicit, indulgentiam, de qua agimus, *toties* acquiri, *quoties* corona Franciscana recitatur (Theatr. Reg. loc. cit.).

In libro, cujus titulus « *Codex redactus Legum Fratrum Minorum in Synopsim* », pag. 578, n. 23 ita legitur: Sorores S. Clarae et Tertii Ordinis sub Fratrum cura lucrentur *plenariam* indulgentiam, *quoties* dixerint coronam B. Virginis Mariae.

Sed res quam defendimus, extra omnem dubitationem poni videtur auctoritate *Summarii Indulgentiarum Archiconfraternitatis Chordigerorum,* uti *authentici* declarati die 1 Junii 1866 a S. Congregatione Indulgentiarum. Ibi sub numero XII haec leguntur:

« Confratribus igitur et Consororibus, ex praedictis Summorum Pontificum concessionibus... communicantur, praeter alias multas nostratibus assignatas, indulgentiae *pro recitatione coronae septem Gaudiorum B. M. Virginis,* pro Statione SS. Sacramenti, et pro exercitio Viae Crucis: quae praecipuae habentur ac pretiosissimae, et a Tertiariis etiam et Chordigeris omnibus in gratia existentibus, TOTIES QUOTIES lucrari possunt, et *Purgatorii animabus applicari* » (Rescr. auth. pag. 434-435).

718. Quoad nobis constat, nulli ex aliis coronis concessa est indulgentia PLENARIA *per solam recitationem precum* acquirenda, sed semper ad eam lucrandam alia pia opera, praeter coronae recitationem, praescribuntur, ut ex. gr. Confessio, Communio, preces ad intentionem Summi Pontificis etc.; dum econtra ad assequendam indulgentiam plenariam coronae Franciscanae annexam, *praeter ejusdem recitationem, nihil aliud habetur praescriptum.*

719. *Praedicta indulgentia applicari potest tam vivis quam defunctis.* Licet enim ex primaeva concessione pro vivis tantum videatur concessa, dum clausula *pro defunctis applicabilis* in documentis non reperiatur, certum est tamen, eamdem posse ipsis

defunctis applicari, prout patet tum ex Summario Indulgentiarum Chordigerorum in textu modo relato, tum ex generali concessione Gregorii XV, Brevi 10 Novembris 1622: indulsit enim Pontifex, ut « *Religiosi Minores, Clarissae, et Tertiarii possint per modum suffragii applicare animabus Purgatorii omnes indulgentias et bona opera ab ipsis facienda* » (Rescr. auth. Summ. pag. 395, 35°).

720. In testimoniis, quae de hac corona supra attulimus, modo 70, modo 72 *Ave Maria* recensentur. De hac varietate non miretur lector. Sunt revera 70 *Ave Maria* cum septem *Pater,* si inspiciatur origo coronae, prout ipsa beatissima Virgo, juxta Seraphicam traditionem, eam docuit Fratrem Novitium. Sunt autem 72 *Ave Maria* (prout in praesens componitur et recitatur), quia duo alia *Ave Maria* adjecta fuerunt ad complendum numerum annorum, quibus beatissima Virgo, juxta sententiam quam Waddingus probabiliorem vocat, in terris vixit. Orationi autem Dominicae septies repetitae in memoriam et honorem septem Gaudiorum ejusdem Virginis Matris, additum est aliud *Pater noster* pro Summo Pontifice.

721. Cum igitur corona Franciscana tam pretioso thesauro sit locupletata, eam continuo non deferre et quidem cingulo appensam, uti fert antiquus usus in universo Ordine Seraphico, eam saepius, imo *quotidie,* prout Constitutiones generales Ordinis hortantur, non recitare in pium obsequium dulcissimae Matris nostrae Mariae, evidens signum foret modicae pietatis.

Insuper jam diximus, coronam Seraphicam septem Gaudiorum, si Loca Sancta tetigerit, *indulgentias plurimas adnexas habere,* praeter *plenariam,* de qua hucusque locuti sumus. Porro ut hae quoque acquiri possint, necesse est, ut praeter adimplementum operum praescriptorum, coronam secum quis deferat vel saltem penes se habeat.

Quod si quis coronam Hierosolymitanam habere nequit, curet ut ea quam possidet et secum defert, a Sacerdote legitima facultate praedito benedicatur *cum applicatione indulgentiarum Apostolicarum,* quae sunt eaedem ac illae concessae coronis Terrae Sanctae. Ut vides, hujusmodi benedictio non impertiretur coronae Seraphicae, qua tali: corona siquidem Franciscana, ut supra exposuimus, non indiget benedictione, ut *indulgentia plenaria fruatur;* sed ideo benediceretur, *ut ei adnectantur etiam*

indulgentiae, quae dicuntur Apostolicae, ad quas habendas omnino requiritur benedictio a Sacerdote facultatem habente rite collata.

722. *Indicantur septem Gaudia B. Mariae Virginis.*

1. Quando ab Angelo salutata concepit in purissimo utero de Spiritu sancto.

2. Quando in visitatione ad S. Elisabeth, ab ea primum se vocari audivit Matrem Dei.

3. Quando sine ullo virginalis suae puritatis detrimento in lucem edidit Filium Dei pro amore nostro hominem factum.

4. Quando vidit Filium suum Jesum a Magis adoratum.

5. Quando amissum Filium suum invenit post triduum in templo interrogantem et docentem Doctores.

6. Quando vidit Filium suum gloriose a morte resuscitatum.

7. Quando assumpta est in coelum, exaltata super choros Angelorum (vid. n. 711 ex Waddingo).

723. *Brevior conspectus rerum notabilium ac majoris momenti coronae Franciscanae septem Gaudiorum B. Mariae Virginis.*

1. Corona Franciscana originem habet, juxta traditionem in Ordine Seraphico servatam, ab ipsa gloriosa Virgine Maria, Matre Dei.

2. Componitur ex septuaginta duobus *Ave Maria* et septem *Pater noster,* addito uno *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, et recitatur in memoriam et honorem septem Gaudiorum Virginis Deiparae, nec non septuaginta duorum annorum, quibus ipsa sacratissima Virgo, juxta probabiliorem sententiam, in terra vixit.

3. Ab ipsa origine invaluit mos in Ordine Minorum dictam coronam recitandi, ac deinceps, ex granis confectam, eam deferendi cingulo appensam.

4. A Sacra Indulgentiarum Congregatione declaratum est: *Coronam septem Gaudiorum B. Mariae Virginis in Ordine Seraphico ditatam esse indulgentia plenaria.*

5. Ad effectum lucrandi dictam indulgentiam *minime necesse est, ut praefatae coronae benedicantur.* Hujusmodi enim indulgentia est *tantum personalis, non realis,* id est *immediate adnexa recitationi precum, minime vero coronae materiali.*

6. Quare si cuipiam Religioso Franciscano deesset corona materialis, praedictam indulgentiam acquirere aeque posset, *memoriter recitando praescriptas preces.*

7. Corona Franciscana, *si Loca Sancta tetigerit, plurimas alias indulgentias adnexas habet;* si loca Terrae Sanctae non

tetigerit, *applicari ei possunt a Sacerdote facultatem habente indulgentiae Apostolicae,* quae sunt eaedem ac illae adnexae coronis Terrae Sanctae. Ad lucrandas hujusmodi indulgentias requiritur ut corona in propria deferatur persona, vel penes se in cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineatur, et coram ea devote praescriptae preces recitentur.

8. Inde colligitur, quot et qualia bona spiritualia Religiosis et Monialibus etc. Ordinis Minorum, coronam septem Gaudiorum B. M. V. secum deferentibus, provenire possunt ex eadem corona, et quot bonis spiritualibus se privant ii, qui parum devoti et contra consuetudinem Ordinis eam non deferunt.

9. Corona septem Gaudiorum B. M. V. est *exclusive* propria Ordinis Minorum; unde S. Congregatio decisit, praefatam coronam ditatam esse indulgentia plenaria *in ordine Seraphico.* Quare indulgentia *plenaria* eidem coronae adnexa acquiri tantum potest a Fratribus, Sororibus Ordinis Minorum, et ab iis, qui cum eis communicant in privilegiis et indulgentiis.

10. Indulgentia plenaria coronae Franciscanae adnexa acquiri potest *toties, quoties* eadem corona recitatur.

11. Praedicta indulgentia plenaria est applicabilis tam vivis quam defunctis.

12. Indicantur septem Gaudia B. Mariae Virginis.

§ VII.

ROSARIUM A CRUCIGERIS BENEDICTUM.

724. In Bibliotheca Seminarii Leodiensis asservatur apographum Litterarum Summi Pontificis Leonis X, ex quibus constat, ab hoc Pontifice traditam fuisse *Generali Canonicorum Regularium* (1) *S. Augustini Ordinis S. Crucis* in Hollandia, qui *Crucigeri* vel *Cruciferi* nuncupantur, facultatem benedicendi Rosaria cum applicatione indulgentiae 500 DIERUM, *quoties Oratio Dominica,* vel *Salutatio Angelica* in iis devote a fidelibus dicatur (Apud Acta S. Sedis, vol. XVI, pag. 404 et seq. *Compend. facti*).

---

(1) Obiter notamus, ex Ordinibus Canonicorum Regularium nunc superesse *Lateranenses, Praemonstratenses,* et *Crucigeros.* Ordo Crucigerorum in praesens quatuor continetur domibus (Acta S. Sed. loc. cit.).

Etiam in *Raccolta* habetur: « Per Breve *Regularem vitam* diei 20 Augusti 1516 Summus Pontifex Leo X concessit fidelibus, qui cum corona B. Mariae Virginis, benedicta a Magistro Generali *pro tempore* Canonicorum Regularium S. Augustini Ordinis S. Crucis (communiter *Crucigeri* nuncupati), devote recitabunt *Orationem Dominicam vel salutationem Angelicam,* INDULGENTIAM QUINGENTORUM DIERUM *qualibet vice* ».

725. Per Rescripta S. Congregationis de Propaganda Fide diei 13 Julii 1845 et 9 Januarii 1848 Summi Pontifices Gregorius XVI et Pius IX praedicto Magistro Generali Ordinis S. Crucis indulserunt, *ut aliis Canonicis ejusdem Ordinis* delegare possit facultatem benedicendi cum applicatione praefatae indulgentiae rosaria beatae Virginis (*Raccolta,* pag. 192; Acta S. Sed. loc. cit.).

726. Cum circa hujusmodi facultatem recentiori tempore exorta fuerint dubia, quae deinde proposita sunt resolvenda S. Congregationi Indulgentiarum, S. Congregatio per Decretum 15 (vel 14 ut habet *Raccolta*) Martii 1884, a Summo Pontifice Leone XIII approbatum, praefatam facultatem definitive recognovit in solis Canonicis *Crucigeris* nuncupatis (*Raccolta* pag. 193).

727. Ut lectores habeant de re pleniorem notitiam, memoratum Decretum hic transcribere censemus (Apud Acta S. Sed. loc. cit.).

ORDINIS SANCTAE CRUCIS. Cum innumera propemodum quaestiones et dubia Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exhibita fuerint, nomine etiam Archiepiscoporum et Episcoporum, de *authenticitate indulgentiae dierum quingentorum* a Leone Papa X, Litteris in forma Brevis datis die 20 Augusti 1516 concessae et quodammodo confirmatae a Summis Pontificibus Gregorio XVI et Pio IX, rescriptis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide dierum 13 Julii 1845 et 9 Januarii 1848, quam lucrari dicuntur Christifideles, *quoties in rosariis* beatae Mariae nuncupatis et benedictis a Magistro Generali Ordinis Sanctae Crucis vel a Sodalibus ejusdem Ordinis, a Magistro Generali ad id specialiter deputatis, *Orationem Dominicam vel Salutationem Angelicam* devote recitaverint, Sacra eadem Congregatio, ut Christifidelium tranquillitati prospiceret, rem mature perpendere et absolvere constituit. Qua oblata opportunitate, quaesitum etiam est de necessitate recitandi *tertiam saltem partem Rosarii B. V. Mariae,* ut indulgentia illa acquiri possit, quemadmodum fortasse innuere videbantur verba, quibus Romani Pontifices praefatas in-

dulgentias adamussim adnexas *rosariis* a Magistro Generali dicti Ordinis benedictis concesserunt.

Insuper cum plures Sacerdotes tum a Sanctissimo Domino Nostro Papa, tum a Sacra ipsa Congregatione privilegium expostulaverint *rosaria* benedicendi cum applicatione indulgentiae, quam ipsis sodales Cruciferi adnectunt, quaesitum quoque est de hujusmodi precibus exaudiendis vel respuendis.

Quae omnia sequentibus dubiis propositis complexa sunt:

I. *Utrum indulgentia quingentorum dierum quoties in rosariis per Crucigeros benedictis Oratio Dominica vel Salutatio Angelica devote dicatur, revocanda sit,*

a) *vel uti apocrypha, seu ratione dubiae authenticitatis,*

b) *vel uti indiscreta, seu ratione indiscretae concessionis,*

c) *vel ob alias extrinsecas rationes?*

Et quatenus negative ad omnes I. dubii partes,

II. *Utrum eadem indulgentia rata habenda sit et confirmanda, vel potius dicenda sit ratihabitione et confirmatione non indigere?*

III. *Utrum pro acquirenda eadem indulgentia necesse sit integrum rosarium devote recitare?*

IV. *Utrum expediat aliis etiam Sacerdotibus concedi privilegium benedicendi rosaria cum applicatione indulgentiae, quo gaudent Sodales Crucigeri?*

Et Patres Eminentissimi in Congregatione Generali habita die 11 Martii 1884 in Aedibus Apostolicis Vaticanis rescripserunt:

Ad I. *Negative in omnibus.*

Ad II. *Non indigere.*

Ad III. et IV. *Negative.*

Die vero 15 ejusdem mensis et anni, facta ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario relatione, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII Patrum Cardinalium responsiones benigne approbavit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 15 Martii 1884.

AL. Card. OREGLIA A S. STEPHANO, *Praef.*

FRANCISCUS DELLA VOLPE, *Secret.*

728. Ex relato Decreto sequentia habemus, quae specialiter adnotare interest:

1. Certa est indulgentia *quingentorum dierum,* quoties in rosariis per Crucigeros benedictis Oratio Dominica vel Salutatio Angelica devote dicitur.

2. Pro acquirenda eadem indulgentia necesse non est integrum rosarium vel coronam recitare. Unde si quis *cum praedicto rosario seu corona* unam tantum decadem, vel etiam unum tantummodo *Pater noster,* aut unum *Ave Maria* devote recitaret, aeque lucraretur indulgentiam *quingentorum dierum* tum pro recitatione unius, tum pro recitatione alterius. Siquidem Leo X, quoad hoc rosarium per Crucigeros benedictum, indulgentiam quingentorum dierum largitus est non quidem recitantibus rosarium, sed simpliciter IN ROSARIO *Orationem Dominicam* vel *Salutationem Angelicam devote dicentibus* (Cf. Votum Consult. Acta S. Sed. loc. cit. pag. 411).

3. Praefata indulgentia *non est personalis,* sed *realis,* quatenus nempe *non simplici recitationi Orationis Dominicae* vel *Salutationis Angelicae est adnexa,* sed est specialis pro iis fidelibus, qui *ad hoc utuntur rosariis seu coronis a Magistro Ordinis S. Crucis,* vel *ab eo delegatis, benedictis.* Qui ergo hujusmodi coronam non possidet, praedictam indulgentiam assequi nequit.

4. Corona Crucigerorum non habet specialem formam; sufficit, ut eruitur ex dictis, ut sit corona B. Mariae Virginis.

5. Indulgentiae saepedictae coronae sunt applicabiles etiam defunctis. Omnes enim indulgentiae precibus piisque operibus adnexae, quae continentur in *Raccolta,* sunt applicabiles per modum suffragii animabus fidelium defunctorum (*Raccolta*, pag. XXVIII).

6. Privilegium benedicendi dictas coronas est *exclusive* proprium Ordinis S. Crucis seu Crucigerorum, et non licet nec Sodalibus nec ipsi Magistro praedicti Ordinis alios Sacerdotes, qui non sint ejusdem Ordinis, ad id delegare.

729. Ob singularitatem memoratae indulgentiae et facilitatem eam acquirendi contingit, ut hujusmodi rosaria a Crucigeris benedicta jamque ex Hollandia non modo in Belgium, Galliam, Germaniam, atque Italiam, sed in dissitas etiam regiones atque in omnes orbis partes diffundantur, vel undecumque in Hollandiam benedicenda mittantur (1).

---

(1) Si quis desiderat cognoscere directionem ad Patres Crucigeros, hic eam damus, prout a cl. P. Beringer exhibetur in suo opere *Les Indulgences* etc.

730. Hic meminisse juvat, *uni eidemque rei,* ex. gr. *coronae,* adnecti posse *indulgentias diversas,* quae tamen haud acquiruntur *unica* coronae *recitatione,* sed pro singulis indulgentiis diversis requiritur respectivae coronae recitatio (Decr. 29 Febr. 1820. N. 249).

Exinde consequitur, etiam coronis Crucigerorum applicari posse indulgentias diversas: et revera saepe accidit, ut fideles Crucigeris benedicenda deferant rosaria jam consuetis indulgentiis SS. Rosarii vel etiam S. Birgittae ditata, quae indulgentiae, ut per se intelligitur, adnecti quoque possunt *post applicationem indulgentiarum* quae coronae Crucigerorum sunt propriae.

731. Ut quis indulgentias *quingentorum dierum* pro quolibet *Pater noster* et pro qualibet *Ave Maria* assequi possit, requiritur ut non aliunde teneatur *ex praecepto* sive *ex conscientia* ad easdem preces recitandas. Exempli gratia, per recitationem *Orationis Dominicae* et *Salutationis Angelicae,* quae ante Horas canonicas a Sacerdotibus recitandas praescripta est, vel a Confessario pro sacramentali poenitentia imposita, acquiri nequeunt praedictae indulgentiae.

732. Ex eo quod facilius acquiruntur indulgentiae in rosariis Crucigerorum timendum non est, quod devotio erga ceteras coronas, puta rosaria S. Dominici, minuatur; nam rosaria S. Dominici, prout etiam S. Birgittae etc. annexas habent *plures indulgentias partiales* et *plenarias, ac privilegia;* quoad vero Franciscanos, simplici recitationi coronae septem Gaudiorum adnexa est *indulgentia plenaria.* Ceterum, ut ait Consultor in suo voto super hac materia, expedit, ut adsit *modus facilior lucrandi indulgentias pro illis, qui quinque decades cum mysteriorum memoria* (ut in rosario S. Dominici) *recitare quacumque ex causa nolint aut nequeant.*

Licet autem, prosequitur citatus Consultor, per se ad Crucigerorum indulgentiam lucrandam non requiratur coronae totius recitatio, quemadmodum probabiliter neque in corona S. Birgittae

---

tom. I. pag. 368 in nota. Voici leur adresse: Au T. R. Père Maître général des PP. Croisiers, à *Uden* (Hollande); ou: Au R. P. Prieur des PP. Croisiers, au couvent de Sainte-Agathe près Cuyk (Hollande).

Les PP. Croisiers ont aussi des maisons en Belgique: à *Diest* (Brabant), et à *Maeseyk* (Limbourg belge).

requiritur, tamen eo ipso quod rosarium benedicitur et indulgentia impertitur fidelibus *Pater* vel *Ave* in rosario recitantibus, satis suaderi videtur integra recitatio. Experimento quidem compertum est, indulgentiae Crucigerorum propagationem non ad minuendam, sed ad augendam rosarii recitationem profuisse: et ideo coronae illae plerumque expetuntur, non quidem ut loco rosarii multae indulgentiae paucis *Pater* et *Ave* devote recitatis acquirantur, sed potius ut eae indulgentiae stimulo sint acriori, ut rosarium integrum vel tertia ejus pars recitetur (Acta S. Sed. loc. cit.).

Praedictae coronae, postquam benedictae fuerint, non possunt vendi nec commodari etc. sine amissione indulgentiarum.

§ VIII.

ROSARIUM S. DOMINICI.

733. S. Dominicus Ordinis Praedicatorum fundator, ut Albigensium haeresi, quae eo tempore serpebat, maxime in Gallia, remedium efficax opponeret, revelatione habita a SS. Virgine, ad quam in hunc finem confugerat, circa annum 1206 instituit ac mirifice propagavit *devotionem SS. Rosarii* (1), a qua saeculorum decursu mirabiles effectus promanarunt in Christianam societatem (*Raccolta,* pag. 203).

Haec devotio (*Psalterium Marianum* etiam nuncupatum) *consistit in recitatione moraliter non interrupta centum quinqua-*

(1) Contemporanea alla fondazione dell' Ordine de' Padri Predicatori, scribit Emus Cardinalis Morichini, è la devozione del salterio della Madonna, volgarmente detto *Rosario,* quasi corona di rose che s' intessono alla Virgine, immaginato da S. Domenico, perchè la gente più rozza avesse un facil modo di onorarla con una comune preghiera, e meditare al tempo stesso i più gravi misteri della Religione. Credesi che i primi rosari si dicessero alla chiesa di S. Sisto presso la via Appia, dove appunto ebbe cuna l' inclito Ordine domenicano. S. Domenico facea predicare il rosario come possente arma spirituale, quando Innocenzo III bandiva la crociata contro gli eretici Albigesi, e il conte di Monforte guerreggiando ne rompeva l' esercito, e spegnevasi l' eresia.

I laici devoti del rosario si formarono in confraternita, che fu confermata da Sisto IV il 1481. Pio V tornò a confermare le confraternite erette sotto il titolo del rosario, concedette indulgenza a chi lo recitasse. Altrettanto fece Innocenzo XI. Simili società sono congiunte all' Ordine de' Predicatori in modo, che ov' è un loro monastero, evvi altresì la compagnia del rosario (Degli Istituti di pubblica carità in Roma, vol. I, cap. XXIII).

ginta Ave Maria (tot nempe quot *Psalmi), in quindecim decades* distinctorum, quarum quaelibet incipit cum *Pater noster;* et *in simultanea meditatione* mysteriorum principalium vitae, mortis et resurrectionis D. N. Jesu Christi *(Raccolta).*

734. INDULGENTIAE adnexae recitationi SS. Rosarii sunt sequentes:

1° Indulgentia *centum dierum* pro quolibet *Pater* et pro quolibet *Ave,* sive integrum rosarium, nempe quindecim decadum, recitetur, sive tertia pars, nempe quinque decadum (Breve *Sanctissimus,* 13 Apr. 1726 Benedicti XIII).

2° Indulgentia *plenaria* semel in anno pro iis omnibus, qui singulis diebus spatio unius anni vel integrum rosarium vel ejus tertiam partem recitaverint, lucranda in die ad libitum eligenda; Confessione et Communione praemissa ac precibus pro consuetis finibus peractis (Idem Pontifex).

3° Indulgentia item *plenaria* concessa omnibus fidelibus devote recitantibus rosarium *hora ipsis assignata* (1), semel in anno lucranda in die ad libitum eligenda, adimpletis, ut supra, piis operibus (Pius VII, Brevi 16 Febr. 1808).

4° Indulgentiae *decem annorum totidemque quadragenarum* concessa iis Christifidelibus, qui saltem contrito corde tertiam rosarii partem devote recitaverint *una cum aliis,* vel domi, aut in ecclesia, seu oratorio publico vel privato, *acquirenda semel in die* (Pius IX, Decr. S. C. I. 12 Maji 1851; Rescr. auth. pag. 288).

5° Indulgentia *plenaria* qualibet postrema die Dominica uniuscujusque mensis, lucranda ab iis Christifidelibus, qui in more habebunt recitandi tertiam rosarii partem *una cum aliis* saltem ter per hebdomadam; si tamen vere contriti, ac Confessione et Communione suscepta visitabunt ecclesiam quamcumque, aut publicum oratorium, ibique per aliquod temporis spatium ad mentem Summi Pontificis orabunt (Pius IX, loc. cit. — Vide *Raccolta,* pag. 204 et seq., Rescr. auth. pag. 423 etc).

735. Praeter memoratas indulgentias, *communes omnibus Christifidelibus* rosarium ut supra recitantibus, aliae quoque sunt,

(1) Haec indulgentia, ut recte advertit P. Beringer, non respicit nisi membra *Rosarii perpetui,* quia, extra hanc associationem, non datur ceteris fidelibus *hora assignata* pro recitatione coronae.

quae acquiri possunt *dumtaxat a Sodalibus Confraternitati SS. Rosarii adscriptis.* Has videsis in Summario penes Rescr. auth. pag. 422.

736. Ad consequendas praedictas indulgentias *omnibus Christifidelibus rosarium recitantibus communes,* plura requiruntur:

1° Quod coronae *sint benedictae* a Religioso Ordinis Praedicatorum, vel ab alio Sacerdote legitimam facultatem habente.

2° Quod in recitatione rosarii vel tertiae ejusdem partis *manu teneatur et,* juxta morem, *adhibeatur corona* ut supra benedicta. Quod si rosarium a duabus vel pluribus personis recitetur *in communi,* benignitate Summi Pontificis Pii IX sufficit (vid. n. 651) *ut una tantum persona,* quaecumque ea sit ex communitate, *illud manu teneat, eoque in recitatione de more utatur;* addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, *ceteris curis semotis, se componant* pro oratione facienda una cum persona, quae tenet coronam, ut rosarii indulgentias lucrari queant (Decr. 22 Jan. 1858. N. 384).

3° Quod dum quis rosarium recitat, *meditari debeat mysteria* nativitatis, passionis, mortis, resurrectionis etc. D. N. Jesu Christi, juxta Decretum S. Congregationis Indulgentiarum diei 12 Augusti 1726, a Benedicto XIII approbatum (*Raccolta,* pag. 205).

Hujusmodi Decretum est resolutio sequentis dubii a P. Procuratore Generali Ordinis Praedicatorum propositi:

An qui SS. Rosarium B. M. V. recitant, omissa consueta meditatione mysteriorum humanae reparationis, et illorum vice *mortem aut cetera novissima, vel alia pia ac religiosa meditantur,* indulgentias a Summis Pontificibus concessas pro recitatione rosarii lucrentur?

S. Congregatio respondit: *Non lucrari* (Decr. 13 Aug. 1726. N. 92).

Attamen laudatus Pontifex Benedictus XIII in sua Constitutione *Pretiosus* diei 26 Maji 1727, § 4. declaravit, *pro personis idiotis* minus idoneis mysteriis meditandis, satis esse ad lucrandas indulgentias rosarium *devote* recitare, licet voluntas ejus esset, ut etiam dictae personae assuefiant, juxta rosarii institutum, ad sanctissima nostrae reparationis mysteria meditanda *(Raccolta).*

737. Quando pro acquirendis indulgentiis requiritur meditatio mysteriorum, prout in recitatione rosarii, sufficit *meditatio mentalis* eodem tempore, quo recitantur Oratio Dominicalis et Angelicae Salutationes. Non est igitur necessarium, ut enuntiatio specia-

lis mysteriorum rosarii fiat antequam singulae decades recitentur (Decr. 1 Julii 1839. N. 273 ad 3^{m} et 4^{m}).

738. Meditari tamen licet, vel *immediate ante*, vel *immediate post* decadis recitationem, dummodo quidem istae duae conditiones omnino serventur, scilicet ut *primo* pro unaquaque decade sit uniuscujusque mysterii meditatio; ut *secundo* mentalis mysterii meditatio et vocalis precum recitatio *ad invicem sibi immediate succedant et moraliter uniantur* (Acta S. Sed... pro Societate SS. Rosarii, vol. I, pag. 56, n. 135).

739. *Libera quidem est electio mysteriorum*, quae recoli debent in recitandis coronis B. M. V., sed invaluit consuetudo, ut per gyrum cujuslibet hebdomadae singula mysteria ita recolantur: nempe *gaudiosa in secunda et quinta feria; dolorosa in tertia et sexta; gloriosa tandem in Dominica, quarta feria et sabbato* (Decr. eod. ad 5^{m}).

Unde si quis in rosarii recitatione alia mysteria recoleret, quam quae pro illa die consuetudo meditanda introduxit, non ideo indulgentias amitteret. Siquidem istiusmodi consuetudo recitandi per gyrum cujuslibet hebdomadae mysteria determinata, etsi eam observare expediat, minime tamen obligat sub poena non consequendi indulgentias.

740. Quamvis *tres integri rosarii partes* recitari debeant eo ordine, primo scilicet pars *Gaudiosa*, dein pars *Dolorosa*, denique pars *Gloriosa*, possunt tamen altero ordine recitari, si adsit specialis ratio, ut v. gr. recitandi causa cum aliis.

Mysteria SS. Rosarii, usu S. Matris Ecclesiae acceptata et Christifidelium devotione consueta, ea sunt quae sequuntur:

PRO PRIMA QUINQUAGENA SEU PARTE GAUDIOSA.

1. Domini Jesu Christi incarnatio, Angelo B. Mariae Virgini nuntiante.
2. Domini Jesu Christi gestatio ad beatam Elisabeth.
3. Domini Jesu Christi nativitas.
4. Domini Jesu Christi praesentatio in templo.
5. Domini Jesu Christi duodennis inventio in medio doctorum.

PRO SECUNDA QUINQUAGENA SEU PARTE DOLOROSA.

1. Domini Jesu Christi sudor sanguineus in horto.
2. Domini Jesu Christi flagellatio.

3. Domini Jesu Christi spinea coronatio.

4. Domini Jesu Christi dolores deferentis crucem ad Calvariae montem.

5. Domini Jesu Christi in cruce suspensio et mors.

PRO TERTIA QUINQUAGENA SEU PARTE GLORIOSA.

1. Domini Jesu Christi a mortuis resurrectio.

2. Domini Jesu Christi in coelum ascensio.

3. Dominus Jesus Christus a Patre omnipotente mittens Spiritum sanctum in Apostolos.

4. Domini Jesu Christi Matris, B. Mariae Virginis assumptio in coelum.

5. Domini Jesu Christi Matris, B. Mariae Virginis in coelis coronatio.

Quam determinationem mysteriorum SS. Rosarii, jam ab antiquo Ecclesiae usu consecratam, nuperrime confirmavit S. Sedes approbatione Officii festivitatis (Decr. S. C. Rituum sub die 5 Aug. 1888), in quo praedicta quindecim mysteria singulis antiphonis strophisque hymnorum recoluntur (Vid. Acta... pro Societ. SS. Rosarii, pag. 54).

741. Diximus supra n. 736, 2°, Summum Pontificem Pium IX benigne indulsisse, ut fideles rosarium S. Dominici vel tertiam ejus partem in *communi* recitantes, lucrari possint indulgentias a Benedicto XIII concessas, licet manu non teneant rosarium benedictum, ac sufficere ut una tantum persona, quaecumque ea sit ex communitate, illud in manu teneat, eoque in recitatione de more utatur; addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, *ceteris curis semotis, se componant* pro oratione facienda una cum persona quae tenet coronam, ut rosarii indulgentias lucrari queant.

Jamvero non una est sententia de sensu illorum verborum « *ceteris curis semotis se componant* »: alii enim ita verba illa interpretantur, ut qui rosarium recitant, a quacumque etiam externa occupatione se abstinere teneantur; alii vero ita intelligunt, ut fideles se tantum ab iis occupationibus abstineant, quae actualem attentionem circa mysteria meditanda impediunt.

Hinc quaesitum est, quid sit in casu sentiendum?

S. Congregatio Indulgentiarum, re mature perpensa, respondendum censuit:

Fidelibus ab iis tantum occupationibus exterioribus esse abstinendum, quae *internam attentionem impediunt ad devotam rosarii recitationem* pro lucrandis indulgentiis praescriptam (1) (Decr. 13 Nov. 1893, apud Acta S. Sed. vol. XXVI, pag. 310).

742. *Nec pro lubitu nec pro commodo dividi potest rosarium B. M. Virginis,* sed pro acquirendis indulgentiis recitatio fieri debet *uno tractu* (nempe *sine morali interruptione*). Patet ex responsione ad hoc dubium: *An pro lubitu vel commodo dividi possit rosarium B. M. V., ita ut acquirantur tum indulgentiae generales adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra diei spatium, licet non uno tractu, sed diversis temporibus recitentur quinque denaria,* tum indulgentiae speciales Sodalitatis SS. Rosarii, dummodo intra hebdomadam quindecim denaria recitentur, licet in plures quam tres partes dividantur?

S. Congregatio respondit: *Negative;* exceptis confratribus, quod attinet ad indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri rosarii infra hebdomadam (Decr. 22 Jan. 1858. N. 385).

743. Quaesitum etiam fuit: Possuntne applicari indulgentiae coronis, seu *annulis* argenteis, vel aureis, *in quibus sculpti sunt globuli decem* ad recitandum rosarium vel tertiam ejus partem?

S. Congregatio resp. *Negative* pro indulgentiis rosarii recitationi concessis (Decr. 20 Junii 1836. N. 257 ad 5m).

744. Quamvis uni eidemque coronae, quae similem vel quasi similem formam habet, applicari possint indulgentiae diversae, tamen Religiosi Ordinis Praedicatorum numquam benedicunt coronas *sex decadum,* sed tantum quinque, decem vel quindecim decadum. Etiam in libello concessionis Rmi P. Magistri Generalis praedicti Ordinis expresse dicitur in apposita adnotatione: *Rosaria benedicenda debent omnino quinque, vel decem, vel quindecim decennariis* coalescere.

745. Coronae sive Rosaria S. Dominici adhibenda pro lucrandis indulgentiis *benedici debent juxta formulam Patribus Ordinis Praedicatorum propriam* (Decr. 29 Febr. 1864. N. 401). Hujus-

---

(1) Relata S. Congr. declaratio applicatur etiam, ut facile quisque intelligit, *ad crucifixos Viae Crucis,* ita ut fidelibus ab iis tantum occupationibus sit abstinendum, quae internam attentionem impediunt ad devotam recitationem viginti *Pater, Ave* et *Gloria* pro lucrandis indulgentiis praescriptam.

modi formula *ad validitatem adhibenda* invenitur inserta in Append. Ritualis Romani.

746. Non immoramur in exponendis laudibus, quas tum Sancti, tum Summi Pontifices devotioni sanctissimi Rosarii tribuerunt: longa enim res esset, et ad nostram tractationem minus pertinens. Meminisse sufficiat Litteras Encyclicas Leonis PP. XIII *Supremi Apostolatus*, 1 Sept. 1883; *Superiore anno*, 30 Augusti 1884; *Octobri mense*, 22 Sept. 1891; *Magnae Dei Matris amorem*, 8 Sept. 1892. In hujusmodi Apostolicis documentis Rosarium B. Virginis non solum summis laudibus extollitur, *quasi bellicum instrumentum ad hostes fidei debellandos praevalidum*, sed ejus frequens recitatio gravibus verbis commendatur Christifidelibus. Imo, quoadusque rerum Ecclesiae rerumque publicarum tristissima haec perdurent adjuncta, ac de restituta Pontifici Maximo plena libertate, Deo referre gratias Ecclesiae datum non sit, laudatus Pontifex Leo XIII decernit et mandat, ut quolibet anno *a die 1 Octobris ad secundam sequentis Novembris* in omnibus catholici Orbis parochialibus templis, et in cunctis publicis oratoriis Deiparae dicatis, aut in aliis etiam arbitrio Ordinarii eligendis, *quinque saltem Mariani Rosarii decades cum Litaniis Lauretanis quotidie recitentur*.

747. Omnibus autem Christifidelibus, qui statis diebus publicae rosarii recitationi interfuerint, et ad mentem Sanctitatis Suae oraverint, et his pariter qui legitima causa impediti privatim haec egerint, *septem annorum ac septem quadragenarum* apud Deum *indulgentiam* singulis vicibus concedit.

Eis autem qui supradicto tempore *decies* saltem vel publice in templis, vel, legitime impediti, privatim eadem peregerint, sacramentali Confessione expiatis et sacra Synaxi refectis, *plenariam admissorum indulgentiam* de Ecclesiae thesauro impertit.

Plenissimam hanc culparum veniam et poenarum remissionem his omnibus pariter largitur, qui vel *ipso die festo beatae Virginis a Rosario, vel quolibet ex octo insequentibus diebus*, Sacramenta, ut supra, perceperint, et in aliqua sacra aede juxta Suam mentem Deo ejusque sanctissimae Matri supplicaverint.

748. Qua de re et illis consulens fidelibus, qui ruri viventes agri cultione praecipue Octobri mense detinentur, Sanctitas Sua concedit ut singula superius disposita, cum sacris etiam indulgentiis, eorum in locis, *ad insequentes vel Novembris vel Decembris*

menses prudenti Ordinariorum arbitrio *differri valeant* (Vid. Decretum *Urbis et Orbis* S. R. C. de die 20 Aug. 1885, in quo reassumuntur praescriptiones et indulgentiarum concessiones in Litteris Encyclicis contentae, apud Acta Ord. Min. ann. IV. pag. 129).

749. Ergo rosarium B. Mariae Virginis, in quo apte utiliterque habentur conjuncta et eximia precationis formula et idoneum fidei conservandae instrumentum et insigne specimen perfectae virtutis, *dignum plane est quod veri nominis Christianis sit frequenter in manibus, piaque recitatione et meditatione colatur* (Leo XIII, Encycl. *Magnae Dei Matris amorem;* Acta Ord. Min. ann. XI, pag. 177).

§ IX.

CORONA SEPTEM DOLORUM B. MARIAE VIRGINIS.

750. Haec corona originem habet ab Ordinē Servorum B. Mariae Virginis, et instituta est ad recolendos septem Dolores ejusdem B. M. Virginis. Septem partibus constat, quarum quaelibet componitur uno *Pater* et septem *Ave Maria;* quibus in fine adduntur tria alia *Ave Maria* in obsequium lacrymarum, quas beatissima Virgo in suis doloribus sparsit, ad impetrandam veram peccatorum contritionem et ad consequendas indulgentias.

751. In *Raccolta,* pag. 197 et seqq. exhibetur *modus dictam coronam recitandi.* Praemisso contritionis actu, quaelibet ex septem partibus, quas corona comprehendit, praeviam habet meditationem unius doloris B. M. Virginis, eo quidem modo, quo in recitàtione rosarii Ordinis Praedicatorum recoluntur mysteria vitae D. N. Jesu Christi. Dolores beatae Virginis sunt:

I. Quando B. Virgo Mater Dei, praesentato unigenito Filio suo Jesu in templo in sancti senis Simeonis ulnis, audivit ab eo: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius;* quibus verbis significabatur passio ac mors Filii sui Jesu.

II. Quando B. Virgo, ad vitandam crudelis Herodis persecutionem, qui impie dilectum Filium suum interficere volebat, in Aegyptum fugit.

III. Quando in Hierusalem tempore Paschatis, dum rediret in domum suam, amisit dilectum Filium suum, quem per tres dies anxie quaesivit.

IV. Quando B. Virgo vidit dilectissimum Filium suum Jesum, ponderosam crucem super humeros deferentem, ad montem Calvariae euntem, ut ibi pro nostra salute crucifigeretur.

V. Quando vidit Filium suum Jesum supra duram crucem elevatum, ex qualibet sui sacratissimi corporis parte sanguinem effundere et post tres agoniae horas emittere spiritum.

VI. Quando dilectum Filium suum Jesum, lancea in pectore transfixum et de cruce depositum, in purissimum sinum suum recepit.

VII. Septimus et ultimus dolor B. Mariae Virginis Dominae et specialis Advocatae servorum suorum ac infelicium peccatorum, fuit, quando sanctissimum corpus Filii sui Jesu sepultum vidit.

752. Indulgentiae. Summi Pontifices Benedictus XIII, Brevi *Redemptoris Domini,* de dato 26 Septembris 1724; Clemens XII, Brevi *Unigeniti Filii Dei,* 12 Decembris 1734; et Pius IX, Rescripto S. Congregationis Indulgentiarum, 18 Julii 1877, concesserunt vel confirmarunt indulgentias, quas hic ex *Rescript. auth.* pag. 650 et seqq. et ex *Raccolta,* pag. 201 et seqq. transcribimus; et sunt sequentes:

1° *Indulgentia ducentorum dierum* pro qualibet Oratione Dominica, et totidem pro qualibet Salutatione Angelica omnibus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, aut saltem cum vero proposito Confessionis peragendae, recitabunt hujusmodi coronam in ecclesiis Ordinis Servorum Mariae (Benedictus XIII, Brev. *Redemptoris Domini,* 26 Sept. 1724.).

2° Item *Indulgentia ducentorum dierum* illis, qui hujusmodi devotionem exequentur in quocumque loco, in omnibus feriis sextis, in Quadragesima, ac in festivitate et tota octava Septem Dolorum B. M. V. (Idem Pontifex, loc. cit.).

3° *Indulgentia centum dierum* in reliquis totius anni diebus.

4° *Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum,* quando recitabitur integra corona, aut per se, aut cum socio (Ibid.).

5° *Indulgentia centum annorum* Christifidelibus, qui receperint immediate ab aliquo Religioso Ordinis Servorum Mariae dictam coronam, quoties vere poenitentes et confessi, aut firmum propositum confitendi habentes, illam devote recitaverint (Clemens XII, Breve *Unigeniti Filii Dei,* 12 Decemb. 1734).

6° *Indulgentia centum quinquaginta annorum* illam devote recitantibus in feriis secunda, quarta et sexta, ac in diebus festivis

de praecepto, dummodo vere poenitentes et confessi, coronam, ut supra, receperint, eamque secum deferant (Idem Pontifex, loc. cit.).

7° *Indulgentia ducentorum annorum* omnibus Christifidelibus, qui suae conscientiae examine rite peracto, vere poenitentes et confessi devote recitabunt eamdem coronam, et preces effundent pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, pro haeresum extirpatione, et pro augmento catholicae religionis (Loc. cit.).

8° *Indulgentia decem annorum* illis, qui retinentes apud se aliquam ex dictis coronis, eamque frequenter recitantes, vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti assistent Missae sacrificio, aut cum debita attentione sacris Concionibus interfuerint, aut comitati fuerint SS. Sacramentum, quando ad infirmos defertur, aut inimicos reconciliaverint, aut peccatores ad poenitentiam reduxerint, aut devote recitaverint septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam, aut aliquod misericordiae opus sive spirituale sive temporale egerint in honorem D. N. Jesu Christi, aut B. Mariae Virginis, aut alicujus Sancti eorum Patroni (Loc. cit.).

9° *Indulgentia plenaria* semel in anno omnibus, qui piam consuetudinem habentes recitandi eamdem coronam quater in unaquaque hebdomada, ea die ad arbitrium eligenda, qua vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti eam devote recitaverint (Loc. cit.).

10° *Indulgentia plenaria* semel in mense illis, qui eam recitaverint quolibet die per integrum mensem, dummodo vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti, preces effundant pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, pro pace et concordia inter principes christianos, et pro haeresum extirpatione (Idem Clemens, loc. cit.).

753. Ad lucrandas indulgentias coronae septem Dolorum adnexas, praeter recitationem praescriptorum *Pater* et *Ave,* de quibus diximus, requiritur ulterius *enuntiatio et consideratio principalium Dolorum,* quos beatissima Virgo passa est in vita et in morte divini Filii sui.

Verum, quia inter fideles multi inveniuntur non solum idiotae, sed etiam instructi, qui nesciunt meditari, Summus Pontifex Leo PP. XIII, Rescripto S. Congregationis Indulgentiarum de dato 15 Maji 1886, benigne indulsit, ut indulgentiae, de quibus nn. 1, 2,

3, 4, 5, 8 et 10, acquiri possint etiam ab iis fidelibus, qui *quacumque ratione* in recitatione coronae septem Dolorum non sese applicant neque lectioni, neque meditationi eorumdem Dolorum, dummodo ceteras praescriptas conditiones adimpleant (*Raccolta,* pag. 203).

Demum oportet, ut *coronae benedicantur a Superioribus Ordinis Servorum Mariae,* aut ab aliis ejusdem Ordinis deputatis ab ipsis Superioribus. Coronae vero hujusmodi non poterunt amplius neque venumdari, neque commodari ad indulgentias aliis communicandas, alioquin statim indulgentiae cessabunt, juxta dispositionem citati Brevis Benedicti XIII (*Raccolta,* loc. cit.; Rescr. auth. pag. 652).

754. Summus Pontifex Leo XIII die 19 Januarii 1884 *sanavit,* quatenus opus fuerit, facultates benedicendi coronas concessas a Rmo Priore Generali quoad praeteritum, eidemque benigne indulsit, ut in posterum valeat *Sacerdotibus quibuscumque* etiam saecularibus demandare benedictionem coronae septem Dolorum B. Mariae Virginis ad effectum consequendi supradictas indulgentias (Rescr. auth. loc. cit.).

755. Qui facultatem obtinuit, sive a Superiore Generali Ordinis Servitarum sive a S. Sede, praefatas coronas benedicendi, eisque applicandi indulgentias, adhibere debet ad valorem *specialem benedictionis formulam* (Decr. 29 Febr. 1864. N. 401). Quae formula reperitur tum in Append. Rit. Rom., tum in libello, qui a laudato Superiore Generali exhiberi solet Sacerdotibus, quibus conceditur facultas dictas coronas benedicendi.

§ X.

CORONA S. BIRGITTAE.

756. Brigidas sive, ut ajunt, Birgittas duas veneratur Ecclesia Dei, quae interdum, licet perperam, confunduntur; altera, quae *in Hibernia,* S. Patricio auspice ac duce, Canonissarum Regularium institutum et secuta est et mirifice propagavit; altera *Svedensis,* de qua agimus, cujus praeclara sunt religionis exempla et incitamenta, *Revelationes* nempe illae, quas Ecclesia magno semper in honore habuit; *Ordo SSmi Salvatoris,* quem in Vastanensi mo-

nasterio instituit sub regula S. Augustini tam pro viris quam pro mulieribus, ita ut eidem ecclesiae distinctis horis ac locis Deo Salvatori inservirent Fratres et Sanctimoniales; et inter cetera, institutio *Coronae* in memoriam annorum 63 (1), quos in terris B. Virgo Dei Genitrix transegisse fertur (Rescr. auth. pag. 352 et 353 in nota; *Raccolta,* pag. 190).

757. Corona haec igitur *sex decadibus* constat (vulgo *sei poste*), et in qualibet decade recitatur *unum Pater nóster, decem Ave Maria,* et *unum Credo,* et post sex decades additur aliud *Pater noster* ad complendum numerum 7 in memoriam septem Dolorum et Gaudiorum B. Virginis cum tribus *Ave Maria* ad explendum numerum 63 annorum (Ibid.).

758. Virtutem, quam Deus huic coronae contulit, fideles vel ab ipsa institutione experti sunt, et celebre factum est quod enarrat Surius (die 23 Julii) de aegrota quadam, cujus salus omnino conclamata erat, quam sancta Birgitta admovens coronam suam illico integrae valetudini Romae restituit.

Hinc cum in dies excrescerent coronae ipsius usus et cultus, peculiaribus eam indulgentiis donarunt Romani Pontifices, Leo X praesertim, Clemens XI, et Benedictus XIV, ut ex elencho, quem afferemus, apparebit, ea autem lege, ut benedicenda esset nonnisi a Patribus Ordinis SS. Salvatoris, quos Sancta ipsa instituerat.

Porro, cum in finem elapsi saeculi Ordo S. Birgittae plane senesceret usque ad extinctionem, facultas benedicendi coronas cum applicatione indulgentiarum S. Birgittae *transiit sensim in Ordinem Canonicorum Regularium SS. Salvatoris Lateranensium,* ea fortasse de causa, quod hic Ordo cum Ordine S. Birgittae societatem nominis, regulae et institutorum aliquam habeat (Rescr. auth. loc. cit.).

759. Cum vero authentica hujusce facultatis monumenta minime reperirentur, Abbas Generalis Canonicorum Regularium SS. Salvatoris Lateranensium, qui Romae residet apud S. Petrum in Vinculis, ut omnis incertitudo ac dubitatio submoverentur, rerum omnium serie exposita, a Summo Pontifice Pio IX humiliter petiit, ut de Apostolica benignitate consulere dignaretur. Annuit votis Pontifex, et per Litteras in forma Brevis, *Exponendum Nobis nuper,*

---

(1) Traditio in Ordine Seraphico est quod B. Virgo 72 annos in terra vixerit (Vide supra n. 741).

die 5 Aprilis 1864, et, ut ibidem legitur, *ad memorati Ordinis, qui viris bene de re catholica meritis semper eluxit, decus augendum animarumque salutem procurandam,* haec confirmavit, et, quatenus opus sit, de novo tribuit atque concessit:

1° Ut Superior Generalis et Superiores locales Ordinis facultate gaudeant benedicendi coronas precatorias ad quemcumque numerum cum applicatione indulgentiarum S. Birgittae nuncupatarum.

2° Ut eamdem facultatem impertiri valeant Sacerdotibus sui Ordinis.

3° Ut Abbas Generalis *pro tempore* subdelegare in perpetuum possit Sacerdotes saeculares et regulares cujuscumque Ordinis atque Instituti ad benedicendas coronas, ut supra, usque ad numerum 300, extra Urbem, de consensu Ordinariorum (Loc. cit.).

760. Ut beneficium indulgentiarum coronae S. Birgittae concessarum etiam latius propagaretur, et majori fidelium commodo provideretur, Apostolica Sedes easdem indulgentias concessit deinde coronis communibus B. M. Virginis, seu rosariis vel quinque vel quindecim decadum (Ibid.; cf. etiam Guerra, pag. 93).

Ast « coronae precatoriae *quinque* et non *sex decadum* nequeunt donari indulgentiis S. Birgittae dictis, *nisi habeantur peculiares facultates* » (Decr. 20 Junii 1836. N. 257 ad 6^{m}).

761. Indulgentias S. Birgittae *coronis quinque vel quindecim decadum* adnectere potest is, qui obtinuit Rescriptum sequentis vel similis tenoris: *Sanctissimus etc. Oratori est elargitus facultatem benedicendi cruces, crucifixos, sacra numismata, et coronas precatorias, eisdemque applicandi omnes et singulas indulgentias a Sanctitate Sua concessas, ut in elencho typographiae Rev. Cam. Apost. edito anno..., ac etiam indulgentias S. Birgittae nuncupatas* (Decr. 22 Martii 1839. N. 271).

762. Quando *coronis* B. M. V. de licentia S. Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum indulgentiis divae Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes *non tenentur meditari quindecim mysteria D. N. J. C.,* ut indulgentias percipere valeant (Decr. 1 Julii 1839. N. 273 ad 1^{m}).

Tenentur autem in fine cujusque decadis addere *Credo.* Hoc patet ex responsione, quam S. Congregatio Indulgentiarum dedit Episcopo Labacensi, sequens dubium proponenti (Beringer, tom. I, pag. 362):

Beatissime Pater. Jacobus Episcopus Labacensis ad Sanctitatis Tuae pedes provolutus sequens dubium humiliter proponit:

Ex libro, cui titulus « *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze* » Romae ultimo edito anno 1877 constat (pag. 150), indulgentias illis concessas, qui coronam S. Birgittae nuncupatam (quae sex decadibus constat) recitant, lucrari etiam posse, si quinque tantum decades dicantur. Praeterea ex Collectione « *Decreta authentica S. Congregationis Indulgentiarum* (praesertim nn. 257 ad 6, — 264 ad 3, — et 268 ad 2) et ex usu S. Sedis notum est, vi specialium facultatum ab eadem Apostolica Sede tributarum, illas S. Birgittae indulgentias adnecti posse simplicibus etiam coronis seu rosariis quinque vel quindecim decadum.

Jam vero, collatis inter se locis supramemoratis, dubium exurgit et ita proponitur:

Utrum 1° ad lucrandas S. Birgittae Indulgentias cum simplici quinque decadum rosario (speciatim ut supra benedicto) necesse etiam sit in fine cujusque decadis addere *Credo,* et post quinque decades praeterea adjicere unum *Pater* et tria *Ave Maria?*

An vero 2° sufficiat simpliciter dicere quinque decades, in unaquaque scilicet unum *Pater* et decem *Ave Maria,* etiam sine meditatione mysteriorum vitae D. N. J. C. et B. V. Mariae (quae meditatio in Decret. n. 273 ad 1 jam declaratur non esse necessaria)?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit juxta declarationem editam a SSmo D. N. Leone Papa XIII, in Audientia habita die 15 Maji 1886 ab infrascripto Secretario ejusdem S. Congregationis:

Ad primam propositi dubii partem *Affirmative, quod attinet ad recitationem Symboli Apostolici; Negative, quod attinet ad recitationem Orationis Dominicae et trium Angelicarum Salutationum.*

Ad secundam partem, provisum in responsione ad primam.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 20 Maji 1886.

J. B. Card. FRANZELIN, *Praefectus.*

F. DELLA VOLPE, *Secretarius.*

763. Tria ergo continentur decisa in allato Decreto, videlicet: *a)* pro acquirendis indulgentiis S. Birgittae *cum simplici quinque decadum rosario* ad id benedicto, necesse est in fine cujusque decadis addere *Credo; b)* minime autem requiritur post quinque decades adjicere unum *Pater* et tria *Ave Maria; c)* nec item requiritur meditatio mysteriorum prout nec requiritur in vera corona ejusdem S. Birgittae.

764. Summarium indulgentiarum coronae S. Birgittae (1) a Summis Pontificibus concessarum habetur tum in volumine *Rescripta authentica* pag. 352 et sqq., tum in *Raccolta,* pag. 190 etc. Nos illud transcribimus prout in hac ultima, anno 1886 edita, exponitur, tum quia magis clare et distincte indulgentias connotat, et incertitudines ac dubia, quae super his adhuc oriri poterant, dissipat; tum quia *Raccolta* est maximae auctoritatis. Summus enim Pontifex Leo Pp. XIII *hanc Collectionem Apostolica Sua Auctoritate approbavit, quae ut genuina et authentica Indulgentiarum hactenus concessarum Sylloge ab omnibus habenda sit. Hinc etiam ad decidenda dubia, quae forte de sensu concessionis aut de conditionibus lucrandarum indulgentiarum oriantur, eamdem hanc Syllogen* NORMAE INSTAR ESSE DEBERE SANCTITAS SUA MANDAVIT (Ita Decretum de die 24 Maji 1886 novae editioni praedictae *Collectionis* [Raccolta] praefixum).

A) INDULGENTIAE concessae iis fidelibus, qui recitant *veram* coronam S. Birgittae, *sex decadibus* coalescentem:

1. *Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum* iis omnibus, qui sive soli sive cum aliis dictam coronam devote recitaverint; et insuper

2. *Indulgentia centum dierum* pro quolibet *Pater noster,* pro qualibet *Ave Maria,* et pro quolibet *Credo* (Leo X, Bulla 10 Julii 1515).

---

(1) Pius PP. VII, die 10 Decembris 1806, Custodibus almae Domus Lauretanae concessit facultatem benedicendi crucifixos et numismata peregrinorum et exterorum *pro articulo mortis,* nec non applicandi coronis indulgentias S. Birgittae, per tactum objectorum cum sacra scutella B. M. Virginis. Vid. Relazione storica... della S. Casa di Loreto, Tipogr. Brancondi 1890. Textus italicus est sequens: Pio VII concesse ai Custodi della S. Casa di Loreto in data 10 Dicembre 1806 di benedire ai pellegrini e forastieri i crocifissi e le medaglie *in articulo mortis* e di applicare nelle corone *le indulgenze di S. Brigida* toccandole nella sacra Scodella.

3. *Indulgentia plenaria* IN ARTICULO MORTIS iis fidelibus, qui cum consueverint semel saltem in hebdomada recitare praedictam coronam, devote animam suam Deo commendabunt, praemissa peccatorum suorum confessione, sumptaque sanctissima Eucharistia, vel saltem corde contrito sanctissimum Jesu nomen invocabunt, si ore non potuerint (Benedictus XIV, Breve diei 15 Januarii 1743, qui insuper memoratas Leonis X indulgentias confirmavit).

4. *Indulgentia plenaria* illis omnibus, qui cum eamdem coronam per mensem continuum quotidie recitare consueverint, confessi ac sacra Communione refecti die intra ejusmodi mensem per unumquemque eligenda aliquam ecclesiam devote visitabunt, ibique pro concordia inter principes christianos, pro haeresum extirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione orabunt (Id. Pont. loc. cit.).

5. *Indulgentia quadraginta dierum* iis fidelibus, qui praefatam coronam *penes se deferentes,* ad signum campanae flexis genibus oraverint pro Christifidelibus in agone constitutis (Ibid.).

6. *Indulgentia viginti dierum* illis, qui *apud se dictam coronam habentes,* vere peccatorum suorum poenitentes conscientiam examinaverint, ac ter *Pater noster* et ter *Ave Maria* recitaverint (Ibid.).

7. *Indulgentia centum dierum* iis, qui dictam coronam *secum retinentes,* sacrosancto Missae sacrificio quocumque feriato vel festivo die, aut verbi Dei praedicationi devote interfuerint, aut SS. Viaticum, dum ad aliquem infirmum defertur, associaverint; aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint; vel in honorem D. N. Jesu Christi aut B. Mariae Virginis, vel S. Birgittae aliquod aliud pium opus peregerint, et ter *Pater noster* terque *Ave Maria* recitaverint (Ibid.).

B) INDULGENTIAE concessae iis fidelibus, qui sine interruptione recitant saltem *quinque decades* coronae S. Birgittae.

1. *Indulgentia plenaria* iis fidelibus concessa, qui quotidie per integrum annum recitaverint absque interruptione saltem *quinque decades (cinque poste)* coronae S. Birgittae, quarum quaelibet constat *uno Pater noster, decem Ave Maria* et *uno Credo,* dummodo die ad arbitrium eligenda vere poenitentes, confessi, ac S. Communione refecti, oraverint, ut supra, pro consuetis finibus (Clemens XI, Bulla *De salute gregis,* de die 22 Sept. 1714).

2. *Indulgentia plenaria* iis, qui semel in hebdomada coronam S. Birgittae *quinque saltem decadum* uno tractu recitare con-

sueverint, et in festo ejusdem S. Birgittae confessi et sacra Communione refecti propriam cujusque parochialem ecclesiam devote visitaverint, et inibi, ut supra, oraverint (Benedictus XIV, Brevi sup. cit.).

Quilibet omnes et singulas praefatas indulgentias aut sibi, aut per modum suffragii animabus fidelium defunctorum applicare poterit (Id. Pontifex loc. cit. penes Rescr. auth. pag. 355).

765. Ad lucrifaciendas praedictas indulgentias requiritur, ut *coronae materiales tam sex decadum, quam ordinariae* benedicantur a Superioribus Monasteriorum seu ab aliis Sacerdotibus Ordinis SS. Salvatoris sive S. Birgittae ad id deputatis, vel ab aliis Sacerdotibus debita facultate munitis. Et postquam benedictae fuerint, nec vendi, nec alteri cum intentione communicandi indulgentias commodari aut precario dari possunt, ut praescribitur in memorata Bulla Clementis XI, nec non in generalibus Decretis S. Congregationis Indulgentiarum (*Raccolta*, pag. 190 et sqq. — Rescr. auth. pag. 353 et sqq.).

766. Ex relato Indulgentiarum Summario et ex aliis documentis superius expositis clare constat, recitationem coronae S. Birgittae *duplici modo* perfici posse, scilicet: 1° modo *proprio* et *longiori* juxta institutionem ipsius S. Birgittae, recitando nempe *sex decades,* quarum quaelibet comprehendit, ut supra diximus, *unum Pater, decem Ave Maria* et *unum Credo*, adjectis in fine alio *Pater noster* et tribus aliis *Ave Maria ;* — 2° modo *breviori* ex speciali indulto Summi Pontificis, recitando scilicet quinque decades, quarum quaelibet constat *uno Pater, decem Ave Maria* et *uno Credo.*

767. At vero *indulgentiae* concessae recitationi unius vel alterius coronae *non sunt eaedem.* Nam per recitationem *verae coronae* S. Birgittae acquiri possunt omnes indulgentiae tum sub littera *A),* tum sub littera *B)* in Summario enuntiatae. Per recitationem vero *coronae brevioris,* nempe quinque decadum, acquiri possunt dumtaxat indulgentiae sub littera *B)* adnotatae. Quod asserimus, facile colligitur ex laudata *Raccolta.* Haec enim, post exhibitam *verae coronae* S. Birgittae notionem ex sex decadibus, declarat, indulgentias, quas deinde enuntiat, quasque nos sub littera *A)* collocavimus, acquiri a fidelibus DICTAM coronam recitantibus. Dum autem loquitur de indulgentiis quas nos sub littera *B* posuimus, affirmat, illas concessas fuisse fidelibus, qui *quinque*

SALTEM *decades* recitant. Dum dicit *saltem,* satis clare indicat, ut nobis videtur, easdem indulgentias acquiri etiam posse ab iis, qui sex, vel decem, vel quindecim decades recitant *non vero exclusive* a recitantibus quinque decades, ut opinari videtur quidam auctor modernus, utique clarissimus, eo vel magis quod in recitatione sex, vel decem aut quindecim decadum, jam continetur recitatio quinque decadum.

Unde consequitur, documenta quae hac de re non omnimoda claritate fulgent, vel aliter affirmare videntur, quasi scilicet eaedem indulgentiae acquiri aeque possint, tam per recitationem *verae* coronae S. Birgittae ex sex decadibus, quam per recitationem coronae *brevioris* ex quinque decadibus, ad normam novae *Collectionis,* id est *Raccolta,* esse explicanda.

Ut attendenti patet, indulgentiae in supra descripto Summario sub nn. 5, 6, 7 in *A)* relatae, acquiruntur *absque recitatione coronae,* dummodo Christifideles hanc secum deferant et praescripta opera adimpleant.

768. Ad lucrandas indulgentias recitationi rosarii S. Dominici adnexas, inter cetera requiritur recitatio *continuata,* seu moraliter non interrupta *quinque saltem decadum.* Nonnulli dubitant (inter quos quidam consultor (vid. n. 732) S. Congr. Indulg. apud Acta S. Sed. vol. XVI, pag. 413), an idem requiratur in recitatione *verae coronae S. Birgittae,* sive *rosarii communis indulgentiis S. Birgittae ditati.* Quaestio versatur praesertim circa lucrum indulgentiae *centum dierum* pro quolibet *Pater,* pro qualibet *Ave Maria,* et pro quolibet *Credo,* num scilicet ad consequendas hujusmodi indulgentias necesse sit recitare, vel saltem habere intentionem recitandi *integram coronam* S. Birgittae. *Raccolta,* dum de indulgentiis agit, quae concessae sunt fidelibus *quinque saltem decades* recitantibus, docet, tales indulgentias fuisse largitas iis, qui *sine interruptione* seu *continuate* eas recitant: « Indulgenza plenaria a coloro che reciteranno *di seguito* almeno *cinque poste* della corona di S. Brigida » etc. Dum vero agit de indulgentiis concessis fidelibus, *veram et propriam coronam divae Birgittae* recitantibus, praedicta clausula *sine interruptione (di seguito)* minime utitur. Id autem favere videretur opinioni illorum, qui putant pro consecutione indulgentiae centum dierum pro quolibet *Pater,* pro qualibet *Ave Maria* etc. in *vera* corona S. Birgittae, non esse necessarium integram coronam recitare.

Verum, sententia contraria quae tenet, etiam in corona S. Birgittae ad lucrandam indulgentiam *centum dierum* pro quolibet *Pater,* pro qualibet *Ave,* et pro quolibet *Credo,* requiri *intentionem* integram coronam recitandi, est probabilior et conformior Decreto, quod hic subjicimus: An fideles, qui *non intendunt recitare coronam precatoriam,* recitant quasdam preces manu tenentes coronam sive Domini, sive beatae Virginis, et grana volvunt, lucrantur pro unoquoque *Pater,* vel *Ave,* vel *Credo,* vel alia oratione easdem indulgentias, quas ipsi lucrarentur pro iisdem precibus, si recitarent coronam precatoriam?

S. Indulgentiarum Congregatio resp.: *Negative* (Decr. 29 Maji 1841. N. 291 ad 8[m]).

769. Ex jam expositis quisque intelligit, ad acquirendas indulgentias S. Birgittae opus esse uti corona in hunc effectum *specialiter benedicta,* quae, *materialiter* inspecta, nil refert an sex, vel quinque, vel quindecim decadibus constet. Quod enim attinet ad coronam *materialem,* sive haec sex, sive quinque, vel quindecim decades contineat, dummodo rite sit benedicta cum applicatione indulgentiarum S. Birgittae, aeque acquiri cum ea possunt tam primae indulgentiae sub littera *A),* quam secundae sub littera *B).* Harum siquidem indulgentiarum differentia haud pendet a differentia coronae *materialis,* sed *a diversa ratione eam recitandi* (Cf. Beringer, tom. I, pag. 364).

770. Pro obtinenda facultate benedicendi coronas cum applicatione indulgentiarum S. Birgittae, vel ad S. Sedem recurrendum est per organum ex. gr. S. Congregationis Indulgentiarum, vel ad Abbatem Generalem Canonicorum Regularium Lateranensium, cujus residentia est apud S. Petrum in Vinculis de Urbe.

Hodie S. Sedes solet, una simul cum potestate benedicendi pia objecta cum applicatione *indulgentiarum Apostolicarum,* concedere etiam facultatem applicandi coronis indulgentias S. Birgittae. De hac re vide formulam, quam sub n. 631 transcripsimus.

771. Qui hanc facultatem obtinuit sive a S. Sede, sive a praedicto Abbate Generali, potest indifferenter indulgentias S. Birgittae applicare coronis sive *quinque, sive sex, sive decem aut quindecim decadum.* Nam indultum quod a S. Sede conceditur, facultatem tribuit benedicendi *generatim coronas et rosaria:* pagella vero Abbatis Generalis expresse continet potestatem benedicendi *coronas tercentum vel quinque vel quindecim decadum, itemque*

coronas sex decadum a S. Birgitta institutas, easque omnes cum applicatione indulgentiarum omnium S. Birgittae nuncupatarum.

772. Ad applicandas indulgentias coronae S. Birgittae *sufficit signum crucis,* et hoc sive facultas obtenta fuerit ab Apostolica Sede, sive a praefato Abbate Generali Canonicorum Regularium Lateranensium. Licet enim in novissimo Rituali Romano approbata adsit specialis formula pro benedicenda saepedicta corona, usus tamen ejus minime requiritur ad valorem (Cf. Melata, Manuale de Indulgentiis, pag. 153).

773. Et hic meminisse juvat, quod jam alibi, praesertim sub n. 636 et sqq. dictum est, unam eamdemque coronam et ideo etiam coronam S. Birgittae recipere posse indulgentias diversas, ex gr. indulgentias Apostolicas, coronae Crucigerorum, et rosarii S. Dominici, dummodo a Sacerdote vel Sacerdotibus legitima facultate munitis benedicatur cum applicatione respectivarum indulgentiarum. Ad has tamen acquirendas non sufficit una tantum recitatio, sed tot, quot sunt indulgentiae diversae, quae cujuslibet coronae sunt propriae.

774. Omnes coronae recitari utique possunt alternatim cum aliis, sed ad assequendas indulgentias oportet, ut *quilibet coronam manu teneat et in recitatione adhibeat.* Excipitur corona seu rosarium S. Dominici, pro quo concessum est (vid. n. 651) ut indulgentiae acquiri etiam possint, licet *una tantum persona* rosarium manu teneat, eoque in recitatione de more utatur.

775. Brevis conspectus rerum notabilium coronae S. Birgittae.

1. Haec corona sex decadibus constat, quarum quaelibet componitur uno *Pater,* decem *Ave Maria* et uno *Credo;* in fine additur aliud *Pater* cum tribus *Ave Maria.*

2. Etiam coronae *quinque decadum* ditari possunt indulgentiis, quae concessae sunt *verae* coronae S. Birgittae, dummodo habeantur peculiares facultates. In ejusdem recitatione praescribitur *Credo* in fine cujusque decadis, non autem *Pater* cum tribus *Ave Maria* post quinque decades, nec meditatio mysteriorum vitae D. N. J. C.

3. Non eaedem ac numero pares concessae sunt indulgentiae *verae* coronae S. Birgittae et coronae *quinque* decadum. Priorem coronam recitantes acquirere possunt omnes indulgentias in Summario descriptas; alteram recitantes lucrari possunt binas plenarias tantummodo, quae in fine dicti Summarii notantur.

4. Potestas benedicendi hujusmodi coronas tam sex decadum, quam ordinarias, est penes Ordinem Canonicorum Regularium Lateranensium.

5. Etiam in corona S. Birgittae ad lucrandas indulgentias centum dierum pro unoquoque *Pater*, vel *Ave* vel *Credo* requiritur intentio recitandi integram coronam, quamvis non desit qui aliter sentiat, eam quoad *modum* acquirendi hanc peculiarem indulgentiam aequiparans coronae Crucigerorum.

6. Corona Birgittina *materialiter* inspecta constare potest vel sex, vel quinque, vel quindecim decadibus. Supradicta enim indulgentiarum differentia non pendet a differentia coronae *materialis*, sed a modo diverso eam recitandi.

7. Ad applicandas praedictae coronae indulgentias *sufficit signum crucis.*

§ XI.

PARVA CORONA IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. M. V.

776. Corona haec a P. Bonaventura a Ferraria Ordinis Capuccinorum circa annum 1845 promulgata, quindecim constat granis in tres partes divisis: tria grana aliquantulum a ceteris separata designant *Pater noster*, alia duodecim grana *Ave Maria.* Coronae hujusmodi adnecti solet numisma Immaculatae Conceptionis. — Modus praedictam coronam recitandi docetur a *Raccolta*, ut sequitur:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Prima pars. *Benedicta sit sancta et Immaculata Conceptio beatissimae Virginis Mariae.*

Postea recitatur unum *Pater noster*, quatuor *Ave Maria* et unum *Gloria Patri.*

Secunda pars. *Benedicta sit sancta* etc. Unum *Pater* etc. omnia ut supra.

Tertia pars. *Benedicta sit sancta* etc. omnia ut supra.

777. Indulgentiae. Summus Pontifex Pius IX, Brevi 22 Junii 1855, omnibus Christifidelibus, qui *quotidie per mensem* dictam coronam corde saltem contrito et devote recitaverint, concessit

Indulgentiam plenariam ea die lucrandam, in qua confessi sacram Communionem sumpserint.

Indulgentiam trecentorum dierum toties quoties corde saltem contrito et devote recitabitur (*Raccolta*, pag. 300).

778. Ad lucrandas descriptas indulgentias minime requiritur ut quis corona *materiali* utatur in hunc effectum benedicta. *Raccolta* enim, quae *norma esse debet ad decidenda dubia, quae forte oriuntur de conditionibus lucrandarum indulgentiarum*, prorsus silet de corona *materiali benedicenda*. Tales ergo indulgentiae non sunt *reales*, nempe adnexae coronae materiali, sed sunt *personales*, adnexae scilicet *simplici recitationi precum praescriptarum*.

§ XII.

CORONA B. JOANNAE VALESIAE (1).

779. Joanna de Valois, filia Ludovici XI regis Francorum, nata est die 23 Aprilis 1464, et omnigenis virtutibus ac meritis plena obdormivit in Domino die 4 Februarii 1504. Ob singularem devotionem ardentissimumque amorem, quo erga beatam Virginem Mariam flagrabat, Ordinem Monialium instituit, qui *de Beata Maria Virgine*, vel *de Annuntiatione*, sive etiam Ordo *Decem Virtutum* seu *Decem Beneplacitorum* ipsius B. M. Virginis nuncupatur.

Pro novi Instituti fundatione Deus dedit huic piissimae famulae suae coadjutorem fidelem vereque prudentem, *P. Gabrielem Mariam*, Sacerdotem Ordinis Minorum de Observantia, in Provincia Alverniae, loco Riom, nobilibus parentibus ortum anno 1463. Antea vocabatur *Gilbertus Nicolas*, sed cum Romam se contulisset, atque Leoni PP. X se praesentasset, Summus Pontifex doctrinae et sanctitatis tanti viri probe conscius, primaevum nomen in *Gabrielem Mariam*, adstantibus aliquot Cardinalibus, commutavit. Hic pius servus Dei, qui in Gallia etiam hodie titulo *Beati* passim insignitur, fuit Pater, Generalis et Visitator praedicti Ordinis Annuntiationis: ipse regulam composuit juxta modum a B. Virgine indicatum, ejusque approbationem ab Alexandro VI anno 1501 et

(1) Cf. Chalippe, Vita di S. Francesco, pag. 174-175; Règle des Religieuses de l'Ordre de l'Annonciade, edit. Agen 1867; Hébrard, Sainte Jeanne de Valois etc. Paris 1878, sed praecipue Wadding. tom. XV, pag. 240; tom. XVI, pag. 61 etc. ad ann. 1501-1517.

confirmationem a Leone X anno 1517 obtinuit. Ipse tandem eumdem Ordinem triginta annorum spatio singulari sollicitudine et prudentia gubernavit.

Merito igitur dici potest, P. Gabrielem Mariam fuisse, una simul cum B. Joanna, Institutorem Ordinis Annuntiationis. De isto celebri et sanctae vitae Religioso, qui iterato fuit Vicarius Generalis familiae Ultramontanae, contra haereticam pravitatem Inquisitor, et Studii ac Conventus Parisiensis Commissarius, hoc elogium Moniales Annuntiationis quotannis, ipso migrationis die, legebant (Wadding. tom. XVI, pag. 334):

« *Obiit Rmus Pater, quondam Generalis Commissarius Cismontanae* (Ultramontanae relate ad Italiam etc.) *familiae, mirandis virtutibus ornatus, frater Gabriel Maria,* qui pro suis ingenuis naturae dotibus et meritis, semper apud Heroes Imperii et regii sanguinis fuit apprime existimatus, praesertim ob summam ad Dei Genitricem devotionem. Hic fuit sacratissimi Ordinis *decem beneplacitorum Virginis Mariae Legislator primus, corrector sincerus, amator et protector praecipuus,* qui post celebria in Ordine acta ad Dei laudem, Ecclesiae et Ordinis aedificationem, post Conventuum in partibus diversis constructionem et Ordinis propagationem, ipse plenus bonis diebus, vocante Domino, Ruthenae in pace quievit anno Domini 1532, die 27 Augusti » (Cf. Annal. Wadd. qui tom. XV et XVI pluribus in locis de B. Joanna et P. Gabriele loquitur).

780. Ex dictis patet, Ordinem Annuntiationis esse institutionem Franciscanam. Unde ipsa B. Joanna expresse voluit, ut idem Ordo a Patribus Ordinis S. Francisci de Observantia regeretur et gubernaretur: *Praelati et Fratres Ordinis Minorum,* ita habetur in Regula cap. V, *per Sedem Apostolicam habent regere Sorores hujus Religionis* ». Et ita factum esse, liquido constat ex historia Ordinis Minorum.

Notandum tamen est Ordinem Monialium de Annuntiata, nec Regulam S. Clarae, nec illam Tertii Ordinis sequi, sed *unam specialem* profiteri.

781. Regula praefati Instituti tota innititur *decem Virtutibus* beatae Mariae Virginis, de quibus explicite vel implicite fit mentio in sacro Evangelio, quas virtutes inferius citandas, Sorores dicti Ordinis debent pro viribus imitari.

Praeter *Ordinem Virginum* specialiter ad honorandam Matrem Dei institutum, B. Joanna Valesia etiam *secundum* et *tertium*

Ordinem fundavit. Hic Tertius Ordo vocatur *Ordo Pacis* (Cf. Hébrard cap. VIII, p. 291 et sqq.).

782. His praemissis, notio coronae B. Joannae de Valois facilior redditur.

Haec Corona componitur *undecim granis albis, sex granis rubris, et tredecim granis nigris,* ita tamen ut quaelibet ex his tribus partibus, quibus Corona constat, habeat unum granum ceteris crassius, super quo recitatur unum *Pater* pro Summo Pontifice et pace S. Matris Ecclesiae. Quare

1° Praemissa recitatione unius *Pater noster* super globulo seu grano albo grandiori, prout fit in rosariis communibus, recitantur deinde decem *Ave Maria* super decem parvis granis pariter albis *in honorem decem Virtutum B. Mariae Virginis,* quae sunt: *puritas* seu *virginitas, prudentia, patientia, humilitas, fides, devotio* seu *virtus orationis, obedientia, paupertas, charitas, dolor* seu *compassio.* Haec corona per se solam, dicitur corona *decem Virtutum,* quae tamen conjungitur cum duabus quae sequuntur.

2° Recitato, ut supra, *Pater noster* pro Summo Pontifice et pro pace S. Ecclesiae super crassiori grano *rubro,* in ceteris globulis dicuntur quinque *Pater* et quinque *Ave Maria* in honorem quinque Plagarum Domini nostri Jesu Christi et quinque principalium Dolorum B. Mariae Virginis.

3° Recitato pariter *Pater noster,* ut supra, in globulo grandiori nigro, super ceteris duodecim granis nigris dicuntur duodecim *Ave Maria* in honorem duodecim praecipuorum SS. Sacramenti Altaris fructuum, qui sunt: *charitas, gaudium spirituale, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, dulcedo, fides, modestia, continentia, castitas.*

Descripta corona sive coronae, nuncupatur *triplex corona* seu *triplicatum rosarium* B. Joannae de Valois, certe fidelibus parum nota, de qua, utpote ab Ecclesia approbata et indulgentiis ditata, non erat in hoc opere nostro silendum.

783. Quoad praefatae coronae recitationem sciendum est, beatae Joannae mentem fuisse, ut Christifideles ad Virginis famulatum magis allicerentur, et tres peculiares ejusdem B. Mariae Virginis devotiones honorarent, nempe:

a) Ut fideles intelligere possint verba divini Filii sui.

b) Ut quinque ejusdem Filii sui plagas saepe mente recogitent et meditentur.

c) Ut sanctissimum Eucharistiae Sacramentum speciali modo venerentur.

Hinc est, quod triplicatum rosarium vocari etiam soleat corona *trium devotionum B. M. Virginis.*

784. Anno 1877 Teschenii in Silesia prodiit libellus Germanico idiomate conscriptus, cui titulus latine redditus ita sonat: « *Ordo Pacis, sive ejusdem tres devotiones in honorem B. M. V.* ».

Jam vero S. Congregatio die 28 Aug. 1879 (Decr. auth. N. 448) in examen revocavit hujusmodi libellum, et illico deprehendit, in eo contineri indulgentias *jamdiu revocatas* a Benedicto XIV per Decretum diei 6 Martii 1756. Ex hoc Decreto, a S. C. Indulg. anno 1879 allegato, cuique apparebit, quot et quaenam sint Indulgentiae *triplici coronae* B. Joannae Valesiae adnexae. En Decretum:

SSmus D. N. Benedictus XIV omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui quotidie per integrum mensem Coronam B. Joannae Valesiae, TRIPLICATUM ROSARIUM nuncupatum, devote recitaverint, semel intra eumdem mensem, die nempe ab unoquoque ad sui libitum eligenda, in qua vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, *plenariam* omnium peccatorum suorum *indulgentiam* consequi valeant.

Iis vero, qui in singulis feriis sextis Quadragesimae singulisque septem B. M. V. festivitatibus, ut supra, dictam coronam recitaverint, *septem annorum totidemque quadragenarum,* ac tandem pro *qualibet* ejusdem coronae devota *recitatione,* indulgentiam *centum dierum* in perpetuum benigne concessit. *Revocatis omnibus et singulis aliis indulgentiis, quae pro ejusdem coronae recitatione asserebantur concessae.*

Declaravit insuper Sanctitas Sua, ut quis consequi possit praefatas indulgentias, requiri, ut corona sit de more benedicta a Superioribus Ordinis Annuntiationis B. M. V. sub regula S. Francisci a Sede Apostolica approbati, vel a quolibet Confessario ordinario Monialium ejusdem Ordinis, et propterea eisdem Superioribus Ordinis et Confessariis dictas Coronas benedicendi facultatem tribuit et impertitus est.

Deinde Summus Pontifex prohibet, ne hujusmodi coronae utpote benedictae vendantur, aut alteri commodentur etc.

Dat. Romae, die 6 Martii 1756 etc.

785. Cum igitur anno 1879 a S. Congregatione Indulgentiarum declaratum fuerit « *nullis aliis indulgentiis frui posse coronam B. Joannae Valesiae recitantes, nisi illis, quae habentur in supra relato Decreto* » consequitur nullam fidem esse adhibendam illis scriptoribus, qui de eadem corona agentes, asserunt illam vel partem ejus recitantes lucrari indulgentias mille annorum et mille dierum, vel decem mille annorum et decem mille dierum etc.

786. Anno 1858 Episcopus Aginnensis (Agen) per suum Vicarium Generalem, qui Superior erat Monasterii Annuntiationis loci Villaenovae ad Oldum *(de Villeneuve-sur-Lot)*, petiit a Summo Pontifice Pio PP. IX, ut inter alia declarare dignaretur:

1. Quod Religiosae Annuntiationis *de Villeneuve-sur-Lot* maneant in posterum jurisdictioni ordinariae Episcopi dioecesani penitus subjectae. Quod si contingat, dictas Religiosas erigere sive in dioecesi Aginnensi, sive alibi, alias Domus, hae pariter respectivis Episcopis subjiciantur.

2. Quod, hoc non obstante, dictae Religiosae gaudeant gratiis et privilegiis, quae a Summis Pontificibus fuerunt ipsis concessa, dummodo tamen ab Apostolica Sede non fuerint revocata.

3. Leo PP. X approbavit *triplicem coronam* B. Joannae de Valois. Hujusmodi corona componitur undecim granis albis, sex granis rubeis et tredecim granis nigris. Benedictus XIV, per decretum S. Congregationis Indulgentiarum diei 6 Martii 1746 (1756 ?) concessit indulgentias fidelibus praedictam coronam recitantibus, dummodo a Superioribus Ordinis Annuntiationis vel ab ordinariis et extraordinariis Confessariis Religiosarum fuerit benedicta.

Infrascriptus Sanctitati Vestrae supplicat ut declaret, praedictas indulgentias lucrari posse a fidelibus, quamvis coronae benedictae fuerint a Presbyteris saecularibus Superioribus aut Confessariis Annuntiationis.

Circa initium anni 1860 descriptis petitionibus responsum fuit, ut sequitur:

Ex Audientia SSmi... sub die 13 Januarii 1860, Sanctitas Sua, attenta relatione Episcopi Aginn., ea quae sequuntur declaravit, statuit atque decrevit:

1° Sorores ab Annuntiatione nuncupatae praefatae Domus loci Villanova ad Oldum in dicta dioecesi Aginn. existentis, quae in praesens vota simplicia tantum emittunt, subjaceant *dumtaxat ju-*

risdictioni ordinariae Episcopi in omnibus ad praescriptum Canonum. Quod vero spectat ad Domus in posterum erigendas et ad eas quae in aliis Dioecesibus existunt, recurrendum erit in casibus particularibus respectivis Episcopis.

2° Gaudeant gratiis spiritualibus et indulgentiis, quibus legitime fruebantur Sanctimoniales praefati Instituti, *quatenus gratiae et indulgentiae non fuerint revocatae.*

3° Confessarius ordinarius praefatae Domus, licet presbyter e Clero saeculari, poterit benedicere *Triplicem Coronam* juxta indultum Benedicti XIV diei 6 Martii 1746, typis Rev. Camerae Apostolicae editum, servata in reliquis omnibus illius forma et tenore. — Contrariis quibuscumque etc. — Romae.

G. Card. Della Genga, *Praef.*
A. Archiep. Philippen., *Secret.*
Concordat cum originali.
Joannes Episc. Aginnensis.

787. Vigore Indulti diei 24 Augusti 1860, cujus originale in Archivio Episcopi Aginnensis asservatur, Summus Pontifex Pius IX *concessit in perpetuum presbytero saeculari, qui erit Superior Monialium Annuntiationis loci Villanova* dioecesis Aginn., *facultatem benedicendi triplicem coronam* beatae Joannae cum applicatione indulgentiarum a Benedicto XIV indulto 6 Martii 1746 concessarum. Praedictus tamen Superior uti non poterit hujusmodi facultate, nisi accedat consensus Episcopi (Vid. *Règle* cit. in principio).

788. Collige ex dictis:

a) Quemadmodum Moniales omnes in Gallia et aliis regionibus non amplius hodie subjacent respectivis Ordinibus Regularibus, ita Moniales Annuntiationis non amplius hodie subduntur Ordini Minorum.

b) Cum Praelati Ordinis nostri cessaverint esse Superiores Ordinis Annuntiationis, nequeunt ipsi sine speciali facultate triplicem coronam benedicere. Vi enim Decreti supra relati Benedicti XIV, corona benedici debet *a Superioribus Ordinis Annuntiationis B. M. V.* vel a Confessario etc. Superiores autem hodie sunt Episcopi, a quibus Moniales dependent.

c) Indulgentiae a Benedicto XIV triplici coronae adnexae, sunt communes omnibus Christifidelibus eamdem coronam devote

recitantibus, dum ab initio indulgentiae tunc temporis eidem coronae adnexae, acquiri tantum poterant ab iis, qui ad Ordinem Annuntiationis pertinebant, et speciatim a Sodalibus Tertii Ordinis, seu *Ordinis Pacis,* pro quibus quotidiana recitatio triplicatae coronae constituebat sacrum *Officium* (Cf. Hébrard, pag. 301).

§ XIII.

NUMISMA IMMACULATAE VIRGINIS MARIAE CONCEPTIONIS, vulgo MEDAGLIA MIRACOLOSA (1).

789. *Notitia historica.* Anno Christi 1830, quod legitima testantur monumenta, Beatissima Dei Mater sanctimoniali cuidam foeminae, Catherinae Labouré nuncupatae, e familia Puellarum charitatis S. Vincentii a Paulo, sese videndam exhibuit; eamdemque jussit curare, ut Numisma in honorem Immaculatae Conceptionis suae cuderetur.

Cudendi autem ea lex erat ex visu, ut in adversa fronte Deiparae prostaret effigies, virgineo quidem pede serpentis proterens caput, manibus vero patulis subjectum terrae orbem radiis illustrans; inscripta circum circa ea prece: *O Maria concepta sine peccato, ores pro nobis, qui ad te confugimus.* Inesse autem in fronte aversa sacrosanctum Mariae nomen debebat, eminente supra crucis signo, binis inferius adjectis cordibus, altero obsito spinis, altero ense transfosso.

Jubenti Virgini paruit puella; remque divinitus acceptam eventus comprobavit. Vix enim novum Numisma in vulgus prodiit, illico a Christifidelibus, uti religio Matri sanctissimae pergrata, coli certatim ac gestari coeptum; in Gallia primum, mox, probantibus Episcopis, ubique terrarum. Cujus augescentis in dies reverentiae ac fiduciae id causae fuit, quod a Virgine respiciente plurima patrabantur mira seu corporis aerumnis levandis, seu animis e vitiorum coeno eruendis.

Tantae pientissimae Matris per sacrum Numisma potentiae ac liberalitatis ut memoria recoleretur, simulque christianorum gentium erga Immaculatam ejusdem Virginis Conceptionem religio

(1) Vid. documenta et Lectiones Officii liturgici apud Nouv. Rev. Théolog. tom. XXVII, pag. 152 et sqq.

ampliores haberet auctus, censuit Apostolica Sedes, quod dudum ab ea pro sacratissimo Rosario et carmelitico Scapulari concessum fuerat, *Manifestationem* hanc sanctissimae Dei parentis et sacrum ipsius Numisma peculiari festo quotannis commemoranda.

Quamobrem tota factorum serie a Sacra Rituum Congregatione recognita matureque perpensa, ex ejusdem Congregationis consulto, Leo XIII Pontifex Maximus Societati Presbyterorum S. Vincentii a Paulo, quibus ex sancti Auctoris lege solemne semper fuit illabem Mariae originem profiteri et colere, *Manifestationis* ejusdem Beatae Virginis officium et Missam celebrare concessit, idemque indultum ad singulos Episcopos ac Religiosorum familias petentes extendit.

Praejacta de re notitia historica ex lectionibus IV et VI Officii liturgici desumpta, modo in compendium resumuntur amplae concessiones ab Apostolica Sede factae in memoriam et honorem B. Mariae Virginis Immaculatae a Sacro Numismate, vulgo *della Medaglia miracolosa.*

790. *Officium, Missa et Festum.* Leo PP. XIII, die 23 Julii 1894, Officium et Missam in honorem B. M. Virginis Immaculatae *a Sacro Numismate* approbavit, simulque festum sub titulo *Manifestationis Immaculatae Virginis Mariae* A SACRO NUMISMATE quotannis, die 27 Novembris, ab Alumnis Congregationis Missionis sub ritu duplici secundae classis, et ab expetentibus locorum Ordinariis Religiosorumque Familiis sub ritu duplici majori celebrandum indulsit.

791. *Indulgentia plenaria pro visitatione ecclesiae.* Per Breve *Ad augendam* diei 24 Augusti 1894, laudatus Pontifex omnibus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui die festo Manifestationis Immaculatae Mariae Virginis a Sacro Numismate, videlicet die 27 Novembris, quamlibet ecclesiam sive oratorium piis domibus adnexum *Presbyterorum Congregationis Missionis,* sive *Filiarum Charitatis,* ubique terrarum existentibus, a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro consuetis finibus pias ad Deum preces effuderint, *plenariam indulgentiam,* defunctis quoque applicabilem benigne concessit *(ad septennium).*

792. *Festum penes Filias a Charitate.* Rmus D. Antonius Fiat Superior Generalis Congregationis Missionis et Filiarum a Charitate S. Vincentii a Paulo, a SSmo D. N. Leone XIII efflagitavit,

ut in omnibus ecclesiis sive oratoriis earumdem *Filiarum a Charitate,* quotannis die 27 Novembris, a quovis Sacerdote in eis Sacrum facturo celebrari valeat Missa nuper ab Apostolica Sede approbata et Alumnis suae Congregationis concessa pro festo Manifestationis Immaculatae Virginis Mariae a Sacro Numismate, vulgo *della Medaglia miracolosa.*

Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Summo Pontifice tributis, annuit juxta preces, dummodo tamen in respectivis Kalendariis Dioecesium, in quibus praefatae Filiae a Charitate degunt, non occurrat quoad Missam solemnem duplex primae classis, et quoad lectas duplex etiam secundae classis: quo in casu Sacra eadem Congregatio idem privilegium ad aliam subsequentem diem liberam amandari concessit: servatis rubricis. — Die 7 Septembris 1894.

793. *Provisio in casu quo Lazaristae et Filiae a Charitate non habeant vel parvam habeant ecclesiam.* Si contingat, ut alicubi Alumni vel Filiae a Charitate ecclesiam suae domui contiguam non habeant satis amplam, vel ea careant omnino, eadem Sacra Rituum Congregatio, porrectis precibus praelaudati Rmi Dni Antonii Fiat annuens, concessit ut ab iisdem enuntiatum festum *in aliena ecclesia,* de consensu respectivi Parochi vel Rectoris, recoli valeat; facta scilicet potestate singulis Sacerdotibus, inibi Sacrum facturis, Missam propriam celebrandi nuper Alumnis dictae Congregationis Missionariorum concessam. — Die 12 Novembris 1894.

794. *Facultas transferendi festum.* Supplicante eodem Rmo Dno Antonio Fiat, Moderatore Generali Congregationis Missionis, praefata Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus a Summo Pontifice sibi specialiter tributis, benigne indulsit ut extrinseca solemnitas ejusdem Manifestationis tum ab Alumnis ipsiusmet Congregationis, tum a Filiabus Charitatis, in ecclesiis, sive publicis, sive propriis, sive aliorum, de Rmi Ordinarii consensu, oratoriis, ubi opportunius videbitur pro locorum adjunctis, institui valeat *aliqua die vigesimam septimam Novembris subsequente,* facta potestate *Missas omnes celebrandi proprias de eodem festo.* Id autem sub his restrictionibus, id est: Dummodo non occurrat duplex primae classis, vel Dominica privilegiata primae classis, aut aliquod festum Deiparae *quoad Missam solemnem,* et duplex etiam aut Dominica privilegiata secundae classis *quoad Missas lectas,* Missa quoque Conventuali vel Parochiali Officio diei respondente

non omissa, ubi eam celebrandi onus adsit; servatis Rubricis. — Die 12 Novembris 1894.

795. *Indulgentiae Christifidelibus rite recipientibus Numisma Immaculatae Conceptionis concessae.* Christifidelibus Numisma mirificum, vulgo *la Medaglia miracolosa,* juxta approbatum ritum recipientibus, concessa est a Summo Pontifice Leone XIII die 12 Novembris 1895, *indulgentia plenaria,* expletis conditionibus praescriptis:

a) die receptionis; *b)* die Paschatis; *c)* die Immaculatae Conceptionis beatae Mariae Virginis *(Ex pagella delegationis Rmi Super. Gen. Congr. Missionis).*

Insuper eidem Numismati adnecti possunt a Sacerdote legitima facultate praedito, *Indulgentiae Apostolicae,* quas jus est lucrandi omnibus fidelibus illud deferentibus.

796. Ad obtinendam facultatem benedicendi et imponendi fidelibus praedictum Numisma cum ritu approbato, cui adnexae sunt indulgentiae speciales, ad Superiorem Generalem Missionariorum a S. Vincentio a Paulo *(Lazzaristi)* recurrendum est, Rue de Sévres, 95, Paris (S. C. R. 18 Nov. 1895).

797. Ritus benedictionis et impositionis sacri numismatis I. M. V. *vulgo* Medaglia miracolosa (S. R. C. 18 April. 1895).

Sacerdos benedicturus sacrum Numisma Immaculatae Virginis Mariae Conceptionis, superpellicco et stola indutus absolute incipit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui per multiplices Immaculatae Mariae Virginis apparitiones in terris mirabilia jugiter pro animarum salute operari dignatus es: super hoc numismatis signum tuam benedictionem benignus infunde; ut pie hoc recolentes ac devote gestantes, et illius patrocinium sentiant et tuam misericordiam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde Numisma aspergit aqua benedicta, et ipsum postea imponens dicit:

Accipe sanctum Numisma, gesta fideliter, et digna veneratione prosequere: ut piissima et Immaculata coelorum Domina te protegat atque defendat; et pietatis suae prodigia renovans, quae a Deo suppliciter postulaveris tibi misericorditer impetret, ut vivens et moriens in materno ejus amplexu feliciter requiescas. Amen.

Vel si sint plures: Accipite sanctum Numisma, gestate fideliter, et digna veneratione prosequimini: ut piissima et Immaculata coelorum Domina vos protegat atque defendat; et pietatis suae prodigia renovans, quae a Deo suppliciter postulaveritis vobis misericorditer impetret, ut viventes ac morientes in materno ejus amplexu feliciter requiescatis. Amen.

Inde prosequitur: Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater Noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Regina sine labe originali concepta.
℟. Ora pro nobis.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui beatissimam Virginem Mariam matrem tuam ab origine immaculatam innumeris miraculis clarescere voluisti: concede, ut ejusdem patrocinium semper implorantes, gaudia consequamur aeterna. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

§ XIV.

NUMISMA S. BENEDICTI ABBATIS.

798. In parvo libello, qui Romae a Rmo P. Abbate S. Pauli tradi solet Sacerdotibus, qui ab eo facultatem obtinent benedicendi

numismata S. Benedicti, haec leguntur: « Etsi SS. P. Benedictus, dum in vivis ageret, pio et devoto cultu veneraretur Crucem, in qua fuit salus, vita et redemptio nostra, illiusque signo usum fuisse ad quaelibet magna perpetranda apertissime conjici possit *ex Libro II Dialogorum* S. Gregorii Papae: tamen *an et quando a nostro Patriarcha traditum fuerit numisma S. Crucis vel orationes illae praedicatae, incertum est.* — Videtur potius absque ulla ambage affirmandum, hoc numisma originem ab insigni miraculo sumpsisse *sub initio saeculi undecimi* ». Hujusmodi miraculum in eo consistit, quod adolescens Bruno, filius Hugonis comitis Egisheimensis (Egisheim in Alsatia), qui postea Summus Pontifex fuit sub nomine Leonis IX, inter Sanctos deinde relatus, dum in extremo vitae agone esset constitutus, « vidit scalam e cubili suo in coelum ascendentem, splendoreque circumfusam, et descendentem per eam senem (S. Benedictum) venerabili aspectu monastica indutum veste, *qui Crucem quamdam ori ejus superimponens pristina donavit sanitate* ».

799. Anno 1647 in monasterio Mettensi (Metten in Bavaria) repertus fuit Codex membranaceus, in quo descripta erat Crux sive numisma S. P. Benedicti; ad cujus normam praesens cusum est et Christifidelibus traditum (Ibid.).

Praedictum numisma in una parte repraesentat imaginem S. Benedicti, in altera Crucem, his litteris signatam in linea perpendiculari:

C. S. S. M. L., idest:

Crux sancta sit mihi lux.

In linea transversali: N. D. S. M. D., scilicet:

Non draco sit mihi dux.

In zona autem numismatis orbiculari adnotantur litterae:

V. R. S. N. S. M. V.

S. M. Q. L. I. V. B., nempe:

Vade retro, Satana; nunquam suade mihi vana:

Sunt mala quae libas; ipse venena bibas.

In quatuor partibus triangularibus, quae per Crucis angulos efformantur, extant litterae

C. S. P. B., idest:

Crux Sancti Patris Benedicti.

Saepe in superiori Crucis parte habetur monogramma SS. Nominis Jesu, consuetis litteris expressum I H S, vel etiam verbum

Pax (Cf. Rescr. auth. N. 199; lib. cit.; La Médaille ou Croix de Saint Benoît, surtout dans les Missions, Lille et Bruges, Desclée, De Brouwer).

800. Gratiae innumerae enarrantur derivatae fidelibus ex pio usu descripti numismatis cum invocatione S. Benedicti, quae legi possunt in supra citatis libellis. Numisma siquidem seu Crux inclyti Patriarchae S. Benedicti efficax est adversus maleficia, aliasque quaslibet operationes diabolicas; ad animalia vel peste vel epidemia laborantia, vel maleficio detenta, curanda et sananda; ad tentationes repellendas; ad conversionem obtinendam alicujus peccatoris; ad praegnantes mulieres divino auxilio opitulandas, ne abortum faciant, sed prospere filios enitantur; ad homines a fulminibus salvos et incolumes servandos etc.

Ut quis his favoribus perfrui possit, sufficit unam ex praedictis medalliis venerari, vel eam devote secum deferre. Eam insuper parietibus et januis potest affigi, cum fundamentis instruitur, in vas injicitur, in quo aquam animalia bibunt ad eorum incrementum et incolumitatem.

801. Quamvis ad participandum enuntiatos favores nullae praescribantur preces, sed usus devotus satis sit, consulitur tamen qualibet saltem feria tertia, quae dies est sancto Benedicto specialiter consecrata in universo Ordine monastico, recitare quinque *Gloria Patri* in memoriam Passionis D. N. J. C., tres *Ave Maria* in honorem beatissimae semper Virginis Immaculatae Mariae, et tres *Gloria Patri* ad intercessionem S. P. Benedicti invocandam. Quod et similiter una cum precibus supradictis repeti potest, quoties aliqua peculiaris gratia ab omnipotenti Deo, per merita S. P. Benedicti, imploratur (Libel. cit. Rmi P. Abb. S. Pauli).

802. Indulgentiae. Summus Pontifex Benedictus XIV sub die 23 Decembris 1741 praedictis numismatibus rite benedictis indulgentias concessit ac per suum Breve diei 12 Martii 1742 confirmavit, simul approbans specialem formulam eadem benedicendi.

Cum valde numerosae sint indulgentiae tam plenariae quam partiales, *omnes defunctis etiam applicabiles,* concessae iis fidelibus, qui aliquod ex dictis numismatibus secum deferunt, longum profecto esset integrum earum elenchum transcribere. Si cui placeat eum legere, adeat *Rescripta authentica* N. 199, pag. 159 et seqq., vel Decr. auth. edit. Prinzivalli, append. N. 111, pag. 8; vel cit. libellum).

Nos sequentes tantum INDULGENTIAS PLENARIAS indicabimus:

Igitur laudatus Pontifex Benedictus XIV omnibus et singulis Christifidelibus praefata numismata rite benedicta *devote gestantibus, nec non cum vel coram aliquo eorum orantibus, ac insimul pia opera,* prout infra suis cuique locis respective injungitur *peragentibus,* indulgentias modo et forma, quae praescribitur, clementer indulsit, videlicet:

Qui saltem semel in hebdomada Coronam Domini, vel beatissimae Virginis Mariae, vel Rosarium ejusve tertiam partem, aut Officium vel divinum, vel parvum ejusdem B. Virginis Mariae, vel Defunctorum, aut septem Psalmos Poenitentiales vel Graduales recitare, aut rudimenta fidei docere; aut detentos in carcere vel alicujus Domus hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam vel audire, vel, si est sacerdos, celebrare consueverit; si vere poenitens et sacerdoti per Ordinarium approbato confessus sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum die festo

Nativitatis D. N. Jesu Christi, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, et Corporis Christi;

Item die Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. Virginis Mariae; nec non primo die Novembris festo Omnium Sanctorum, ac die festo S. Benedicti, et pro haeresum extirpatione, fidei catholicae exaltatione ac propagatione, pace et christianorum Principum concordia, ceterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus pias ad Deum preces effuderit, *plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et Indulgentiam consequatur.*

Qui vere poenitens, confessus, sacraque Communione refectus in Feria quinta Coenae Domini, et in die Paschatis Resurrectionis, pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, Summique Pontificis conservatione pias ad Deum preces effuderit, *easmet acquiret Indulgentias, quas iisdem diebus Sanctitas Sua populo benedicens publice elargitur.*

Qui in articulo mortis constitutus animam suam Deo pie commendans, praemissa peccatorum suorum Confessione, sumptaque SSma Eucharistia si potuerit, sin minus elicita cordis contritione, Jesu et Mariae nomina ore si poterit, alioquin corde saltem invocaverit, *plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et Indulgentiam consequatur.*

803. Ad lucrandas descriptas indulgentias atque alias quae in proprio elencho recensentur, tres requiruntur conditiones, nempe:

1. Ut *Medalliae* sint ex auro, argento, aere, auricalco, vel ex alio solido metallo confectae.

2. Ut *praescripta formula* sint benedictae a Patribus Benedictinis vel ab alio Sacerdote legitima facultate munito. Formula invenitur tum in Append. Ritualis Romani, tum in libello saepius citato etc.

3. Ut fideles dicta Numismata secum devote gestent, et preces vel pia opera pro qualibet indulgentia praescripta fideliter adimpleant.

Praefata Numismata cum dictis indulgentiis benedicta nequeunt vendi, aut commodari sive aliis precario dari; alioquin carent indulgentiis jam concessis juxta expressam declarationem praelaudati Pontificis Benedicti XIV.

804. Pro obtinenda facultate benedicendi hujusmodi Numismata porriguntur preces Rmo P. Abbati Monasterii S. Pauli extra muros Urbis Romae, qui est Procurator Generalis Benedictinorum Congregationis Cassinensis. Generatim recurri etiam potest ad Superiores cujuscumque Monasterii seu *Abbatiae* Ordinis S. Benedicti.

§ XV.

PARVA STATUA S. PETRI.

805. Ex benigna concessione Summi Pontificis Pii IX per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum diei 4 Febr. 1877, et ex dispositione SS. D. N. Leonis PP. XIII, manifestata in Audientia diei 27 Aprilis 1880 Emo Card. Secretario Brevium, omnes Christifideles, qui apud se retinent parvam statuam *(una statuetta)* S. Petri, similem illi, quae in Basilica Vaticana prope *Confessionem* colitur, necnon singula familiae membra, quae cum eis commorantur, lucrari possunt:

Indulgentiam quinquaginta dierum semel in die,, dummodo corde saltem contrito et devote osculentur pedem parvae statuae, quae tamen *a Summo Pontifice* fuerit benedicta *(Raccolta* pag. 386; Vide Acta Ord. Min. ann. II, pag. 194).

Eidem parvae statuae adnecti quoque possunt, ut constat ex dictis (vid. n. 623, 631), indulgentiae apostolicae.

§ XVI.

AGNUS DEI.

806. Numismata sacra ex cera confecta, propter Agni figuram in symbolum Christi patientis, solent vocari *Agnus Dei* (Macri, Hierolexicon, verb. *Agnus Dei*).

Eorum origo, *saltem quoad substantiam,* est proculdubio antiquissima, licet auctores discrepent in ea assignanda, cum alii eam repetant a quarto Ecclesiae saeculo, alii a quinto et alii serius vel maturius. Diximus *quoad substantiam,* quia in quantum *ad accidentalia* aliquas mutationes subierunt: varie enim in variis temporibus consecrabantur et non semper eadem forma conficiebantur. Aliquando enim quadri, aliquando rotundi, vel ovales vel instar stellae vel agnorum praeparabantur.

807. Nonnulli Scriptores non absque fundamento affirmant, praefatos *Agnus* sive *Agnos Dei* habendos esse tamquam memoriale cujusdam usus priorum Ecclesiae temporum, in quibus die Sabbati Sancti cereus paschalis praecedentis anni frangebatur, ac ejus frustula fidelibus distribuebantur tamquam signum vel symbolum divini Redemptoris redivivi, ut ex eorum combustione et suffumigatione, virtute meritorum Christi, arcerentur daemones ab ipsorum fidelium habitationibus et tempestates ab eorum agris.

808. Conficiuntur *Agnus Dei* ex cera alba, pura, virginea, qua humana denotatur natura a Christo, virtute divina, sine ulla mixtione aut contagione culpae, in purissimo Mariae Virginis utero assumpta. Agni imago in illis imprimitur, Agni illius immaculati symbolum, qui pro humana reparatione in ara crucis immolatus est.

809. Cura praeparandi et effingendi *Agnus Dei* olim ad Sacristam Pontificum spectabat, sed postea indulto Clementis VIII monachis Cisterciensibus Congregationis Fuliensis in Urbe demandata fuit, quodque privilegium praeter Leonem XI ipsis confirmavit Paulus V.

810. *Agnus Dei* benedicendi potestatem jam a saeculis sibi reservarunt Summi Pontifices. Quilibet Pontifex solet eos benedicere *primo anno* sui Pontificatus, ac deinde in *quolibet septennio infra octavam Paschae,* modo sequenti:

Summus Pontifex indutus amictu, alba, cingulo, stola et mitra, aquam benedicit, infundens balsamum et chrisma, dicitque aliquas preces in Caeremoniali praescriptas; deinde linteo praecinctus, cum Cardinalibus assistentibus, immergit formas cereas, nempe *Agnus Dei,* in aqua benedicta, ac extractae extenduntur supra munda mantilia, ut exsiccentur, ibique Papa eas denuo benedicit. Postea in capsis reponuntur et conservantur usque ab Sabbatum in *Albis,* quo die, dicto in Missa *Agnus Dei,* et peracta Communione, Subdiaconus accedit ad ferendum pollubrum seu vas his numismatibus cereis refertum, praecedente cruce, et ad portam Sacelli Pontificii perveniens, alta voce haec verba intonat: *Pater Sancte, isti sunt Agni novelli, qui annuntiaverunt vobis, Alleluja; modo veniunt ad fontes, repleti sunt claritate, Alleluja.* Eadem verba replicat in medio Sacelli, et tertio tandem ante solium Pontificis. Postea Summus Pontifex *Agnus Dei* Cardinalibus primo distribuit, qui *intra eorum mitras eos recipiunt,* deinde Episcopis et Abbatibus, qui similiter in mitras recipiunt, ac successive Praelatis ac etiam Poenitentiariis S. Petri albis casulis indutis, qui in birretis accipiunt (Cf. Macri, loc. cit. et Moroni *Dizion. di erudiz.* verb. *Agnus Dei,* qui minutim modum describit, quem tenuit Gregorius XVI).

811. Primitus in Agnis Dei aliud non imprimebatur nisi *solus Agnus cum cruce,* sed posterioribus saeculis imprimere coeptum est ex altera parte imaginem B. M. V. vel SS. Apostolorum, vel aliorum Sanctorum (Cf. Moroni, loc. cit.).

812. *Quo cultu, qua reverentia digni sint praefati Agnus Dei, quinam et quot sint miri eorum effectus,* late exposuit Summus Pontifex Sixtus V in Litteris Apostolicis in forma Brevis scriptis anno 1586 Paschali Ciconiae Duci Venetiarum, ad quem de more sacras cereas Formas a se benedictas mittebat:

« At, quam eximio cultu, ajebat Pontifex, quantaque veneratione digna sit haec sacra res, quicumque illius materiam, formam, consecrationis modum, preces, ac mysteria, quae in ea continentur, noverit et attente consideraverit, facile intelliget. Illi enim *Agnus Dei* ex cera alba, pura, virginea conficiuntur ad denotandam Christi humanitatem ex sanctissimo Virginis utero absque ulla contagione, et sola Dei virtute sumptam. Imago Agni, quae in illis est, Agnum illum immaculatum repraesentat, qui pro humani generis reparatione in ligno Crucis est immolatus.

« Adhibetur *aqua benedicta,* cujus substantia ad maxima quaeque Sacramenta in veteri et novo Testamento usus est Deus.

« Aquae miscetur *balsamum,* unguentorum omnium praestantissimum, ad designandam famam optimam, quam Christianus veluti suavissimi odoris fragrantiam in sua conversatione debet redolere.

« Postremo superinfunditur *Chrisma,* quo charitas virtutum omnium maxima figuratur, et quo eadem templa, altaria, vasa, et ipsi homines Dei cultui praeparantur et consecrantur.

« In hac vero aqua benedicta, balsamo et chrismate mixta, hi Agnus Dei ab ipsomet Pontifice merguntur et baptizantur, et tam ante, quam post mersionem sanctissimis precibus et orationibus *idem' Pontifex Deum obsecrat, ut easdem illas formas cereas imagine Agni impressas, benedicere, sanctificare, consecrare, eisque virtutem caelestem infundere dignetur, ita ut qui illas pie et devote, et cum fide habuerint et detulerint, eorum crimina deleantur, maculae peccatorum abstergantur, veniae impetrentur, gratiae conferantur ; praeterea, ut fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, ventorum rabies, et infesta tonitrua temperentur ; fugiant et contremiscant maligni spiritus, nulla hic adversitas dominetur, nulla aëris corruptio, nullus morbus caducus, nulla maris tempestas, nullum incendium, nullave iniquitas noceat ; parturientes cum partu incolumes conserventur ; omnes denique ab aquarum inundatione, a morte subitanea, et a cunctis adversis liberentur.*

« Haec sane propitiationis et gratiarum dona a Deo misericordiarum Patre et bonorum omnium largitore vere tribui atque concedi his cereis Formulis sic benedictis et baptizatis, praesertim summo Sacerdote ipsius Christi in terris Vicario tam pie orante ac supplicante, firmiter credendum est, sicuti idipsum saepissime magnis et variis miraculis, quae diversis temporibus divina bonitas per haec sacra operari dignata est, fuit saepius comprobatum. Nec mirum esse debet, si non semper iidem contingant effectus, quoniam id ex infirma utentis fide, vel ex alia occulta causa, non ex defectu virtutis rei sacrae, accidere certum est... » (Vid. Benedictum XIV, De Servorum Dei Beatificatione, tom. IV, part. I, cap. V, n. 12 ; part. II, cap. XXI, n. 12).

813. Virtutes *Agnorum Dei* in bonum et utilitatem fidelium optime indicantur in illis etiam sanctissimis precibus, quas Summus

Pontifex tam ante quam post mersionem recitat. Exorat enim Deum, ut eas formas cereas benedicere, sanctificare et consecrare dignetur, iisque tantam virtutem impertiat, ut quicumque recta fide ac vera pietate iisdem usus fuerit, haec bona ac beneficia consequatur :

1° *Ut aspectu vel contactu Agni in cereis illis formis impressi excitentur fideles ad memoranda sub eo symbolo Redemptionis nostrae mysteria, conceptisque grati animi sensibus divinam in nos bonitatem benedicant, venerentur ac diligant: fidentes fore ut per eam peccatorum veniam obtineant, et maculas omnes abstergant.*

2° *Ut ad vivificae Crucis signum in iisdem cereis impressum, maligni spiritus contremiscant et fugiant, facessant grandines, subsideant venti, dissipentur tonitrua, abigantur turbines, fulgura et tempestates.*

3° *Ut divinae benedictionis virtute non praevaleant diabolicae fraudes, insidiae et tentationes.*

4° *Ut parturientes cum fetu incolumes serventur, eumque feliciter in lucem emittant.*

5° *Ut Christifideli eisdem devote utenti nulla dominetur adversitas, nulla noceat pestilentia aërisque corruptio, nullus comitialis morbus eum corripiat, nulla maris tempestas, nullum incendium, nulla inundatio, nulla adversus eum praevaleat malignitas.*

6° *Ut in prosperis adversisque casibus divina protectione muniatur, ab humanis vel diabolicis insidiis, a subitanea et improvisa morte, a cunctis denique malis et periculis liberetur per vitae et passionis Jesu Christi mysteria* (Vid. Ferraris, verb. *Agnus Dei,* vel pagellam, quae a distributoribus Agnorum Dei tradi solet pro fidelium instructione).

814. Virtus et efficacia *Agnorum Dei* exprimuntur sequentibus versibus, quos, juxta Quaranta verb. *Agnus Dei,* Urbanus V misit insimul cum tribus *Agnus Dei* ad Graecorum Imperatorem:

Balsamus et munda cera cum chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum.
Fulgura desursum pellit, et omne malignum.
Peccatum frangit, ut Christi Sanguis, et angit.
Praegnans servatur, simul et partus liberatur.
Munera fert dignis, virtutem destruit ignis.

Portatus munde de fluctibus eripit undae.
Morte repentina servat, Satanaeque ruina.
Si quis honorat eum, retinet super hoste trophaeum.
Parsque minor tantum, tota valet integra quantum.
Agnus Dei, miserere mei,
Qui crimina tollis, miserere nobis.

Non minori claritate mirabiles *Agnorum Dei* virtutes comprehenduntur sequenti carmine:

Pellitur hoc signo tentatio daemonis atri,
  Et pietas animo surgit, abitque tepor.
Hoc aconita fugat, subitaeque pericula mortis,
  Hoc et ab insidiis vindice, tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne saeva tonitrua laedant,
  Ne mala tempestas obruat, istud habe.
Undarum discrimen idem propulsat, et ignis,
  Ullaque ne noceat vis inimica valet.
Hoc facilem partum tribuente, puerpera foetum
  Incolumem mundo proferet, atque Deo.
Unde, rogas, uni tam magna potentia signo?
  Ex Agni meritis, haud aliunde fluit.

Descripti versus reperiuntur penes omnes fere Auctores, qui agunt de praefatis Formis cereis (Vid. Bened. XIV, loc. cit., Ferraris, Lezana etc.).

815. Ut debita reverentia habeatur erga *Agnus Dei,* Gregorius XIII in sua Constitutione edita anno 1572, quae incipit *Omni,* haec habet: « Statuimus et ordinamus, ac sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda prohibemus et interdicimus, ne quisquam sive vir, sive mulier, saecularis aut ecclesiastici, etiam regularis Ordinis... *Agnus Dei* per Romanum Pontificem benedictos, *depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquem illis imponere, aut quidquam aliud super inducere, neque depingi aut miniari facere, nec illos venales proponere, seu tenere,* quovis praetextu, qualibetve de causa audeat. Verum eos albos et mundos Agnum illum purum et innocentem repraesentantes, qui occisus pretiosissimo Sanguine suo nos redemit, decenter ac reverenter haberi, deferri, et custodiri praecipimus... » (Vid. Lezana, verb. *Agnus Dei).*

Hic tamen sequentia notanda sunt:

a) Per dictam Constitutionem non videtur prohibitum tales Agnos Dei thecis aureis, argenteis, sericis, crystallinis aut vitreis

in gyrum circumornare aut coronare, uti de facto in dies fieri videmus a probis viris tum Religiosis tum saecularibus.

b) Interdicitur omnibus *eos venales proponere aut tenere,* sed hoc est intelligendum *de venditione simoniaca,* qualis esset si ratione benedictionis venderentur, aut charius ratione illius; secus dicendum, si ratione solius materiae, cerae scilicet, ex qua conficiuntur. Constat enim calices et patenas consecrata eodem modo vendi posse (Lezana, Ferraris etc.).

c) Excommunicatio per praefatam Constitutionem inflicta nulli erat reservata, et post Constitutionem *Apostolicae Sedis* Summi Pontificis Pii IX sublata remansit.

d) Non est licitum cereos Agnos Dei liquefacere una cum alia cera, ut possint sic multiplicari. Hujusmodi enim liquefactio esset profana nimis actio, repugnans menti Pontificum, tam rigide et constanter sibi reservantium potestatem benedicendi seu sacrandi Agnos Dei, *praeparandos a Monachis S. Mariae Fuliensis.*

e) Tangere seu contrectare Agnus Dei per se et absolute non liceret nisi Clericis dumtaxat in Sacris constitutis, cum Agni Dei non solum sint sacri et benedicti, sed etiam oleo sacro et chrismate consecrati. Modo vero usus obtinuit, ut etiam laicis et feminis eos liceat attingere, maxime si hoc fiat ex pietate et devotione, vel ut imponantur in aliqua capsula, aut thecis aureis et argenteis vel similibus ligentur et ornentur, ut decentius custodiantur (Cf. Ferraris et Lezana).

f) Constat ex expositis, praedictos *Agnus Dei nulla proprie dicta Indulgentia fuisse ditatos,* sed quidem multa beneficia et gratiarum dona afferre fidelibus, qui fide ac pietate apud se reverenter tenent.

ARTICULUS III.

DE SCAPULARIBUS IN GENERE.

§ I.

NOTIO SCAPULARIS, EJUSQUE PRIMITIVA ORIGO.

816. Scapulare seu scapularium, si nomen spectes, a *scapula* (humero) derivat, et vestem denotat quae humeros tegit. Fertur,

antiquos Monachos hujusmodi veste usos fuisse dum laboribus operibusque manualibus vacabant, praesertim vero cum super humeros ponderosa objecta portabant, idque ne offenderentur humeri, neve dilaceraretur tunica (Cf. Moroni, Dizionario di erudizione; D'Avino, Enciclopedia).

Successu temporis Scapulare a quibusdam Ordinibus Regularibus ut pars proprii habitus assumptum est, ac ita confectum ut una pars pectus, altera scapulas contegeret. Cum autem istiusmodi Religiosi Ordines adjungere sibi ceperunt laicorum Congregationes, tunc vel *particulam habitus vel signum aliquod ex eorum veste respective depromptum,* ipsis concesserunt. Sic Ordo Minorum *chordam* dedit, Augustiniani *cincturam,* Trinitarii, Carmelitani, Servitae, Mercedarii *Scapulare,* quod pro majori fidelium commoditate ad parvam formam redactum est. Unde S. Indulg. Congregatio docet, quod « *Parva Scapularia, quae fideles gestare solent, in sua origine et institutione aliud non sunt, quam Scapularia variis Ordinibus religiosis propria, pro majori fidelium commoditate ad parvam formam redacta* » (Decr. 18 Aug. 1868. N. 423).

817. Ex variis scapularibus inter *antiquiora* recensentur scapularia SS. Trinitatis, — B. M. V. de Monte Carmelo, — Septem Dolorum B. M. V., — B. Mariae Virginis de Mercede. — Inter *recentiora* connumerantur scapularia — Passionis D. N. J. C., — Crucis et Passionis Domini Passionistarum, — Immaculatae Conceptionis B. M. V.

Novissimis temporibus fidelium pietas alia duo scapularia invexit, scilicet *B. M. V. de Bono Consilio* et — *S. Josephi Sponsi B. Mariae Virginis.* Quibus omnibus addi potest scapulare *SS. Cordis Jesu,* etsi lato sensu, ut suo loco videbimus, dicatur scapulare.

818. Quatuor vel quinque ex memoratis scapularibus recentiori aetate saepe fuerunt inter se unita ac simul fidelibus imposita, et sunt

Scapulare *(album)* SS. Trinitatis, quod est proprium Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Scapulare *(tanneum)* proprium Ordinis Carmelitarum.

Scapulare *(nigrum)* Septem Dolorum B. M. V., proprium Ordinis Servitarum.

Scapulare *caeruleum* Immaculatae Conceptionis B. M. V., proprium Congregationis Theatinorum.

Scapulare *rubrum* Passionis D. N. J. C., proprium Congregationis Missionum S. Vincentii de Paulo.

819. Ex dictis collige, scapularia fere omnia et certe celebriora a religiosis Ordinibus vel Congregationibus originem traxisse, atque ab iisdem fuisse praecipue propagata. Ex quo factum est, ut eadem scapularia *tamquam propria* respectivorum Ordinum vel Congregationum habita semper fuerint et adhuc habeantur. Exinde etiam provenit, ut Apostolicae Sedis benignitate *Superioribus praefatorum Ordinum* sive *Congregationum jus fuerit reservatum benedicendi et imponendi fidelibus respectiva scapularia, cum facultate ad id delegandi alios Sacerdotes, etiam Ordini extraneos.*

820. Scapularia ad quatuor classes reduci possunt:

1. *Scapulare quod est signum* seu *insigne essentiale alicujus Confraternitatis,* ita ut Christifidelis nequeat ingredi in Confraternitatem sine induitione hujusmodi scapularis, et simul nequeat *rite* induere dictum Scapulare, quin eodem tempore inscribatur et ingrediatur in Confraternitatem. Talia sunt scapularia supra enuntiata SS. Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo et Septem Dolorum, quibus addendum est scapulare *album* B. Mariae Virginis de Mercede.

2. *Scapulare quod est signum quidem alicujus Sodalitatis, non tamen essentiale,* ut est illud quod confratres et consorores piae Unionis Immaculatae Conceptionis B. M. V. in Ecclesia Aracoelitana de Urbe erectae, induere *possunt,* quin tamen teneantur pro fruitione indulgentiarum (Vid. Rescr. auth. Summar. pag. 580 circa finem).

3. *Scapulare quod non est signum alicujus Confraternitatis,* sed cujus induitio rite peracta ejusque delatio jus tribuit christifideli lucrandi certas speciales indulgentias, ut sunt scapulare caeruleum B. M. V., et scapulare rubrum Passionis D. N. J. C. et SS. Cordis Jesu.

4. *Scapulare quod non est nec signum alicujus Confraternitatis, nec jus tribuit ad lucrum indulgentiarum.* Tales sunt illi parvi habitus (vulgo *abitini),* qui devotis fidelibus distribui solent vel a saecularibus vel a Sacerdotibus sine ulla rituali benedictione et impositione, et deferri solent tantummodo pro devotione erga Dominum Nostrum, vel B. Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum.

§ II.

MATERIA SCAPULARIUM.

821. Materia scapularium clare determinatur a S. Sede responsionibus ad quaesitus, quos hic subnectimus:

1° *Utrum ad scapularia conficienda necessario et exclusive adhibenda sit materia* EX LANA, *vel utrum sumi etiam possit cylinum* (COTONE) aliave similis materia?

Et quatenus Affirmative ad primam partem, et Negative ad secundam,

2° *Utrum vox* PANNUS, PANNICULUS, *ab auctoribus communiter usurpata, sumi debeat in sensu stricto, idest de sola lanea textura proprie dicta* (vulgo TESSUTO, TISSU), *vel utrum etiam intelligi possit de lanea textura reticulata* (vulgo LAVORO DI MAGLIA, TRICOTAGE) *et de quocumque laneo opere acu picto* (RICAMO, BRODERIE), *adhibito tamen semper colore praescripto?*

3° *Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris praescripti, quod intexta vel acu picta habet* ORNAMENTA *pariter ex lana, sed diversi coloris?*

4° *Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris praescripti, quod intexta vel acu picta habet ornamenta ex materia non lanea v. gr. ex serico, argento, auro* etc.?

Emi Patres... rescribendum esse duxerunt:

Ad 1m *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad 2m *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad 3m *Affirmative; dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praevaleat.*

Ad 4m *Ut in praecedenti.*

Summus Pontifex Pius IX resolutionem Sacrae Congregationis ratam habuit (Decr. 18 Aug. 1868. N. 423).

822. Novissime S. Congregatio Indulgentiarum ad dubium sibi propositum: *An Scapularia confecta non ex lana contexta, sed subcoacta* (feutre, feltro), *Christifidelibus imponi possint, quin ipsi amittant indulgentias gestantibus Scapularia concessas?*

Resp. *Negative, juxta Decretum in una* Urbis *d. d.* 18 *Augusti* 1868 *ad dubium* 2ᵐ *quod in originali textu ita legitur :* Utrum vox *pannus, panniculus* ab auctoribus communiter usurpata sumi debeat in sensu stricto, id est de sola lanea textura proprie dicta *(tessuto)*, vel utrum etiam intelligi possit de lanea textura reticulata *(lavoro di maglia, tricotage)*, et de quocumque laneo opere acu picto *(ricamo, broderie)*, adhibito tamen semper colore praescripto ? — Resp. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam* (Decr. 6 Maji 1895 ; Acta S. Sed. vol. XXVII, pag. 692).

823. Adverte, in relata responsione duo contineri : 1° declarationem de invaliditate scapularium, quae sint confecta non ex lana contexta, sed ex lana subcoacta *(feltro)* ; 2° emendationem textus ab erronea expositione in libro « *Decreta authentica* », ubi, ob omissionem nonnullarum vocum, mutatur sensus decisionis, quasi nempe *panniculus* sumi debeat de sola lanea textura *reticulata,* et non potius de sola lanea textura proprie dicta *(tessuto)*.

Ratio harum decisionum manifeste apparet ex dictis sub n. 816. *Parva* enim scapularia, *in sua origine et institutione,* aliud non sunt, quam scapularia *majora* variis Ordinibus religiosis propria *ad parvam formam redacta.* Et quemadmodum illa ex lanea textura *proprie dicta,* non vero *reticulata* aut *subcoacta* conficiuntur, ita et haec, nempe *parva* scapularia, simili modo confici debent.

824. Quoad igitur *materiam scapularium* sequentia habemus authentice definita :

a) Ea *necessario* et *exclusive* debet esse *ex lana;* non ex serico, vel cylino *(cotone)*, vel ex charta, vel metallo, vel ex qualibet alia materia.

b) Debet esse de sola lanea textura, seu *texili (tessuto)*, ita ut *in sensu stricto* dici possit *pannus* vel *panniculus,* exclusa proinde textura *reticulata* (maglia), et etiam lana subcoacta *(feltro)*.

c) Scapulare tamen habere potest *ornamenta* intexta vel acu picta tum ex lana, *sed diversi coloris, tum ex materia non lanea,* v. gr. ex serico, argento, aureo etc. *dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praevaleat.*

Super materia scapularium ita scribebat Consultor ad Votum faciendum deputatus: Non videri obstare ornamenta, inquiebat, si haec sint accessoria et scapularia per ea non immutentur. Opor-

tet tamen ornamenta esse exigua, ita ut prima fronte cognosci possit quale scapulare sit. Si enim istis ornamentis magna scapularis pars obtegeretur, cum non amplius scapulare dignoscatur, de ipsa validitate esset dubitandum (Acta S. Sed. vol. IV. pag. 102).

825. Ex dictis facile eruitur, licere in scapularibus imaginem vel sanctae Crucis, vel alicujus sancti, praesertim B. M. V. vel acu pingere vel texere, ut usu quotidiano comprobari videmus. Unde in fine parvi libelli, qui tribui solet Sacerdotibus facultatem petentibus benedicendi scapularia B. M. V. de Monte Carmelo, expresse dicitur: « *Imago B. V. quae ponitur ordinarie super unius oris partem non est necessaria, sed est tantum pius et laudabilis usus* ». Sunt tamen excipienda scapularia *SS. Trinitatis* et *Passionis,* quae, ut inferius videbimus, habere debent imagines seu sacra signa *exclusive determinata.*

§ III.

FORMA SCAPULARIUM.

826. Scapularia debent esse formae *oblongae vel quadratae, seu rectangularis.* — S. Congregationi Indulg. propositum fuit solvendum dubium ita expressum:

Hucusque generalis viguit usus conficiendi scapularia *formae oblongae, vel saltem quadratae.* Nunc autem quibusdam in regionibus introducitur usus conficiendi scapularia *formae rotundae vel ovalis, imo et multangulae.* Quaeritur itaque, *utrum alia forma praeter oblongam et quadratam obstet validitati scapularis?* Resp. *Nihil esse innovandum* (Decr. 18 Aug. 1868. N. 423 ad 5^{m}).

827. Scapularia *duabus partibus,* seu *duobus panniculis* constare debent, vinculis inter se conjunctis, quorum unus ab humeris, alter a pectore pendere debet. Hujusmodi binae partes ita sunt necessariae, ut earum nulla subrogari possit sive per numisma sive per imaginem quamcumque.

828. *Chordae seu vincula,* quibus binae partes sacri scapularis conjunguntur, minime necesse est ut sint ex lana vel determinati coloris: *vincula enim non constituunt scapulare.* Confici proinde possunt ex lino, serico, cylino *(cotone)* etc. *cujuslibet coloris.* Excipitur tantum scapulare rubrum Passionis D. N. J. C.,

cujus funiculi esse debent *lanei rubrique coloris.* Quare si cum hoc scapulari alia scapularia conjungi velint, haec possunt his funiculis laneis et rubris colligari, imo deberent ita conjungi quoties, non conservatis cujuslibet scapularis respectivis vinculis, uniri vellent cum duabus tantum chordis.

829. Quamvis autem funiculi ad scapularium essentiam non pertineant, fiunt tamen necessarii tum ad conjungendos duos panniculos ejusdem scapularis, tum ad idem scapulare deferendum *juxta praescriptum.* Binae enim partes, quibus dictum scapulare componitur, non possunt deferri assutae in ipsa veste sine amissione indulgentiarum. Unde S. Congregatio ad dubium:

An ad lucrandas indulgentias S. scapularis necesse sit, ut una pars ab humeris, altera a pectore dependeat; an vero sit sufficiens ipsum deferre absque distinctione circa modum?

Resp. *Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam* (Decr. 12 Febr. 1840. N. 277. Vid. etiam Rescr. auth. N. 29).

Cum dicitur *absque distinctione circa modum,* intelligendum est non sufficere illud deferre *quomodocumque,* puta in sacculis, pera, vel assutum super vestes etc., sed ad lucrandas indulgentias necessario deferri debere modo praescripto, videlicet ut una pars ab humeris, altera a pectore pendeat.

830. Quod attinet ad *colorem,* quodlibet scapulare suum habet proprium, omnino ad validitatem servandum, ut suo loco in particulari dicemus. Generatim affirmari potest, parva scapularia, quibus fideles utuntur, cum non aliud sint, loquendo speciatim de *antiquioribus,* nisi ipsa scapularia *majora* variorum Ordinum propria, pro fidelium commoditate ad parvam formam redacta, concordare debere cum dictis scapularibus *majoribus* Ordinum, saltem *in substantialibus,* id est *in materia, forma et colore.*

Unde si ex antiquioribus scapularibus scapularia *minora* nihil cum *majoribus* commune haberent, aut ita ab istis recederent, ut sive in colore, sive in materia, sive in textura haec non imitentur, invalida essent censenda; scilicet *ea non essent signa piae aggregationis, cui collatae sunt indulgentiae* (Cfr. Acta S. Sed. vol. IV. pag. 101 etc.).

§ IV.

BENEDICTIO ET IMPOSITIO SCAPULARIUM.

831. Nullus Sacerdos benedicere et imponere potest fidelibus scapularia, nisi a Superioribus Generalibus Ordinum seu Congregationum, quibus respective dicta scapularia sunt propria, vel immediate a S. Sede obtinuerit facultatem (Decr. 12 Sept. 1883 apud Rescr. auth. pag. 679. N. 444).

832. Qui dictam facultatem impetraverit, stare tenetur terminis concessionis quoad tempus, quoad loca, quoad alias, si quae sint, circumstantias. *Excipiuntur ordinarie loca, ubi existit Conventus Ordinis respective* (Cf. Decr. 10 Maji 1844. N. 326).

Monasteria vero Monialium ejusdem Ordinis respective, minime obstant praedictae facultatis exercitio (Decr. 22 Aug. 1842. N. 309; et 3 Mart. 1843. N. 316).

In indulto benedicendi et imponendi scapularia ordinarie continetur etiam facultas *impertiendi fidelibus adscriptis indulgentiam plenariam in articulo mortis,* ut videre est in pagellis vel libellis, qui traduntur Sacerdotibus ad benedicenda scapularia deputatis.

833. Sacerdos qui facultatem obtinuit benedicendi et imponendi scapularia, nequit alium presbyterum sibi subrogare, *nisi ei facta fuerit in concessione facultas subdelegandi* (Decr. 22 Aug. 1842. N. 306; et 24 Apr. 1843. N. 319).

834. Quia fideles suscipientes et gestantes scapulare *SS. Trinitatis, de Monte Carmelo, et septem Dolorum constituunt Confraternitatem,* necesse est ut Sacerdos qui illud benedicit et imponit, aggreget etiam eodem tempore fideles respectivae Confraternitati, eorumque nomina in apposito regesto inscribat. Et revera ad dubium:

835. An Sacerdos, qui a S. Sede obtinuerit facultatem benedicendi scapularia, *habeat eo ipso facultatem ea imponendi Christifidelibus, et eosdem adscribendi Confraternitatibus* a S. Sede approbatis?

Resp. *Affirmative, ita tamen, ut sacerdotes, qui praedictum indultum benedicendi scapularia ab Apostolica Sede legitime obtinuerint, penes se habeant privatum regestum, et quampri-*

num commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respectivae Sodalitatis viciniori canonice erectae nomina receptorum, ut in Album ipsius Sodalitatis referantur (Decr. 26 Jan. 1871. N. 428 ad 1^{m}). Sed de istiusmodi nominum inscriptione in libro Confraternitatis, infra in particulari dicetur.

836. Quinimo *idem, qui benedicit, debet imponere scapularia.* Ex dicendis res fit manifesta:

Occasione missionum sive exercitiorum, urgente temporis angustia, sic se gesserunt duo sacerdotes missionarii, ambo debita facultate pollentes quoad benedictionem et impositionem scapularium: *Alter ex praefatis Missionariis scapularia e suggestu benedixit; tum ibidem consistens impositionis verba proferebat, dum alter Missionarius sacrum scapulare singulis fidelibus imponebat.* — Exorto dubio super validitate hujusmodi impositionis, Summo Pontifici supplicarunt pro relativa declaratione, et opportuna provisione.

Pius PP. IX in Audientia diei 16 Junii 1872 impositiones scapularium, prout in precibus, quoad praeteritum peractas, dummodo eorumdem scapularium benedictio rite facta fuerit, *benigne sanavit.* Ceterum in impositionibus in futurum peragendis, *ab eodem sacerdote scapularia imponantur, a quo ipsa scapularia benedicuntur* (Decr. auth. N. 430).

837. Infertur: 1° Fidelis admissus, qui nempe prima vice scapulare benedictum suscipit, non potest sine dispendio indulgentiarum illud propriis manibus sibi imponere.

2° A fortiori, scapularia benedicta nequeunt prima vice sine omissione juris ad indulgentias lucrandas transmitti, ut per aliam personam distribuantur fidelibus. Super re ad S. Congregationem Indulg. delatum est dubium hisce verbis enunciatum:

Erectam reperi Confraternitatem Nostrae Dominae de Monte Carmelo. Sacerdos habens auctoritatem benedicit juxta normam praescriptam scapularia, quae in toto territorio per virum saecularem distribuuntur. Lucrarine possunt hoc modo indulgentiae?

Resp. *Negative juxta votum Consultoris.* — Votum autem Consultoris his verbis est expressum « *Negative quoad devotos, qui pro ingressu in Societatem habitum benedictum de manu Sacerdotis auctoritatem habentis non receperunt* » (Decr. 18 Sept. 1862. N. 397; Cf. etiam Decr. N. 394 ad 1^{m}).

3° Si quis proinde noverit, se non rite suscepisse scapulare ac proinde non posse proprias scapularis indulgentias lucrari, novam admissionem a Sacerdote facultatem habente petere ac recipere debet (Cf. Decr. 18 Sept. 1862. N. 394).

838. Sacerdos, qui obtinet facultatem benedicendi ac imponendi scapularia, non habet eo ipso facultatem *commutandi obligationes commutabiles* confratrum, *nisi expresse enuntietur in Rescripto concessionis* pro benedictione et impositione scapularium (Decr. 22 Junii 1842. N. 305). Hodie tamen haec facultas concedi solet.

839. Quando dicitur esse necessarium ad lucrandas indulgentias, ut scapulare *benedicatur et imponatur* circa collum a Sacerdote debita facultate munito, id intelligendum est *de prima scapularis receptione dumtaxat.* Rite enim primo scapulari suscepto, et in Confraternitatem, si haec locum habeat, admissione peracta, potest fidelis sic adscriptus sibi imponere scapulare non benedictum, si primum fuerit deperditum vel attritum. Unde in parvo libello Carmelitarum « *Ritus servandus* » dicitur : *Si fuerit attritum* (scapulare), *aliud sive benedictum, sive non benedictum, absque alia nova coeremonia assumendum est.*

Excipiebatur ab hac regula scapularium SS. Trinitatis. « *Quando enim scapularium* (hujusmodi) *sit ita laceratum, ut formam amittat, benedictionem etiam amittit, et si renovetur, debet iterum benedici; similiter si aliud non benedictum assumatur* (Rescr. auth. pag. 476 in nota; item sub n. 29, pag. 19).

Huic tamen legi, quae scapularis tantum SS. Trinitatis propria erat, supplicante Rmo P. Stephano a S. Corde Mariae Ord. SS. Trinitatis Congregationis Hispanicae Commissario Apostolico, derogavit Summus Pontifex Leo XIII per Rescriptum S. C. Indulgentiarum diei 24 Augusti 1895. Quare in posterum quilibet Sodalis, attrito vel consumpto primo scapulari benedicto, aliud etiam *non benedictum* sibi imponere potest absque amissione indulgentiarum, et sic quoad etiam Scapulare SS. Trinitatis inducitur uniformitas, pro aliis, et in primis pro Carmelitico, existens, quae nonnisi prima vice benedicuntur, idest quando primitus Christifidelibus imponuntur (Apud Acta S. Sed. vol. XXVIII, pag. 256).

Sed advertendum, scapularia *renovata,* si non necessario, licite tamen deferri possunt benedicta. Ideo devotus fidelis vel ipsa die receptionis vel etiam alio tempore Sacerdotem facultatem ha-

bentem rogare potest, ut plura pro semetipso benedicat scapularia, ut ita, quando occurrerit mutatio, scapulare benedictum semper in promptu habeat.

840. Qui habet facultatem imponendi scapularia, sibimet illa imponere potest, quatenus haec facultas habeatur *indiscriminatim*, minime vero *taxative*, ex. gr. pro aliqua Monialium communitate tantum etc. (Decr. 7 Mart. 1840. N. 280, et 16 Julii 1887).

841. Receptio in confratrem non valet si fiat *simplici intentione* concepta animo, ac verbis nullis adhibitis, *nec ad validitatem benedictionis sufficit signum Crucis* manu efformatum super scapulare absque ulla verborum pronuntiatione et aquae benedictae aspersione, *sed benedictio danda est juxta formulam praescriptam ad normam Decreti* 18 *Aug.* 1868 (Decr. 27 Apr. 1887, apud Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 558 ad 1ᵐ et 2ᵐ).

842. Norma citati Decreti 18 Aug. 1868 in eo consistit, ut in actu impositionis scapularium ac adscriptionis Confraternitati PROFERANTUR VERBA, QUAE SUNT SUBSTANTIALIA, *ad formam decreti hujus Sacrae Congregationis diei* 24 *Aug.* 1844, *quod sic se habet*:

An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, quae fit a Sacerdotibus quidem facultatem habentibus, non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ord. Carmelitarum descripta?

S. C. respondit: *Affirmative, dummodo Sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus,* nempe *in benedictione, et impositione habitus, ac in receptione ad Confraternitatem* (Decr. auth. N. 329 ad 3ᵐ et N. 421 ad 2ᵐ).

Declaratio autem S. Congregationis *de servandis substantialibus* in adscriptione fidelium Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, *debet etiam, atque eodem sensu, intelligi quoad cetera scapularia* (Decr. 27 Apr. 1887; Acta S. Sed. loc. cit. ad 3ᵐ).

843. Non omnia ergo, quae in diversis scapularium formulis continentur, sunt *ad validitatem* necessario proferenda, *sed illa quidem quae sunt substantialia,* illa verba nempe quae exprimunt *benedictionem et impositionem habitus, ac receptionem in Confraternitatem,* si haec locum habeat. Attamen ad cavendum errorem vel ne oriantur dubia super formulae pronuntiationem, consultius est (si necessitas non urgeat) uti semper integris formulis, quae sunt a S. Sede approbatae, et quae inveniuntur tum

in appendice Rit. Romani, tum in parvis libellis, qui a Superioribus respectivorum Ordinum distribui solent Sacerdotibus facultatem benedicendi et imponendi scapularia petentibus.

844. Ex dictis sponte sua fluit, *ad recipiendum primum scapulare* requiri ex parte fidelium *praesentiam personalem*. Declaratum est enim, ut supra retulimus, n. 837, devotos, qui *pro ingressu* in Societatem habitum benedictum *de manu sacerdotis* auctoritatem habentis non receperunt, minime indulgentias lucrari posse (Decr. auth. N. 397).

Non est tamen inde inferendum, etiam scapularium *benedictionem* fieri necessario debere in fidelium recipientium praesentia. Si die ex. gr. statuta pro devotorum admissione in aliquam Societatem sacri scapularis, puta, in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo, Sacerdos plura scapularia benedixerit *devotos praesentes excedentia,* poterit absque nova benedictione hujusmodi scapularia jam benedicta, quae supersunt, imponere illis fidelibus, qui postea in ecclesiam sive locum conveniunt. Item in morbo, in vitae periculo, aliove urgenti casu poterit quis in aliquam Sodalitatem recipi, ei scapulare *jam benedictum* imponendo, brevioremque admissionis formulam proferendo. Fidelium enim adscriptio rata habenda est, ut supra exposuimus, *dummodo sacerdotes facultatem habentes, non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione, et impositione habitus ac in receptione ad Confraternitatem :* firma tamen manente lege, ut ab eodem Sacerdote scapularia imponantur, a quo ipsa scapularia benedicuntur.

845. Sciendum est etiam scapularium *impositionem* ubique fieri posse, id est non tantum in ecclesiis sive oratoriis, sed etiam in privatis domibus. Unde infirmi valide et licite scapularia recipere possunt ac Sodalitatibus adscribi, commorantes in cubiculis et etiam decumbentes in lecto. Ita etiam declaravit Rmus P. Generalis Carmelitarum Excalceatorum sub die 10 Martii 1856 (Cf. Beringer, tom. I, pag. 397).

846. Minime requiritur ad validitatem ut impositio scapularium *fiat circa collum,* sed sufficit si ea fiat *uni tantum humero.* Id patet ex responso S. Congregationis Indulg. ad sequens dubium:

Plures Sacerdotes, qui benedicendi imponendique scapularia facultate gaudent, ea *uni tantum humero et non circa collum fidelium imponunt.* Hic modus imponendi speciatim cum mulieribus et monialibus, quibus ob capitis tegumentum difficulter circa

collum scapularia imponi possunt, adhibetur. Et fieri omnino nequit ut mulieres et moniales, praesertim cum magna populi multitudo in ecclesiis adest, capitis tegumentum deponant. Unde quaeritur: *Utrum uni tantum humero et non circa collum Scapularis impositio valida sit necne?*

Resp. *Affirmative* (Decr. 26 Sept. 1892, apud Acta Ord. Min. ann. XII, pag. 82, 83).

847. At vero, pro valida admissione ad Confraternitates scapularium et pro indulgentiis lucrandis non sufficit, reliquis servatis, *impositio habitus duobus quidem pannis confecti, sed in una eademque extremitate funiculorum positis,* etsi postea ipsemet admissus sibi imponat habitum rite confectum; sed ita imponi debet, ut una pars ab humeris vel ab humero, altera a pectore dependeat (Cf. Decr. 18 Sept. 1862. N. 394, ad 1m).

848. Parvulis rationis usum nondum adeptis sacrum scapulare consueto ritu valide imponi potest, et isthaec impositio est sufficiens, ut cum ipsi ad rationis usum pervenerint, indulgentiis, aliisque privilegiis illud gestantibus concessis frui possint et valeant (Decr. 22 Aug. 1864. N. 410).

849. *Idem scapulare benedictum potest pluribus per vicem imponi, repetita super singulis impositionis formula.* Patet ex responso S. Congregationis ad sequens dubium:

Nonnumquam accidit, praesertim sacrarum Missionum tempore, ut, cum Sacerdos ad id legitime deputatus scapulare B. M. V. de Monte Carmelo aliudve fidelibus imponit, *deficiant scapularia* priusquam omnium fidelium votis satisfieri potuerit: hinc quaesitum est:

Utrum *unum idemque scapulare* semel benedictum valide possit *pluribus per vicem* imponi, repetita solummodo super singulis receptionis, sive impositionis formula?

Resp. *Affirmative,* ita tamen ut *primum scapulare,* quod deinceps adscriptus induere debet, *sit benedictum* (Decr. 18 Aug. 1868. N. 421 ad 1m).

850. Rite semel adscripti Sodalitati scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, si postea habitum sacrum Sodalitatis dimiserint, *non tenentur ad novam sacri habitus receptionem,* sed sufficit ut habitum sacrum ipsi denuo resumant simpliciter (Decr. 27 Maji 1857. N. 379).

851. At vero nova impositio et, ubi occurrit, nova admissio in Confraternitatem tum quidem requiri videretur, quando quis

scapulare deposuisset et Confraternitatem deseruisset ex malo animo, ex contemptu vel impietate, aut cum implicita vel explicita intentione primum et alteram derelinquendi.

§ V.

INSCRIPTIO NOMINUM IN REGESTO CONFRATERNITATIS.

852. Cum benedictio et impositio scapularium SS. Trinitatis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, et septem Dolorum (idem dicendum de scapulari B. M. V. de Mercede) *numquam separentur a receptione in Confraternitatem*, consequitur, Confratrum nomina, juxta praescriptionem S. Sedis, inscribi debere in libro respectivae Confraternitatis, secus dicti Confratres indulgentias non lucrantur (Decr. 16 Julii 1887 ad IV et V, apud Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 132).

E contra, quia benedictio et impositio scapularium, caerulei B. M. V. Immaculatae, et rubri Passionis D. N. J. C., non inducunt ingressum in Confraternitatem, inscriptio nominum in aliquo regesto, non est necessaria ad lucrandas indulgentias. Et quod revera benedictio et impositio horum duorum scapularium non inducant ingressum in Confraternitates, decisum est a S. Congregatione Indulgentiarum per Decretum diei 27 Aprilis 1887 in responsione ad hoc dubium:

An suscipientes et gestantes scapulare caeruleum B. M. V. Immaculatae, aut rubrum Passionis D. N. J. C. Confraternitates constituant?

Resp. *Negative* (Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 558 ad 5^{m}).

853. Obligatio inscribendi fidelium nomina in albo Confraternitatis nuperrime, die nempe 17 Julii 1891, confirmata est a S. Congregatione Indulgentiarum, citatis pluribus decretis super re jam editis, quae videri possunt apud Acta S. Sedis, vol. XXIV, pag. 126). Hic sufficiat duo responsa ad sequentia dubia subnectere:

I. *An non opportuna foret inscriptionis dispensatio pro locis vel dioecesibus, in quibus nulla habentur Monasteria SS. Trinitatis, vel Servorum B. M. Virginis, vel Carmelitarum?*

Resp. *Negative; et potius omnis cura impendatur ut Confraternitates erigantur SS. Trinitatis, B. M. Virginis de Monte Carmelo, et septem Dolorum in una vel altera ecclesia praeser-*

tim parochiali, ad quam nomina inscriptorum sodalium deferri poterunt.

II. *An non opportuna etiam foret sanatio et convalidatio receptionum hucusque peractarum, omissa licet inscriptione, ne fideles indulgentiis et gratiis spiritualibus defraudati remaneant et scandalum percipiant?*

Resp. *Affirmative,* et petitionem sanationum faciendam esse ab Ordinario loci.

Notandum, quod ex indulto s. m. Gregorii XVI sub die 30 Aprilis 1838 necessarium amplius non erat ad indulgentias acquirendas, ut nomina fidelium, qui *B. M. V. de Monte Carmelo scapularia recipiebant,* inscriberentur in Confraternitatis libro; quod quidem indultum minime applicari poterat aliis scapularium Confraternitatibus (Cf. Decr. 18 Aug. 1868. N. 421 ad 3m).

Ast Summus Pontifex Leo XIII, die 27 Aprilis 1887 *praedictum Gregorianum Indultum revocavit;* ac ideo in posterum Sacerdotes debita facultate praediti recipiendi Christifideles in praefatam Confraternitatem *non amplius eximuntur* ab onere inscribendi nomina fidelium in libro Confraternitatis (Vide Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 114; Act. S. Sed. vol. XIX, pag. 556).

854. Porro hujusmodi revocatio *indulta specialia* circa dictam exemptionem ab onere inscribendi nomina in catalogo Confraternitatis non attingit; ideo in suo vigore perdurant. Rem ita esse constat ex S. Congregationis responso, quod modo afferemus, paucis antea praemissis, quae ad intelligentiam casus videntur necessaria.

Anno 1887 sub die 27 Aprilis ex S. Congregatione Indulgentiarum duo decreta prodierunt a Summo Pontifice Leone XIII approbata, quorum uno decernitur, ut indultum induendi christifideles Scapulari carmelitico *commixtim* cum aliis scapularibus in posterum non amplius concedatur, ac illi omnes, etiam Regulares Ordines et Congregationes, quibus indultum ipsum, *quocumque nomine vel forma ab Apostolica Sede est concessum,* eo tantummodo *ad decennium* perfruantur ab hac die computandum. Altero autem decreto Indultum Gregorianum, seu *exemptio ab onere fideles catalogo Confraternitatis B. V. a Monte Carmelo inscribendi revocatur.*

Jam vero, Patres Societatis Jesu Neerlandiae die 20 Nov. 1862 a s. m. Pio IX, mediante S. C. de Propaganda Fide, et Patres ejusdem Societatis Belgii, die 26 Sept. 1877, a S. C. Indulgentia-

rum privilegium obtinuere *benedicendi et imponendi quinque scapularia SS. Trinitatis, B. V. a Monte Carmelo, septem Dolorum, Immaculatae Conceptionis B. V., et Pretiosissimi Sanguinis,* fidelesque in praefatas Confraternitates recipiendi etc. *absque eo quod nomina receptorum in catalogo inscribantur.* Exorto dubio *circa durationem hujus ultimi privilegii,* nempe exemptionis *inscribendi nomina receptorum in catalogo,* dubium ipsum propositum fuit solvendum S. Congregationi Indulgentiarum sequenti modo:

Utrum decretum revocans Indultum Gregorianum, supradictos Patres Societatis Jesu aeque obliget ac primum, quod benedictionem simultaneam scapularis Carmelitani revocat?

S. Congregatio resp. *Negative; admonentur tamen Patres Societatis Jesu, ut nomina receptorum in albo alicujus Sodalitatis vicinioris sive Monasterii Religiosorum respective inscribere non omittant, ne in eorum obitu suffragiis priventur, juxta responsionem in una Versaliensi d. d. 17 Sept.* 1845 (Decr. 26 Sept. 1892 ad 2^{m}; apud Act. Ord. Min. ann. XII, pag. 83).

855. Quamvis autem tum in dubio tum in responsione, de supra commemoratis Patribus Societatis Jesu dumtaxat sermo sit, tamen certum est, responsionem S. Congregationis, utpote quae revocationis decreti Gregoriani sensum interpretatur, pro ceteris etiam Sacerdotibus, si qui sint qui simile speciale indultum a S. Sede obtinuerint, valere.

Insuper notandum est, quod licet decretum revocans Indultum Gregorianum, juxta praefatum responsum non aeque obliget ac aliud decretum, quod benedictionem simultaneam scapularis Carmelitici cum aliis scapularibus revocat, attamen S. Congregatio desiderat et ideo *admonet* praedictos Patres, *ut in facto nomina receptorum in albo alicujus Sodalitatis... inscribere non omittant.*

856. Tandem adverte, Christifideles scapulari jam indutos, quorum nomina inscripta sunt *in privato regesto* Sacerdotis auctoritate pollentis benedicendi et imponendi Scapularia, incipere frui indulgentiis, respectivis Sodalitatibus concessis, *ipsa die receptionis et susceptionis SS. Scapularium et inscriptionis in dicto privato regesto,* firma tamen in eodem Sacerdote manente obligatione transmittendi nomina ad respectivam viciniorem Confraternitatem, cui fideles fuerunt adscripti (Decr. 12 Dec. 1892, et 13 Nov. 1893).

§ VI.

MODUS ADHIBENDI FORMULAM IN BENEDICTIONE ET IMPOSITIONE SCAPULARIUM.

857. Quando plures fideles adsint qui sacrum scapulare recipere cupiunt, formula benedictionis *una tantum vice in plurali numero super omnia scapularia* pronuntiatur. Id expresse enuntiatur in libello « *Ritus servandus* » Carmelitarum hisce verbis: *Si plures sint habitu induendi, preces praedictae dicantur suis locis in plurali.* — Postea adjungit, *praeter:* ACCIPE VIR DEVOTE etc. *quod unicuique seorsim dicendum est ad habitus impositionem.* Verum, haec etiam formulae pars potest *tum valide, tum licite adhiberi in plurali,* ut manifeste apparet ex modo dicendis:

Quidam presbyter dioecesis Pictaviensis S. Congregationi Indulg. sequentia exposuit:

Aliquando impositio scapularium ab Ecclesia approbatorum ita pro frequentia populi protrahitur, ut fiat cum assistentium taedio et Sacerdotis defatigatione, praesertim post primam puerorum Communionem vel exercitia Missionum, quia tunc permulti accedunt ad hos sacros habitus suscipiendos; *quae praecaverentur incommoda, si sacerdoti liceret una tantum vice dicere formulam numero plurali, imponendo successive,* sed nulla interposita mora, *scapulare fidelibus praesentibus;* quod quidem licitum videtur, cum adsit unio moralis inter formulae prolationem et impositionem scapularium, et sic efficeretur unicus et completus actus. Unde supradictus presbyter sequens dubium dirimendum proposuit:

Utrum liceat Sacerdoti in impositione scapularium ab Ecclesia approbatorum, omnibus rite peractis, dicere semel numero plurali formulam: ACCIPITE FRATRES vel SORORES *etc., imponendo successive et sine interruptione scapulare omnibus praesentibus; vel potius formula numero singulari pro singulis sit repetenda?*

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita exhibito dubio respondit: *Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam, uti decretum est in una Valentinensi die 5 Februarii* 1841 *ad dubium IV* (Decr. 18 Apr. 1891, apud Acta Ord. Min. ann. X, pag. 124).

Decretum in una Valentinensi diei 5 Febr. 1841 ad dubium IV est tenoris sequentis: *Utrum in adscribendis fidelibus Sodalitati sacri scapularis liceat uti in plurali parva formula: Accipe vir devote* etc.?

Resp. *Affirmative juxta praepositam rubricam in precibus benedictionis sacri scapularis* (Decr. auth. N. 286).

858. Cum igitur res de qua agimus clarissime definita sit a S. Congregatione Indulgentiarum, non est amplius attendendum, si quid in contrarium reperiatur assertum in foliis, libellis, vel libris. Verum tamen est, quod, ubi fideles induendi non sint valde numerosi et tempus aliaque adjuncta sinant, expedit et ad devotionem certo confert proferre vestitionis formulam *super quemlibet fidelem,* dum sacrum scapulare ei imponitur. Notetur etiam, doctrinam nunc expositam sese extendere ad actum impositionis *omnium scapularium ab Ecclesia approbatorum.*

§ VII.

MODUS DEFERENDI SCAPULARE PRO LUCRANDIS INDULGENTIIS.

859. Benedictio et impositio scapularis peractae a Sacerdote debita facultate praedito, ac etiam inscriptio nominum fidelium in libro respectivae Confraternitatis, minime sufficiunt ad lucrandas indulgentias (Decr. 22 Febr. 1847. N. 337 ad 1^{m}).

Conditiones pro acquirendis indulgentiis cujuslibet scapularis in sequenti Decreto indicantur:

Christifideles, qui in Confraternitatem sacri scapularis ingrediuntur et legitime parvum habitum recipiunt, eumque semper deferunt e collo pendentem, unaque sui parte pectus, altera scapulas contegentem, frui possunt omnibus indulgentiis a Summis Pontificibus concessis praedictae Confraternitati, dummodo tamen pia peragant opera injuncta in concessione earumdem (Decr. 12 Febr. 1840. N. 279).

Etsi hoc Decretum directe respiciat scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, tamen certum est doctrinam in eo expositam applicari debere illis quoque scapularibus, quorum devoti eadem gestantes non constituunt Confraternitatem.

860. Ut igitur fidelis, qui legitime quemlibet parvum habitum recepit, lucrari possit respectivas indulgentias, requiritur:

a) Ut *semper, die noctuque* e collo pendentem deferat, quin ullum motivum, etiam infirmitatis, ab hac conditione servanda eum dispenset. Si quis ex. gr. per integrum diem scapulare non deferret, indulgentias illa die consequi non posset. Aliter dicendum si necessitate adstrictus, per breve tempus, scapulare dimitteret, puta, ad balnea facienda etc.

b) Secunda conditio est, ut compleat pia opera injuncta in concessione earumdem indulgentiarum.

c) Ut e duabus partibus, quibus scapulare componitur, una a pectore, altera ab humeris pendeat. Si una pars deficeret, vel utraque pars a pectore tantum vel ab humeris penderet, indulgentiae non acquirerentur.

861. Scapularia non sunt necessario immediate super corpus deferenda, ita ut illud physice tangant, *sed possunt retineri super vestes* (Decr. 12 Mart. 1855. N. 367 ad 2^m).

862. Qui scapularia Montis Carmeli et Immaculatae Conceptionis accepit, utrumque gestare debet (Decr. 22 Aug. 1842. N. 307).

Item, qui piae Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo nomen dedit, atque eodem tempore inter sodales Tertii Ord. Saecul. S. Francisci cooptatus sit, *tenetur e collo pendentia gestare, ut sacras indulgentias lucretur, ambo scapularia,* nec sufficeret unum tantummodo gestare, *quamvis utrumque ejusdem coloris sit et panni* (Decr. 10 Jun. 1886, apud Act. S. Sed. vol. XIX, pag. 44 ad 1^m, et Act. Ord. ann. V, pag. 183).

863. Ex dictis eruitur, licere Christifidelibus *plura simul scapularia differentia deferre,* et lucrari indulgentias, quae cuilibet sunt propriae. — Similiter potest idem vir aggregari *multis Sodalitatibus,* et lucrari indulgentias unicuique concessas, *dummodo conditiones praescriptas impleat* (Decr. 29 Maij 1841. N. 291 ad 10^m).

Ex quo factum est, ut usus apud fideles invaluerit, ut modo melius videbimus, eodem tempore recipiendi et insimul duobus funiculis uniendi differentia scapularia.

§ VIII.

PLURIUM SCAPULARIUM SIMULTANEA TRADITIO.

864. Ab initio hujus saeculi in usu esse coepit *quatuor scapularium simultanea et compendiosa traditio, nempe SS. Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, Immaculatae Conceptionis, septem Dolorum,* quibus nuperrime additum est *quintum,* scilicet scapulare rubrum *Passionis D. N. J. C.* Haec facultas benedicendi imponendique *simul* praedicta scapularia, collata primitus alicui religioso Instituto, tempore praesertim ss. Missionum, breviori adhibita formula a S. R. C. approbata, deinde Sacerdotibus quoque saecularibus indulta est, qua etiam extra tempus ss. Missionum peragendarum ipsi utuntur (Decr. 27 Apr. 1887 in exordio, apud Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 554).

865. Ut probe cognoscatur *quomodo uniri debeant* praedicta scapularia, sequentia dubia S. Congregationi Indulgentiarum proposita transcribimus una simul cum responsis ipsius S. Congregationis:

a) Permultis in regionibus laudabilis viget usus a S. Sede approbatus gestandi *per modum unius* plura simul inter se diversa scapularia, quo in casu variorum scapularium panniculi *alii aliis superpositi duobus tantum funiculis assuuntur,* ita tamen, ut singulorum scapularium panniculi dependeant tam a pectore, quam ab humeris.

Non raro autem haec scapularia unita sic conficiuntur, ut loco plurium panniculorum diversi coloris, *unicus tantum* in utraque funiculorum extremitate *panniculus* habeatur, in quo conspicitur *ornamentum intextum* vel *acu pictum ex diversis coloribus ad significanda plura diversa scapularia.*

Quaeritur, utrum haec scapularia sint valida ?

S. Congregatio respondit: *Negative* (Decr. 18 Apr. 1868. N. 423 a 6^{m}).

Ut legenti patet, in prima dubii parte exponitur modus *legitimus* uniendi et deferendi plura diversa scapularia. In altera dubii parte modus *illegitimus* eadem conficiendi et conjungendi describitur. Ideo a S. Congregatione scapularia tali modo confecta, *invalida* declarantur. Revera scapularia hujusmodi non sunt plura

scapularia *inter se distincta,* sed est unum scapulare per *diversos colores* plura scapularia *repraesentans.*

b) Presbyter quidam facultatem habens, scapulare B. M. V. de Monte Carmelo et scapulare caeruleum Conceptionis Immaculatae compluribus dedit personis. Talia scapularia, eadem chorda conjuncta, ita per errorem confecta fuerunt, ut nullum constituerent determinatum scapulare; binae enim partes ejusdem coloris ita componebantur, ut pars pectoralis *nonnisi caerulea esset,* et pars quae ad tergum descendebat, *nonnisi coloris tanei,* vel viceversa. Quare postulatum est:

An scapulare dictae formae pro utroque scapulari valeat?

Resp. *Negative et ad mentem: mens est, valere, dummodo partes* UNIUSCUJUSQUE *scapularis ita disponantur, ut una ab humeris, altera a pectore dependeat, licet omnes uno funiculo connectantur* (Decr. 26 Sept. 1864. N. 408).

c) Cum nonnullae exortae fuerint quaestiones *circa modum exercendi facultatem in benedictione et impositione quinque scapularium* sacrae Congregationi Indulg. sequens dubium propositum fuit exsolvendum:

An pro induendo fideles quinque scapularibus totidem etiam benedictiones, impositiones ac receptiones requirantur, vel unica tantum, et quae sufficiat?

Resp. *Affirmative* ad 1^m partem; *Negative* ad 2^m, *nisi ex speciali Indulto S. Sedis, et ea formula, quae in eodem conceditur, et ad mentem. Mens est, ut qui Sacerdotes utuntur Indulto Apostolico induendi Christifideles quinque scapularibus, non benedicant scapularia nisi ea sint distincta, id est vere quinque scapularia, sive totidem, sive duobus tantum funiculis unita, et ita ut cujuslibet scapularis pars una ab humeris, alia vero a pectore pendeat, non vero unum tantum scapulare, in quo assuantur diversi coloris panniculi, prout ab hac S. Congregatione cautum est* (Decr. 27 Apr. 1887. Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 97, et Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 558 etc. ad 4^m).

866. Ex allatis declarationibus, sed praesertim ex ultima collige:

1. Scapularia *unita* debent esse *distincta,* id est vere quatuor sive quinque scapularia.

2. Prorsus invalidum est scapulare, quod loco plurium panniculorum diversi coloris, ita conficiatur, ut *ipsum solum* per diversos colores quibus ornatur, cetera scapularia repraesentet.

3. Ex eo, quod, juxta S. Congregationem, Sacerdotes benedicere non debeant scapularia, *nisi ea sint distincta,* deducitur scapularia diversa non ita conjungi debere, ut *fere unum tantum scapulare componere videantur.* Id eveniret, ut nobis videtur, si in *quatuor extremitatibus* assuerentur.

4. Infertur pariter, praefatam unionem minime esse legitimam, si ita fiat, ut parvi panniculi diversae latitudinis collocentur et assuantur *gradatim* super cetera scapularia seu panniculos, ita ut extremitates dumtaxat cujuslibet sint visibiles.

5. Scapularia diversa conjungi simul possunt vel *per tot funiculos quot sunt scapularia,* quo in casu cuilibet scapulari propria chorda conservaretur; vel *per unum funiculum dumtaxat,* assuendo etiam inter se, si placuerit, *superiores extremitates singulorum scapularium.*

6. Scapularia tali modo unita, ut majorem conjunctionem habeant, *quin tamen cessent esse inter se distincta,* possunt etiam assui in medio, ita tamen ut tres aliae extremitates separatae seu non assutae remaneant.

7. Si inter scapularia unienda illud *Passionis* reperiatur, et in conjunctione non conserventur respectivi funiculi, *sed una tantum chorda adhibeatur,* necesse est, ut haec chorda sit *ex lana rubri coloris.*

8. In scapularium unione attendatur, ut illud *SS. Trinitatis* et illud *Passionis* ponantur unum in primo, et alterum in ultimo loco, ut sic propriae imagines, quae pro ipsis sunt praescriptae, a ceteris scapularibus non obtegantur (Cf. Beringer, tom. I, pag. 402).

867. Die 27 Aprilis 1887 aliud Decretum prodiit ex S. Indulg. Congregatione « *De scapulari B. M. V. de Monte Carmelo a simultanea plurium scapularium traditione excipiendo* ». Porro scapulare Carmelitarum, ita loquitur memoratum Decretum, quod nobilitas ipsa originis, veneranda antiquitas, latissima ejusdem in christiano populo pluribus abhinc saeculis propagatio, necnon salutares per illud habiti pietatis effectus, et insignia quae perhibentur patrata miracula mirabiliter commendant, *omnino postulare videtur distinctionem honoris in ipso receptionis actu, ut non quidem cum aliis commixtim, quasi unum ex pluribus,* sed prouti in sua primitiva institutione illud B. Virgo uti tesseram propriam sui Ordinis tradidisse fertur B. Simoni Stokio, *fidelibus quoque distinctim tradatur, nec cum aliis simul scapu-*

laribus connumeretur... Hinc S. Congregationi Indulg. sequens dubium discutiendum propositum fuit:

Utrum conveniens sit scapulare B. V. M. de Monte Carmelo, honoris et devotionis causa, separatim potius et distincte, quam cumulative et commixtim cum aliis quatuor vel pluribus Scapularibus benedicere et imponere?

Emi Patres die 26 Martii 1887, re mature perpensa, rescripserunt: *Affirmative;* et consulendum SSmo, ut Indultum hucusque in perpetuum concessum, etiam *Regularibus Ordinibus et Congregationibus induendi christifideles scapulari Carmelitico commixtim cum aliis scapularibus revocetur, et ad determinatum tempus coarctetur, neque in posterum amplius concedatur.*

SS. D. N. Leo Papa XIII sub die 17 Aprilis 1887 Patrum Cardinalium responsionem *approbavit, decrevitque ut praefatum Indultum in posterum non amplius concedatur, ac illi omnes, etiam regulares Ordines vel Congregationes, quibus Indultum ipsum, quocumque nomine vel forma ab Apostolica Sede est concessum, eo tantummodo* AD DECENNIUM *perfruantur ab hac die computandum* (Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 554; Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 113).

868. Notandum est, allatum Decretum referri tantum *ad ritum separatim benedicendi ac imponendi scapulare,* non autem per ipsum prohiberi, quominus dictum scapulare gestetur postea cum aliis unitum. Generatim dici potest, licere fidelibus *absque licentia speciali,* deferre inter se conjuncta scapularia diversa, idque ob rationem modo adductam, quod scilicet praescriptiones de hac re respiciunt *ritualem benedictionem et impositionem* scapularium.

869. Sacerdos legitima facultate praeditus benedicendi et imponendi scapularia diversa, nequit *sine speciali indulto* eadem *commixtim* benedicere et imponere, *utendo breviori formula* pro Redemptoristis approbata.

Attamen qui plura scapularia benedicendi imponendique facultatem obtinuit a respectivi Ordinis Superiore, *valide quidem, sed non licite* uti posset breviori formula a SS. Rituum Congregatione approbata, *non obtenta ad hoc a S. Sede facultate speciali* (Decr. 12 Sept. 1883 apud Rescr. auth. N. 444, pag. 680 ad 3m).

870. Praefata facultas quatuor vel quinque scapularia *uno opere conjuncta benedicendi et imponendi sub unica formula* obtineri potest tum a Secretaria Brevium vel Memorialium, tum a SS. Rituum Congregatione et a Congregatione de Propaganda Fide; sed advertendum est, quod hujusmodi concessio obtenta, *sola* minime sufficit *ad validam memoratorum scapularium benedictionem et impositionem,* sed insuper necessarium est, ut habeatur vel obtineatur facultas dicta scapularia benedicendi et imponendi *a respectivi Ordinis Superiore,* et hoc etiamsi in concessionis indulto nulla facta fuerit restrictio (Decr. eod. ad 1m).

871. Ergo facultas quae obtinetur a S. Sede *benedicendi et imponendi sub unica formula quatuor vel quinque scapularia uno opere conjuncta, supponit aliam facultatem* vel obtentam vel obtinendam *a respectivis Superioribus,* benedicendi et imponendi singillatim eadem scapularia. Et nota discrimen inter utramque facultatem: Qui a *respectivis Superioribus* obtinuit facultatem benedicendi et imponendi quatuor scapularia, *si absque speciali indulto* uteretur breviori formula approbata, *valide* benediceret et imponeret, quamvis *non licite.* Qui e contrario obtinuit *a S. Sede* indultum benedicendi et imponendi *cumulative sub unica formula* dicta scapularia, si benediceret et imponeret, *non obtenta prius a respectivis Superioribus* facultatem eadem benedicendi et imponendi, *nec licite nec valide* ageret. Benedictio et impositio essent *validae* in primo casu, quia *omnia substantialia* concurrunt: essent autem *illicitae,* quia ex S. Sedis praescriptione *formulae ordinariae adhiberi debent* in benedictione et impositione scapularium, nisi ad aliter faciendum obtenta fuerit a S. Sede specialis facultas. — Benedictio et impositio essent *invalidae* in secundo casu, quia deest *conditio essentialis* a S. Sede ad validitatem requisita et supposita, nempe *facultas a respectivis Superioribus obtenta* benedicendi et imponendi singillatim scapularia.

872. A nunc expositis excipiendus est casus (ut per se facile intelligitur) in quo tum facultas benedicendi et imponendi scapularia, tum facultas utendi unica et breviori formula, *expressis verbis* tributae forent in ipso rescripto concessionis.

873. Per Decretum S. R. C. sub die 29 Julii 1886 approbata fuit « *Formula benedicendi quinque* (praedicta) *scapularia, SS. Trinitatis, Passionis D. N. J. C., B. M. V. de Monte Carmelo, Immaculatae Conceptionis, et septem Dolorum* ». Hujusmodi for-

mula videri potest apud Acta Ord. Min., anno VI, pag. 33. Cum autem, ut supra dictum est, non amplius liceat scapulare de Monte Carmelo commixtim seu cumulative cum aliis scapularibus benedicere et imponere, in Append. Ritualis Romani habetur eadem formula, iis suppressis quae scapulare de Monte Carmelo respiciunt, eaque utuntur ex privilegio Apostolico Sacerdotes Congregationis SS. Redemptoris dumtaxat (1). Ceteri enim Sacerdotes legitimam facultatem habentes benedicendi et imponendi praedicta scapularia, *speciali indulto* indigent, ut *eadem unica formula licite* uti possint.

874. Sciendum est etiam Summum Pontificem Leonem PP. XIII per rescriptum S. C. de Propaganda Fide die 20 Julii 1884 *sanasse* omnes receptiones *invalidas* ad Sodalitatem vel ad *scapularia quaecumque,* bona fide antea peractas. Proinde omnes adscripti cum aliquo defectu, ab hinc (nempe ante praedictam da-

---

(1) Sacerdotes Congregationis SS. Redemptoris speciales habent facultates quoad benedictiones et impositiones scapularium. Praecipuas innuimus, desumptas tum ex *Decr. Auth.* N. 350. tum ex parvo libello, cui titulus « L*e Petit Trésor spirituel* etc. dixième édit. R. P. Jacques Redemptoristae, Tornaci ann. 1878 edito; Vid. etiam Nouv. Revue Théol. tom. XIX, pag. 385 et seqq.

1. Patres Redemptoristae a *Superioribus Generalibus* respectivorum Ordinum obtinuerunt *in perpetuum* facultatem benedicendi et imponendi quatuor principaliora scapularia, et aggregandi fideles Confraternitatibus eorumdem scapularium.

2. Hujusmodi facultates extensae sunt a S. Sede etiam *ad illa loca, ubi Conventus eorumdem Ordinum existunt.*

3. Redemptoristae facultate gaudent in perpetuum recipiendi fideles in Confraternitates, utendo *unica formula* et *unica impositione,* ex quo fit ut ipsi semper benedicant scapularia *inter se unita.* (Hodie tamen excipiendum est scapulare de Monte Carmelo).

4. Licet eis, occasione sacrarum Missionum vel magni concursus populi, praedicta scapularia benedicere et fidelibus distribuere, *quin Sacerdotes propriis manibus imponant,* id relinquendo ipsis fidelibus. Tali modo devoti valide ingrediuntur Confraternitates, et indulgentias participant.

5. Praefati Sacerdotes *a lege inscribendi nomina* fidelium in albo Confraternitatis *sunt exempti.*

6. Item eximuntur a praescriptione benedicendi scapulare *SS. Trinitatis toties quoties renovatur* (Hujusmodi praescriptio sublata est: vid. n. 839).

7. Redemptoristae confessarii potestatem habent *commutandi* opera praescripta *pro privilegio sabbatino.*

8. Facultatem habent impertiendi absolutionem generalem cum indulgentia plenaria *in articulo mortis.*

tam) indulgentias singulis scapularibus proprias lucrari valent (Acta S. Sed. vol. XVII, pag. 242).

§ IX.

CONSPECTU RERUM NOTABILIUM.

875. 1. Notio scapularis ejusque primitiva origo.

2. Scapularia antiquiora et recentiora, eorumque variae species.

3. Relate ad *materiam* scapularia debent esse ex lana, id est ex lanea textura seu textili *(tessuto)*; non ex textura reticulata *(maglia)*, nec etiam ex lana subcoacta *(feltro)*.

4. Quoad *formam* scapularia esse debent formae oblongae vel quadratae, seu rectangularis.

5. Binae partes, quibus constant scapularia, conjunguntur *chordis* seu vinculis.

6. Quodlibet scapulare proprium *colorem* habet ad validitatem servandam.

7. Sine legitima facultate nullus Sacerdos potest benedicere et imponere scapularia.

8. Idem qui benedicit, debet imponere scapularia.

9. Benedictio danda est juxta formulam praescriptam, ideo signum Crucis minime sufficit.

10. Ad validitatem non est necesse, ut impositio scapularium fiat *circa collum:* sufficit si ea fiat *uni tantum humero.*

11. Idem scapulare benedictum potest pluribus per vicem imponi, repetita super singulis impositionis formula, ita tamen ut primum scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet, *sit benedictum.*

12. Nomina Confratrum inscribenda sunt in libro Confraternitatis respectivae, et hoc ad validitatem, si sermo sit de Confraternitatibus proprie dictis.

13. Ut Confrater lucrari possit indulgentias Confraternitati concessas, requiritur ut scapulare die noctuque deferat e collo pendens.

14. Christifideles possunt plura simul scapularia *differentia* deferre, et lucrari indulgentias, quae cuilibet sunt propriae, dummodo praescriptas conditiones adimpleant.

15. Conceditur a S. Sede facultas benedicendi et imponendi *simul* plura scapularia, breviori adhibita formula. Excipiendum

est tamen scapulare B M. V. de Monte Carmelo, quod nequit amplius commixtim cum aliis benedici et imponi.

16. Facultas a S. Sede obtenta benedicendi et imponendi sub unica formula quatuor vel quinque scapularia uno opere conjuncta, supponit aliam facultatem vel obtentam vel obtinendam *a respectivis Superioribus.*

17. Leo PP. XIII anno 1884 sanavit omnes receptiones *invalidas* ad Sodalitates vel ad scapularia quaecumque.

ARTICULUS III.

DE SCAPULARIBUS IN SPECIE (1).

Hucusque de scapularibus *in genere* egimus, praecipuas generalesque notiones de eisdem exhibendo. Modo aliqua addimus de nonnullis scapularibus *in particulari,* de illis nempe, *quorum induitio non secum fert ingressum in aliquam Confraternitatem,* et ideo fideles gestantes talia scapularia non constituunt Confraternitatem. De scapularibus vero, quorum induitio includit ingressum *in Confraternitatem* ejusdem nominis, a qua proinde scapularia praedicta sunt inseparabilia, loquemur post tractatum de *Confraternitatibus in genere.* Ibi igitur sermo erit de Confraternitate scapularis *(albi)* SS. Trinitatis; scapularis *(tannei)* B. M. V. de Monte Carmelo; scapularis *(nigri)* B. M. V. septem Dolorum; et scapularis *(albi)* B. Mariae Virginis de Mercede.

§ I.

SCAPULARE RUBRUM PASSIONIS ET SACRATISSIMI CORDIS D. N. J. C. NEC NON ET CORDIS AMANTISSIMI ET COMPATIENTIS B. M. V. IMMACULATAE.

876. Scapulare rubrum Passionis originem trahit ab apparitione, qua, ut fertur, recreata fuit quaedam Soror Congregationis Filiarum a Charitate, a S. Vincentio de Paulo institutae. Anno 1846,

(1) Cf. Maurel: Le Chrétien éclairé sur la nature... des indulgences; P. Jules Jacques; Le Petit Trésor Spirituel; Beringer, tom. I, pag. 405; Can. Labis: Notices... sur les scapulaires.

die octava hujus Sancti in sero, praefatae Sorori apparuit Dominus Jesus in manibus tenens scapulare rubrum, duobus funiculis ejusdem coloris unitum et suspensum. In una scapularis parte repraesentabatur Jesus crucifixus, et sub cruce instrumenta Passionis reperiebantur cum his verbis per gyrum crucis: *Passio Domini nostri Jesu Christi salva nos.* In altera parte inspiciebantur impressae imagines sacrorum Cordium Jesu et Mariae cum hac inscriptione: *Sacra Corda Jesu et Mariae protegite nos.*

Hujusmodi apparitio pluries repetita fuit; et die Exaltationis S. Crucis ejusdem anni religiosa Soror audivit Salvatorem haec verba proferentem: *Magnum augmentum fidei, spei et charitatis omnibus sextis feriis reservatur iis fidelibus, qui hoc scapulare deferent.*

877. Superior Generalis Congregationis Missionum ab eodem S. Vincentio a Paulo fundatae cum esset Romae mense Junio 1847, de istiusmodi apparitionibus conferre voluit cum Summo Pontifice Pio IX. Pontifex non solum benigne eum auscultavit, sed per Rescriptum diei 25 Junii 1847 concessit, *ut Sacerdotes dictae Congregationis Missionis* (Lazaristae etiam vocati) *sanctum scapulare rubrum Passionis D. N. J. C. benedicere et imponere possint.*

Per aliud Rescriptum de dato 21 Martii 1848 idem Pontifex Superiori Generali praefatae Congregationis Missionis et Filiarum a Charitate *facultatem concessit alios presbyteros saeculares vel regulares delegandi,* ut sanctum scapulare cum indulgentiarum eidem adnexarum applicatione benedicere et imponere possint et valeant.

878. Praedictum *scapulare cum funiculis* confici debet *ex lana rubri coloris.* Ex superius dictis apparet quibusnam imaginibus utraque pars scapularis ornari debeat: videlicet una pars *habere debet imaginem Jesu Christi crucifixi;* altera *imagines SS. Cordium Jesu et Mariae.*

879. Si hoc scapulare commixtim cum aliis scapularibus deferatur, convenit ut collocetur a parte externa, ne imagines, quae in eo videntur essentiales, sint ab aliis coopertae. Item, si insimul cum aliis scapularibus illud deferatur *cum duobus vinculis tantummodo,* haec vincula debent esse ex lana rubri coloris.

880. Fideles hoc scapulare gestantes non constituunt Confraternitatem: unde nominum inscriptio minime est necessaria. Ipsi nulla alia obligatione tenentur, nisi ut illud constanter legitimo

modo deferant, et conditiones ad lucrandas indulgentias adimpleant. — Regulae, quas pro scapularibus in genere exposuimus, etiam scapulari rubro Passionis applicari debent.

881. Quod attinet *ad formulam illud benedicendi et ad indulgentias* etc. *vide folium quod Superior Generalis Congregationis Missionis dare solet Sacerdotibus,* qui ab eo petunt facultatem benedicendi et imponendi dictum scapulare. Formula reperitur etiam in Append. Ritualis Romani, et summarium indulgentiarum (non completum) penes Rescr. auth. N. 369, pag. 285.

§ II.

PAAVUM SCAPULARE SS. CORDIS JESU.

882. Hujus scapularis origo tribuitur B. Margaritae Mariae Alacoque, quae cum sciret Domini Jesu desiderium esse, ut fideles imaginem sacratissimi Cordis sui in propria deferrent persona, plures ex his imaginibus tum suis ipsa manibus confecit, tum ab aliis confici curavit. Ejus propagatio inter fideles contigit potissimum anno 1720, dum dira pestis per Massiliae civitatem grassaretur. Novissimis temporibus devotio in dictum signum, ejusque propagatio magis crevit, dum serperet in Europae regionibus asiaticus morbus et dum populus contra populum bella gereret. Fideles enim parvum scapulare SS. Cordis Jesu super se deferentes, miros salutaresque effectus experti sunt; ideo pium illud signum, tamquam praesidium et propugnaculum contra flagella, quibus humanitas affligitur, habetur.

883. Fidelibus dictum scapulare deferentibus nulla indulgentia concessa erat. Sed Summus Pontifex Pius IX, ad preces Emi Cardinalis Cullen, *indulgentiam centum dierum,* semel in die lucrandam, benigne concessit. Ex supplicatione, quam adjicimus, cognoscitur modus illud conficiendi et deferendi.

Beatissime Pater! Paulus Cardinalis Cullen, Archiepiscopus Dublinensis, Beatitudini Vestrae eo, quo par est, obsequio exponit, fideles in Hibernia, Anglia alioque ab aliquibus annis solere gestare parvam imaginem sacri Cordis Jesu *lana alba acu pictam, vel alias eidem lanae affixam e collo supra pectus pendentem,* modo fere parvi scapularis, et cum hisce verbis in lingua vernacula impressis: *Cessa! Cor Jesu nobiscum est.* Orator ad magis

augendam fidelium devotionem ac fiduciam erga sacratissimum Cor Jesu, Vestram Beatitudinem enixe rogat, ut benigne concedere dignetur *aliquam indulgentiam* iis fidelibus, qui praedictam imaginem, ut supra, devote gestaverint.

Rescriptum manu SSmi exaratum. — Die 28 Octobris 1872. *Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam benigne concedimus Christifidelibus deferentibus signum supradictum, recitando aliquam piam precem, videlicet Pater, Ave, Gloria* (Rescr. auth. N. 427, pag. 663. Acta S. Sed. vol. VII, pag. 156).

884. Praeter hoc Rescriptum, duae editae sunt Litterae Apostolicae in forma Brevis, quae ad hoc SS. Cordis scapulare referuntur. In primo Brevi de dato 28 Martii 1873 idem Pius Pp. IX, *ut piis etiam supplicationibus, quas Episcopus Ratisbonensis ipsi porrexerat,* faveret, supra memoratum Rescriptum omnino confirmavit *(pro omnibus Christifidelibus),* simul declarans praefatam indulgentiam centum dierum applicari posse per modum suffragii animabus Purgatorii.

In altero Brevi de die 20 Junii 1873 duo declarantur:

1. Scapulare illud a S. Corde Jesu nuncupatum, *non tamquam scapulare proprie dictum* et in stricto sensu esse habendum, sed tantummodo *ut signum* quoddam, prout Summus Pontifex in allato Rescripto illud designavit. Hinc illa, quae de parvis scapularibus proprie dictis statuta sunt, huic signo applicari non debent. Quare neque ejusdem benedictio, neque impositio, neque aliqua inscriptio requiritur; sed sufficit, ut hoc signum *laneum albi coloris, imaginem SS. Cordis Jesu in medio referens,* e collo supra pectus pendens deferatur.

2. Inscriptionem praefato scapulari appositam, nempe: *Cessa: Cor Jesu nobiscum est,* non esse necessariam; ita ut ejusmodi inscriptio sive retineri sive omittit possit (Rescr. auth. loc. cit. in nota).

§ III.

SCAPULARE CAERULEUM IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

885. Scapularis caerulei usum instituit primo ac mirifice propagavit venerabilis Dei famula Ursula Benincasa Oblatarum et Eremitarum a Congregatione Theatina (Neapoli) fundatrix, cujus qui-

dem praestabilis sanctimonia ab sancto Philippo Nerio meritis laudibus exornata est, ac ejus virtutes heroico gradu peractas Pius Pp. VI decreto diei 7 Augusti 1793 apertissime declaravit. Ursula ardentissima Dei charitate, ejusque gloria, ac hominum salute vehementer incensa, frequentissimis rapiebatur extasibus; quo factum est ut die Purificationis beatissimae Virginis videre promerita sit Deiparam ipsam albo contectam indumento, cui alterum caeruleum erat superpositum. Unigenitum Infantem beatissima Virgo in suis ulnis habebat, et virginum choro eadem vestimentorum forma indutarum erat comitata, quae Ursulam hisce verbis affata est: *Eja age Ursula, ut flere desinas tandem, suspiria cum purissimo cordis gaudio commutes, et quae meus tuusque Jesus, quem gremio complector, dicturus est, attentissime audias.*

Haec dulcissima Deiparae dicta divinus subsecutus est Filius, qui Ursulae dixit, se velle ut sacra extrueretur eremus, in quà eremitarum more sub *Immaculatae Conceptionis Mariae* titulo tres et triginta degerent virgines habitum induentes ejusdem formae et coloris, quo indutam vidit ipsam Deiparam, speciales gratias ac spiritualia bona quamplurima se daturum spondens hoc vitae genus ineuntibus, eaque omnia sedulo implentibus, quae in eremo sibi deinceps praescriberentur.

Tunc venerabilis Ursula Deum precata est, ut eadem beneficia iis etiam largiri dignaretur, qui in saeculo morantes, obsequia *B. Virgini Immaculatae* sincero devotoque animo profiterentur, castam vitam, juxta cujusque status obligationes, ducerent, et *parvum scapulare caerulei coloris* gestarent. Votum Ursulae exaudivit Dominus, qui, ut certam de eo redderet, concessit ut, extasi perdurante, nonnullos intueretur Angelos istiusmodi scapularia magno numero in manibus tenentes, et super terram huc illuc diffundentes.

Post hanc descriptam visionem coepit Ursula suis ipsa manibus parva scapularia efformare, eaque Christifidelibus distribuere, quae a pio quodam Sacerdote benedicta, magna reverentia et obsequio ferebantur. Quo vero magis in dies hujusmodi devota praxis propagabatur inter fideles, eo vel maxime multiplicabantur pietatis ac sanctitatis fructus; et Ursula digna facta est, quae ante obitum suum videre posset cultum hunc universe receptum ac plane constitutum (Ex opusc. *Parvi caerulei scapularis... brevis notio* etc. Theatinorum).

886. Summus Pontifex Clemens X, Brevi 30 Januarii 1671, Clericis Regularibus Theatinis, quibus jus commissum fuit eremum ab Ursula Benincasa fundatam moderandi, concessit *facultatem scapularia parva caerulei coloris benedicendi, illaque Christifidelibus distribuendi.*

Clemens XI, Brevi 12 Maji 1710, supramemoratum scapulare deferentibus aliquas indulgentias impertivit (Rescr. Auth. N. 32), quibus deinceps aliae concessiones adjectae sunt.

Pius Pp. IX, per Breve diei 19 Septembris 1851, *Praeposito Generali Clericorum Regularium Congregationis Theatinorum facultatem fecit, cujus vi quemlibet Sacerdotem saecularem vel regularem delegare valeat ad effectum benedicendi et distribuendi sacra scapularia B. M. V. a Conceptione Immaculata, prout Sacerdotes dictae Congregationis benedicere ac distribuere solent* (Rescr. auth. pag. 574, et opusc. cit.).

887. Ex decreto S. Congr. Indulgentiarum de die 22 Aug. 1842, *color caeruleus est color necessarius in scapulari Beatae et Immaculatae Mariae Virginis* (Decr. auth. N. 307 ad 1^{m}).

888. Mariae Virginis imago, quae panno vel sagulo conjungi solet, ornamenti loco habenda est, ut Christifidelium pietas magis magisque excitetur.

Scapulare semper diu noctuque super humeros gestetur oportet, ita ut anterior pars ex humeris ad pectus, posterior ad tergum descendat, quemadmodum ipsa scapularis vox significat.

Obsoleto scapulari benedicto, novo, quo quemque uti necesse est, *nova non indiget benedictione.* Ceterum quae exposuimus de scapularibus in genere, etiam scapulari caeruleo applicari debent.

889. Fideles gestantes scapulare caeruleum Immac. Concept. B. M. V. non constituunt Confraternitatem proprie dictam. Non est ergo necessarium, ut eorum nomina in aliquo regesto inscribantur. Attamen PP. Theatini transcriptionem nominum et ad eos transmissionem consulunt, *si facile et quando fieri poterit.* Hoc autem pro eorum notitia petunt, ut scilicet ipsis diffusio scapularis et multiplicatio devotorum aliquo modo innotescat.

890. Cum hujus scapularis benedictio et impositio sit propria Clericorum Regularium Theatinorum, ad eorum Praepositum Generalem recurrendum est pro hujusmodi facultate obtinenda.

Formula seu *ritus* idem scapulare benedicendi et imponendi habetur tum in Append. Ritualis Romani, tum in supra citato libello.

891. Praecipui fines eorum qui caeruleum scapulare suscipiunt sunt duo:

1° Peculiarem devotionem profiteri erga Virginem Matrem sub titulo *Immaculatae Conceptionis,* speciali modo hoc Deiparae privilegium honorando.

2° Deum exorare pro conversione peccatorum.

892. Ad id autem peragendum nullae preces nullumque opus praescribuntur, sed vel fidelium pietati, vel prudenti Confessario relinquitur, quodnam precum seu afflictationum genus magis aptum et opportunum sit divinae placationi obtinendae.

Quod si quis brevem et cuique aptam methodum exquirat, ea esset, ut scilicet *quotidie Angelicam Salutationem duodecies* in peculiarem duodecim privilegiorum beatissimae Virginis honorem, ac *ter Pater noster, terque Gloria Patri* in honorem SS. Trinitatis humillime recitet, sicuti S. Andreae Avellino moris erat, omnibusque id agere solerter insinuabat (Lib. cit.).

893. « Summarium indulgentiarum, quibus fruuntur Christifideles parvum caeruleum scapulare gestantes in honorem Immaculatae Conceptionis B. M. V. » reperitur penes *Rescripta authentica,* N. 57, pag. 574, necnon apud cit. opusculum. — Indulgentiae tum plenariae, tum partiales praedictis Sodalibus concessae, sunt revera numerosissimae.

894. Ex tot favoribus sequentes commemoramus:

1° Sodales scapularis caerulei Immac. Conceptionis recitando *sex Pater, Ave* et *Gloria* in honorem SS. Trinitatis et Deiparae Virginis Immac., orando pro haeresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae atque christianorum Principum pace et concordia, omnes lucrifaciunt indulgentias, animabus quoque Purgatorii applicabiles, *septem Basilicarum Romae, Portiunculae, Jerusalem,* et *S. Jacobi de Compostella,* et quidem *toties quoties, et in quocumque loco* preces ipsas effuderint, servato tamen decreto diei 7 Martii 1678, cujus initium, *Delatae saepius;* nec est necesse alias addere preces, aut suscipere Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae (Decr. 14 Apr. 1856, N. 374); nec pariter necesse est dictas preces recitare *flexis genibus* (Decr. 18 Sept. 1862. N. 398).

2° Pius Pp. IX sub die 3 Decembris 1847 praedictum scapulare gestantibus concessit, ut iis in locis, in quibus deest ecclesia Clericorum Regularium, quam ad lucrandas quasdam ex su-

pradictis indulgentiis adire, ibique orare deberent, *aliam ecclesiam, in qua tamen aliquod adsit altare B. Mariae Virginis, substituere valeant.*

3° Quoties Missae sacrificium celebratur pro aliquo defuncto, qui sacrum scapulare caeruleum gestaverit, *altare,* in quo illud Deo offertur, tamquam *privilegiatum* habetur (Rescr. auth. Summar. pag. 579).

§ IV.

SCAPULARE BEATAE MARIAE VIRGINIS DE BONO CONSILIO.

895. Inter innumeros honoris titulos, quibus beatissima Virgo Maria ab Ecclesia salutatur, ille singulari modo piis fidelium auribus dulciter insonat, quo Deipara nuncupatur *Mater Boni Consilii.* Et quamvis Coeli Regina tali titulo a fidelibus christianis jam ab antiquis temporibus donata sit, tamen mos hujusmodi beatam Dei Genitricem appellandi ac venerandi Genestani *(Genazzano,* oppidum non longe ab urbe Roma distans) potissimum invaluit ex eo tempore, cum quatuor abhinc saeculis, sedente Paulo II Summo Pontifice, speciosa imago beatissimae Matris ibidem mirabiliter apparuit. Quin et pia Unio sub tali vocabulo a Moderatoribus ecclesiae Ordinis Eremitarum sancti Augustini inibi existentis, de Prioris Generalis Ordinis ipsius consensu, instituta est, quam Benedictus XIV approbavit et confirmavit, atque inviolabili Apostolicae firmitatis patrocinio munivit, ipseque ac alii Summi Pontifices indulgentiis ditaverunt.

896. His autem temporibus nostris, populorum christianorum necessitatibus urgentibus, mirum quantum hujusmodi cultus ceperit incrementi. Unde factum est, ut Christifideles desiderium patefecerint signum aliquod seu scapulare gestandi *a beata Virgine de Bono Consilio* nuncupatum, quo sibi uberius ipsam Bonorum Consiliorum Matrem demereri valeant. Quocirca Rmus P. Fr. Aurelius Martinelli, Moderator Generalis praefatae piae Unionis, ab Apostolica Sede humilibus precibus efflagitavit, ut singulis pro tempore directoribus uniuscujusque sedis, tam nempe Priori Generali Ordinis Augustinianorum, quam Moderatori pro tempore piae Unionis Genestanae, tribueretur facultas benedicendi atque utriusque sexus fidelibus imponendi Scapulare in honorem almae Dei

Parentis sub enuntiato titulo *de Bono Consilio.* Quibus precibus Sacra Rituum Congregatio rescribendum censuit: *Supplicandum Sanctissimo pro concessione scapularis juxta schema a sacra Congregatione approbandum et penes eam adservandum favore Ordinis Eremitarum S. Augustini; cum facultate subdelegandi et cum indulgentiis ab eodem Sanctissimo Domino Nostro impetrandis: quoad formulam vero benedictionis et impositionis ejusdem scapularis, ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 19 Decembris anni 1893.

897. Summus Pontifex Leo XIII in tot tantisque rerum ac temporum perturbationibus auxilium enixe implorans a sanctissima Dei Genitrice, exhibitum scapulare ejusque formulam, ab eodem Emo Ponente (Card. Vincentio Vannutelli), una cum praedicto Sanctae Fidei Promotore (Rmo Augustino Caprara) revisam et emendatam, *approbavit juxta mentem sacrae ipsius Congregationis, simulque facultatem illud benedicendi atque imponendi Patribus Ordinis Eremitarum S. Augustini cum expetitis Indulgentiis, et cum facultate subdelegandi benigne concessit.* Die 21 Decembris 1893 (Vid. integrum Decret. apud Acta S. Sedis, vol. XXVI, pag. 503; et apud *Anal. Ecclesiast.* ann. II, p. 114).

898. Collige: 1° Scapulare B. M. V. de Bono Consilio approbatum est a S. Sede.

2° Facultas illud benedicendi et fidelibus imponendi Ordini Eremitarum S. Augustini concessa est, cum potestate alios Sacerdotes subdelegandi.

3° Sacerdotes proinde, qui hujusmodi facultatem habere desiderant, ad Priorem Generalem laudati Ordinis recurrere debent.

4° Formula benedictionis inferius posita a Summo Pontifice approbata est.

5° Indulgentiae pariter, prout in sequenti elencho, fidelibus praefatum scapulare gestantibus elargitae sunt.

6° Fideles gestantes scapulare B. M. V. de Bono Consilio non constituunt Confraternitatem. Nullibi enim nec in formula benedictionis, nec in aliis actis fit mentio de ingressu in Confraternitatem. Unde inscriptio nominum in aliquo Regesto non est per se necessaria.

899. Scapulare istud conficiatur ex binis de more partibus laneis albi coloris simul conjunctis per duplicem chordulam seu vittam. Altera pars habeat superimpositam imaginem impressam

in serica vel simili materie Imaginem B. Mariae, quae colitur in Sanctuario Genestani cum verbis inscriptis: *Mater Boni Consilii.* Pars vero altera referat applicitum stemma pontificale, videlicet trinam coronam cum clavibus et verba inscripta latine seu vernacule: *Fili, acquiesce consiliis ejus* (Leo XIII).

900. Indulgentiae a Summo Pontifice Leone XIII concessae Christifidelibus scapulare B. M. V. Boni Consilii Matris gestantibus, sunt sequentes:

Plenariae. Plenariam omnium admissorum indulgentiam utriusque sexus Christifideles lucrari queunt, animabus quoque in Purgatorii igne detentis applicabilem, in sequentibus diebus, *dummodo rite confessi et ad sacram Synaxim accesserint:*

1. Die, qua B. M. V. Boni Consilii Matris scapulare suscipiant, vel Dominica, aut in aliquo festo eam immediate sequenti.

2. Die 26 Aprilis, vel aliqua infra Octavam festi B. M. V. Boni Consilii Matris.

3. In articulo mortis, dummodo rite confessi et sanctissima Eucharistia refecti, corde saltem, si nequeant ore, SSmum Iesu Nomen invocaverint.

4. In festis Immaculatae Conceptionis, — Nativitatis, — Annuntiationis, — Purificationis, — et Assumptionis B. M. V., itemque in festo S. Augustini Episcopi Confessoris Ecclesiaeque Doctoris.

Partiales. 1. Indulgentiam *septem annorum* ac totidem quadragenarum, pari modo animabus piaculari igne cruciatis applicabilem, consequi possunt fideles utriusque sexus in festis Praesentationis et Visitationis B. M. V., dummodo corde contrito ecclesiam vel publicum oratorium inviserint, ibique aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces fuderint.

2. *Centum dierum* indulgentiam, quoties corde vel ore Deiparae Virginis Consilium invocaverint.

3. Item indulgentiam *centum dierum,* quoties corde contrito, et pro conversione peccatorum bonum aliquod opus exegerint.

901. *Formula benedicendi atque imponendi scapulare B. M. V. a Bono Consilio.*

Suscepturus scapulare genuflectit, ac Sacerdos stola alba indutus, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui magni Consilii Angelus et admirabilis Consiliarius per Incarnationem tuam adfuisti: hoc scapulare beatae Mariae, Matris tuae a Bono Consilio bene ✠ dicere digneris; ut haec insignia gestantes per gratiam tuam recta consilia secuti, bonis perfrui mereantur aeternis: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Postea aspergit scapulare aqua benedicta, atque illud imponens, dicit:

Accipe, frater (*vel* soror), haec insignia beatae Mariae Virginis, Matris Boni Consilii; ut, ea inspirante, quae Deo placita sunt digne semper perficias, et cum electis suis consociari merearis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc prosequitur:

℣. Ora pro nobis, Mater Boni Consilii. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui Genitricem dilecti filii tui Matrem nobis dedisti, ejusque speciosam imaginem mira apparitione clarificare dignatus es: concede, quaesumus; ut, ejusdem monitis jugiter inhaerentes, secundum cor tuum vivere, et ad coelestem patriam feliciter pervenire valeamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§ V.

SCAPULARE S. JOSEPH, SPONSI B. MARIAE VIRGINIS ET ECCLESIAE UNIVERSALIS PATRONI.

902. Paucis abhinc annis, zelo praesertim Monialium Tertii Ordinis Franciscalis ab Immaculata Conceptione nuncupatarum,

civitatis Ledonis-Salinarii *(Lons-le-Saulnier)* dioecesis S. Claudii, sub directione Fratrum Minorum Capuccinorum, ortum habuit ac paulatim hinc inde propagatus fuit pius usus scapulare S. Joseph Ecclesiae universalis Patroni ad modum aliorum scapularium deferendi.

903. Hujusmodi pium signum quamvis aptum et peropportunum ad cultum erga S. Josephum propagandum et augendum a quamplurimis Galliarum, Helvetiorum, Belgarumque Episcopis recognitum fuerit, nondum tamen Apostolicae Sedis approbationem obtinuerat. Instante vero Rmo P. Brunone a Vintia Procuratore Generali Ordinis Minorum Capuccinorum, scapulare S. Joseph anno 1893 a S. Sede approbatum fuit, commissa Ministro Generali ejusdem Ordinis potestate dictum scapulare benedicendi, cum facultate Sacerdotes sive saeculares sive regulares ad hanc benedictionem et impositionem delegandi. Rescriptum Sacrae Rituum Congregationis, quo praefatum scapulare approbatur, est tenoris sequentis:

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

Ex quo cultus fidelium erga sanctum Joseph Deiparae Sponsum et catholicae Ecclesiae Patronum in sacra Liturgia auctus fuit, pius usus benedicendi ac deferendi scapulare in ejus honorem, annuentibus et opitulantibus sacrorum Antistitibus, invaluit praesertim in Galliis atque Helvetiorum et Belgarum regionibus. Cum vero ad illius propagationem Alumni Ordinis Minorum sancti Francisci Capulatorum in memoratis regionibus jugi studio adlaboraverint; hinc Rmus P. Fr. Bruno a Vintia, Procurator ac Definitor totius Ordinis, ab Apostolica Sede humillimis datis precibus efflagitavit, ut Rmo P. Ministro Generali pro tempore Ordinis ipsius tribueretur facultas benedicendi atque utriusque sexus fidelibus imponendi praedictum scapulare, cum potestate ad hujusmodi scapularis benedictionem et impositionem Sacerdotes sive Saeculares sive Regulares delegandi.

Quibus ab Emo et Rmo Domino Cardinali Raphaële Monaco La Valletta Episcopo Ostiensi et Veliternensi, Causae Ponente, in ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato relatis, Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, ac audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt:

Pro gratia, si Sanctissimo placuerit; verum sub conditione, ut color et forma praefati scapularis sit eadem ac illa, quae jam obtineat in dioecesi Veronensi, et pro benedictione et impositione ejusdem scapularis adhibeatur formula huic Decreto praevia. — Die 15 Aprilis 1893.

Facta postmodum de his per me infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, *Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit,* die 18 iisdem mense et anno.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA, *S. C. R. Praef.*
VINCENTIUS NUSSI, *Secr.*

904. Scapulare igitur S. Joseph Deiparae Sponsi approbatum ab Ecclesia est, sub conditione tamen:

Ut color et forma sit eadem ac illa, quae jam obtinet in dioecesi Veronensi. Sciendum est enim jam ab anno 1865 in ecclesia S. Nicolai civitatis Veronensis, approbante Rmo Ordinario dioecesano, erectam fuisse piam Unionem sub patrocinio S. Josephi Sponsi B. Mariae Virginis, postea titulo Archiconfraternitatis decoratam. Ejusmodi autem Archiconfraternitatis Sociis, tamquam ipsius tessera tradebatur et traditur quoddam scapulare, a quo Sodalitas nomen mutuata est. *Praefatum scapulare deinde reformatum et juxta novum typum ad mentem sacrae Rituum Congregationis redactum, ab eadem S. Congregatione approbatum fuit die* 8 *Julii* 1880.

905. Quapropter scapulare *album* Ledonis-Salinarii, licet valde propagatum per regiones Galliarum, Helvetiorum et Belgarum, reducendum est ad colorem et formam scapularis Veronensis, utpote jam antea a sacra Rituûm Congregatione approbatum. Non enim expediret, ut duo extent in honorem S. Joseph et sub eodem titulo scapularia inter se diversa.

906. Praedicti scapularis *approbatio* ad universam sese extendit Ecclesiam, dum *approbatio* scapularis Veronensis pro sola Veronensi dioecesi vim suam et virtutem explicat. Nam Archiconfraternitati in illa civitate existenti facultas aggregandi fideles aliarum dioecesium non est concessa.

907. Scapulare S. Joseph ab Ecclesia approbatum duabus partibus albo funiculo conjunctis, sicut cetera scapularia, constat.

A ceteris scapularibus in colore praecipue differt: color enim panniculi utriusque partis est flavus, ita tamen ut panniculus flavus utriusque partis sit superpositus panniculo coloris violacei, et cum eo assutus. Duae imagines sacrum scapulare decorant, nempe in una parte imago S. Josephi cum divino Infante in ulnis et cum hac invocatione inferius posita: *S. Joseph, protector Ecclesiae, ora pro nobis;* in altera parte imago stemmatis Summi Pontificis cum hac inscriptione: *Spiritus Domini ductor ejus.*

908. Ordo Capuccinorum, juxta clausulam in supra allato Decreto expressam, nempe « *sub conditione, ut color et forma praefati scapularis sit eadem ac illa, quae jam obtinet in Dioecesi Veronensi,* formam et colorem scapularis Veronensis, omissa forma primaeva scapularis albi S. Joseph, illico adoptavit, videlicet: panniculum ex lana violaceum, supra quo, tamquam supra principaliori, assuitur alius panniculus flavus ex quadam textura, ut videtur, lanae et gossypii, imagini S. Joseph imprimendae sat idonea, utrumque petiolum, nempe ex parte pectoris et ex parte humerorum, consueto more colligat fascia alba. Porro inter varia scapularis Veronensis exemplaria hic inde sparsa, quaedam apparet discrepantia, eo quod pars violacea videtur ex gossypio cum quadam mixtura intextus; pars vero flava, in qua depingitur imago S. Joseph, similis apparet lanae laminatae aut hujusmodi: non enim possibile est imaginem imprimere supra lana reticulata.

Jam vero quum haec inter utrumque scapulare discrepantia disceptationes ingenerare queat, hinc Rmus P. Minister Generalis Ordinis Capuccinorum Sacram Congregationem Indulgentiarum supplex adivit, ut benigne declarare dignaretur, scapulare prouti supra descriptum et nunc apud PP. Capuccinos in usu est receptum, quum revera formam et colorem retineat illius Veronensis juxta id quod S. Rituum Congregatio praescripsit, haberi posse uti legitimum, ita ut qui fideles praedictum scapulare induerint, gaudeant indulgentiis aliisque spiritualibus gratiis illud gestantibus concessis.

Porro S. Congregatio, omnibus perpensis, declaravit: *Praefati scapularis usum uti legitimum retineri posse, ideoque fideles illud gestantes gaudere omnibus indulgentiis eidem adnexis* (Decr. 6 Maji 1895; Nouv. Rev. Théolog. tom. XXVII, pag. 369).

909. Notum est, colores S. Joseph, juxta iconographiae christianae traditionem, esse *flavum, violaceum* et *album. Flavus* sive

aurum, justitiam ejus et sanctitatem indicat; *violaceus,* symbolum est suae humilitatis et modestiae; *albus,* perfectissimam puritatem ejus significat.

910. *Finis scapularis* quinam sit, satis indicatur tum ab inscriptionibus, tum a coloribus. Accedamus ad Joseph, ut ipso protegente, virtutes ejus imitemur, praesertim humilitatem, puritatem et sanctitatem. Accedamus ad Joseph, eumque enixe precemur, ut Ecclēsiam sanctam, cujus ipse potentissimus Protector est, protegat atque ab infensis hostibus defendat. Accedamus ad Joseph, eumque cum fiducia rogemus, ut ad extremum vitae nostrae validissimum patrocinium suum nobis praestet, animamque agamus in societate Jesu, Mariae et Joseph.

911. *Conditiones* ad lucrandas indulgentias scapulari S. Joseph a Summo Pontifice concessas, sunt: a) Deferre die noctuque praedictum scapulare; b) Implere opera injuncta pro qualibet indulgentia acquirenda praescripta.

Sufficit ut primum scapulare sit benedictum: cetera quae in posterum assumuntur, non sunt necessario benedicenda. Inscriptio nominis in aliquo Registro non requiritur. Scapulare S. Joseph eodem modo gestatur, quo cetera scapularia, ita nempe, ut una pars ab humeris, altera a pectore dependeat (Super hoc scapulari consule *Analecta Ecclesiastica* ann. I, 1893, pag. 213 et sqq.).

912. *Indulgentiae.* Sacra Congregatio Indulgentiarum, utendo facultatibus a Summo Pontifice Leone XIII sibi specialiter tributis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui scapulare S. Josephi Sponsi B. M. V. juxta formam a S. Rituum Congregatione recognitam et approbatam confectum et rite benedictum a Sacerdote debita facultate praedito susceperint, illudque devote gestaverint, indulgentias uti sequitur benigne concessit, nempe:

Plenariam.

1. Eadem die qua praefatum scapulare induerint;

2. In solemnitatibus D. N. J. C., id est: Nativitatis, — Circumcisionis, — Epiphaniae, — Paschatis Resurrectionis, — Ascensionis;

3. Pariterque diebus festis B. M. V., videlicet: Conceptionis, — Nativitatis, — Annuntiationis, — Purificationis, — Assumptionis;

4. Tandem in festivitatibus: S. Josephi (die 19 Martii), — et Dominica III post Pascha, qua recolitur festum Patrocinii ejusdem S. Josephi;

Dummodo singulis praefatis diebus vere poenitentes, confessi ac sacra Synaxi refecti, respectivam Parochialem aut aliam quamcumque Ecclesiam vel publicum Oratorium a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi devote visitaverint, et inibi ad mentem S. Sedis per aliquod temporis spatium pie oraverint.

5. Tandem in mortis articulo, si uti supra dispositi vel saltem contriti, SSmum Jesu Nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint.

Item S. Congregatio iisdem Christifidelibus, qui supradictam Ecclesiam vel Oratorium corde saltem contrito ac devote visitaverint *diebus Stationum in Missali Romano descriptis, ibique ut supra oraverint,* easdem indulgentias Stationum Urbis in Decreto ejusdem S. Congregationis die 9 Junii 1777 enuntiatas, clementer elargita est;

Necnon indulgentiam *centum dierum* semel in die lucrandam eisdem rite dispositis recitantibus orationem Dominicam et Angelicam salutationem cum *Gloria Patri* etc., addita devota invocatione: *S. Joseph, ora pro nobis.*

Cum facultate omnes superius recensitas indulgentias applicandi in suffragium defunctorum (Decr. 8 Junii 1893; Acta Ord. Min. ann. XII, p. 142).

913. Ritus benedicendi ac imponendi scapulare in honorem S. Joseph Sponsi B. V. M. Protectoris Ecclesiae universalis, a Sacra Rituum Congregatione praescriptus, est sequens:

Suscepturus scapulare genuflectat, et Sacerdos, stola alba indutus, capite detecto, dicat:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit coelum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui custodiae Sancti Joseph, Sponsi Immaculatae Genitricis tuae Mariae, committi voluisti, hoc vestimenti genus ad Ecclesiae tuae fidelium tutamen institutum, benedicere digneris; ut hic famulus tuus *(vel* famula tua) sub ejusdem Sancti Joseph protectione pie et tute tibi servire valeat: Qui vivis.

Postea Sacerdos scapulare aspergit aqua benedicta, illudque deinde imponit dicens:

Accipe frater *(vel* soror) scapulare S. Joseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis, ut eo protectore et custode, contra diaboli nequitias defensus *(vel* defensa) ad vitam pervenias sempiternam. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde flexis genibus, trina vice una cum adscripto, dicat vernaculo idiomate:

Sancte Joseph, protector noster, ora pro nobis.

CAPUT V.

INDULGENTIAE LOCALES, QUAE NEMPE ECCLESIIS, LOCIS PIIS AUT OBJECTIS IMMOBILIBUS ADNECTUNTUR.

Plura in hoc capite expenduntur, quae Sacerdotibus sunt scitu perutilia. Sermo habetur de indulgentiis, quae *locales* dici solent, quia quodammodo inhaerent *locis* in ordine ad personas: siquidem concessae sunt Christifidelibus *in talibus locis orantibus* vel *aliud pium opus ibi exercentibus*. Totum caput in varios articulos dispertitur juxta diversitatem locorum vel objectorum immobilium, excepta Via Crucis, quae speciale caput obtinet.

ARTICULUS I.

ECCLESIAE ET ORATORIA PUBLICA.

§ I.

CONCESSIO INDULGENTIARUM PRO FESTIS.

914. Solent Summi Pontifices *in festis* seu *festivitatibus* alicujus mysterii vel Sanctorum elargiri indulgentias *ecclesiis,* ubi hujusmodi festa celebrantur. Istae indulgentiae sunt praecipuae inter *locales,* quae per Clavium potestatem ad poenae temporalis relaxationem a Romanis Pontificibus ex Ecclesiae thesauro dispensantur.

915. Festum seu festivitas. Quamvis verbum *festum* vulgo sumatur pro festivitate *de praecepto,* duplicem habente adnexam obligationem, nempe audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, sensu tamen ecclesiastico et prout in praesenti accipitur, per nomen *festum* intelligitur dies quilibet, sive habeat

dictas obligationes sive non, in quo sancta Mater Ecclesia memoriam recolit mysteriorum vitae et passionis D. N. Jesu Christi et B. Mariae Virginis, aut celebrat commemorationem Sanctorum et Angelorum vel aliquem nostrae sanctae Religionis eventum, ex. gr. inventionem et exaltationem S. Crucis, anniversarium Dedicationis ecclesiae etc. — Quare Dominicae, vigiliae, quatuor tempora, dies Cinerum non habentur *ut festa.* Idem dicendum de tribus ultimis Hebdomadae Sanctae diebus, quia licet Ecclesia his diebus passionem D. N. Jesu Christi commemoret, non tamen solemni modo, sed potius cum moestitia ac dolore id perficit. Hac ratione sancta Ecclesia praedictos dies e festorum numero exclusit (Cf. Decr. auth. N. 392 in exordio; Beringer, p. 71, in nota).

916. Finis ab Ecclesia intentus in institutione hujusmodi festivitatum est, ut Christifideles mysteria Redemptionis nostrae recolant, et honorificent Deum in Sanctis suis. Ut autem facilius ac devotius confluerent iidem fideles ad ecclesias, Religionis nostrae mysteria ac Sanctorum memoriam in eorum festivis diebus veneraturi, necnon ad promovendam eorum utilitatem, Romani Pontifices *plures indulgentias* concessere non tantum pro festivitatibus, quae celebrantur ab universa Ecclesia, sed etiam pro iis quae in uno vel altero loco sunt institutae (Vid. Decr. cit.).

917. Loquendo in particulari de festivitatibus Sanctorum, certum est, scribit Bellarminus, *Martyres* coepisse publice invocari et eorum nominibus dies festos coli et Basilicas erigi *ab initio plane Ecclesiae; Confessores autem multo serius* hunc honorem in Ecclesia meruisse (Tom. 3 Controversiar. lib. 6, de Sacramento Euchar.).

918. Nedum pro Sanctorum, verum etiam pro *Beatorum* festivitatibus reperiuntur *antiquae concessiones indulgentiarum,* ut refert Theodorus a Spiritu Sancto, part. 2, pag. 9. Juxta vero recentiorem Ecclesiae disciplinam indulgentiae non conceduntur nisi Sanctis descriptis in Martyrologio Romano et canonizatis. Hinc S. Congregatio Indulgentiarum libellos supplices pro obtinendis indulgentiis in Beatorum, vel Sanctorum festivitatibus, quorum nomina in Martyrologio Romano descripta non sunt, vel rejicit, vel si peculiares circumstantiae concessionem indulgentiarum suadeant, eisdem rescribit: *Pro gratia, citra tamen expressionem Beati vel Sancti in Litteris Apostolicis* (Vid. Theod. loc. cit pag. 12).

919. Ab hac tamen lege excipienda est *ipsa solemnitas Beatificationis:* in ea enim non solum visitantibus Basilicam Principis

Apostolorum in hujusmodi solemniis Beatificationis indulgentia plenaria conceditur, sed etiam pro aliis ecclesiis, ubi deinde Beatificationis festivitates peraguntur. Excipitur etiam, si ex Sedis Apostolicae indulto pro aliquorum Sanctorum (qui non fuerint solemniter canonizati) festivitatibus factae fuissent similes concessiones. Sic circa concessam indulgentiam pro festo S. Rochi S. Congregatio Indulgentiarum respondit: *Nihil innovandum.* Scilicet posse concedi indulgentiam plenariam, ex quo ea concedi consueverit in festo S. Rochi anno 1677 die 6 Julii (Vid. Theod. loc. cit. pag. 13; Minderer. part. II, n. 173).

920. Cum citatis Auctoribus notamus, non esse de stylo Curiae Romanae neque expedire indulgentias concedere in festivitatibus Sanctorum *veteris Testamenti* cum expressione nominum eorumdem (Vid. Theod. p. 26).

921. *Ecclesiae et Oratoria publica* a S. Sede aequiparari solent *quoad visitationem* pro indulgentiarum lucro praescriptam. Satis est ad id probandum indulta Apostolica in concessione indulgentiae, praesertim plenariae, inspicere, quorum plurima in authentica *Raccolta* memorantur. Leo PP. XIII, ex. gr. die 11 Junii 1883 omnibus Christifidelibus, qui ceteris operibus injunctis adimpletis, quamlibet ecclesiam seu *publicum sacellum* die festo S. Francisci visitaverint... plenariam indulgentiam concessit. Idem Pontifex pro die 16 Maji 1892 indulgentiam plenariam *toties quoties* acquirendam concessit fidelibus, qui quamlibet ex ecclesiis vel *quodlibet ex publicis Oratoriis* Ordinis Carmelitarum visitaverint.

His praenotatis, nonnullas adjicimus authenticas declarationes, quae respiciunt *ecclesias* in ordine *ad indulgentias*, et vicissim.

§ II.

DECLARATIONES QUOAD INDULGENTIAS ECCLESIIS CONCESSAS.

922. Ecclesiae, capellae et oratoria publica *nondum benedicta nec consecrata,* necnon et capellae et oratoria privata tam cum privilegio more Episcoporum, quam sine hujusmodi privilegio, *capacia sunt indulgentiarum, sed de stylo eis non conceduntur* (Decr. 20 Martii 1747. N. 162).

923. *Per profanationem ecclesiae,* quae cultui restituta fuerit non amittuntur indulgentiae, jam antea eidem concessae. Nam S. Congregatio interrogata:

Utrum per profanationem ecclesiae, quae *tempore exclaustrationis* locum habuit, jus ad indulgentias penitus amissum fuerit? Resp. *Negative* (Decr. 18 Sept. 1862. N. 396).

Quare post restaurationem Conventus et Ecclesiae reconciliationem, *omnes indulgentiae et privilegia,* quae ad aliquam Confraternitatem ibi jam antea erectam spectabant, *ut primitus perseverant* (Decr. eod.).

924. Diruta ecclesia in honorem alicujus Sancti extructa, *indulgentiae eidem concessae non transferuntur ad aliam ecclesiam* etiamsi in eadem excitetur capella in honorem ejusdem Sancti (Decr. 17 Martii 1738. N. 122).

925. Indulgentia jam alicui ecclesiae concessa non cessat, si *(eadem diruta)* nova aedificetur ecclesia *fere in loco,* ubi vetus existebat, dummodo sub eodem titulo aedificetur. Cessat vero, si nova ecclesia aedificetur in coemeterio, vel in alio loco, non autem in loco veteris ecclesiae (Decr. 9 Aug. 1843. N. 323).

926. Exorto dubio circa praecisum sensum verborum *fere in loco,* quaesitum est:

An verba *fere in loco* ita accipienda sint, ut intelligantur de parva distantia a loco, puta quantum est jactus lapidis vel spatium 20 sive 30 passuum: aut contra, an accipienda sint lato sensu, ut adverbium *fere* dicatur pro muris civitatis, vel confinio oppidi, paroeciae etc.?

S. Congregatio Indulg. respondit: *Affirmative* ad primam partem: *Negative* ad secundam (Decr. 29 Martii 1886, apud Act. S. Sed. vol. XIX, pag. 93).

927. Indulgentiae ecclesiae Regularium, *quae non administratur ab Ordine religioso,* quamvis adhuc sit sub ejus regimine et auctoritate, non amplius subsistunt (Decr. 24 Maji 1819. N. 246).

In una Anconitana, ad S. Congregationem Indulgentiarum delatum fuit quaesitum: *An Ecclesia olim FF. Minorum gaudeat Indulgentiis Ordini praefato concessis, cum idem Ordo non amplius extiterit?* Hinc sequenti modo proposita sunt dubia:

1° Utrum Ecclesia Ordinis Minorum, *nunc devoluta Ordinario* propter circumstantias, in qua Sacra faciunt Sacerdotes saeculares, fruatur iisdem indulgentiis, ut primum, praecipue illa de Portiuncula?

S. Congregatio respondit: *Negative,* quoad indulgentias concessas generaliter vel specialiter omnibus Christifidelibus *visitan-*

tibus Ecclesias Ordinis Minorum, et ideo etiam quoad illam de Portiuncula.

2° Utrum ecclesia Ordinis Minorum *utique vendita,* sed sacerdoti Ordinis Minorum sine habitu Religionis tradita, ut in ipsa Sacra faciat, gaudeat pariter indulgentiis supradictis?

Resp. *Negative.*

3° Utrum ecclesia Ordinis Minorum *pariter vendita,* sed in qua ab acquirente curatur, ut Sacra aliquando fiant a presbytero saeculari, supradictis fruatur indulgentiis?

Resp. *Negative* (Decr. 10 Febr. 1818. N. 243).

In tribus expositis casibus agitur quidem de ecclesia Ordinis Minorum, sed quae tamen ad eumdem Ordinem non amplius pertinet, vel quia *devoluta Ordinario,* vel quia *vendita,* praeterquam quod eadem ecclesia in primo et tertio casu praesertim, non administratur ab Ordine religioso. Jure ergo S. Congregatio declarat hujusmodi ecclesiam non amplius gaudere indulgentiis, quae concessae sunt omnibus Christifidelibus ecclesias *Ordinis Minorum* visitantibus. Si qua vero indulgentia concessa fuerit non intuitu Religionis, sed ob specialem causam, puta ratione alicujus insignis imaginis, quae ibidem magna veneratione colitur, istiusmodi indulgentia, etiam discedentibus Religiosis, adhuc perseverat; et sic clarius patet responsum S. Congregationis ad 1^{m} dubium.

928. Ob civilem Ordinum Regularium suppressionem, eorum ecclesiae, *dummodo legitime administrentur respective ab Ordine religioso,* indulgentias eisdem affixas non amittunt. Id patet tum ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 26 Aug. 1840 (Decr. auth. N. 285), tum ex declaratione S. Poenitentiariae diei 18 Aprilis 1867 n. V, decernentis « *ut memoratae indulgentiae in ipsius Ordinis ecclesiis, quibus affixae et assignatae fuerunt, quamdiu iisdem ecclesiis aliquis Sacerdos ejusdem Ordinis legitima auctoritate praepositus fuerit, perdurare ut antea, omnino censeantur* ».

In una Placentina, Fratres Ordinis Minor. Reformatorum civitatis Placentinae postularunt a S. Congregatione:

Utrum in Ecclesiis Seraphici Ordinis, quae tempore Gallicae suppressionis ablatae fuerunt a praefati Ordinis subjectione, quaeque sub cura modo tenentur a presbyteris saecularibus, quin Regulares ullo modo suis juribus renuntiassent, indulgentiae vulgo Portiunculae, *atque aliae supramemorato Ordini concessae,*

adhuc a fidelibus lucrari possint, eo magis. quod affirmatur, s. m. Pium PP. VII hac super re aliquid declarasse?

S. Congregatio respondit: *Non constare de Summi Pontificis Pii VII s. m. declaratione, ac proinde, Negative.* Pro iis vero locis, ubi affirmativa sententia tenetur, ne scandalum in fideles oriatur, recurrendum erit ad Sanctam et Apostolicam Sedem pro ipsius indulgentiae vulgo *Portiunculae* concessione, exposita tamen causa in allato dubio citata (Decr. 29 Maji 1841. N. 290).

929. Ex dictis colligitur: 1° Indulgentias quae adnectuntur ecclesiis *intuitu existentium Regularium,* quorum propriae sunt, eosdem Regulares sequi, quorum causa sunt concessae.

2° Quare, Regularibus ex aliquo facto expulsis, easdem ecclesias dictas indulgentias amittere; iisdem redeuntibus, easdem indulgentias ipso facto reviviscere.

3° Neque esse necessarium, ut modo videbimus, juridicum proprietatis titulum, ut regularis familia sua praesentia indulgentias communicet, sed satis esse *plenam et duraturam legitimam possessionem,* qua ecclesiae a christiano populo merito censeantur eorumdem Regularium (Vid. Acta S. Sed. vol. IV, p. 328).

§ III.

DECLARATIONES QUOAD INDULGENTIAS ECCLESIIS SIVE ORATORIIS PUBLICIS HOSPITIORUM AUT RESIDENTIARUM CONCESSAS.

930. Ecclesiae et Oratoria publica *residentiarum Missionum* FF. Capuccinorum, si sunt fixa, et si ad ea confluunt fideles ad Sacrum audiendum, et ad recipienda Ecclesiae Sacramenta, gaudent indulgentiis generaliter concessis omnibus ecclesiis Conventuum ejusdem Ordinis (Decr. 11 Jun. 1732. N. 102).

931. Dubitatum est, an *hospitia* Fratrum Ordinis Minorum Recollectorum in regione Germano-Belgica fruantur Indulgentiis Ordinis. En expositio casus:

Complures domos sive parvos Conventus, quos *Hospitia* vocant, habet Ordo S. Francisci Recollectorum in regione Germano-Belgica, in quibus tres vel ad summum sex degunt Religiosi *sub jurisdictione tamen Episcoporum et dominio dominorum saecularium,* a quibus praefatas domos pro habitatione obtinuerunt. Cum autem in eis sint ecclesiae, sive potius publicae capellae, et

PP. Recollecti eas gaudere putent Ordinis indulgentiis, et *praesertim altaris privilegio,* multique contra id negent, ab hac Sacra Congregatione declaratio super hujusmodi dubio petitur, ne Christifideles, quando revera capellae praefatae indulgentiis Ordinis haud fruantur, ulterius decipiantur. Quaeritur igitur:

An capellae publicae PP. Recollectorum Ordinis S. Francisci gaudeant privilegio ecclesiarum in casu?

S. Congregatio respondit: *Negative* (Decr. 20 Sept. 1745. N. 155).

Verum, anno sequenti, praevio recessu ab hujusmodi decisione, S. Congregatio declaravit:

Omnes et singulas capellas publicas praefatorum FF. Recollectorum in regione Germano-Belgica existentes gaudere, donec residentiam inibi duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, ceteris ecclesiis ejusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas Christifideles ad Sacrum audiendum, et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant (Decr. 4 Febr. 1746. N. 157).

Eadem declaratio renovata fuit die 11 Januarii 1752 hisce verbis (Rescr. auth. N. 183, p. 147):

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 11 Januarii 1752 censuit, declarandum esse, *omnes et singulas capellas publicas* praefatorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum in Germania, Polonia, Hungaria, Bohemia, Transylvania, Prussia, Russia, aliisque conterminis provinciis existentes *gaudere, donec residentiam inibi praefati Fratres duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, ceteris ecclesiis ejusdem Ordinis generaliter concessis,* dummodo ad illas capellas Christifideles ad Sacrum audiendum et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant. De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino relatione die 15 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. I. Card. Portocarrero, *Praef.*
A. M. Erba, Prot. Apostolicus *Secret.*

De iisdem ac similibus decisionibus fit mentio in decreto S. Congregationis Indulg. de die 18 Augusti 1868 (Decr. auth. N. 424).

His decisis « nonnulli in dubium revocare coeperunt, utrum nomine ecclesiarum pro indulgentiis praefatis acquirendis veniant, necne, capellae et oratoria earumdem Missionum, *ubi publicae ecclesiae non habentur, nec haberi permittuntur* ». Hinc quaesitum est: An sub nomine ecclesiarum veniant etiam *capellae et oratoria* PP. Recollectorum Ordinis S. Francisci Missionum nationis Germano-Belgicae, ita ut illa gaudere valeant indulgentiis a SSmo D. N. ecclesiis dictarum Missionum concessis in casu?

S. Congregatio respondit: *Affirmative, dummodo ibi peragantur sacrae functiones consuetae;* quae resolutio a Summo Pontifice fuit approbata (Decr. 9 Apr. 1755. N. 204).

932. De oratoriis sive capellis, praedictis hospitiis seu residentiis adnexis, non taedeat aliud exemplum audire, quod legitur, apud *Rescripta authentica* n. 176, pag. 175. Id juvat ad melius cognoscendum an et quando oratorium hospitio adnexum indulgentiis gaudeat respectivi Ordinis Regularis.

Nonnullis in dubium revocantibus utrum ecclesia cujusdam Hospitii oppidi Canillas de Aeytuno Malacen. Dioecesis, in quo *sex tantum alumni Tertii Ordinis* (Regularis) de Poenitentia S. Francisci commorantur, revera gaudeat privilegiis et maxime indulgentiis eorum Ordini concessis, ad removendum obortum dubium dictorum Alumnorum nomine declaratio petitur, et quatenus opus sit, pro illarum nova concessione huic S. Congregationi supplicatur.

Tota dubitandi ratio in eo potissime versatur, ecclesiam de qua sermo est, *veri Conventus* ecclesiam haud esse, sed tantum *simplicis Hospitii,* ita ut potius *oratorium* dici posse videatur, quam ecclesia...

Verumtamen Oratorum templum verae ecclesiae, quam oratorii nomen promereri videtur; in eo etenim *SS. Eucharistiae Sacramentum jugiter asservatur, veneratur imago Deiparae sat miraculis clara, verbum Dei annuntiatur, et Sacramenta tum Poenitentiae tum Eucharistiae administrantur Fidelibus*... Quibus in terminis non raro S. Congregatio declaravit, hujusmodi ecclesias sive oratoria reliquarum Ordinis ecclesiarum generalibus indulgentiis gaudere... Quaeritur ergo:

An ecclesia hospitii oppidi Canillas gaudere valeat indulgentiis Tertio Ordini de Poenitentia S. Francisci concessis?

S. Congregatio die 30 Martii 1751 respondit: *Affirmative, et Sum-*

mus Pontifex Benedictus XIV die 3 Aprilis ejusdem anni *hujusmodi resolutionem approbavit.*

Ex expositis statui potest hoc generale principium: Hospitiorum Ordinum regularium *oratoria publica,* in quibus administrantur Sacramenta, aliaque divina Officia habentur, gaudere indulgentiis, quibus gaudent ecclesiae Conventuum respectivi Ordinis.

933. Ut autem ecclesiae et oratoria publica Indulgentiis Ordinis gaudeant, omnino requiritur ut Conventus et Hospitia, quibus ecclesiae ipsae et oratoria sunt adnexa, sint *canonice* erecta, nempe *cum licentia Episcopi et beneplacito Apostolicae Sedis.* Non enim est praesumendum, S. Sedem favoribus cumulare illos, qui contra legem a se latam agunt. Porro Romani Pontifices et Sacrae Congregationes pluries prohibuerunt ne Regulares sine expressa licentia Episcopi monasteria, domos, collegia, conventus et alia loca regularia quovis nomine nuncupata erigant (Vid. Const. Urbani VIII *Romanus Pontifex* et cf. cl. P. Piat, Praelect. Juris Regularium, tom. 2, pag. 459).

Porro Innocentius XII Constit. *Instaurandae,* idibus Octob. 1652, ita statuit « Hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium... in aliqua civitate, castro, villa, seu loco ad habitandum domos de novo recipere, seu monasteria vel collegia incipere vel fundare praesumat *absque Sedis Apostolicae licentia speciali* ». Si secus fiat, *et poenae et nullitas erectionis* diserte sancitur (Vid. Bizzarri, Collectanea, pag. 83). Et quamvis inter Canonistas disputatum fuerit, an citata Constitutio obliget etiam extra Italiam, omnem tamen dubitationem sustulit Summus Pontifex Leo XIII per suam Constitutionem *Romanos Pontifices* ad Episcopos et Missionarios Regulares Angliae et Scotiae datam octavo idus Maji 1881. Allatis enim super re Praedecessorum suorum ac SS. Congregationum decisionibus, ex quibus eruitur, non licere Regularibus *tam intra quam extra Italiam,* nova Monasteria aut Conventus sive Collegia fundare, sola Episcopi, aut Vicarii Apostolici venia impetrata, sed indultam quoque a Sede Apostolica facultatem requiri, laudatus Pontifex declarat et definit « *Sodalibus Religiosis novas sibi sedes constituere, erigendo novas Ecclesias, aperiendove Coenobia, Collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae, non licere* » (Vid. Const. apud Acta Ord. Min. tom. I, pag. 49).

934. Dictum est, *Hospitia* quoque (oratoria publica habentia) esse debere *canonice* erecta, ut indulgentiis gaudeant. Revera si

id requiritur pro fundatione Conventus, a fortiori id est affirmandum pro fundatione Hospitii, *quod annexam habeat ecclesiam sive oratorium publicum;* secus enim potioris esset conditionis Hospitium quam Conventus. Accedit, quod Hospitia hujusmodi, quae nempe adnexam habent ecclesiam vel publicum oratorium, in quibus pulsantur campanae, atque administrantur Sacramenta, sunt *loca vere religiosa* et parum differunt a Conventibus, imo, juxta S. Rotam apud Ferraris, discrepantia eorumdem locorum a ceteris monasteriis consistit dumtaxat *in palliato nomine Hospitii;* et propterea si erigi possent absque debitis requisitis, Apostolicae Constitutiones certam edicentes formam in constructione monasteriorum servandam, remanerent elusoriae (Cf. Ferraris, verb. *Hospitium* et etiam verb. *Conventus).*

935. Erectione novi *Conventus* sive *Hospitii* canonice peracta, ecclesia sive oratorium publicum eidem adnexum, statim ac fuerit benedictum vel consecratum, particeps fit indulgentiarum, quae ceteris ecclesiis Ordinis concessae sunt. Sane Romani Pontifices in Bullis vel Brevibus, quibus elargiuntur indulgentias *omnibus Christifidelibus* ecclesias Ordinis Minorum statuta die visitantibus, non solent coarctare gratiam ad ecclesias *erectas* tantum, sed etiam ad ecclesias *in posterum erigendas,* idque vel *implicite* aut *explicite.* Benedictus XIII, ex. gr., in concessione indulgentiae plenariae pro festo SS. Martyrum Gorcomiensium die 9 Julii, et Clemens XII pro festo SS. Stigmatum S. P. Francisci die 17 Septembris, his utuntur verbis « ... omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus... qui aliquam ex ecclesiis tam Fratrum quam Monialium Ordinis Minorum, *ubicumque existentium...* singulis annis devote visitaverint... plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam... concedimus (Vid. Brevia apud Chronol. Ord. P. Perusini, tom. II, pag. 108 et 155).

Idem Benedictus XIII pro festo S. Jacobi Piceni die 28 Novembris et idem Clemens XII pro festo BB. (nunc SS.) Martyrum Japonensium die 5 Februarii, plenariam indulgentiam concesserunt omnibus Christifidelibus, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque Conventuum (vel Domorum) et Monasteriorum *hactenus erectis et imposterum quomodocumque erigendis,* et ubicumque locorum existentibus... visitaverint (Vid. Brevia loc. cit. pag. 99 et 222).

Similiter Benedictus XIV in Brevi *Redemptoris* die 23 Aug. 1746, pro festo S. Petri Regalati, die 13 Maji, concessit indulgen-

tiam plenariam omnibus Christifidelibus « qui aliquam ex ecclesiis *quorumcumque Conventuum, Monasteriorum et Domorum Regularium tam Fratrum quam Monialium praedicti Ordinis* (Minorum)... *hactenus erectis et imposterum quandocumque erigendis, et ubique locorum existentibus... visitaverint* (Vid. Breve loc. cit. pag. 371).

Praelaudatis Romanis Pontificibus jam praeiverat in enunciato concessionis modo, praeter alios, Sixtus V, qui plenariam indulgentiam concessit, tam omnibus et singulis dicti Ordinis Minorum Conventualium, Capuccinorum, et de Observantia nuncupatorum Fratribus et Monialibus, quam ceteris utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, ac sanctissima Communione refecti, diebus festis Sanctorum Francisci, Antonii de Padua, Bonaventurae, Ludovici Episcopi et confessoris, ac Bernardini praedictorum eorumdem Fratrum Minorum Conventualium, Capuccinorum et de Observantia; nec non die festivitatis S. Clarae Monialium dicti Ordinis Monasteriorum ubilibet constitutorum ecclesias, *tam erectas, quam erigendas,* vel earum aliquam, a primis vesperis usque ad occasum solis eorumdem dierum, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia... pias ad Deum preces effuderint » (Vid. Breve penes Lantuscam verb. Indulg.).

Brevia Apostolica nunc relata et alia quae omittuntur, evincunt, indulgentias Ecclesiis Ordinis Minorum concessas, illico absque nova concessione intelligi extensas ad novas ecclesias vel publica oratoria, quae novis Conventibus et etiam Hospitiis reperiuntur adnexa, dummodo rite et canonice erecta fuerint, *cum licentia* nempe *Episcopi et beneplacito Apostolicae Sedis.*

Non est dubitandum, quin hucusque exposita circa indulgentias concessas ecclesiis vel oratoriis publicis Ordinis Minorum, applicari quoque debeant ecclesiis vel oratoriis publicis aliorum Ordinum Regularium.

936. Advertendum est, Hospitia de quibus hucusque locuti sumus, *improprie* dici Hospitia, cum potius haberi debeant ut parvi Conventus. Hospitium *proprie* dictum illud est, quod deservit tantummodo *pro recipiendis Religiosis itinerantibus,* et in quo propterea nulla servatur forma regularis, non erigitur ecclesia seu oratorium formale cum janua in via publica, sed tantum oratorium internum ad effectum inibi Missas et orationes privatas cele-

brandi. Hujusmodi Hospitia nullis ex se frui privilegiis et indulgentiis manifestum est. Quaenam conditiones sint observandae in aperitione talium Hospitiorum, ex sequenti Decreto S. Congregationis Episc. et Regul. clare patet.

In Calaguritana de Bilbao statutum fuit: « Patres Carmelitas Discalceatos posse continuare in Hospitio, vel potius ipsum reducere ad Hospitium *saeculare* cum habitatione, quae tantummodo deserviat *pro recipiendis Religiosis itinerantibus,* quod in illo nulla servetur forma regularis; *nec erigatur Ecclesia, seu oratorium formale cum janua in publica via, sed tantum oratorium internum ad effectum inibi Missas et orationes privatas pro eorum spirituali usu celebrandi tantum.* Quod in illo Sacramenta non administrentur, nec fiant publicae conciones, nec divina officia, aliaeque functiones peragantur, non tumulentur cadavera, nec retineatur campana, nec aliquod signum, quod vero Conventui adaptetur, et transcendat naturam et conditionem *meri et simplicis Hospitii saecularis,* addita prohibitione quaestuandi, nec non quod Regulares ad illud se transferentes, *non assumant titulum Praesidentis, vel alterius officialitatis,* subjiciendo ulterius in casu contraventionis ipso facto poenis contra Religiosos degentes extra Claustra, non obstante quacumque exemptione, aliisque arbitrio S. Congregationis. Et quod super observantia praemissorum Provincialis et Definitorium valide se obligent coram Episcopo, qui instrumentum dictae obligationis ad eamdem S. C. transmittat (Decr. 15 Sept. 1690, apud Bizzarri pag. 680, et Ferraris verb. *Conventus,* art. 1, n. 9).

Praefatum Decretum S. Congregatio servari mandavit in aliis causis, et ideo est, quod a canonistis afferri solet, tamquam norma in fundatione hujusmodi Hospitiorum.

937. Ecclesiae Monialium *iisdem gaudent indulgentiis, quibus fruuntur ecclesiae suorum respective Ordinum,* et hoc etiamsi earum monasteria non amplius subsint gubernio Fratrum suorum Ordinum, sed sub immediatam Episcoporum jurisdictionem translata fuerint. Praedictae indulgentiae *generaliter* concessae ecclesiis Fratrum pariter et Monialium, cunctae et singulae aeque lucrari possunt a Christifidelibus visitantibus ecclesias Monialium (Decr. 26 Aug. 1747. N. 166).

Verum, *praeter indulgentias Ordinis pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus concessas,* ceterae indulgentiae, quas contigerit ecclesiis Monialium concedi, *regulariter* nonnisi a solis Mo-

nialibus lucrari possunt (Cf. Rescr. auth. n. 80, 83; Decr. auth. N. 220).

§ IV.

DECLARATIONES QUOAD INDULGENTIAS IN ECCLESIIS REGULARIUM NON PROPRIIS.

938. Regulares non gaudent gratiis et privilegiis sui Ordinis IN ECCLESIIS NON PROPRIIS, etsi in iisdem ex concessione Episcopi sacras functiones obeant et Sacramenta fidelibus administrent. Hinc, ex. gr. ecclesia *Hospitalis,* cui Regulares deserviunt, non gaudet indulgentiis, quae ecclesiis Ordinis ipsorum Regularium concessae sunt (Decr. 9 Jan. 1713; 18 Sept. 1862; N. 47 et 395).

939. Ut praefatae ecclesiae, *quae Ordinis propriae non sunt,* gaudere possint indulgentiis Ordinis respectivi, requiritur *speciale indultum S. Sedis,* prout confratres nostri Capuccini obtinuerunt pro illis ecclesiis intra Italiam, quibus ipsi deserviunt. Sane, Clemens PP. XIV ad preces Procuratoris Generalis laudati Ordinis Capuccinorum, per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum die 6 Martii 1770 concessit omnibus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti *aliquam ex ecclesiis Provinciarum Italiae, in quibus per fratres ejusdem Ordinis divina Officia seu ecclesiastica Sacramenta administrantur,* devote visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae preces effuderint, *ut eas omnes et singulas indulgentias...* consequantur, quas consequerentur, *si aliquam ex propriis ecclesiis Ordinis* Capuccinorum personaliter ac devote visitaverint. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari, quousque in administratione praefatarum ecclesiarum fratres praedicti permanebunt (Rescr. auth. N. 295).

940. Ast *quoad ecclesias non proprias* distinguendae sunt ecclesiae, quae saltem *quoad usum* propriae Ordinis regularis dici possunt, ab ecclesiis in quibus Religiosi *divina Officia et Sacramenta tantum administrant,* quin ullo modo propriae Ordinis dici possint, prout sunt ecclesiae arcium, stationum militum et aliae hujusmodi, quibus aliqui Religiosi in spiritualibus inserviunt. Nam priores ecclesiae indulgentiis utique gaudent; non vero secundae, nisi speciale Apostolicum indultum obtentum fuerit (Cf. Decr. 18 Aug. 1868. N. 424, p. 377).

941. Quoad ecclesias igitur *non proprias* cujuslibet Ordinis regularis, quae nempe ad Ordinem numquam *proprie* pertinuèrunt, quarum proprietas proinde est penes Episcopos locorum, usus vero Ordini concessus, sequentia prae oculis habeantur: Si Regulares *penes hujusmodi ecclesias* resideant, ministeria propria inibi obeant, concessio usus earumdem ecclesiarum sit legitima, usus constans ac plenus, et ecclesiae publicae, tunc gaudent praefatae ecclesiae iisdem privilegiis et indulgentiis, quae ecclesiis Ordinis praedictorum Regularium concessae sunt. Ecclesiae enim sic concreditae Regularibus, censeri possunt, quoad usum, *propriae* ipsorum Regularium (Cf. Decr. cit.).

Sciendum est, decretum modo citatum ad petitionem Societatis Jesu fuisse confectum. Verum, ut clare patet ex contextu totius decreti et ex casibus ibi in exemplum adductis, doctrina in eo decreto tradita *generalis est,* quae proinde ad similes ecclesias aliorum Ordinum regularium extenditur. Si lectori placeat, adeat *Decreta authentica,* ubi sub N. 206 aliud exemplum inveniet, quo doctrina modo exposita manifeste confirmatur.

ARTICULUS II.

STATIONES URBIS.

943. Quamvis eruditi non omnino conveniant in explicanda origine verbi *Stationis,* tamen plus minusve huc recidunt eorum sententiae, ut scilicet dicantur *Stationes* vel a *stando,* eo quod Christifideles coadunati in ecclesia ad audiendum verbum Dei et ad preces fundendas, erant, praesertim a Pascha usque ad Pentecosten, *stantes* juxta illud Psalmi 121: « Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem »; vel a *statis* sive *statutis* diebus, in quibus Christiani pro faciendis supplicationibus congregabantur in determinatis ecclesiis, ibique per assignatum temporis spatium *stabant,* id est *manebant* sive in pedes, sive genuflexi; vel a *similitudine disciplinae militaris.* Milites enim habent suas stationes in diversis locis, ubi faciunt excubias, seu vigilias, et milites *stationarii* dicuntur (Cfr. Moroni, Dizionario di erudizione; D'Avino, Enciclopedia).

943. Quia hujusmodi christiani populi congregationes fiebant jejuniorum diebus, inde contigit, ut etiam *jejunia* vocarentur sta-

tiones. Quare S. Ambrosius serm. 36 scribit: « Stationes vocantur jejunia, quod stantes et commorantes in eis, inimicorum insidias repellimus (Cf. Ferraris verb. *Statio*).

Statio sumitur etiam, juxta Mabillonium aliosque auctores, pro *concursu populi* ad locum indictum, id est ad ecclesiam supplicationis causa, ubi sacra fiunt, aliaque divina officia.

944. Vetustus quidem in Urbe fuit, imo ab ipsis christianae Religionis incunabulis ritus ac pia praxis incepit visitandi loca, quae magis veneranda habebantur ob Sanctorum, praesertim martyrum, memoriam. Persecutionis tempore praefati fidelium conventus sive stationes celebrabantur in cryptis, coemeteriis, catacumbis, sive sepulchris martyrum; tempore pacis in ecclesiis publicis. Hujusmodi loca sive ecclesiae dicebantur STATIONALES.

945. In quibusdam anni diebus populus, clerus ac ipse Summus Pontifex processionaliter se conferebant in praedictas ecclesias stationales ad preces in communi effundendas. Has solemnes processiones praecedebat *collecta*, id est coadunatio populi et cleri in una ecclesia, ut ex ea, quasi agmine facto, in locum stationis procederetur.

Collecta dicta est, quia in eo loco clerus cum populo *colligebatur* pro peragenda processione solemni. Et quia ibidem ante processionem oratio fundebatur super populum ita collectum, inde factum est, ut *hujusmodi orationes* etiam *Collectae* vocarentur (Cf. *Raccolta*, pag. 465; Ferraris, verb. *Statio;* Moroni, Dizionario di erudizione).

946. S. Gregorius tam pia constantique devotione permotus, stationes antea vagas vel certis ecclesiis scripto non addictas, *constituit ac ordinavit, assignando ecclesias visitandas*, non tantum pro tempore Quadragesimae, sed etiam pro aliquibus aliis temporibus ac diebus intra annum. Voluit insuper S. Doctor, ut refert in ejus vita Joannes Diaconus, ut hujusmodi ecclesiae stationales in Missali Romano describerentur (Cf. *Raccolta* et Ferraris, loc. cit.).

947. Ut Fideles magis excitarentur ad visitandas ecclesias iis diebus, in quibus statio occurrebat, ibidemque orandum juxta mentem Summi Pontificis, idem S. Gregorius et aliqui ex ejus Successoribus, *diversas concesserunt indulgentias*, quae in perpetuum confirmatae sunt a Summo Pontifice Pio VI, Decr. S. Congr. Indulg. sub die 9 Julii 1777 *(Raccolta)*.

Ex his caelestium thesaurorum concessionibus provenit, ut hodie *Stationum* nomine intelligantur etiam *ipsae indulgentiae,* quae a Christifidelibus acquiri possunt in ecclesiis, ubi est Statio.

948. S. Congregatio Indulgentiarum usque ab anno 1676 decreverat, *indulgentias stationales simpliciter enuntiandas esse, non addendo plenariae illae sint an partiales.* Verum nonnulli ecclesiastici viri, atque ecclesiarum rectores, allato decreto minime acquiescentes, diversimode interpretabantur indulgentias *stationales,* quarum elenchi typis editi, mire inter se discrepantes, in vulgus prodierant. Hinc dissidia inter fideles, abusus et scandala. Ad ista removenda, et ut Christifideles scire possint, quid sibi indulgentiarum in hujusmodi Stationibus obeundis concessum sit, Sacra eadem Congregatio fuit in voto benigne approbato a Summo Pontifice, ut, praevia revocatione aliarum indulgentiarum, concederentur indulgentiae *plenariae* in aliquibus festis solemnibus; *partiales* vero in reliquis, sequenti modo.

949. Indulgentiae Stationum Urbis.

In Quadragesima: In feria IV Cinerum, et Dominica IV indulgentia 15 annorum totidemque quadragenarum.

Dominica Palmarum 25 annorum totidemque quadragenarum.

Feria V in Coena Domini, *plenaria.*

Feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto 30 annorum totidemque quadragenarum.

In reliquis tam Dominicis quam feriis, 10 annorum totidemque quadragenarum.

In Paschate Resurrectionis D. N. J. C.: In Dominica indulgentia *plenaria.*

In duobus aliis festis diebus immediate sequentibus et per totam octavam usque ad Dominicam in Albis inclusive, quotidie 30 annorum totidemque quadragenarum.

Die Ascensionis: Indulgentia *plenaria.*

In Pentecoste: In Sabbato ante Dominicam 10 annorum totidemque quadragenarum.

In Dominica et aliis infra octavam diebus usque ad sabbatum inclusive, quotidie indulgentia 30 annorum totidemque quadragenarum.

In Dominicis Adventus: In Dominica I, II et IV indulgentia 10 annorum totidemque quadragenarum.

In Dominica III 15 annorum totidemque quadragenarum.

In Nativitate D. N. J. C.: in Vigilia, Nocte, ac Missa Aurorae indulgentia 15 annorum totidemque quadragenarum.

In die indulgentia *plenaria.*

In subsequentibus tribus diebus festis, et in Circumcisione ac Epiphania Domini, necnon in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae indulgentia 30 annorum totidemque quadragenarum.

In tribus feriis *Quatuor temporum,* 10 annorum totidemque quadragenarum.

In festo S. Marci Evangelistae ac tribus feriis Rogationum indulgentia 30 annorum totidemque quadragenarum (Decr. 9 Julii 1777. Rescr. auth. N. 313; *Raccolta,* pag. 466...).

950. Hae sunt indulgentiae *stationales* nuncupatae, quae olim Romae dumtaxat lucrari poterant, designatas ecclesias visitando. Nunc vero alibi etiam extra Urbem acquiri possunt, visitando aliquas determinatas ecclesias vel oratoria, *quae ex benigna Summorum Pontificum concessione hujusmodi speciali privilegio gaudeant* (1). *(Raccolta).*

951. *Regulares indulgentias Stationum Urbis lucrari possunt, visitando* PROPRIAM ECCLESIAM. Nam Paulus V per suam Const. *Romanus Pontifex* concessit, ut « Religiosi intra claustra viventes, qui *suam ecclesiam* devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, *consequantur easdem indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis,* et extra eam *diebus Stationum consequuntur,* in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitarent » (Vid. Const. apud Decr. auth., pag. 443).

952. *Praefatae tamen indulgentiae,* ut satis constat ex citata Constitutione, *acquiri possunt diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis.* « Indulgentias Stationum Urbis, ita S. Congregatio, quae a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatae sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus

---

(1) Commemorare placet singulare privilegium, quo gaudent ecclesiae Conventuum Provinciae Tyrolensis Ordinis Capuccinorum. Ad preces enim illius Ministri Provincialis, Pius PP. VI *omnibus et singulis Christifidelibus,* qui ecclesias praefatae Provinciae, singulis Quadragesimae, aliisque anni diebus in Missali Romano descriptis, devote visitaverint, ibique pro consuetis finibus oraverint, concessit *in perpetuum,* ut easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, si eisdem diebus ecclesias Urbis visitarent (Rescr. 7 Jun. 1775; Rescr. auth. N. 303).

locis, Ordinibus, aut personis, *diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat* » (Decr. 7 Martii 1678. N. 18).

953. Advertendum est, prout notat ipsa *Raccolta*, praeter ecclesias in Missali Romano descriptas pro Stationibus, alias extare, quae in certis diebus indulgentiis stationalibus gaudent. Ut unum alterumve exemplum afferamus, feria IV Cinerum in Missali Romano describitur *Statio ad S. Sabinam;* ast, eadem die privilegio eodem gaudent tum ecclesia *S. Alexii,* tum *S. Mariae in Cosmedin,* vulgo *la Bocca della Verità.* — Dominica II Quadragesimae notatur *Statio ad Sanctam Mariam in Domnica,* sed indulgentiae stationales acquiri etiam possunt *in Ecclesia S. Gregorii* in Monte Coelio.

954. Conditiones ad lucrandas indulgentias. Pro acquirendis indulgentiis stationalibus, praeter consuetas conditiones Confessionis et Communionis si indulgentiae sint *plenariae,* vel corde saltem contrito, si *partiales,* sufficit devota visitatio ecclesiae ubi est vel supponitur esse Statio (*Raccolta,* pag. 472).

955. In laudata *Raccolta,* pag. 473, fit mentio de aliis indulgentiis a Leone PP. XIII concessis fidelibus, qui *tempore Quadragesimae tantum,* corde contrito et devote visitant, *modo praescripto in quodam libello ad hoc edito,* ecclesias *Urbis,* ubi est Statio.

ARTICULUS III.

SEPTEM ECCLESIAE URBIS ET SEPTEM ALTARIA.

956. Septem ecclesiae. Pia fidelium praxis septem ecclesias Urbis visitandi antiquissima est. Hujusmodi ecclesiae, utique inter principaliores Urbis Romae, sunt: 1° *S. Petri in Vaticano;* 2° *S. Pauli extra muros;* 3° *S. Sebastiani extra muros;* 4° *S. Ioannis in Laterano;* 5° *S. Crucis in Jerusalem;* 6° *S. Laurentii extra muros;* 7° *S. Mariae Majoris.*

957. Haec devotio pietate majorum introducta, et, ut docet Sixtus V in Bulla *Egregia Populi Romani pietas* de die 13 Februarii 1586, Summorum Pontificum auctoritate approbata, culta maxime fuit a Sanctis viris, praesertim a S. Josepho Calasanctio, qui fere quotidie, et a S. Philippo Nerio, qui frequenter, eas visi-

tabant, et etiam nostra aetate colitur ac fovetur ab omni personarum coetu tum Urbis tum exterarum regionum, ad eas confluentium venerandi gratia memorias SS. Apostolorum Sanctorumque Martyrum (*Raccolta*, pag. 474).

958. Quoad *indulgentias:* Quicumque confessus et sacra Communione refectus praedictas *septem ecclesias* devote visitaverit, ibique juxta intentionem Summi Pontificis oraverit, consequi poterit *permultas* indulgentias, *(le moltissime indulgenze),* quibus eaedem septem ecclesiae ditatae existunt, ut manifeste apparet ex appositis Bullis et Brevibus Romanorum Pontificum (*Raccolta*, pag. 475).

959. Praefatae *numerosissimae* indulgentiae ex benigna Summorum Pontificum concessione lucrari quandoque possunt etiam *extra Urbem* ab aliquo peculiari personarum coetu, visitando cum debitis dispositionibus *septem capellas seu altaria unius designatae ecclesiae* (Ibid.).

In Summario indulgentiarum et privilegiorum a Summis Pontificibus concessorum ecclesiae et monasterio *perpetuarum Adoratricum SS. Sacramenti Romae,* habetur quod lucrari possint: indulgentiae *septem ecclesiarum* semel in mense, die assignanda ab Ordinario, pro solis Monialibus et commensalibus, visitando *septem Altaria* propriae ecclesiae, *aut capellas internas monasterii* si habeantur, *alias repetendo visitationes ad eadem altaria, quae existunt* (Rescript. auth. pag. 589, n. 16).

Refert Moroni in suo *Dizionario di erudizione* ad verbum *Sette Chiese di Roma,* Gregorium XIII, ad preces S. Caroli Borromaei, indulsisse praefatum privilegium primariis septem ecclesiis urbis Mediolanensis.

960. Porro ad nostram usque aetatem nulla *specialis* indulgentia concessa fuerat pro *visitatione septem ecclesiarum in Urbe.* Ex eo permotus Pius PP. IX, benigne indulsit omnibus Christifidelibus, qui vere contriti, confessi ac sacra Communione refecti praedictam visitationem devote peregerint, orando pro concordia inter principes christianos, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, *indulgentiam plenariam,* lucrandam a primis vesperis usque ad occasum solis in die, quo hujusmodi pium exercitium peragitur (Breve diei 26 Januarii 1866. *Raccolta*, pag. 475).

961. In visitatione septem ecclesiarum nullus ordo est statutus. Potest quilibet incipere, ubi magis ei commodum fuerit. Solent fideles satis communiter visitare in primis vesperis Basilicam S.

Petri, ceteras visitationes remittendo ad diem sequentem, et hoc ne nimis ob distantias fatigentur. Ordo non quidem necessarius, sed qui communius observari solet in earumdem ecclesiarum visitatione, est ille quo nos easdem ecclesias supra notavimus n. 956 (Cf. Moroni, *Sette Chiese*).

962. Septem altaria. In qualibet ex supra memoratis septem Ecclesiis Urbis existunt *septem altaria* specialibus favoribus coelestibus ditata. Pia fidelium praxis talia altaria visitandi est pariter antiquissima, *praesertim quoad septem altaria privilegiata Basilicae Vaticanae,* prout eruitur ex documentis, quae in Archivio ejusdem Basilicae asservantur, quae quidem hanc praxim commemorant ad aetatem usque Innocentii PP. II anno 1130 (*Raccolta* pag. 475).

Praedicta *septem altaria* in ecclesia S. Petri sunt: 1° *Beatae Mariae Virginis* dictae *la Gregoriana;* 2° *SS. Processi et Martiniani;* 3° *S. Michaëlis Archangeli;* 4° *S. Petronillae Virginis;* 5° *Beatae Mariae Virginis* dictae *della Colonna;* 6° *SS. Apostolorum Simonis et Judae;* 7° *S. Gregorii Magni.*

963. Quisquis rite dispositus visitaverit praedicta septem altaria, consequi poterit *multas indulgentias* a pluribus Summis Pontificibus concessas, confirmatasque a S. Pio V, Sixto V, Paulo V, Clemente VIII et Urbano VIII (*Raccolta,* loc. cit.).

Pro consequendis ergo indulgentiis septem altarium non requiritur, prout colligitur ex *Raccolta,* nec Confessio nec Communio, sed tantum ut Fidelis sit rite dispositus et devote dicta altaria visitet: *Ogni Fedele che colle debite dispozioni divotamente visiterà i detti sette altari potrà conseguire molte indulgenze* etc. Ex hujusmodi dispositionibus praecipua et necessaria est, ut fidelis sit in statu gratiae, nempe *corde saltem contrito.*

964. Urbanus VIII, ut habet ipsa *Raccolta,* multa Brevia expedivit favore ecclesiarum extra Urbem, *quarum septem designatis altaribus easdem adnexit indulgentias, quibus septem altaria S. Petri in Vaticano sunt ditata.* Manifestum est ergo, Apostolicam Sedem aliis quoque ecclesiis extra Romam simile privilegium concessisse et concedere. Unde S. Congregatio Indulgentiarum ita declaravit: *Solet Apostolica Sedes aliis quoque ecclesiis, in quibus is altarium numerus adsit, simile privilegium communicare; quinimo et stylus est, illud etiam intra Monialium claustra elargiri* etc. (Decr. 1 Sept. 1732. N. 103).

ARTICULUS IV.

A) VISITATIO SEPULCHRI S. PETRI IN BASILICA VATICANA.

965. Universis Christifidelibus, qui corde saltem contrito et devote recitant tria *Pater*, tria *Ave* et tria *Gloria* ante Sepulchrum S. Petri Principis Apostolorum in Basilica Vaticana in gratiarum actionem Deo pro privilegiis huic sancto Apostolo elargitis, Pius PP. IX s. m. concessit

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum Breve 15 Maji 1857. (*Raccolta*, pag. 385).

B) ACTUS OBSEQUII STATUAE S. PETRI IN BASILICA VATICANA.

966. Ex concessione Summi Pontificis Pii IX Christifideles corde saltem contrito et devote *osculantes pedem statuae aeneae* S. Petri Apostoli (1) in Basilica Vaticana prope *Confessionem* existentis, simul orantes pro concordia inter Principes christianos, pro extirpatione haeresum et pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, lucrantur

Indulgentiam quinquaginta dierum qualibet vice (Breve 15 Maji 1857. *Raccolta,* pag. 385).

ARTICULUS V.

VISITATIO SCALAE SANCTAE.

967. Inter monumenta, quae a Christifidelibus celebriora ac venerabiliora habentur, Passionis D. N. Jesu Christi, adnumeratur proculdubio *Scala Sancta.* Haec est ipsa scala palatii Pontii Pilati, per quam Redemptor noster in sua sacratissima Passione pluries ascendit et descendit, eamque suo pretiosissimo Sanguine irriga-

---

(1) Indulgentiam concessam Christifidelibus *parvam* statuam S. Petri a Summo Pontifice benedictam penes se retinentibus, ejusque pedem devote osculantibus, videas sub n. 805.

vit. Digna proinde est, quae omni religionis ac devotionis actu a fidelibus colatur *(Raccolta,* pag. 120).

Translata ab Hierusalem Romam opera S. Helenae Imperatricis circa annum 326, et penes Patriarchalem Basilicam Lateranensem collocata, fuit deinceps a Sixto V anno 1589 magnifice reposita ante Cappellam ubique terrarum celebrem, *Sancta Sanctorum* nuncupatam.

Maxima semper fuit et esse pergit pietas erga eam Christifidelium cujuslibet coetus et conditionis, qui eam genuflexi devote ascendunt.

968. Ut autem fideles magis ac magis ad tam pium utileque exercitium excitarentur, Pius VII, confirmatis concessionibus a Summis Pontificibus Leone IV et Paschale II jam factis, de novo *quatenus opus sit,* concessit in perpetuum omnibus iis fidelibus, qui corde saltem contrito orantes vel meditantes Passionem D. N. J. C., *Scalam Sanctam* genuflexi conscenderint,

Indulgentiam novem annorum pro quolibet gradu (Decr. 2 Sept. 1817. *Raccolta,* pag. 120).

969. Cum autem in quibusdam anni temporibus, praesertim in Quadragesima, magnus sit fidelium concursus, ita ut nequeant omnes fideles suam devotionem explere, Summus Pontifex Pius IX indulgentiae *Scalae Sanctae* adnexas extendit ad duas alias scalas ad dexteram et sinistram Scalae Sanctae positas.

Quoad hanc postremam concessionem sequentia notari debent:

1° Ad lucrandas indulgentias in praedictis duabus scalis fideles debent esse contriti, confessi ac sacra Communione refecti.

2° Debent genuflexi, ut in Scala Sancta, conscendere unam ex illis, devote orantes aut meditantes Passionem D. N. J. C.

3° Haec concessio *limitatur* a festo omnium Sanctorum usque ad integram Octavam Commemorationis fidelium defunctorum; a die Natalis Domini usque ad diem Epiphaniae inclusive; necnon toto tempore Quadragesimae. Indulgentia acquiritur toties quoties fideles pium exercitium peregerint *(Raccolta* ibid.).

970. Cupientes Christifideles ab Urbe remoti hoc insigne Passionis Dominicae monumentum, ea qua possunt ratione venerari, in pluribus regionibus, praesertim elapso saeculo, hac illac scalas efformarunt, speciem illius, quae in Urbe invisitur, adamussim referentes. Pro hujusmodi Scalis videri possunt indulgentiarum concessiones penes *Rescripta authentica,* nn. 11, 14, 16, 78, necnon pag. 408,

n. 8. Concessiones erant temporaneae, puta, ad decennium, ut in ecclesia Canonicorum Regularium S. Augustini in nova civitate Pragensi; vel ad septennium, ut illa facta pro Scala in Oratorio S. Donati civitatis Iaderensis posita, necnon pro altera Scala apud Theatinos in civitate Salisburgensi extructa. Indulgentia erat plenaria ter vel quater in anno lucranda, et partialis pro qualibet vice (Vid. loc. cit.) (1).

ARTICULUS VI.

INDULGENTIA PORTIUNCULAE.

§ I.

NOTITIA HISTORICA.

971. Seraphicus Pater S. Franciscus, reparatis ecclesiis S. Damiani et beati Petri Apostoli in civitate Assisii, pervenit ad locum qui Portiuncula dicitur, in quo ecclesia beatissimae Virginis Genitricis Dei antiquitus fabricata extiterat, sed deserta tunc a nemine curabatur. Quam cum vir Dei sic derelictam conspiceret, ob devotionem ferventem, quam habebat ad Dominam mundi, coepit illic assidue pro ipsius reparatione morari (S. Bonav. Vita S. Franc. cap. 11).

Sentiens autem juxta nomen ipsius ecclesiae, quo ab antiquo S. Mariae de Angelis vocabatur, Angelicarum ibi visitationum frequentiam, pedem fixit ibidem propter reverentiam Angelorum amoremque praecipuum Matris Christi.

Hunc locum vir Sanctus amavit prae ceteris mundi locis. Hic etenim humiliter coepit, hic virtuose profecit, hic feliciter consummavit, hunc in morte Fratribus, tamquam Virgini charissimum commendavit » (Ibid.)

---

(1) Inter indulgentias locales recenseri etiam potest *indulgentia centum dierum*, quam Pius VI, per edictum Emi sui in Urbe Vicarii sub die 28 Februarii 1778, elargitus est omnibus Christifidelibus, qui *ad publica xenodochia* se conferunt ad charitatis actus erga infirmos exercendos. — Exorto dubio, utrum haec indulgentia pro Urbe tantum fuerit elargita vel pro Orbe universo, Pius IX die 23 Augusti 1861 declaravit, hanc concessionem non ad Urbem tantum, sed ad omnes totius catholici Orbis Christifideles extendi (Rescr. auth. N. 403, pag. 316).

Votis Seraphici Patris fuit plenissime satisfactum. Portiuncula enim, *Mater et Caput pusilli gregis Fratrum Minorum,* charissima revera est omnibus Filiis suis, et per totum orbem celeberrima facta est ob singularem INDULGENTIAM DE PORTIUNCULA nuncupatam.

972. *Indulgentia de Portiuncula,* quae vulgo dicitur etiam *del Perdono d' Assisi,* vel etiam del *Sacro Perdono, est immediate a Christo Domino concessa.* Hujus propositionis veritas patet tum ex generali et constanti traditione in Ordine Seraphico, tum ex testimonio Scriptorum tam Ordinis quam exterorum, quos videsis allegatos in *Vita Seraphici P. S. Francisci a P. Candido Chalippe Franciscano Recoll. exaratam* (Declarationes supra Indulgentia Portiunculae).

De indulgentia Portiunculae Doctor Suarez, post relatas plurimas indulgentias antiquioribus temporibus a Summis Pontificibus concessas, dicit: *inter quas celebris est illa, quam Honorius III concessit B. Francisco, qui eam prius a Christo Domino impetravit* (Tom. IV. Disp. 49. de Indulg. sect. 2. n. 12).

Unde in *authentica Raccolta* sequentia leguntur: « *S. Franciscus instanter petiit a D. N. Jesu Christo plenariam indulgentiam pro omnibus iis Christifidelibus, qui contriti et confessi dictam parvam ecclesiam devote* visitaverint. Exaudivit Dominus, ob intercessionem etiam beatissimae Virginis Mariae, preces Servi sui, *et benigne concessit imploratam indulgentiam.* Voluit tamen ut Franciscus se conferret ad Summum Pontificem, tunc Honorium III, tamquam ad suum Vicarium, pro ejusdem confirmatione obtinenda: et Pontifex, divina voluntate cognita, anno 1223 confirmavit in *perpetuum* praedictam *indulgentiam plenariam* pro secunda die Augusti, incipiendo a primis Vesperis, quae est anniversaria dies consecrationis memoratae Ecclesiae (S. Mariae Angelorum), quae postea magnificentius constructa et ampliata, honorifico titulo BASILICAE fuit decorata *(Raccolta,* pag. 476).

Haec eadem indulgentia solemniter publicata fuit die 1 Augusti 1223 apud Sanctam Mariam Angelorum a septem Episcopis, nempe Assisiensi, Perusino, Eugubino, Nucerino, Fulginatensi, Tudertino et Spoletano. Cum indulgentiae Portiunculae veritas communi consensione Historicorum omnium antiquorum et Scriptorum subsequentium temporum clare pateat, cum insuper Romani Pontifices illam extenderint ad universas ecclesias Ordinis S. Franci-

sci, *esset profecto,* ait Benedictus XIV, *magnae temeritatis eamdem in dubium revocare* ex eo, quod nullum afferatur primitivae concessionis authenticum monumentum (1) (De Synodo Dioeces. Lib. XIII, cap. XVIII, n. IV et V).

973. Pulchre Cardinalis Bellarminus, praedictam indulgentiam, *uti divinitus* concessam ad preces S. P. N. Francisci, contra haereticum Chemnitium defendens, scribit:

« Non sine causa Chemnitius hanc historiam, falsam et fabulosam haberi cupit, quoniam per eam historiam *tria catholica dogmata* confirmantur: *unum de indulgentiis, alterum de Pontifice Maximo, tertium de Confessione.* Siquidem ad preces S. Francisci Christus ipse plenariam indulgentiam dedit, sed nonnisi per ministerium Vicarii sui Pontificis Maximi dedit, nec nisi per contritionem et confessionem a culpa expiatis, et eam ecclesiam visitantibus dedit » (Lib. II, cap. XX, De Indulg.).

§ II.

EXTENSIO INDULGENTIAE PORTIUNCULAE AD OMNES ECCLESIAS ORDINIS S. FRANCISCI.

974. Indulgentia plenaria concessa primitus pro sola ecclesia Portiunculae a primis Vesperis kalendarum Augusti usque ad Vesperas sequentis diei *extenditur in perpetuum ad omnes ecclesias Ordinis* S. Francisci de Observantia et Reformatorum ubique existentes pro secunda die Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, dummodo lucraturi fuerint confessi, sacra Communione refecti, aliquam ex praedictis ecclesiis visitaverint, ibique pro consuetis finibus oraverint (Greg. XV, Bulla *Splendor paternae gloriae,* die 4 Julii 1622; *Raccolta,* pag. 476; vid. Bullam apud Lantuscam et Ferraris verb. *Indulg.).*

---

(1) De Indulgentia Portiunculae scripsit anno circiter 1279 celebris Petrus Joannes Olivi Ordinis Minorum, discipulus S. Bonaventurae. Pretiosum codicem antea ignotum invenit P. Fidelis a Fanna b. m. in bibliotheca Romana Principis Borghese, et solertes Patres nostri Collegii S. Bonaventurae in *Quaracchi* prope Florentiam primi publicarunt. Non solum utile, sed delectabile quoque est hujusmodi tractatum perlegere, quem Lectores invenient etiam editum in periodico « *Acta Ordinis Minorum* » ann. XIV, pag. 139 et sqq.

Indulgentia Portiunculae pro omnibus Christifidelibus a praelaudato Pontifice concessa quoque fuit sub die 12 Octobris ejusdem anni 1622 omnibus ecclesiis Ordinis Minorum Capuccinorum; ab Urbano VIII per Bullam *Cum nuper* die 13 Januarii 1643 ecclesiis Tertii Ordinis regularis Franciscalis; a Clemente X die 3 Octobris 1670 omnibus ecclesiis Minorum Conventualium, et ab aliis Summis Pontificibus ad omnes ecclesias Monialium Secundi et Tertii Ordinis extensa fuit (Cf. *Raccolta,* Minderer, part. 2, n. 258 et 313; Ferraris et Lantusca verb. *Indulgentia*).

975. Innocentius XI, Bulla *Alias* 22 Januarii 1687 (vel 1689 ut habet *Raccolta*), perpetuo indulsit ut praedicta indulgentia de Portiuncula in omnibus ecclesiis Ordinis S. Francisci de Observantia et Reformatorum applicari possit per modum suffragii etiam *fidelibus defunctis.* Idem dicendum, ex concessione S. Sedis, de ecclesiis ceterorum Ordinum Franciscalium, etiam Monialium Secundi et Tertii Ordinis regularis (Cf. *Raccolta* et auctores cit. Chalippe, Vita di S. Francesco, dichiarazioni sopra l' indulg. della Porziuncola; vid. Bullam penes Chronol. Ord. Min. Perusini tom. I, pag. 261; Ferraris verb. Indulg. n. 51).

Relate ad *ecclesias Monialium Clarissarum* indulgentia Portiunculae speciali modo confirmata est a Summo Pontifice Benedicto XIV die 23 Septembris 1741 (Decr. auth. N. 132; Rescr. auth. N. 122).

976. Quae de Portiuncula ejusque indulgentia hucusque exposuimus, continentur in sequenti elogio Martyrologii Franciscani die 2 Augusti: *Apud Assisium in Umbria, dedicatio ecclesiae S. Mariae Angelorum, quae etiam de Portiuncula nuncupatur, a Seraphico Patre nostro Francisco summo in honore habitae, quam et Caput sui Ordinis instituit; et in ea indulgentiam plenariam a Christo Domino, SS. Deiparae Virginis interventu, obtinuit pro cunctis Fidelibus, quam Honorius Tertius Pontifex Maximus, ut Christi Vicarius, de ejusdem Christi mandato confirmavit, et Gregorius XV ad alias ecclesias nostri Seraphici Ordinis extendit. Innocentius vero XI sancivit etiam pro defunctis suffragari.*

977. Singulare indulgentiae Portiunculae illud praecipue est, quod eam Christifideles lucrari possint *toties quoties* in ecclesias Franciscales ingrediuntur, et parumper ibi orant, id est *pluries in eadem die* (*Raccolta,* pag. 476-477; Decr. auth. N. 344).

§ III.

CONDITIONES PRO LUCRANDA INDULGENTIA PORTIUNCULAE.

978. Ut Christifideles consequi possint indulgentiam a Portiuncula nuncupatam, praescriptas conditiones servare omnino debent, quas modo indicamus et explicamus.

a) In ipsa ecclesia Portiunculae conditiones sunt: *sacramentalis peccatorum confessio, et devota ejusdem ecclesiae visitatio* juxta petitionem a Seraphico P. S. Francisco Domino nostro Jesu Christo factam. Communio igitur pro fidelibus qui *in ipsa parva ecclesia Portiunculae* visitationes peragunt, non est conditio necessaria ad plenariam indulgentiam assequendam: siquidem Christus Dominus eam concessit et Honorius III confirmavit juxta dictam petitionem S. P. Francisci *sine exigentia Communionis* factam. Sed animadvertendum est, quod ut praedicta indulgentia lucrari possit, requiritur *ut ipsa sacra Cappella* seu *parva ecclesia de Portiuncula* nuncupata visitetur. Nam S. Franciscus pro ea ipsam obtinuit, et insuper quia tempore concessionis ipsa tantummodo sub appellatione S. Mariae Angelorum sive Portiunculae veniebat (Cf. Minderer, part. 2, n. 309, 310).

Quare Christifidelibus, qui die 2 Augusti, incipiendo a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, plenariam indulgentiam *del Perdono* in ipsa ecclesia Portiunculae assequi volunt, satis est ut sint *contriti, confessi* et *devotas visitationes* peragant, ingrediendo Portiunculam et ab ea egrediendo, quin ad valorem necessariae sint *Communio* et *preces.* In praxi tamen, etiam in ipsa ecclesia Portiunculae, solent fideles valde laudabiliter sacra Communione refici et preces effundere, quamvis *quoad preces* ob ingentem populorum frequentiam in certis diei horis, nequeant in ipsa sacra Capella sistere pro oratione peragenda.

b) In ceteris ecclesiis Franciscani Ordinis, conditiones ad lucrandam indulgentiam Portiunculae sunt: *Confessio, Communio* et *Visitatio ecclesiae cum precibus* juxta mentem Summi Pontificis seu pro consuetis finibus, qui sunt: pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione.

979. Pro acquisitione ejusdem plenariae indulgentiae omnino requiritur, ut *in Ecclesiis Ordinis Minorum,* vel *in illis quae*

privilegio Portiunculae gaudent, peragatur *visitatio et ibidem praescriptae preces persolvantur.* Quoad *Confessionem* certum est, eam ubilibet fieri posse; et quoad *Communionem* a Gregorio XV praescriptam pro lucranda indulgentia Portiunculae, a S. Congregatione Indulgentiarum expresse declaratum est, non esse necessarium ut ea fiat in ecclesiis Ordinis S. Francisci (Decr. 12 Julii 1847. N. 344 ad 4m).

980. NOTANDA. Relate ad praefatas conditiones pro lucranda indulgentia Portiunculae praescriptas, ea quae sequuntur, adnotanda veniunt:

a) Juxta generale Decretum diei 6 Octobris 1870 *tum Confessio tum Communio* peragi possunt in pervigilio festivitatis, nempe die qui immediate praecedit sequentem, pro quo concessa est indulgentia quaelibet: in casu nostro fieri possunt *die prima Augusti* (Decr. auth. N. 426).

b) Imo juxta novissimam concessionem a Leone XIII factam, Confessio sacramentalis peracta *etiam die* 30 *Julii,* nimirum die immediate praecedenti pervigilium diei, quo a primis vesperis datur perfrui indulgentia de Portiuncula, *valet ad memoratam indulgentiam acquirendam* pro universis Christifidelibus, servata tamen in adimplendis aliis piis operibus regula generali circa modum et tempus in concessione praedictae indulgentiae praescriptum (Decr. 14 Julii 1894, apud Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 130).

c) Pro lucranda indulgentia Portiunculae valet et sufficit Confessio *hebdomadalis,* pro iis scilicet Christifidelibus, qui *semel saltem in hebdomada* ad Sacramentum Poenitentiae *accedere solent,* dummodo post ultimam Confessionem nullius lethalis culpae sint conscii (Decr. 12 Martii 1855. N. 364 ad 1m).

d) Verum, hujusmodi privilegium non suffragatur illis, qui *non assolent* confiteri semel saltem in hebdomada, sed rarius; quamvis confessi sint intra hebdomadam ante festivitatem, cui est adnexa indulgentia (Decr. eod. ad 2m).

e) Licet Confessio et Communio pro acquirenda indulgentia Portiunculae praescriptae, peragi possint in pervigilio festivitatis, nempe 1 Augusti ante meridiem, et quoad Confessionem etiam die 30 Julii, *tamen indulgentia tunc acquiri nequit.* Nam indulgentia Portiunculae ac ideo tempus ad eam lucrandam *incipit a primis vesperis* diei 2 Augusti *usque ad occasum solis ejusdem diei.*

f) Quare praescripta *visitatio* ecclesiae, privilegio de Portiuncula decoratae, *intra hoc temporis spatium peragi debet;* si extra illud fiat, non valet ad plenariam indulgentiam lucrandam.

g) *Toties* repeti debet visitatio cum precibus, ecclesiam ingrediendo et ab ea egrediendo, *quoties* Christifidelis lucrari cupit indulgentiam.

h) Collige: Qui *mane* die 1 Augusti ad Sacramenta Confessionis et Communionis accesserit, et post meridiem ejusdem diei, hora qua in Choro recitari solent vesperae ac deinceps, visitationes peregerit; indulgentias jam lucratus est, et potest die sequenti (2 Augusti) alias plenarias indulgentias lucrari, iterando visitationes cum precibus.

i) Potest etiam quis die 1 Augusti hora vesperarum ecclesiae visitationes peragere, et die sequenti Sacramenta Confessionis et Communionis suscipere (vid. n. 134).

§ IV.

INDULGENTIA PORTIUNCULAE PLURIES ACQUIRI POTEST ETIAM PRO SEMETIPSO.

981. Communis fere opinio fuit, quod plenaria indulgentia Portiunculae semel tantum sibimetipsi applicari possit, et quoad ceteras quae acquiruntur, animabus tantum Purgatorii forent applicabiles. Sacra Congregatio Indulgentiarum super re interrogata, respondit et declaravit, Christifideles posse *etiam sibi pluries indulgentiam Portiunculae applicare.* Dubium praelaudatae S. Congregationi propositum sequens est:

Vigevanen. Hodiernus Parochus Ecclesiae S. Mariae Majoris in oppido vulgo dicto Laumelli, Dioecesis Viglevanensis (Vigevano), humiliter adit hanc S. Congregationem Indulgentiarum, enixe implorans solutionem sequentis dubii:

Juxta resolutionem memoratae Sacrae Congregationis die 22 Februarii 1847 declaratum fuit, visitantes Ecclesias Ordinis S. Francisci die secunda Augusti lucrari posse indulgentiam plenariam, applicabilem quoque animabus Purgatorii, *toties quoties in eas ingrediuntur et parumper ibi orant.* — Modo quaeritur:

An Christifideles applicare sibimetipsis queant praefatam Indulgentiam Plenariam toties quoties visitant sive praedictas

Ecclesias Ordinis S. Francisci, sive alias quibus a S. Sede concessum fuerit privilegium ejusdem indulgentiae a Portiuncula nuncupatae, vel an lucrari valeant Indulgentiam Plenariam semel tantum pro seipsis, et aliis vicibus pro animabus Purgatorii?

Et S. Congregatio proposito dubio respondendum censuit:

Ad 1m partem: *Affirmative;*

Ad 2m partem: *Negative.*

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositae die 17 Augusti 1892.

982. Ad rectam intelligentiam hujus Decreti sequentia notanda sunt:

1. Indulgentia Portiunculae primitus et directe, non defunctis, sed *vivis* fuit concessa.

2. Certum est, fidelem viventem non posse *eodem tempore* lucrari pro semetipso plures indulgentias plenarias: Hoc enim pugnat cum ipsa indulgentiae plenariae notione, quae consistit in remissione totius poenae temporalis, peccatis quoad culpam remissis debitae. Acquisita ergo una indulgentia plenaria, ac ideo qualibet poena temporali remissa, acquisitio alterius indulgentiae plenariae *pro se ipso* locum habere non potest, cum desit poena remittenda.

3. Sed homo, praeter quam quod nequeat esse absolute certus de lucro indulgentiae sibi applicatae, potest eodem die pluries in peccata labi et ideo sibi demereri *novas poenas temporales.* En igitur casus, in quo Fidelis potest pluries in die, si concessio facta est prout in casu nostro, sibi lucrari indulgentias plenarias.

§ V.

PRAEROGATIVAE INDULGENTIAE PORTIUNCULAE.

983. Cum indulgentia Portiunculae sit in toto Orbe catholico famosissima, quaeri potest, an differat ab alia quacumque indulgentia plenaria? Cui respondetur, eam non differre *ab intrinseco;* siquidem quaelibet indulgentia *plenaria,* etiam illa Jubilaei (vid. n. 62), est relaxatio *poenarum omnium temporalium* ex peccatis quoad culpam remissis remanentium. Differt vero ab alia indulgentia plenaria *ab extrinseco et ab adjunctis:*

1° Quia indulgentia Portiunculae est immediate a Christo Domino concessa, et cognita voluntate Christi ab Honorio III approbata et confirmata (Vid. n. 972).

2° Quia est facillima ad ejus lucrum, cum in ecclesia ipsa Portiunculae sola requiratur religiosa visitatio et peccatorum suorum sacramentalis Confessio, quibus in aliis ecclesiis adjungitur tantum Communio et preces; quae pia opera, *respectu priorum temporum,* levissima dici debent pro lucro tanti thesauri, qualis est indulgentia plenaria.

3° Est Ecclesiae Dei *utilissima,* quia per indulgentiam Portiunculae, ut docet Ven. Cardinalis Bellarminus supra laudatus, triplex dogma fidei confirmatur, scilicet *indulgentiarum existentia, Romani Pontificis in iis concedendis auctoritas, et confessionis auricularis necessitas.*

4° Est salutaribus fructibus *foecundissima,* eo quod Deus illa die (qui dici solet dies condonationis seu reconciliationis, vulgo *giorno del Perdono*) uberrime videatur dispensare gratias suas actuales impellentes etiam gravissimos peccatores ad veram cordis conversionem. Unde saepe contingit, ut etiam homines perditae vitae et praecepti ecclesiastici de annua confessione et de Communione in Paschate neglectores, diem hunc *del sacro Perdono* praeterire nolint, tanto lucro neglecto.

5° Est *copiosissima* et *singularis,* cum *pluries* seu *toties* acquiri possit, *quoties* fideles in ecclesias Franciscales ingrediuntur, et parumper ibi orant.

6° Est *incommunicabilis,* videlicet in generali communicatione indulgentiarum inter Ordines, etiam Mendicantes, indulgentia Portiunculae non comprehenditur: haec enim indulgentia est *singularis et specialissima,* quam exoptavit et obtinuit Seraphicus Pater S. Franciscus, ut capella Portiunculae, futura Mater Ordinis Minorum ac coelestibus apparitionibus decorata, in peculiari devotione haberetur. Hinc est quod Summi Pontifices, eamdem indulgentiam ad ceteras ecclesias Franciscales extenderunt *per speciales Litteras Apostolicas,* quibus praefata indulgentia *non confirmabatur* pro ceteris ecclesiis Ordinis, *quatenus opus fuerit,* sed simpliciter *concedebatur* (Cf. Minderer part. II, n. 313, pag. 285).

7° Dici etiam potest *typica,* cum *in similitudinem indulgentiae Portiunculae,* aliae concessae sint a Romanis Pontificibus.

Sic indulgentia *ad instar Portiunculae, toties quoties* lucranda, concessa est pro solemnitate B. M. Virginis de Rosario, Dominica prima Octobris, omnibus ecclesiis, in quibus confraternitas SS. Rosarii reperitur erecta; — pro Dominica tertia Septembris, id est in festo septem Dolorum B. Mariae Virginis, ecclesiis Ordinis Servitarum etiam Monialium, necnon ecclesiis eorum Tertiariorum vel in quibus erecta est Confraternitas ejusdem B. M. Virginis Septem Dolorum; — pro die 16 Julii, festo B. M. Virginis de Monte Carmelo, omnibus ecclesiis ejusdem Ordinis; quibus addi potest similis indulgentia a Gregorio XIII jam concessa omnibus ecclesiis Ordinis Minimorum pro festo S. Francisci de Paula, de qua vide Acta S. Sedis, vol. XVI, p. 433.

Insuper habetur quod *Sodales Cincturati,* expletis conditionibus praescriptis, in die Nativitatis B. M. Virginis ex indulto Gregorii XIII eamdem consequantur indulgentiam, *ac visitantes primo et secundo die Augusti ecclesiam B. M. Virginis in Portiuncula, dictam de Angelis* extra muros Assisii. — Habetur etiam, quod iisdem Confratribus sacrae Cincturae, in Dominica sequente festum S. Nicolai de Tolentino... visitantibus a primis vesperis ad totam Dominicam capellam S. Nicolai et altare Confraternitatis *conceditur indulgentia Portiunculae,* lucranda proinde *toties quoties* (Decr. auth. N. 446).

984. Si attendatur ad integrum Decretum mox citatum quoad Confratres Cincturatos, videbitur profecto, quod cum conceditur indulgentia *Portiunculae,* quin in documento addatur clausula *toties quoties* vel aequivalens, hujusmodi clausula, licet non expressa, *jam per se supponitur.* Sane, indulgentia Portiunculae juxta mentem S. Sedis in suis Brevibus, sive Decretis, vel Rescriptis panditam, et etiam juxta Christifidelium persuasionem, non est simplex et ordinaria indulgentia, sed *privilegiata* et *extraordinaria,* talis nempe, quae repetitis intra unius diei ecclesiastici spatium operibus injunctis, toties acquiri possit Indulgentia. Si ita non esset, nulla ratio appareret, cur in documentis S. Sedis nonnullae indulgentiae concedantur cum appellatione *de Portiuncula.* In memorato Decreto pro Confratribus Cincturatis edito, fit mentio in parte expositiva de duobus diebus, in quibus praedicti Confratres acquirere possunt indulgentiam *Portiunculae.* At in respectivis documentis non dicitur, an in hujusmodi diebus praefata indulgentia acquiri possit *toties quoties.* Dubium hoc S. Congre-

gationi Indulgentiarum propositum fuit solvendum, quae respondit *affirmative,* videlicet, quod indulgentia *Portiunculae* concessa Confraternitati Cincturatorum, lucrari possit ab ipsis *toties quoties,* quamvis in documentis S. Sedis hujusmodi clausula desit.

Hinc est quod Summus Pontifex Leo XIII, dum in Sua Constitutione *Misericors Dei Filius* Tertiariis Franciscalibus saecularibus indulgentiam plenariam elargitur pro die 2 Augusti, haud nominat indulgentiam *Portiunculae,* quam non intendebat concedere ecclesiis sive oratoriis, ubi sedes est Sodalitii, sed dicit, quod praedictis Tertiariis jus sit indulgentiam plenariam consequendi « *die 2 Augusti, festo Mariae Angelorum reginae ob Basilicam ejus dedicatam* ».

Et veritas confirmatur ex *Raccolta* (pag. 477) quae docet, indulgentiam Pontiunculae illud, *ut singulare,* habere, quod ea lucrari possit *toties quoties: Quello poi, che ha* DI SINGOLARE *questa Indulgenza, si è, che può lucrarsi* TOTIES QUOTIES.

Quare S. Congregatio Indulgentiarum in concessionibus indulgentiae Portiunculae apponere solet clausulam restrictivam quoad distantiam, quae debet esse saltem mille passuum ab alia ecclesia vel oratorio publico, cui similis indulgentia concessa sit; de quo hanc reddit rationem: *Attenta speciali praerogativa indulgentiae Portiunculae,* expedit etc. Ergo *specialis* et *propria* praerogativa indulgentiae Portiunculae est, ut ea *toties quoties* acquiri possit, licet hae duae voces non reperiantur expressae in documento concessionis indulgentiae *Portiunculae.*

985. Hinc resolvitur dubium, quod exoriri potest in interpretatione formulae restrictivae, qua Clemens XIII usus est in Rescripto, quod modo dabimus. Antea sciendum est, P. Aloysium Lauterman, Agentem in Urbe pro nostris Franciscanis Nationis Germano Belgicae instante Provinciae Germaniae Inferioris Ex Ministro ac Missionum Praefecto, petiisse a S. Sede pro *ecclesiis Missionum* FF. Recollectorum ejusdem Nationis Germano-Belgicae extensionem indulgentiae Portiunculae, etiam ad alios dies, et haec petitio facta est *ob defectum Sacerdotum Confessariorum in illis Missionibus, ita ut populus non posset in uno die Sacramentis necessariis refici.* Summus Pontifex porrectis precibus benigne annuit, ut in sequenti Rescripto.

Ex Audientia SS. die 29 Martii 1763. SSmus D. N. Clemens PP. XIII, ex speciali gratia, attentis specialibus circumstantiis,

indulgentiam plenariam in perpetuum concessam omnibus ecclesiis Ordinis Minorum S. Francisci die 2 Augusti, *Portiunculae* nuncupatam, extendit in omnibus et singulis ecclesiis FF. Recollectorum praefati Ordinis S. Francisci *ad totam Octavam,* ita tamen, ut *semel spatio octidui* ab unoquoque Christifideli lucrari valeat. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari futuris perpetuis temporibus absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae Audientiae.

JOANNES DE COMITIBUS, S. Congr. *Secretarius.*

Adverte 1° quod dum dicitur: *in omnibus et singulis ecclesiis FF. Recollectorum,* id intelligendum est de ecclesiis *Missionum,* prout fert petitio P. Agentis, et verba Apostolici Rescripti « *attentis peculiaribus circumstantiis* » satis indicant.

Adverte 2°, Summum Pontificem extendere ad praedictas ecclesias non indulgentiam quamcumque plenariam, sed indulgentiam plenariam *Portiunculae* nuncupatam.

Adverte 3° (et hoc est dubium quod supra innuimus), verba Rescripti « *semel spatio octidui* » non referri directe ad indulgentiam, quasi scilicet indulgentia Portiunculae una tantum vice acquiri possit, (quo in casu non esset amplius indulgentia Portiunculae) sed referri ad tempus, quo eadem indulgentia lucrari possit, ita ut sensus sit; quod indulgentia Portiunculae non in omnibus Octidui diebus, sed *in una tantum Octidui die ecclesiastica* a singulis Christifidelibus acquiri possit *toties quoties* (Cf. Chronolog. Ord. Min. tom. 4, pag. 500 et seq.).

E contra, jure dubitari potest, an Sororibus Tertiariis Franciscalibus concessa sit indulgentia *Portiunculae* in sequenti Rescripto:

BEATISSIME PATER! In tota provincia Tyrolensi in quamplurimis locis adsunt aliquae moniales et sorores Tertii Ordinis S. Francisci simplicia quidem vota habentes, et claustraliter in quibusdam domibus viventes, et ecclesiis publicis carentes, ideo supplicant S. V. ut dignetur eisdem concedere, ut visitantes capellas, seu oratoria intra supradictas domos in die secunda Augusti lucrari possint indulgentiam Portiunculae, qua gaudent omnes ecclesiae tam Monialium, quam Religiosorum Ordinis S. Francisci, eo quod cum decentia et modestia religiosa accedere nequeant ad

ecclesias Ordinis in die praedicta: supplicant pariter, ut eandem indulgentiam lucrari possint omnes domestici, et degentes in praedictis domibus. Cujus Deus etc.

Ex Audientia Sanctissimi die 5 Oct. 1762.

Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII, omnibus monialibus et sororibus tertii Ordinis S. Francisci nec non caeteris in earum monasteriis degentibus provinciae Tyrolensis concessit, ut vere poenitentes, confessae, ac sacra communione refectae *indulgentiam plenariam* pro die secunda Augusti incipiendo a primis vesperis usque ad occasum solis ejusmodi diei consequi valeant, devote visitantes oratorium aut capellas sitas intra claustra, dummodo ecclesia publica et exterior in earum monasteriis constructa non reperiatur: voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam eisdem suffragari futuris perpetuis temporibus absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgengentiarum, die et anno praefatae Audientiae.

J. de Comitibus, *Sacrae Congreg. Indulg. Secretarius.*

Cum in precibus tantum, non vero in concessione fiat mentio de indulgentia *Portiunculae,* dubium revera exoritur, an illa *indulgentia plenaria* a laudato Summo Pontifice Sororibus concessa, intelligenda sit *toties quoties* ab eisdem lucranda. Dubium tamen modo sublatum est, cum currenti anno 1896 praedictae Sorores Franciscales Provinciae Tyrolensis petierint et obtinuerint ab Apostolica Sede novum Indultum, quo suis votis fuit plene satisfactum.

986. Memorata indulgentia non solet a Summis Pontificibus suspendi per Annum Sanctum *in ipsa ecclesia S. Mariae Angelorum* seu *Portiunculae:* Nos cupientes, ita declaravit Innocentius XII, ut ecclesia S. Mariae Angelorum, domus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, prope et extra muros civitatis Assisien. *congruis frequentetur honoribus,* ad eamque Christifideles lubentius accedant, quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint, tenore praesentium declaramus *mentis et intentionis nostrae minime fuisse nec esse* sub praefata indulgentiarum suspensione, *indulgentiam* utriusque sexus Christifidelibus, *praedictam ecclesiam* die secunda mensis Augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, *visitantibus,*

et requisita pro eadem indulgentia consequenda peragentibus, *concessam comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehensam esse in verbo Romani Pontificis, attestamur.* In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque (Breve *Cum ob sacri Jubilaei celebrationem* die 21 Aug. 1699, relatum a Lantusca, Matthaeucci Officialis Curiae, Kazenberger, Minderer, Ferraris).

Similem declarationem jam fecerant alii Pontifices, et signanter Clemens VIII, Urbanus VIII, Innocentius X, Clemens X, et deinceps Benedictus XIII. Imo postremus hic Pontifex eodem privilegio pro anno Jubilaei 1725 decoravit ecclesiam S. Mariae de Aracoeli per monitum Emi Cardinalis Paolucci Urbis Vicarii die 28 Julii 1725, nec non alias ecclesias Ordinis in variis nationibus.

987. At vero Benedictus XIV anno Jubilaei 1750 ardentissimo flagrans desiderio, ut universum populum christianum, si fieri potuisset, Romam, communem patriam, mundi reginam et sanctae universalis Ecclesiae Matrem ac Dominam deduceret, postquam omnibus Sanctuariis Orbis negasset quamcumque plenariam pro vivis indulgentiam applicari, peculiari quoque providentia motus, indulsit pro festo Portiunculae, ejusdem indulgentiam applicari dumtaxat posse in suffragium animarum in Purgatorio degentium (Carolus Perusini, in Chronol. Ord. tom. I, p. 410; cf. Minderer, part. 2, n. 254).

988. In aliis vero ecclesiis Ordinis Minorum praefata indulgentia suspenditur Anno Sancto *pro vivis, non vero pro defunctis,* nisi aliter declaretur ab Apostolica Sede. Indulgentiae enim pro defunctis, Jubilaeo anni 1750 perdurante, non solum a Summo Pontifice Benedicto XIV non fuerunt suspensae, sed ex concessione ejusdem Pontificis defunctis applicari poterant illae etiam, quae alias ipsis non essent applicabiles, utpote pro vivis tantum concessae (Cf. Bulla *Cum Nos nuper* 17 Maji 1749, apud Decr. auth. pag. 494).

§ VI.

INDULGENTIA PLENARIA, QUOTIDIANA, PERPETUA IN ECCLESIA S. MARIAE ANGELORUM.

989. Innocentius XII concessit *in perpetuum indulgentiam plenariam in ecclesia S. Mariae Angelorum* prope Assisium pro omnibus Christifidelibus, qui illam vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, *in quocumque anni die* visitaverint, et

ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint (Bulla *Redemptoris* 18 Augusti 1695).

Praedicta indulgentia *plenaria, quotidiana et perpetua* concessa fuit a laudato Pontifice non solum ad preces Religiosorum, sed etiam *postulantibus Romanorum Imperatore, Regibus et Principibus,* quorum epistolae ad Innocentium PP. XII, et responsa ipsius Pontificis legi possunt in Chronologia Ordinis tom. III, part. I, pag. 406 et sqq.

990. *Haec autem indulgentia non est confundenda cum illa de Portiuncula. Indulgentia Portiunculae,* jam declaravit S. Congregatio, *est praecise affixa diei 2 Augusti,* et incipit a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei. Indulgentia vero *quotidiana* concessa a s. m. Innocentio XII visitantibus ecclesiam S. Mariae Angelorum *non est eadem cum praefata Portiunculae* (Decr. 25 Febr. 1739. N. 128).

Pro lucranda indulgentia plenaria *quotidiana* requiruntur, ut dictum est, consueta opera, nempe Confessio, Communio, visitatio et preces. Quoad visitationem, sufficit visitare *illam praegrandem Basilicam,* quae notissima est sub titulo S. Mariae Angelorum, cui est indulgentia concessa, ut declaravit Clemens XI anno 1706 (Cf. Minderer, part. 2. n. 289 et 310).

991. Non est silentio praetereundum, quod tam in Decretis S. Sedis, quam in authenticis Summariis Indulgentiarum piis Sodalitatibus concessarum, passim concessae reperiuntur indulgentiae Basilicarum Urbis, PORTIUNCULAE, Hierosolymae et S. Jacobi Compostellae. Jam vero haec indulta apostolica supponunt proculdubio, ECCLESIAM PORTIUNCULAE singularibus favoribus ac indulgentiis esse ditatam.

992. Eamdem indulgentiam *plenariam, perpetuam et quotidianam* concessit visitantibus ecclesiam S. P. N. Francisci Minorum Conventualium civitatis Assisii idem Innocentius XII sub praefata die 18 Augusti 1695, Constit. incip. *Commissae Nobis* (Cf. Ferraris, verb. *Indulg.* art. V. n. 54).

993. Quo sensu, *generatim loquendo,* intelligenda sit indulgentia *plenaria quotidiana perpetua vel ad tempus concessa* visitantibus aliquam ecclesiam seu publicum oratorium, habetur declaratum sub n. 221: videlicet Summus Pontifex Pius IX votum Consultoris approbavit, quod ita sonat: indulgentiam plenariam

quotidianam perpetuam vel ad tempus concessam visitantibus aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium, ita semper intelligendam esse mandavit, ut *semel in anno tantum* ab unoquoque fideli acquiri possit: excepto solummodo casu, quo in Decreto, Rescripto, Brevi etc. concessionis favore alicujus ecclesiae, seu publici oratorii, *clare et explicite expressum sit,* indulgentiam plenariam reapse quotidie ab unoquoque Christifideli rite disposito acquiri posse (Decr. 15 Martii 1852. N. 356, *in una Maceraten.*).

§ VII.

LOCA QUAE EX PRIVILEGIO S. SEDIS GAUDENT INDULGENTIA PORTIUNCULAE.

994. Gaudent privilegio indulgentiae de Portiuncula, ut colligitur ex relatis sub n. 974, omnes ecclesiae et oratoria publica Ordinis S. Francisci Assisiensis, nempe:

a) Ecclesiae et oratoria publica Fratrum Minorum Observantium, Reformatorum, Discalceatorum et Recollectorum.

b) Minorum Conventualium, Capuccinorum et Tertii Ordinis Regularis.

c) Monialium S. Clarae et Tertii Ordinis cum votis solemnibus.

d) Ecclesiae Monasteriorum seu Communitatum mulierum, quae vel subjectae sunt obedientiae et directioni Fratrum Ordinis Minorum, vel saltem primitus fuerunt, sed postea ab eorumdem cura et gubernio sub immediatam jurisdictionem Episcoporum translatae sunt (Decr. auth. N. 391).

e) Ecclesiae (juxta nostram sententiam, de qua suo loco) Congregationum Sororum Tertiariarum franciscalium cum votis simplicibus.

Ante Constitutionem *Misericors Dei Filius* Summi Pontificis Leonis XIII, etiam in ecclesiis vel capellis, in quibus erectae reperiebantur Congregationes Tertii Ordinis saecularis S. P. Francisci, acquiri poterat indulgentia de Portiuncula, non solum a Tertiariis, sed etiam ab omnibus Christifidelibus. Id constat ex Rescripto autographo Summi Pontificis Pii IX de die 16 Octobris 1865, cujus apographum in Archivo Ordinis nostri asservatur. At post memoratam Constitutionem, hujusmodi privilegium non amplius pro Tertiariis saecularibus subsistit, ut suo loco videbimus.

Ex speciali indulto S. Sedis, quod ad septennium concedi solet, aliae etiam ecclesiae indulgentia de Portiuncula gaudent.

995. Non solum ecclesiae *Conventuum,* sed etiam ecclesiae sive oratoria *Hospitiorum* seu *Residentiarum,* dummodo sint *publica et ad Fratres pertineant,* fruuntur indulgentia Portiunculae. Quoad hoc perlegantur quae supra diximus de Hospitiis n. 931 et sqq. Verumtamen non abs re erit, claritatis et certitudinis gratia, aliquid addere ex libro *Decreta authentica* depromptum.

996. *Hospitio* FF. Observantiae Provinciae Algarviae Ulyssiponae constituto, *unita reperitur publica ecclesia* sub titulo SS. Nominis Jesu, cui octo circiter FF. ibi degentes inserviunt. Dubium emersit, an eam visitantes fruantur ibi indulgentia Portiunculae, quae concessa fuit ecclesiis *Conventuum* Franciscani Ordinis, sub quorum nomine non comprehendi *Hospitia* formidant. Attenta vero Constitutione Apostolica Gregorii XV declarante, hac indulgentia frui *omnes et singulas ecclesias Ordinis...* arguunt, non obstare qualitatem et nomen *Hospitii,* quin tum personae, tum earum domus comprehendantur in concessione, multoque magis, quia ecclesia, de qua agitur, licet hospitio addicta, *non videtur consideranda privato nomine oratorii, sed publicae ecclesiae.* Quaeritur ergo:

An ecclesia dicti Hospitii comprehendatur in concessione indulgentiae de Portiuncula?

S. Congregatio resp. *Affirmative* (Decr. 25 Maji 1736. N. 117).

997. Econtra, S. Congregatio declaravit: *Ecclesias parochiales* Provinciae de Bardes, Archid. Goanae, a PP. Min. Obs. Ord. S. Francisci *administratas,* non gaudere indulgentia Portiunculae. Et hoc ideo, quia hujusmodi ecclesiae parochiales, licet a Franciscanis administratae, *haud tamen inter ecclesias Ordinis* poterant computari (Decr. 21 Jan. 1749. N. 177).

998. In civitate *Laureti* una tantum ecclesia publica existit, et omnes sciunt eam esse celeberrimam ecclesiam, quae continet *domum, in qua Verbum caro factum est.* Regulares in civitate commorantes, habent in suis Conventibus sive Hospitiis *oratorium internum* intra clausuram. Jam vero S. Congregationi Indulg. propositum fuit sequens dubium:

An sacellum Hospitii, sive *Conventus* Minorum Obs. sub titulo S. Benigni Ep. et Conf., in civitate Lauretana existentis indulgentia de Portiuncula nuncupata, die videlicet 2 Augusti recur-

rente, *aeque gaudeat, ac si foret ecclesia ejusdem Ordinis*, exclusive tamen quoad mulieres, ob rationem clausurae?

Resp. *Negative.* Attamen *ex speciali Indulto* indulgentia Portiunculae fuit concessa, lucranda ab omnibus Christifidelibus, exceptis tamen mulieribus (Decr. 15 Junii 1819. N. 247).

Ecclesiae igitur sive oratoria Hospitiis vel Residentiis annexae, ut indulgentia de Portiuncula gaudeant, debent esse *publicae* et *propriae Ordinis.*

Ex defectu primae conditionis non fruuntur indulgentiis Ordinis, ac ideo nec illa de Portiuncula, *oratoria sive capellae internae Conventuum, Residentiarum, Hospitiorum* etc.

Ex defectu secundae conditionis non gaudent indulgentiis Ordinis nec proinde illa de Portiuncula, *oratoria hospitalium, conservatoriorum* etc. quibus Fratres inserviunt, nec *ecclesiae parochiales* a Religiosis administratae, si hae non sint nec dici possint ecclesiae Ordinis juxta dicta sub n. 938 et sqq.

999. Ex concessione Clementis PP. XIV ecclesiae, in quibus per Fratres Ordinis Capuccinorum *Provinciarum Italiae* (vid. n. 939) divina officia seu ecclesiastica Sacramenta administrantur, iisdem fruuntur indulgentiis, ac ideo etiam illa de *Portiuncula,* pro omnibus Christifidelibus, *sicut propriae ecclesiae Ordinis* (Decr. 6 Martii 1770, penes Rescript. auth. N. 295).

§ VIII.

INDULGENTIA PORTIUNCULAE IN ECCLESIIS OLIM SUB REGIMINE ORDINIS MINORUM IN GALLIA.

1000. Quamvis compertum sit, et a S. Congregatione declaratum, ecclesias omnes, quae *sub regimine olim erant* FF. Ordinis Seraphici, *indulgentias amisisse* ejusdem Ordinis proprias, attamen ad enixas preces R. P. Hadriani Josephi Humbert ex Ordine Conventualium, Pius PP. VII per Breve sub die 20 Junii 1817 *confirmavit et, quatenus opus esset, de novo concessit* indulgentias omnes, vulgo de *Portiuncula* nuncupatas, in ecclesiis existentibus *in Galliarum regnis,* quaeque a FF. dicti Ordinis primitus regebantur (Dec. 29 Aug. 1864. N. 406).

1001. Imo ad majorem Christifidelium utilitatem idem Pontifex per aliud Breve *Alias Nos* sub die 4 Maji 1819 praedictam in-

dulgentiam de Portiuncula in iisdem ecclesiis *ad Dominicam immediate sequentem diem 2 Augusti,* nisi haec dies in Dominicam incidat, transtulit (1) (Decr. eod.).

1002. Cum autem hodie *nonnullae ecclesiae in Gallia sub regimine FF. Ordinis S. Francisci iterum existant,* quaeque ideo potiuntur hac indulgentia die 2 Augusti, sequentia enata sunt dubia:

1° Utrum Brevia *Exponi Nobis* (2) diei 20 Junii 1817 et *Alias Nos* 4 Maji 1819, si sint authentica, adhuc vigeant pro Gallia, quamvis in quibusdam locis *nunc exstent Conventuales Franciscanorum ecclesiae,* in quibus fideles die 2 Augusti indulgentias de Portiuncula nuncupatas consequi possunt? Resp. *Affirmative.*

2° Utrum, firmo remanente Brevi *Alias Nos* de translatione indulgentiarum de Portiuncula ad Dominicam, vetus Franciscana ecclesia, nunc parochialis, *indulto speciali* indigeat, ut in ea fideles indulgentias die 2 Augusti lucrentur? Resp. *Indigere* (Decr. eod.).

Juxta tenorem responsi ad 1^m^ dubium, Leo PP. XIII declaravit, quod ecclesia parochialis S. Nicolai in civitate Bruxellensi, quae numquam fuit sub regimine FF. Ordinis Seraphici, et tamen gaudebat indulgentia Portiunculae antequam Franciscani post Gallicam perturbationem in eamdem civitatem redirent, *non amittit hoc privilegium si deinde adveniant vel jam advenerint dicti Patres Franciscani* (Decr. 23 Maji 1880. N. 449).

1003. Generatim affirmari potest, ecclesiam quamlibet privilegio indulgentiae Portiunculae sive in perpetuum sive ad tempus ditatam, non amittere hoc privilegium ex posteriori in eumdem locum adventu Fratrum Franciscanorum; excepto casu quo privilegium ipsum expresse revocetur.

1004. Ex expositione historica facti, et ex responsione ad praefata dubia, haec summatim habentur decisa:

---

(1) Non solum in Gallia, sed in aliis etiam regionibus, uti ex. gr. in imperio Austriaco, vi privilegii a S. Sede concessi, indulgentia de Portiuncula lucratur a fidelibus populis prima Dominica post diem secundam Augusti. Leo PP. XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum diei 20 Julii 1896 indulgere dignatus est, ut iis in locis ubi indulgentia de Portiuncula transfertur ad insequentem Dominicam, praescripta Confessio anticipari ac peragi possit etiam feria 5ª ante praefatam Dominicam ad tramitem Decreti ejusdem S. Congregationis d. d. 14 Julii 1894, quod supra (n. 980) retulimus.

(2) Brevia Pii VII *Exponi Nobis* et *Alias Nos* superius commemorata videri possunt in volumine *Decr. auth.* pag. 462, 463.

a) Ecclesiae *olim Franciscales* in Gallia gaudent indulgentia Portiunculae ex concessione Pii PP. VII.

b) Hujusmodi indulgentia translata fuit in praefatis ecclesiis *olim Franciscanorum,* ad Dominicam, quae immediate sequitur diem 2 Augusti, nisi haec dies in Dominicam incidat.

c) Dictae ecclesiae, quae non amplius sunt sub regimine Franciscanorum, *indulto speciali* indigent, ut in eis fideles indulgentiam de Portiuncula nuncupatam, die 2 Augusti lucrari possint.

d) Indulgentia Portiunculae concessa Galliae ecclesiis, quae primitus a FF. Ordinis Seraphici regebantur, adhuc viget, quamvis in quibusdam locis extent conventuales Franciscanorum ecclesiae, in quibus fideles die 2 Augusti dictam indulgentiam lucrari possunt.

e) Praedictae ecclesiae gaudent tantum indulgentia Portiunculae, non autem ceteris indulgentiis, quibus gaudent ecclesiae a FF. Ordinis Minorum administratae.

1005. Advertendum est, in iis locis, in quibus indulgentia Portiunculae ad Dominicam immediate sequentem diem 2 Augusti translata est, liberum quidem esse fidelibus eamdem indulgentiam lucrari vel die 2 Augusti *in ecclesiis Franciscalibus,* vel sequenti Dominica *in alia ecclesia* eodem privilegio gaudenti pro tali die, sed non in utraque ecclesia et utraque die. Qui proinde die 2 Augusti lucratus est indulgentiam in ecclesia Franciscana, nequit sequenti Dominica eamdem indulgentiam iterum lucrari in alia ecclesia (Cf. Decr. auth. N. 407 et 435).

1006. In concessionibus indulgentiae dictae de Portiuncula pro ecclesiis quae non reguntur a Fratribus Ordinis Minorum, apponi solet haec clausula: *dummodo nulla extet eo loci, vel unius saltem milliarii spatio distet Franciscalis Ordinis ecclesia.* Quo praemisso postulatum est:

An, si nulla extet ecclesia actu ad PP. Franciscales pertinens, plures ecclesiae in eadem civitate, imo in eadem paroecia, milliarii spatio minime inter se distantes, frui possint privilegio vulgo *della Porziuncola?*

S. Congregatio respondit: *Affirmative. Attenta tamen speciali praerogativa indulgentiae Portiunculae, expedire, ut in novis concessionibus clausula quoad distantiam, quae apponi solet favore ecclesiarum Ordinis S. Francisci, extendatur ad alias omnes ecclesias hoc privilegio ditatas* (Decr. 23 Nov. 1878. N. 441).

1007. Porro juxta hodiernum stylum sive praxim S. Sedis, id fit et observatur in concessionibus indulgentiae Portiunculae, ita ut in hujusmodi Indultis clausula quoad distantiam, quae apponi solet in favorem ecclesiarum Ordinis S. Francisci, extendi etiam soleat ad alias omnes ecclesias hoc privilegio ditatas, utendo sequenti formula restrictiva: « *dummodo nulla extet ea in civitate vel saltem mille passuum spatio distet Franciscalis Ordinis aut alia quaelibet ecclesia sive etiam oratorium publicum,* cui similis indulgentia concessa sit ».

§ IX.

EPILOGUS.

1008. *Resumuntur breviter praecipua capita de indulgentia Portiunculae.*

1. Indulgentia Portiunculae fuit *divinitus* concessa: ex voluntate tamen Christi Domini a Summo Pontifice Honorio III, ejus Vicario in terris, confirmata.

2. Juxta petitionem S. P. Francisci concessa fuit *pro ipsa parva ecclesia Portiunculae dumtaxat,* et incipit a primis vesperis kalendarum Augusti usque ad occasum solis sequentis diei.

3. Satis est ad eam lucrandam, ut fideles sint *contriti et confessi ac Portiunculam devote visitent.*

4. Praefata indulgentia plenaria a Summis Pontificibus *extensa fuit in perpetuum ad omnes ecclesias Ordinis S. Francisci* pro secunda die Augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, et Gregorius XV sacram *Communionem* praescripsit nec non *preces* pro consuetis finibus.

5. Innocentius XI dictam indulgentiam declaravit *applicabilem etiam defunctis.*

6. Apostolica Sedes pluries declaravit, indulgentiam Portiunculae ab omnibus Christifidelibus acquiri posse *toties quoties.*

7. Eadem indulgentia pluries acquiri potest non solum pro defunctis, sed etiam, ubi opus fuerit, pro semetipso.

8. Nedum ecclesiae *Conventuum,* sed etiam *Hospitiorum,* dummodo sint *publicae et propriae Fratrum,* gaudent privilegio Portiunculae.

9. Tali autem privilegio minime gaudent oratoria *interna* sive Conventuum sive Hospitiorum, absque speciali indulto. Idem dicendum de *ecclesiis parochialibus* a Fratribus nostris administratis, quoties inter ecclesias Ordinis nequeant computari.

10. Confessio et Communio fieri possunt etiam in pervigilio; imo *Confessio* facta die 30 Julii valet pro lucranda indulgentia Portiunculae, prout etiam Confessio *hebdomadalis*.

11. Indulgentia autem incipit a primis vesperis kalendarum Augusti usque ad occasum solis diei sequentis, et intra hoc tempus fieri debent ecclesiae visitationes.

12. Specialis et propria praerogativa indulgentiae Portiunculae est, ut ea *toties quoties* acquiri possit.

13. Quare si in indulto, quo conceditur indulgentia Portiunculae vel ad instar Portiunculae, desit clausula *toties quoties,* haec subintelligitur.

14. Si in aliquo loco indulgentia Portiunculae *per indultum S. Sedis* transferatur in Dominicam proxime sequentem, liberum est fidelibus eamdem indulgentiam lucrari vel die 2 Augusti in ecclesia franciscali, si ibidem extat, vel die Dominica in illa ecclesia, quae vi praedicti indulti privilegio Portiunculae gaudet, non tamen in utraque ecclesia et utroque die.

ARTICULUS VII.

ALTARE PRIVILEGIATUM.

§ I.

NOTIO, QUALITAS ET CESSATIO ALTARIS PRIVILEGIATI.

1009. Altare, si nominis etymologiam species, ita dictum putant eruditi, quasi *alta ara* seu *area* vel etiam *res*. Penes Antiquos hoc erat discrimen inter *altare* ab altitudine derivatum et *aram,* quod illud in superficie erat sacratum, haec vero per omnia latera (Cf. Macri *Hierolexicon,* verb. *Altare*).

1010. Altare privilegiatum dicitur illud, quod annexum habet privilegium Apostolica auctoritate concessum, ut agente ibi Sacerdote incruentum Missae sacrificium pro aliquo defuncto, ipsius anima, quae Deo in charitate conjuncta ex hac luce migraverit,

indulgentiae plenariae suffragio adjuvetur (Theodorus a Spir. S., part. II, pag. 53).

1011. Descriptio authentica indulgentiae altaris privilegiati. Sacra Congregatio Indulgentiarum declaravit: *Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus Clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet* (Decr. 28 Julii 1840. N. 283).

1012. Privilegium altaris vel *ipsi altari* adnectitur, et dicitur *locale;* vel *ipsi Sacerdoti,* ubicumque celebret, conceditur, et tunc dicitur *personale.*

1013. Altare locale. Ut altaris privilegiati indultum obtineri possit, requiritur ut altare sit *fixum.* Indulgentiae enim altaris privilegiati adnecti nequeunt altaribus *portatilibus* (Decr. 27 Nov. 1764. N. 234).

Quapropter si a S. Sede indultum locale altaris privilegiati conceditur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello, nec in Rescripto de qualitate altaris, sitne fixum vel portatile, *altare minime censeri potest privilegiatum, si sit portatile* (Decr. 15 Decemb. 1841. N. 295 ad 3^{m}, et 334 in exord.).

Constat autem de privilegio, etiamsi mentio de altaris portatilitate *in supplici tantum libello* sit expressa, minime vero in concessionis Rescripto (Decr. 31 Jan. 1843. N. 315).

1014. Ab hac lege excipitur casus indulti altaris privilegiati *personalis,* quo frui potest Sacerdos in quocumque altari, sive locali sive portatili celebraturus (Decr. 20 Martii 1846. N. 334, in compendio facti).

1015. Altare *fixum* ex mente S. Congregationis Indulgentiarum est illud, *quod a loco dimoveri non potest,* sed non tamen cujus superior pars sive mensa sit ex integro lapide, vel adeo calce conjuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit (Decr. eod. ad 2^{m}).

1016. Ne autem dubium circa qualitatem altaris *fixi* exoriatur, Pius PP. IX edixit et declaravit, sufficere ad constituendam qualitatem altaris *fixi,* ut in medio altaris *stabilis* et *inamovibilis,* licet non consecrati, *lapis consecratus, etiam amovibilis,* ponatur (Decr. 26 Martii 1867, apud Rescr. auth. N. 405).

1017. Ex his patet altaria *fixa* duplicis esse generis; alia quae structuram habent stabilem et immobilem, in cujus medio est lapis consecratus *amovibilis;* alia quae insuper habent mensam cum ipso lapide conjunctam, ita ut et altare et lapis sint quid unum (Scavini, edit. XII, tom. III, n. 272).

1018. Indulgentia seu privilegium altaris a S. Sede non est concessum *lapidi consecrato,* plerumque portatili in quacumque ecclesia, et cuicumque altari fixo imposito, sed *altari determinato, et in honorem alicujus Sancti* specialiter dicato (Decr. 27 Sept. 1843. N. 324).

1019. Cum privilegium altari, non lapidi concedatur, consequitur quod si ab altari fixo privilegiato rationabili de causa lapis consecratus amoveatur et alius substituatur, *altare privilegiatum remanet.* Cui consonat responsum Cardinalis Fransonii Praefecti Congregationis de Propag. Fide, quod sic se habet: *Privilegium altari conceditur, non lapidi, qui unus alteri pro necessitate vel opportunitate suffici poterit* (Decr. 27 Sept. 1843. N. 324, et cf. etiam N. 334).

1020. Declaratum est, privilegium altari alicujus Sancti concessum valere, etiamsi altare *alii vel aliis Sanctis* deinceps dedicetur, vel etiam diversimode nuncupetur (Decr. 3 Octobr. 1744. N. 148).

1021. Altare, de cujus privilegio non extat documentum authenticum, *confirmatione vel nova concessione indiget* (Decr. 18 Decemb. 1714. N. 54).

1022. Altare *portatile* sive *viaticum* ex mente S. Congregationis Indulgentiarum est illud, quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena, saltem quoad majorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur (Decr. 20 Martii 1846. N. 334 ad 2^{m}).

1023. Ex eo quod privilegium altaris non est concessum lapidi consecrato, *sed altari determinato,* non sequitur quod altare debeat esse consecratum. Necessarium est tantum, ut in medio altaris, in quo Sacrum peragendum est, reponatur *lapis consecratus* cum capsula SS. Reliquiarum (Decr. 30 Jan. 1760. N. 219 ad 2^{m}).

Quare altare quod suam *consecrationem* amittit, non ideo *privilegium* quoque amittit. Hoc tantum suspenditur, quousque altare de novo consecretur, vel in medio ejus lapis consecratus reponatur.

1024. Cum altaris privilegium sit exclusive adnexum *altari designato,* consequitur illud non posse sine speciali facultate transferri ad aliud altare, licet fixum. Quocirca cum in casu reaptationis altaris privilegiati soleat peti translatio privilegii ad aliud altare, conceditur dicta translatio durante tantum tempore fabricae; ex quo colligitur, *privilegium in eodem altari stabile permanere* (Decr. 27 Nov. 1764; et 27 Sept. 1843. N. 234 ad 1^{m} et 324).

1025. Diruto altari et in aliam materiam, puta in marmorem, commutato, dummodo sit iterum *sub eodem titulo* constructum, non amisit privilegium ab Apostolica Sede concessum (Decr. 24 Apr. 1843. N. 317).

1026. Item privilegium manet, non obstante quod altare *sub eadem invocatione* de novo aedificatum fuerit in alio quidem loco, sed *in eadem ecclesia,* vel in ecclesia destructa, sed *in eodem loco* reaedificata (Decr. 16 Sept. 1723. N. 84).

Amittitur vero altaris privilegium, si ecclesia destructa *sub alio titulo* reaedificetur (Decr. 18 Julii 1712. N. 43).

Hinc etiam privilegium altaris illico amitteretur, ut fluit ex dictis, si *ipsum altare fixum,* cui privilegium est adnexum, in aliam ecclesiam transferretur.

1027. Si altaris privilegium, scribit Theodorus a Spiritu Sancto, concessum fuisset intuitu insignis imaginis Deiparae aut Sancti alicujus, aut specialis consecrationis; cum haec *altari combusto* deficerent, licet alicubi sub eadem invocatione denuo construeretur, *non perseveraret privilegium:* cessaret enim tum physice tum moraliter causa concessionis, si imago illa una cum altari fuisset destructa; secus autem si imago illa adhuc subsisteret integra vel in majori parte (Part. II, pag. 73).

1028. Breviter dici potest, quod, altari privilegiato aut antiquitate collapso, aut injuria temporum destructo, aut immutato, et in eodem vel diverso situ, *in eadem tamen ecclesia et sub eodem Sancti titulo reaedificato,* privilegium non amittitur. Ratio est, quia novum altare idem moraliter cum antiquo censetur, eademque moraliter causa concessionis perseverat, sicque et voluntas concedentis (Cf. Minderer, part. II, pag. 223, n. 75).

1029. Pro altaris privilegio non est necessarium, ut ecclesiae, capellae et oratoria publica sint consecrata, sed *sufficit ut sint benedicta* (Decr. 22 Apr. 1752. N. 193).

1030. Intuitu cujusvis altaris privilegiati, in nulla ecclesia licet exponere tabellam super januam ipsius ecclesiae cum inscriptione: *Indulgenza per li morti,* sed tantum super ipso altari privilegiato, consuetis verbis: *Altare privilegiatum pro defunctis* (Decr. S. R. C. 13 Aug. 1667; Gardellini N. 2421).

Praefata inscriptio, quae hodie plerumque exprimi solet simpliciter his verbis: *Altare privilegiatum,* minime est necessaria ad validitatem indulgentiae. Ea apponitur tantummodo pro indicando hujusmodi altari.

1031. Cuilibet parocho vel rectori ecclesiae cura esse debet invigilandi super cessatione et renovatione privilegii altaris. Contingere enim facile potest, ut supradicta *inscriptio* indicet quidem *altare privilegiatum,* etsi privilegium jam cessaverit. In hujusmodi casu, ne Sacerdotes fallantur, inscriptio removeri deberet, quoadusque privilegium non fuerit renovatum.

1032. ALTARE PERSONALE. Quando privilegium altaris conceditur *immediate Sacerdoti ratione sui,* tunc tale privilegium fit *personale,* et qui illud obtinuit, dicitur « *se gaudere altari privilegiato personali* ». Hujusmodi igitur privilegium non altari determinato est adnexum, sed personae, id est Sacerdoti, ita ut *in quocumque altari Missam celebraverit sive fixo sive portatili,* eamdem indulgentiam pro defunctis consequetur, ac si eam celebraverit in altari privilegiato proprie dicto (Decr. 15 Martii 1852. N. 351).

Concedi solet hoc privilegium, ut inferius videbimus, pro duabus, vel tribus aut etiam quatuor vicibus in qualibet hebdomada, et id vel in perpetuum, vel ad tempus determinatum. Notum est, Sacerdotes *actum heroicum charitatis* emittentes, gaudere privilegio altaris *quotidie* ac *vita durante* (vid. n. 450).

1033. Aliquando altare personale limitatur vel *ad personas,* vel *ad ecclesias,* vel *ad altaria determinatae ecclesiae.* Ex. gr. si termini concessionis ita vel simili modo se haberent: omnes Missae a Sacerdote, *tali* Confraternitati adscripto, celebratae in quocumque altari pro defunctis *ejusdem* Confraternitatis, sunt privilegiatae. Hoc in casu, ut vides, privilegium limitatur ad *Confratres* Sacerdotes et ad *Confratres* defunctos. Si autem in Indulto diceretur: omnes Missae celebratae in *tali* ecclesia, in *tali* altari pro defunctis *talis* Congregationis sive Sodalitatis, sunt privilegiatae; privilegium limitatur tum *quoad locum,* tum *quoad defunctos.*

§ II.

CONCESSIONES ALTARIS PRIVILEGIATI.

1034. Benedictus XIII concessit omnibus *ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus* totius orbis catholici (in quibus forsan non reperitur concessum) *altare privilegiatum quotidianum perpetuum,* designandum a respectivis Episcopis, pro omnibus defunctis in cunctis Missis celebrandis a quocumque Sacerdote saeculari vel regulari (Breve 20 Julii 1724. Cf. Decr. 14 Nov. 1766. N. 235 in exordio; Ferraris, verb. *Altare privil.* n. 11).

1035. Clemens XIII omnibus ecclesiis *parochialibus, collegiatis et Abbatialibus Nullius* gratiam altaris privilegiati quotidiani *ad septennium* concessit, revocatis hujusmodi privilegiis *intuitu paroeciae* sive in perpetuum, sive ad tempus jam concessis; ea tamen adjecta lege, ut quilibet Episcopus de hujusmodi gratia *supplicet* pro sua respectiva dioecesi... Expirato septennio, Sede plena, Sanctitas Sua mandat, ut ipsimet Episcopi et Abbates, Sede autem vacante, Vicarii Capitulares, sive in spiritualibus Abbatiarum administratores *pro renovatione ejusmodi privilegii supplicent* (Decr. 19 Maji 1759. N. 215).

1036. Ecclesiae cathedrales, quamvis sint etiam parochiales, *uno tantum gaudent altari privilegiato* (Decr. 18 Sept. 1776. N. 238; et 10 Sept. 1781. N. 241).

1037. Ecclesiae, quae neque parochiales sunt, neque collegiatae, *etsi dignitate et antiquitate pollentes,* non gaudent concessione privilegiati altaris quotidiani ad septennium, atque eo tantummodo gaudent ecclesiae parochiales, et per communicationem collegiatae (Decr. 30 Jan. 1760. N. 218 ad 1^{m}).

1038. Privilegium altaris pro collegiatis poterit extendi etiam ad illas ecclesias, quae, etsi collegiatae non denominentur, habent residentias ad instar collegiatarum, et in quibus ad instar collegiatarum choro assidue inservitur (Decr. eod. ad 2^{m}).

1039. Episcopus Wladislaviensis sequens dubium declarari expostulavit: Cum in sua dioecesi ob tenuitatem beneficiorum *pleraeque parochiales unitae sint,* an idem privilegium intelligatur concessum omnibus et singulis, vel iis tantum, in quibus aliqua parochialia munia aliquando fiant per annum, licet cum ceteris majoribus sint unitae?

Responsum est: Sanctitas Sua (Clemens XIII) declaravit, privilegium altaris quotidiani ad septennium illis tantummodo ecclesiis per extensionem concedendum esse, quae parochiali unitae, seu ejusdem subsidiariae, *plerasque parochiales functiones* (quae proprie parochiales sint) *infra annum exercent* (Decr. 27 Nov. 1764. N. 234 ad 2ᵐ).

Quaenam censendae sint functiones vere parochiales, patet ex sequenti declaratione:

Poterit extendi privilegium (altaris) ad eas dumtaxat filiales ecclesias, in quibus parochus functiones vere parochiales exercet, uti *sepelire mortuos, baptizare, SS. Eucharistiae Sacramentum ministrare in Paschate,* et similia (Decr. 30 Jan. 1760. N. 219 ad 3ᵐ).

1040. Ad dubium: An per designationem novi altaris ad septennium juxta Breve intelligantur suppressa non solum privilegia antea concessa intuitu paroeciae, verum etiam quaedam alia?

Summus Pontifex Clemens XIII respondendum esse decrevit: Nova designatione altaris privilegiati quotidiani ad septennium revocanda esse anteriora privilegia UNICE INTUITU PAROECIAE concessa, non alia de causa ex. gr. Confraternitatis, capellae seu altaris jurispatronatus alicujus familiae, sive ratione publici coemeterii, aut praefixi numeri Missarum in ecclesia seu particulari altari satisfaciendi (Dec. 30 Jan. 1760. N. 218 ad 4ᵐ et 24 Maji 1843. N. 322 ad 2ᵐ).

1041. Jam antea declaratum fuerat, quod existentia altaris privilegiati *certo personarum coetui concessi,* non obest concessioni alterius similis privilegii indefinite *pro omnibus* in eadem ecclesia, ratione clausulae in posteriori privilegio exaratae: *in qua aliud altare privilegiatum non reperiatur concessum* (Decr. 18 Junii 1742. N. 134).

1042. Si quis Parochus vel Rector alicujus ecclesiae ob gravem rationem impetrare vellet a S. Sede plura altaria privilegiata, vel unum ad longius tempus, deberet vel per se vel per suum Episcopum ad S. Sedem recurrere, nempe vel *ad Secretariam Brevium, vel ad Secretariam Memorialium, aut ad S. Congregationem Indulgentiarum.* In supplici libello sunt declaranda: 1° nomen paroeciae et dioecesis; 2° motiva ob quae hujusmodi specialis gratia petitur; 3° numerus annorum, per quos privilegium vult obtineri; 4° Patronus vel titulus ecclesiae; 5° qualitas ecclesiae, an sit parochialis, succursalis, conventualis etc.; 6° ti-

tulus altaris. Nulla autem est necessitas, ut Pius IX declaravit, indicandi materiam qua conflatur altare, an sit ex marmore, vel ex aere, aut ex ligno etc. (Vid. Beringer, tom. I, pag. 446).

1043. Ne Parochi expensis graventur, Summus Pontifex Clemens XIII voluit, nihil omnino exigi posse, *sub poena nullitatis privilegii,* ab Officialibus tum Episcoporum, cum Abbatum in certiorandis Parochis, sive in expediendis litteris pro designatione altaris privilegiati in unaquaque parochiali ecclesia dioecesis (Decr. 19 Maji 1759. N. 215).

1044. Praefatum privilegium ad septennium obtinet *pro singulis diebus totius anni* (et pro omnibus Missis), quandocumque Sacerdos approbatus in designato altari Missam applicaverit pro certo defuncto (Decr. 30 Jan. 1760. N. 219 ad 1^{m}).

1045. Durante Jubilaeo Anni Sancti *privilegia altarium non suspenduntur,* neque indulgentiae pro defunctis concessae (Decr. 16 Dec. 1749. N. 182).

1046. In septennio, vel alio breviori vel longiori tempore in Brevibus Indulgentiarum praescribi solito, computatur etiam annus universalis Jubilaei (Decr. 6 Sept. 1749. N. 181).

1047. Facultas designandi altare privilegiatum in qualibet ex parochialibus et collegiatis ecclesiis est potestas *personalis,* quam Episcopus exercere debet *per seipsum,* non autem per suos Vicarios Generales aut alios Ordinarios. Excipiendus est casus, quo Episcopus petierit et obtinuerit a S. Sede specialem facultatem (Decr. 25 Sept. 1841 ; 24 Maji 1843. N. 292 et 321).

1048. « *Haec facultas quoad Episcopum incipit a die datae Brevis ; ac proinde absoluto septennio pro altaribus designandis, etiamsi nondum in omnibus ea declaraverit, ipsi recurrendum erit ad Sedem Apostolicam pro prorogatione talis facultatis. Quoad vero altare illo privilegio decoratum ad septennium, illud tempus incipit a die respectivae designationis uniuscujusque altaris* (Decr. 25 Sept. 1841. N. 292).

Tempus in Brevibus Apostolicis positum pro confirmatione privilegii altaris *in regionibus remotis,* non *a die datae, sed a die praesentationis* Brevis Ordinario est computandum (Decr. 4 Febr. 1736. N. 116).

1049. Clemens PP. XIII, Decreto Urbis et Orbis, incipiente « *Cum ex veteri more* », benigne concessit, ut Missa *die Commemorationis Defunctorum* (secunda Novembris) a quocumque Sa-

cerdote celebranda, gaudeat privilegio, *ac si esset in altari privilegiato celebrata,* decernendo tamen, ut nonnisi consuetam eleemosynam unusquisque Sacerdos pro dicta Missa, licet privilegiata, accipiat, et in ea tantum quantitate, quae a synodalibus Constitutionibus, seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit (Decr. 19 Maji 1761. N. 228).

In laudato Decreto nominatur dies 2 Novembris, quia Commemoratio omnium Defunctorum regulariter ea die celebratur. At dubitari nullatenus potest, quin idem privilegium locum habeat, quando occurrente impedimento in die 2 Novembris, agatur Commemoratio eadem in sequenti die proxime non impedita. Hanc diem siquidem, tamquam propriam sedem, Commemoratio omnium Defunctorum statim occupat; adeoque cum privilegiis omnibus, quibus in propria die donatur.

1050. Pius PP. VII, die 10 Maji 1807, per Emum Cardinalem Vicarium Urbis declaravit in perpetuum *privilegiata* omnia altaria illarum ecclesiarum, in quibus fit *Oratio quadraginta Horarum* ante SS. Sacramentum publicae venerationi expositum, durante dicta Expositione *(Raccolta,* pag. 87).

1051. Hujusmodi tamen concessio intelligenda est de *Oratione quadraginta Horarum proprie dicta,* instituta nempe juxta *Instructionem* Clementis XI de die 21 Jan. 1705, et secundum Constitutionem *Accepimus* Benedicti XIV, de die 16 Apr. 1746. Excipitur casus, quo hujusmodi privilegium, occasione Expositionis non per 40 horas continuas, obtineatur per speciale Indultum.

1052. Pluries S. Congregatio Indulgentiarum declaravit « *Privilegium altaris non esse communicabile* ». Quare, *etiam in generali communicatione indulgentiarum et gratiarum,* quibus gaudet aliqua ecclesia, Basilica, Archiconfraternitas, Ordo religiosus etc. *nusquam communicatur privilegium altaris:* excepto casu quo *per specialem et individuam mentionem* id reperiatur concessum in ipso Brevi Apostolico (Decr. 27 Nov. 1764. N. 233 ad 1m; Vid. etiam N. 88 ad 1m; et 171 ad 3m).

1053. Altaris privilegiati concessiones, benignitate Summorum Pontificum, factae sunt etiam Ordinibus religiosis *pro eorum ecclesiis.*

Brevia, sic declaravit S. Congregatio Indulgentiarum, tam altaris privilegiati, quam indulgentiarum, pro omnibus ecclesiis alicujus Ordinis, vel Congregationis, aut Instituti regularis, generaliter ob-

tenta, *respectivas ecclesias tantummodo* Monasteriorum et Conventuum talis Ordinis, Congregationis, vel Instituti *comprehendunt,* minime vero alias quascumque tam parochiales, quam non parochiales ab hujusmodi Ordine etc., sive a Monachis, aut Fratribus vel Religiosis dependentes, vel respective administrari solitas (Decr. 3 Aug. 1748. N. 174).

1054. Attamen declaratum est (vid. n. 931), omnes et singulas capellas publicas Ordinis S. Francisci Recollectorum in regione Germano-Belgica existentes gaudere, donec residentiam inibi Fratres duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, *altari privilegiato comprehenso.*

1055. « Ut peculiarem suam benevolentiam erga nonnullos Ordines Regulares ostendat, Apostolica Sedes, inter ceteras gratias ac praerogativas, privilegio quotidiano perpetuo decorare solet altare *in honorem SS. Fundatorum* erectum, sive erigendum in singulis eorumdem Ordinum ecclesiis. Porro cum nonnunquam contingat hujusmodi altare in quibusdam ecclesiis deesse, nec ob peculiares circumstantias spem affulgere illud erigendi, apud nonnullos Ordines mos invaluit collocandi prope crucem arae alterius Sancti effigiem S. Fundatoris *in parva tabula* depictam, ut hoc pacto, meliori quo potest modo, dici possit altare S. Fundatoris in ecclesia reperiri. Ut autem sciri possit, utrum dictae parvae tabulae appositio sufficiat ad hoc, ut praefatae ecclesiae gaudeant privilegio altaris generaliter omnibus Ordinis ecclesiis concesso, quaeritur:

1° « An in ecclesiis alicujus Ordinis, in quibus non reperitur altare S. Fundatoris, cui concessum est privilegium quotidianum perpetuum, sufficiat *parvam tabulam, S. Fundatorem repraesentantem,* in alterius Sancti ara collocare, ut privilegio antedicto possint gaudere?

Et quatenus Negative,

2° Quomodo providendum in casu?

Sacra Congregatio die 24 Julii 1756 respondit:

Ad 1m: *Negative;*

Ad 2m: *Recurrant in casibus particularibus* (Decr. auth. N. 207).

Non solum Ordinibus Regularibus, sed etiam Congregationibus, Confraternitatibus, piis Operibus factae sunt concessiones altaris privilegiati, prout in suis respective locis videbimus.

§ III.

ANTIQUUS ECCLESIAE STYLUS QUOAD ALTARE PRIVILEGIATUM.

1056. Disciplina Ecclesiae quoad altare privilegiatum aliquanto varia fuit. In saeculo XVI, tempore potissimum Gregorii XIII (1572-1585), passim concedebatur altare privilegiatum, nulla adhibita conditione taxativa Missarum. Successu vero temporis disciplina haec accuratius discussa fuit, praesertim sub Paulo V, qui Pontifex renuntiatus fuit anno 1605, quique Commissionem trium Cardinalium constituit, qui studio materiae serio vacarent.

Commissio trium Cardinalium a Paulo V constituta, ita statuendum existimavit: Retinendum quidem esse usum concedendi altaria hujusmodi privilegiata pro defunctis, ex quo jam in Ecclesia est auctoritate Summorum Pontificum inductus; verum non passim esse concedenda, *sed magna tantum ex causa, eaque perpetua,* si privilegium perpetuum detur; et nonnisi *in locis insignioribus,* quibus hactenus concessa non fuerunt.

1057. Stylus autem, qui ante primam medietatem elapsi saeculi servabatur, erat, ut altare privilegiatum *quotidianum perpetuum* concederetur dumtaxat ecclesiis, ubi quotidie celebrabantur *quadraginta Missae;* hae siquidem inter insigniores merito reputabantur.

Ubi vero minor Missarum numerus quotidie explebatur, *pro uno aut pluribus diebus* in qualibet hebdomada hujusmodi privilegium obtinebatur. Sic v. gr. Secretaria Brevium altare privilegiatum indulgebat *pro una die* in hebdomada, si in ecclesia *septem Missae* quotidie celebrabantur; *pro duabus diebus,* si *quatuordecim Missae.*

Si supplex libellus porrigebatur S. Congregationi Indulgentiarum, haec privilegium altaris concedebat *pro una die,* si in ecclesia singulis hebdomadis quotidie *quinque Missae* celebrabantur; *pro duabus diebus,* si *decem Missae* (Cf. Theod. a Sp. S. part. II, pag. 63).

1058. Etiam Benedictus XIII pluribus ecclesiis Ordinis nostri altare privilegiatum quotidianum perpetuum concessit, sed *proportionate ad Missarum numerum,* quae in eis celebrabantur, videlicet: *Pro quinque feriis* in hebdomada, iis ecclesiis, in quibus *viginti quinque Missae* quotidie celebrabantur. — *Pro quatuor feriis,*

illis ecclesiis, in quibus *viginti Missae*. — *Pro tribus feriis,* iis in quibus *quindecim*, et sic gradatim.

1059. Cum autem ex hac methodo plurimae exortae fuerint difficultates, ex eo potissimum quod non semper idem Missarum numerus in dictis ecclesiis celebrari poterat, ideo Summus Pontifex Benedictus XIV, ad preces Ministri Generalis Ordinis, praevia revocatione privilegii altarium pro determinatis feriis et Missis, dignatus est omnibus et singulis ecclesiis Ordinis Minorum concedere *unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum ab Ordinariis locorum semel designandum* (Cf. Ferraris, verb. *Alt. Privil.*, n. 32). Ubi privilegium cum conditione *ut tot Missae quotidie celebrentur* adhuc vigeret, talis conditio ad ejusdem privilegii valorem esset omnino servanda, vel S. Sedi supplicandum pro ejus renovatione absque memorata conditione.

1060. Et ut melius quoad altare privilegiatum cognoscatur vetus Ecclesiae stylus, notentur sequentia Decreta, quae quidem prodierunt e S. Congregatione Concilii die 30 Julii 1706, sed et ipsa S. Congregatio Indulgentiarum servari pluries decrevit (Vid. Decr. auth. N. 196).

a) Privilegium altaris remanet suspensum diebus, quibus praescriptus Missarum numerus non verificatur (Decr. 22 Jan. 1753. N. 196).

b) Deficiente praefixo numero Missarum *ob infirmitatem Sacerdotum* tam regularium, quam saecularium, indulgentiae non remanent suspensae (Decr. eod.).

c) Absentibus Religiosis ex causa praedicationis tempore Quadragesimae et Adventus, vel quando occasione festivitatum vel funerum, aut similium, a Superioribus ad celebrandum alio mittuntur, indulgentiae concessae cum certo Missarum numero, qui ob dictas causas adimpleri non potest, *pro tempore Adventus et Quadragesimae remanent suspensae; non autem in reliquis, dummodo raro contingat* (Decr. eod.).

§ IV.

APPLICATIO INDULGENTIAE ALTARIS PRIVILEGIATI.

1061. Missa ad altare privilegiatum celebrata, *est per se privilegiata,* quin requiratur, ut eleemosynam offerens vel Sacerdos intendat applicare privilegium (Decr. 12 Martii 1855. N. 366).

Praefata decisio intelligenda est praecipue, ut bene observat cl. Auctor Mechliniensis (Tractatus de Indulg., pag. 80), de *indulto quotidiano;* deinde etiam de indulto pro aliquot in hebdomada diebus *determinatis;* non autem de indulto, in quo *dies* in hebdomada privilegiati *non determinantur.* In hoc enim casu oportet, ut utens privilegio determinet saltem dies, quibus lucrari vult indulgentiam altaris privilegiati.

1062. Privilegium altaris sive proprie dictum sive personale *applicari nequit pluribus defunctorum animabus* in cujuscumque diei Missa (servatis servandis)... (Decr. 29 Febr. 1864. N. 402 ad 1^{m}). Hoc Decreto permotus Procurator Generalis Trappensium, S. Congregationi exposuit, in unoquoque Trappensium monasterio extare altare privilegiatum, *in quo celebratur quotidie Missa pro Fratribus, propinquis et benefactoribus defunctis.* Cum autem ex Decreto praefatae S. Congregationis diei 29 Februarii 1864 tenendum sit, quod privilegium altaris nequeat applicari pluribus defunctorum animabus in eadem Missa, quaeritur: *Quaenam sit praedicti apud Trappenses altaris privilegiati efficacia, et num privilegium inutile evadat, ex eo quod numquam uni animae determinatae applicetur?*

Cum rei examen commissum fuisset uni ex Consultoribus, sequentia dubia proposita sunt:

1. *Num apud Trappenses in Missa, quae quotidie celebratur pro pluribus* (Fratribus scilicet, propinquis et benefactoribus) *indulgentia altaris ad unum ex iis limitetur?*

S. Congregatio respondit: *Affirmative.*

2. *Num privilegium inutile evaserit ex eo, quod uni ex iis determinatae animae non consueverit applicari?*

S. Congregatio respondit: *Negative.* Quas resolutiones Leo PP. XIII approbavit (Decr. 19 Junii 1880. N. 451).

1063. Quod revera indulgentia altaris privilegiati ad unam tantum animam limitetur, clarissime etiam patet ex decisione, quam hic subnectimus.

Summus Pontifex Pius IX Litteris Apostolicis in forma Brevis de die 14 Maji 1869, Sacerdotibus adscriptis *Associationi Perseverantiae Sacerdotalis* Viennae in Austria canonice constitutae, indulsit: *ut Missae, quae ad quodlibet altare pro sodalibus defunctis celebrabuntur, animae seu animabus ex dictis sodalibus pro qua, vel pro quibus celebratae fuerint, aeque suffragentur ac si ad altare privilegiatum fuissent celebratae.*

Cum ex descriptis verbis concessionis colligi posse videretur, non uni tantum animae, sed etiam pluribus animabus sodalium defunctorum vi hujusce privilegii posse applicari in una Missa indulgentiam plenariam, Praeses memoratae Associationis a S. Congregatione Indulgentiarum postulavit:

Utrum sodales praedictae Associationis in una Missa: 1° *uni tantum sodali defuncto,* vel 2° *pluribus sodalibus defunctis possint indulgentiam plenariam applicare?*

S. Congregatio respondit: *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam. Quam sententiam approbavit Summus Pontifex Leo PP. XIII (Decr. 19 Dec. 1885, apud Acta S. Sedis, vol. XVIII, pag. 340).

Huc adde Decretum, quod supra n. 1011 attulimus. Ibi declaratum est: Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur *mens concedentis et usus Clavium potestatis,* intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae *animam* statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis etc.

1064. Ex his omnibus luculenter apparet, animam a Purgatorio liberandam per indulgentiam altaris privilegiati, *ex mente concedentis, unam dumtaxat esse;* et si pro pluribus Missa celebretur, ad unam ex iis limitari, quae vel est ea quae specialiter designata fuit, vel quae divinae miserationi eligenda remittitur, vel, si de nulla omnino cogitatum sit, quae Deo placuerit.

1065. Nec exceptio a regula generali facta est, ut putant nonnulli, pro die 2 Novembris *in Commemoratione omnium fidelium defunctorum.* Privilegium illius diei non est in hoc, quod in una eademque Missa applicari possit indulgentia pro pluribus imo omnibus, ac si mens esset Ecclesiae in singulis Missis Purgatorium ea die, quantum est ex parte concedentis, evacuare: sed in eo est privilegium, quod Sacerdotes *omnes* ea die *in quocumque altari celebrantes,* lucrari possint de more eamdem indulgentiam, *ac si ad altare privilegiatum celebrarent.* Hoc tantum sensu privilegium postulatum fuit, hoc sensu ex voto quod adhuc extat, celebris Consultoris P. Theodori a Spiritu Sancto propositum fuit, et hoc sensu concessum fuit a Clemente XIII (Vid. votum Consultoris, apud Acta Sed. vol. XIII, pag. 139).

1066. Documentum, quo praecipue innituntur nonnulli in admittenda exceptione, de qua modo diximus, pro die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, est sequens. In una *Andegaven.* propositum fuit dubium:

Utrum privilegium altaris sive proprie dictum, sive personale applicari possit pluribus defunctorum animabus in cujuscumque diei Missa (servatis servandis), *sicut expresse, sed speciatim declaratum fuit a S. Congregatione die* 18 *Maji* 1761 *pro Missa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum die* 2 *Novembris?*

S. Congregatio respondit: *Negative* (Decr. 29 Febr. 1864. N. 402).

Verum ex hujusmodi documento nullatenus argui potest, quod die 2 Novembris privilegium altaris applicari possit pluribus defunctorum animabus in cujuscumque diei Missa. Nam:

1° in Decreto 19 Maji 1761 *nec expresse nec speciatim,* ut asserit orator qui dubium proposuit, declaratio hujusmodi facta est, ut patet ex ipsis verbis concessionis, quae ita sonant: *Benigne concedit* (Clemens XIII), *ut Missa die praedicta Commemorationis defunctorum a quocumque Sacerdote saeculari vel cujuslibet Ordinis et Instituti regularis celebranda gaudeat privilegio, ac si esset in altari privilegiato celebrata* (Decr. auth. N. 228).

2° Responsum *negativum* a S. Congregatione datum, totum refertur ad dubium, *utrum privilegium altaris applicari possit pluribus defunctorum animabus;* cetera verba, quibus erronee exceptio asseritur pro die 2 Novembris, sine ulla responsione relinquuntur, ac ideo nulla decisio habetur favore exceptionis.

3° Ex altera parte *plures et clarissimae decisiones habentur* (quas nos supra attulimus), quod indulgentia altaris privilegiati tum *ex mente concedentis tum ex usu Clavium potestatis* ad unam animam tantum limitetur, et nullibi in documentis invenitur exceptio pro 2 die Novembris (Cf. Acta S. Sedis loc. cit.; Beringer pag. 458).

1067. Doctrina exposita circa efficaciam altaris privilegiati *practice* considerata est, quatenus nempe respicit Ecclesiae usum, qui, ut abunde constat ex dictis, in eo est, ut indulgentia altaris privilegiati juxta mentem concedentis ad unam tantum animam limitetur, quamvis Missa pro pluribus defunctis applicetur. Verum, ut observat citatus Consultor, si quaestio *theoretice* proponatur, in re quae pendet *a mente concedentis et a divina acceptatione,* nulla videtur esse ratio intrinseca ex divina institutione Clavium potestatis, cur indulgentia plenaria adnecti non possit uni Missae *pro pluribus simul animabus,* si Deo placuerit, *liberandis.* Et fortasse id quandoque concessum est.

1068. In opere, cui titulus *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide,* edito Romae anno 1893 sub n. 1115, jacet documentum, quod hic ad litteram transcribimus:

S. C. de Propaganda Fide — C. P. pro Sin. 20 Febr. 1801.

I sacerdoti (1) del Seminario di Parigi hanno in perpetuo la concessione dell' altare privilegiato personale senza condizione o restrizione alcuna; si cerca:

1. Se a conseguire tale indulgenza sia necessaria la Messa di Requie in quei giorni in cui si può per le rubriche.

2. Se la detta indulgenza debba applicarsi ad una sola anima del purgatorio, e non possa a molti o a tutti i fedeli.

3. Se le indulgenze applicabili per modo di suffragio alle anime del purgatorio si debbano applicare distributivamente ad una, ovvero collettivamente a più o a tutte.

R. Ad 1. partem: Affirmative, et ad D. Secretarium cum SSmo pro extensione indulti altaris privilegiati in casu, nempe etiam quando Missa de Requie celebrari nequeat ex justis et rationalibus causis.

Ad 2. partem: Applicari posse pluribus aut etiam omnibus.

Ad 3. partem: Ut ad proximum (*id est* proxime anteced.)

1069. Quia tale responsum, de cujus authenticitate non videtur posse dubitari, declarationibus supra relatis minus consonum apparet, sequentia notamus:

In allata responsione non continetur concessio Papae, sed simplex resolutio dubii; ideo non licet ex ea inferre, Summum Pontificem revera concessisse, ut indulgentia altaris privilegiati pluribus applicetur et proficiat. Dictum responsum eo sensu intelligendum putamus, quatenus Sacerdos non teneatur (si aliunde non sit obligatio) determinare animam, cui indulgentia applicetur, et ideo *collective* pluribus vel etiam omnibus animabus Purgatorii eam applicat, ita tamen ut juxta mentem concedentis *una tantum*

---

(1) Sacerdotes Seminarii Parisiensis gaudent in perpetuum indulto altaris privilegiati absque ulla conditione vel restrictione; quaeritur:

1. An ad lucrandam hujusmodi indulgentiam necessaria sit Missa de Requie in iis diebus, in quibus juxta rubricas ea dici potest.

2. An praefata indulgentia applicari debeat uni dumtaxat animae Purgatorii, non vero pluribus aut etiam omnibus fidelibus.

3. An indulgentiae per modum suffragii animabus Purgatorii applicabiles, debeant applicari distributive uni vel collective pluribus aut omnibus.

anima, ea nempe QUAE DEO PLACUERIT indulgentiae effectum consequatur. Id confirmatur ex eo, quod doctrina S. Congregationis de Propaganda Fide circa hanc materiam eadem est ac illa quam supra exposuimus, quod nempe privilegium altaris juxta mentem concedentis, non pluribus, sed uni tantum animae applicatur, prout patet ex sequenti declaratione de die 27 Septembris 1843 ab eadem S. Congregatione emissa:

An per facultatem liberandi per celebrationem Missae de Requie animam a Purgatorii poenis, intelligatur liberatio totalis, vel solum indulgentia plenaria?

R. Ecclesia per altare privilegiatum intelligit, per Missam celebratam ad praedictum altare, vel ab eo qui eodem privilegio personaliter fruatur, *pro anima* cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, *animam ipsam* de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequi, ita ut D. N. Jesu Christi suffragantibus meritis a Purgatorii poenis liberetur (Collectanea S. C. de Prop. Fid. n. 1120, pag. 386).

1070. Manet igitur generale factum, indulgentiam altaris *semper ex mente concedentis* in singulis Missis *ad unam animam limitari*, sive definite quando pro certa quadam persona tantum conceditur, sive indefinite quando conceditur vel generatim pro defunctis, vel specialim pro aliquo coetu, sodalitate, familia etc., relinquendo ut pro applicatione singularis anima vel in individuo vel in specie divinae acceptationi a fidelibus designetur, vel omnino divino beneplacito relinquatur (Ita Consultor, apud Acta S. Sedis, vol. XIII, pag. 139).

1071. Cum ex dictis indulgentia altaris privilegiati ex mente concedentis, nempe Summi Pontificis, ad unam tantum animam limitetur, consequitur Sacerdotum esse, dum celebratur Missa pro *pluribus defunctis*, designare hanc animam, cui applicari velit privilegium altaris. Id non est quidem absolute necessarium, *cum possit relinqui divino beneplacito*, sed certe expedit. Ad rem Theodorus a Spiritu Sancto: *Duo spectant ad viventes, videlicet opus injunctum exsequi, nec non animas sublevandas per hujusmodi indulgentias designare;* et alterum ad Summum Pontificem, nempe offerre ex Ecclesiae thesauro Christi et Sanctorum satisfactiones... (Part. I. pag. 397).

1072. Ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati, *praeter celebrationem Missae*, nullum aliud opus praescribitur, non preces, non Confessio, neque quid aliud.

1073. *Vi sacrae Communionis in Missae sacrificio peractae* potest Sacerdos eodem die simul cum indulgentia altaris privilegiati, lucrari *aliam indulgentiam plenariam* vel sibi, vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio (Decr. 10 Maji 1844. N. 327 ad 2^m et 3^m).

§ V.

AN MISSA ET INDULGENTIA ALTARIS PRIVILEGIATI SEPARARI POSSINT.

1074. Sacrae Congregationi Indulgentiarum propositum fuit solvendum dubium sequens:

An, quando requiritur sacrificium Missae pro indulgentia lucranda, Missa possit offerri pro uno, et indulgentia applicari pro altero?

S. Congregatio respondendum esse censuit: *Communicetur Oratori votum Consultoris.*

Jam vero votum Consultoris, brevioribus verbis expressum, sequentia continet, ex doctrina doctissimi P. Joannis Cavalieri deprompta: *Decisio pendet ex verbis indulti;* quare:

1° Sacrificium et indulgentia altaris privilegiati *dividi non possunt,* sed utrumque pro eodem defuncto est applicandum, quando in indulto habetur: *Qui pro defuncto Missam in tali altari dixerit, liberat animam ejus* etc.

2° Sacrificium et indulgentia altaris privilegiati *dividi non possunt,* quando fundator aut stipendium erogans *imponit onus celebrandi in altari privilegiato.* Per impositionem quippe talis oneris censetur etiam voluisse applicationem indulgentiae.

3° Sacrificium et indulgentia altaris privilegiati *possunt dividi,* quando in indulto deest illud: *pro defunctis.* Tunc enim applicatio solius indulgentiae sufficit ad liberandam animam, et Sacrificium cuilibet poterit applicari.

4° Sacrificium et indulgentia altaris privilegiati *possunt dividi,* quando Sacerdos onus quidem habet sacrificandi, sed non in altari privilegiato, dummodo tamen celebret in altari, cujus privilegium non exquirat etiam applicationem Missae (Decr. 31 Jan. 1848. N. 348).

1075. Ex qua doctrina laudati Cavalieri Rmus Consultor sic arguebat: Indulgentia etiam pro defunctis est donum ex Ecclesiae

thesauro deprompium, opera vero injuncta sunt conditio solum, sine qua effectum non sortitur indulgentia: ergo aliud est indulgentia, aliud opus injunctum. Porro si applicatio indulgentiae pro solis defunctis concessae, necessario conjuncta esset cum applicatione Sacrificii, Sacrificium et indulgentia forent unum et idem. Ergo Sacrificium non esset tantum opus injunctum, nec indulgentia ex Ecclesiae thesauro deprompta, sed ex valore infinito ejusdem Sacrificii, qui certe Ecclesiae potestati non subest, sed voluntati Dei finito modo applicantis. Atqui Sacrificium est tantum opus injunctum, et indulgentia non ex valore seu fructu Sacrificii eruitur. Ergo non sunt unum et idem; adeoque Sacrificium et indulgentia dividi possunt (saltem dum aliud in indulto non exprimitur), et consequenter in hac hypothesi Sacerdos potest Sacrificium offerre pro uno, et indulgentiam applicare pro altero ».

1076. Quaestio tamen de qua agimus potius *theoretica* habenda est, quam *practica*. In praxi enim vix quidem continget, ut Sacrificium et indulgentia altaris privilegiati possint separari. Indulta enim, quibus hujusmodi privilegium hodie conceditur, semper exigunt, *ut plenaria indulgentia applicetur animae, pro qua celebratur Missa.* Quod quidem pro privilegio locali exprimi solet his vel similibus locutionibus: *Ut quandocumque Sacerdos aliquis... pro cujuscumque Christifidelis anima... ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa... indulgentiam consequatur.*

Insuper S. Congregatio S. Officii, interrogata an Sacerdos dum Missam celebrat pro vivente ad altare privilegiatum, possit applicare indulgentiam animae Purgatorii, quamvis eidem animae non applicet principale Missae fructum?

Respondit die 8 Julii 1846: *Negative,* et dentur Decreta seu Constitutiones Apostolicae Summorum Pontificum Alexandri VII (22 Nov. 1662 et 21 Jan. 1667) Clementis IX et Innocentii XI praesertim, qui suorum Praedecessorum doctrinas confirmans, declaravit in Brevi sub die 4 Maji 1688 promulgato: *Quandocumque Sacerdos aliquis Missam pro anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac vita migraverit, ad praedictum altare celebraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam impetrabit* (Collectanea S. C. de Prop. Fid. n. 1124, pag. 386).

1077. Eadem regula de applicanda indulgentia altaris privilegiati animae, pro qua celebratur Missa, recentius declarata est a S. Congregatione Indulgentiarum *pro Sacerdotibus emittentibus*

actum heroicum charitatis. Ad quaesitum enim: *Utrum indulgentia plenaria altaris privilegiati personalis 1° debeat a Sacerdote, qui actum heroicum charitatis emisit, applicari animae, pro qua Missam celebrat? — aut 2° possit applicari pro libito cuivis defuncto?*

S. Congregatio respondit: Ad primam partem *Affirmative;* HOC ENIM MODO PRIVILEGIUM ALTARIS CONCEDITUR A SUMMO PONTIFICE; — Ad secundum... provisum in responsione ad partem primam. — Quas responsiones approbavit Sanctitas Sua (Decr. 19 Decemb. 1885, apud Acta S. Sedis, vol. XVIII pag. 337 et seq.).

1078. Verum est igitur, quaestionem hanc *theoreticam* potius esse, quam *practicam;* cum in praxi, ut ex citatis documentis liquet, privilegium altaris semper applicari debeat animae, pro qua celebratur Missa: *hoc enim modo privilegium altaris conceditur a Summo Pontifice.*

§ VI.

RITUS IN CELEBRATIONE MISSAE AD ALTARE PRIVILEGIATUM.

1079. Antiquitus privilegium altaris non concedebatur nisi pro Missis de *Requie.* Auctis tractu temporis Missis ritus duplicis, ac proinde diminutis diebus, in quibus permittitur Missam de *Requie* celebrari, Romani Pontifices indulserunt, ut altaris privilegium applicari etiam possit Missis non de *Requie, cum tamen ritus celebrationem Missarum de Requie* non permisisset. Hoc autem ideo factum est, ne ex nimia dilatione in celebratione Missarum privilegiatarum, animae defunctorum, quae suffragia expectant, detrimentum patiantur (Guerra, pag. 157). Quaenam regulae sint servandae quoad Missam et quoad colorem paramentorum, ex sequentibus decisionibus apparebit.

1080. Ut fruatur altari privilegiato Sacerdos, diebus non impeditis *celebrare debet Missam defunctorum, et uti paramentis nigris,* vel ex rationabili causa violaceis (Decr. 2 Maji 1852. N. 357).

Illico lectores monemus, clausulam in superiori Decreto insertam, nempe «*vel ex rationabili causa violaceis*», nullam amplius vim habere. Mos quidem invalueral in aliquibus locis Missas de-

functorum celebrandi in paramentis violaceis, *ut non solum intra Missam, sed etiam ante vel post eamdem pietati fidelium sacra Eucharistia refici cupientium satisfieret.*

Ad hoc autem provisum est per generale Decretum a Sacrorum Rituum Congregatione emanatum sub die 27 Junii 1868 a Summo Pontifice Pio IX confirmatum die 23 Julii ejusdem anni. Tali Decreto permittitur, ut in Missis defunctorum cum paramentis nigris S. Communio fidelibus ministretur, *tum ante Missam, tum durante Missa, tum immediate post Missam.* En Decretum ad litteram:

« Emi ac Rmi Patres responderunt: Posse in Missis defunctorum, *cum paramentis nigris,* sacram Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis praeconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris, ministrari Communionem *immediate post Missam defunctorum;* data autem rationabili causa, *immediate quoque ante eamdem Missam;* in utroque tamen casu *omittendam esse benedictionem.* Missas vero defunctorum celebrandas esse OMNINO *in paramentis nigris;* adeo ut *violacea adhiberi nequeant,* nisi in casu quo die 2 Novembris sanctissimae Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione quadraginta Horarum, prout cautum est in Decreto Sacrae hujus Congregationis diei 16 Septembris anni 1801 » (Gardellini, N. 5403).

1081. Qui celebrat in altari privilegiato *pro singulis diebus,* debet semper uti paramentis nigris *diebus non impeditis,* ut indulgentiam privilegii consequatur (Decr. 11 Apr. 1840. N. 281, et vid. N. 218 ad 5^{m} et 339).

Excipe tamen, si Sacerdos celebrans in altari privilegiato legat Missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, *sive ratione expositionis SS. Sacramenti, sive Stationis ecclesiae, vel alterius solemnitatis.* Tunc enim fruitur privilegio, ac si legeret Missam de Requie per rubricas eo die permissam (Decr. 11 Apr. 1864. N. 404).

Idem dicendum, si Missa de festo semiduplici, votiva, vel de feria celebretur in altari privilegiato, in quo exponitur SS. Eucharistiae Sacramentum, *sive in ostensorio, sive in ciborio.* Tunc etiam suffragatur pro defunctis, ac si Missa de Requie diceretur (Decr. 20 Julii 1751. N. 189).

1082. Qui obtinuit indultum *ter in qualibet hebdomada* celebrandi cum cantu Missas de *Requie,* dum occurrunt Officia ritus

duplicis, potest privilegium altaris hisce Missis applicare, *quatenus in hebdomada non recurrant festa semiduplicia* (Decr. 29 Febr. 1864. N. 402).

1083. Hic obiter notandum est, quod qui obtinuit indultum pro duabus vel tribus vicibus in qualibet hebdomada canendi Missam de *Requie,* dum occurrunt Officia ritus duplicis, potest dictas Missas cantare duobus vel tribus diebus ritus duplicis, *etiamsi in hebdomada festa inferioris ritus* (ex. gr. semiduplicia) *inveniantur*. Imo eodem die ritus duplicis *plures Missae de Requie* vi ejusdem indulti cantari possunt in eadem ecclesia. Ita declaravit S. Rit. Congregatio die 18 Dec. 1878, et 15 Aprilis 1880 (Vid. Acta Ord. Min. ann. XI, pag. 117-118).

Verum in hujusmodi declarationibus non est sermo *de indulgentia altaris privilegiati,* sed solum *de facultate canendi Missam de Requie diebus alias per rubricas vetitis.* Firmum igitur remanet principium, quod ille qui obtinuit indultum *ter in hebdomada* celebrandi cum cantu Missas de *Requie* in duplicibus, potest quidem privilegium altaris hisce Missis applicare, sed tantum *quando in hebdomada non recurrant festa semiduplicia.*

1084. Ab administratore dioecesis Aurelianensis propositum fuit sequens dubium:

In nonnullis dioecesibus Galliae, ex benigna Apostolicae Sedis tolerantia, *leguntur* Missae de *Requie* in duplicibus minoribus. Hinc dubium oritur, an Missae illae per tolerantiam lectae gaudeant privilegio, quando ad altare privilegiatum celebrantur?

S. Congregatio respondit: *Affirmative, juxta exposita* (Decr. 14 Jan. 1886, apud Beringer, pag. 467).

1085. P. Generalis Ordinis Praemonstratensis expostulavit:

Utrum, stante rubrica Missalis Praemonstratensis, quae prohibet Missas privatas de *Requie* et votivas infra omnes Octavas primae classis, Religiosi Praemonstratensis Ordinis possint gaudere favore altaris privilegiati, quando infra hujusmodi Octavas primae classis, non occurrente festo duplici, celebrent de Octava?

S. Congregatio Indulgentiarum respondit: *Affirmative,* juxta exposita et detur Decretum die 11 Aprilis 1864. Vid. supra n. 1081 (Decr. 24 Julii 1885, apud Acta S. Sedis, vol. XVIII, pag. 48).

§ VII.

RITUS SERVANDUS IN USU PRIVILEGII ALTARIS PERSONALIS.

1086. Qui obtinuit a S. Sede privilegium altaris *personale,* non tenetur dictum privilegium exhibere Ordinario, nisi aliter disponatur in obtenta concessione (Decr. 5 Febr. 1841. N. 286 ad 2m).

1087. Sacerdos habens privilegium *personale* altaris privilegiati bis aut ter in hebdomada, si accipit stipendium pro Missa celebranda in altari privilegiato, *utendo privilegio suo personali* satisfacit oneri suscepto, *quamvis celebret in altari non privilegiato* (Decr. 15 Martii 1852. N. 351).

1088. Qui habet altaris privilegium *personale* ter in hebdomada, non potest *valide,* quando in eadem plura inveniuntur festa duplicia et plura semiduplicia vel infra, potius eligere ad applicationem privilegii festa duplicia, quam differre ad semiduplicia (Decr. 29 Febr. 1864. N. 402 ad 3m).

Qui habet privilegium altaris *personale* pro quatuor Missis in singulis hebdomadis, debet cum paramentis nigri coloris celebrare diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari (Decr. 11 Apr. 1840. N. 281 ad 2m, et 22 Febr. 1847. N. 339 ad 2m).

1089. Regula generalis igitur est, quod Sacerdos qui privilegium altaris personale habet *pro duobus* vel *tribus* aut *quatuor diebus* etc. *in hebdomada,* tali privilegio gaudere nequit, nisi diebus si qui occurrant in hebdomada, in quibus permittitur Missa de Requie. *Quod si istiusmodi dies in hebdomada non occurrant vel non sufficiant quoad numerum,* Sacerdos frui poterit privilegio altaris, celebrando Missam cum paramentis alterius coloris.

1090. At vero regula in adductis decisionibus tradita non videtur esse applicanda privilegio *locali,* dum istud conceditur *pro duobus,* vel *tribus* aut *quatuor diebus in hebdomada;* tum quia praefatae decisiones ad privilegium altaris *personale* referuntur; tum praecipue, quia dies ad quos privilegium *locale* limitatur, solent in ipso indulto *determinari,* in quibus proinde tantum, et non aliis diebus, potest Sacerdos praefato privilegio gaudere (Vid. Guerra, pag. 158, 4°).

1091. Exinde consequitur, Sacerdotem privilegium altaris personale *quotidianum* habentem, ut hujus privilegii indulgentiam consequatur, debere Missam celebrare cum paramentis *nigri coloris diebus, quibus hujusmodi color permittitur*. Diebus vero, in quibus rubrica colorem nigrum prohibet, indulgentiam aeque lucratur per alias Missas, quicumque sit color paramentorum.

1092. Sacerdos, qui gaudet privilegio *personali* altaris, si aggregatus sit alicui Congregationi, quae etiam dicto privilegio gaudeat, *potest adhuc frui hoc alio privilegio,* etsi aliunde jam habeat per tres aut quatuor vices in hebdomada tale privilegium; *dummodo tamen in indulto aliter expresse non disponatur* (Decr. 27 Maji 1839. N. 272).

1093. Sacerdos qui obtinuit a S. Sede indultum celebrandi quotidie *Missam votivam* B. M. V., potest etiam ipse gaudere privilegio altaris sive personali sive locali juxta regulas expositas, dummodo diebus non impeditis celebret Missam de *Requie*. Diebus vero impeditis lucrari poterit eamdem indulgentiam altaris, celebrando juxta indultum Missam votivam, quae pro eo locum tenet Missae propriae diei (Guerra, pag. 159; Beringer, tom. I, pag. 464).

1094. Missa de *Requie* in die obitus, tertii, trigesimi et anniversarii pro aliquo defuncto cantata, non est privilegiata (Decr. 12 Martii 1855. N. 366).

1095. Privilegium altaris concessum taxative *pro die obitus,* puta Religiosorum, Confratrum alicujus Sodalitii etc., non potest transferri ad diem habitae notitiae obitus, neque ad diem proxime sequentem post mortem, *nisi id obtineatur ex speciali concessione* (Decr. 17 Mart. 1738. N. 124).

§ VIII.

DUBIA QUAEDAM SPECIALIA S. CONGREGATIONI INDULGENTIARUM PROPOSITA, ET AB EA RESOLUTA.

1096. Sacrae Congregationi Indulgentiarum proposita sunt quaedam dubia, quorum valde interest noscere solutiones.

A) Utrum Sacerdos, qui *bona fide* errasset (*non utendo* ex. gr. *diebus non impeditis paramentis nigri coloris*), sive alios in errorem traxisset, ita ut defunctorum animae praedicta indulgentia

frustratae fuissent, *ad aliquod remedium teneatur,* et in casu quo hacce obligatione sit adstrictus, quaenam debeat esse ista reparatio?

S. Congregatio Indulgentiarum respondit: *Affirmative,* quoad illos Sacerdotes, *qui pacto obligabantur,* ut Missam celebrarent in altari privilegiato, eosque debere lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis, quibus Missae fructum applicuerunt, *toties quoties diebus* non impeditis usi non sunt indumentis nigri coloris (Decr. 22 Febr. 1847. N. 339 ad 3m).

B) Utrum qui hac (non utendo paramentis nigris) vel alia quacumque ratione indulgentiam altaris privilegiati non lucretur, possit satisfacere applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis, *pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat?*

S. Congregatio respondit: *Negative* (Decr. 2 Maji 1852. N. 357 ad 2m).

1097. Quia leviter attendenti relatae responsiones ad 1m et 2m dubium videri possent minus inter se cohaerentes, probe observandum est, agi in primo casu de errore jam commisso, et quidem *bona fide.* In secundo casu substantia dubii in eo est, an generatim possit Sacerdos *scienter, deliberate ac propria auctoritate* privilegio altaris satisfacere, *aliam indulgentiam plenariam* applicando defunctis, *pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat.* Sacerdotibus, qui *bona fide* errarunt, et medium quaerebant pro errore reparando, S. Congregatio concessit, ut compensatio fieret per applicationem alterius indulgentiae plenariae. Sacerdotibus vero, qui *scienter ac propria auctoritate* seu *quacumque alia ratione* indulgentiam altaris privilegiati lucrati non sunt, S. Congregatio respondet, non posse propriae obligationi satisfacere per applicationem alterius indulgentiae plenariae. Ceterum ipsa S. Congregatio Indulgentiarum, interrogata de modo, quo praefata duo responsa conciliari inter se debeant, sub die 24 Julii 1885 sequenti modo respondit:

In Decreto diei 22 Februarii 1847 *tantummodo Sacerdotibus,* pro quibus postulabatur de ratione, qua compensare debebant indulgentiam altaris privilegiati, ad quam applicandam obligarentur, et quam *bona fide errantes* non erant lucrati, concessit S. Congregatio, ut compensatio fieret per applicationem alterius indulgentiae plenariae toties quoties illam altaris privilegiati non fuerant lucrati (Acta Ord. Min. ann. IV, pag. 148; Acta S. Sedis, vol. XVIII, pag. 94).

1098. Nequit ergo Sacerdos, quin fidem offerenti violet, aliam indulgentiam subrogare illi, quae est adnexa altari privilegiato. Quam doctrinam jam docuerat Theodorus a Spiritu Sancto, qui proposita quaestione: *An Sacerdos obligatus celebrare ad altare privilegiatum a conferente eleemosynam satisfaciat suae obligationi celebrando Missam in alio altari et applicando indulgentiam defuncto ex calculo vel medalia* provenientem ?

Respondemus (inquit) *negative cum Lezana et Cardinali De Lugo, nedum quia indulgentia medaliis aut coronis affixa non est plerumque ita authentica, nec tanta gaudeat certitudine, quanta reperitur in altari privilegiato: verum etiam et potissimum, quia volens Missam in altari privilegiato celebrari, non determinavit Missam utcumque, sed illam, habentem annexam ex Summi Pontificis concessione plenariam indulgentiam; adeoque in alio altari celebrans et applicans per modum suffragii indulgentiam pro defuncto, in hoc casu nedum materialiter, sed etiam formaliter fidem violaret, quam omnino servare deberet eleemosynam conferenti* (Part. II^a^, pag. 56).

Collige, indulgentiam altaris privilegiati habere effectum magis certum pro defunctis, quam ceterae indulgentiae, non quia illa sit magis authentica, sed quia medium applicationis, nempe sacrificium Missae, majorem exhibet securitatem, quam cetera opera injuncta (Cf. Theod., loc. cit.; Beringer, tom. I, pag. 437).

C) Episcopus Sancti Flori postulavit a S. Sede resolutionem sequentium dubiorum:

1° Utrum Christifidelis peccato mortali inquinatus lucrari possit non quidem in suum subsidium, *sed in levamen animarum* in Purgatorio degentium indulgentias, pro quibus lucrandis non praescribitur Communio ?

2° Utrum Sacerdos Missam celebrans peccato mortali inquinatus *sive ad altare privilegiatum* in suffragium fidelium defunctorum, *sive cum applicatione indulti altaris privilegiati personalis*, revera animam pro qua S. Sacrificium offert, gaudere faciat etiam gratia altaris privilegiati ?

S. Congregatio (quae jam die 20 Aug. 1822. N. 253 ad similia dubia responderat: *Dilata)* ad 1^m^ et 2^m^ dubium censuit respondere: *Consulat probatos Auctores* (Decr. 22 Febr. 1847. N. 341).

1099. Probati Auctores in duplicem abeunt sententiam. S. Alphonsus cum Card. de Lugo et aliis affirmat, ad lucrandam indul-

gentiam *pro defunctis* requiri statum gratiae, saltem in fine operis. Et haec sententia (Cardinalis de Lugo) ait S. Doctor, verior mihi videtur cum Wigandt, quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi prius eam fecerit suam (Lib. 6, n. 534).

Alii vero non pauci et quidem graves Theologi, quos videsis allegatos apud Ferraris (verb. *Indulg.* art. III, n. 21) contrarium docent. Ratio praecipua, qua ipsi innituntur, est, quia causa satisfactionis, seu *pretium poenarum* non est opus illius, qui peccato mortali est inquinatus, sed indulgentia ipsa, *seu thesaurus meritorum* Christi *et Sanctorum,* qui applicatur ab Ecclesia, posito tali opere. Illud autem opus in forma talis indulgentiae non postulatur ut *fiat in gratia, sed ut fiat.*

Haec sententia defenditur etiam a Suarez, qui hanc statuit propositionem: *In lucrante indulgentiam defuncto non requiritur status gratiae.* « Ratio est, subdit, quia status gratiae solum requiritur ad tollendum obicem indulgentiae; et ideo per se solum est dispositio necessaria in eo, qui recepturus est indulgentiae effectum. In praesenti autem non est recepturus effectum ille, qui efficit opus ad indulgentiam requisitum, sed alius, cui indulgentia procuratur... Atque non est inconveniens, quod *existens in peccato,* aliquem effectum possit oblinere alteri, et non sibi, quia ipse habet obicem, non vero alius; maxime cum hic effectus non nitatur merito operantis: sicut Sacerdos existens in peccato, potest per Sacrificium obtinere alteri remissionem poenae, non vero sibi. Denique... is qui lucratur indulgentiam alteri, *nullo modo prius sibi lucratur* aliquam satisfactionem, ut eam alteri praebeat, sed solum exhibet conditionem postulatam, ut Pontifex alteri concedat indulgentiam... » (Disp. 53, sect. IV, n. 5-6).

1100. Quod modo diximus, respicit quaestionem *in genere,* prout proponitur in primo dubio. Sed quaestio institui potest etiam *in particulari, de indulgentia nempe altaris privilegiati* tum localis tum personalis, prout fert secundum dubium; et tunc potiori ratione videtur affirmandum, status gratiae defectum in Sacerdote celebrante non obesse consecutioni indulgentiae plenariae altaris. Haec enim indulgentia adnexa est sacrificio Missae. Valor autem et effectus salutaris sacrificii Missae minime pendent a sanctitate et virtute celebrantis. Unde Scavini absolute scribit: *Status gratiae non requiritur ad hoc, ut indulgentia altaris privilegiati valide applicetur; quia non a personalibus Sacerdotis disposi-*

tionibus ea dependet, sed a divinae Victimae oblatione (Lib. III. Tract. IX. Alt. privil. in Adnot.).

Eamdem sententiam tenet Theodorus a Spiritu Sancto, qui ait: Ex quo colliges, statum gratiae non exigi in Sacerdote celebrante Missae sacrificium in altari privilegiato, ut indulgentia plenaria per modum suffragii animae in Purgatorio existenti deferatur; quia Sacerdos in eo celebrans non est in se effectum illum indulgentiae recepturus, ad quem gratiae status requiritur, sed opus dumtaxat injunctum exequitur ad acquirendam indulgentiam illam animae, quae Deo in charitate conjuncta ex hac luce migravit (Part. II, pag. 56).

ARTICULUS VIII.

GREGORIANUM TRICENARIUM, ALTARE S. GREGORII IN MONTE COELIO, ALTARIA GREGORIANA AD INSTAR (1).

§ I.

DECRETUM S. CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM.

1101. Pro intelligentia totius rei, de qua modo agendum est, expedit integrum Decretum S. Congregationis Indulgentiarum hic in medium afferre.

DECRETUM.

Ordinis Monachorum Camaldulensium. Pro animabus e Purgatorio liberandis, ab antiquis temporibus Christifideles celebrandas curarunt et curant Missas, quae *Gregorianae,* seu *Gregorianum Tricenarium* appellantur, quae nimirum per triginta continentes dies, exemplo S. Gregorii Magni, in quovis altari dicuntur.

In eumdem finem et ab antiquis pariter temporibus Christifideles offerri expostulaverunt et expostulant Missae sacrificium *in altari S. Gregorii* in ejus ecclesia Coelimontana.

Tum in triginta illis Missis, tum in quavis Missa ad altare S. Gregorii *specialem fiduciam Christifideles et habuerunt et*

(1) Vid. Acta S. Sed. vol. XVI, pag. 508; Acta Ord. Min. ann. III, pag. 165.

habent, velut si ipsae ita efficaces sint censendae, ut anima, pro qua celebrantur, e Purgatorii poenis illico liberetur.

Verum de duplici hujusmodi praxi dubitari coeptum est a praestantibus quibusdam viris, ea potissimum de causa, quod hujusmodi Christifidelium fiducia haud solido fundamento inniti videatur.

Quod quidem adeo permovet hodiernum Abbatem Generalem Monachorum Camaldulensium, quibus custodienda tradita fuit ecclesia, *in qua Gregoriani Tricenarii praxis initium forte sumpsit et altare S. Gregorii existit,* ut antecessoris sui preces urgeret, et S. Congregationi Indulgentiis praepositae dubia aliqua authentice dirimenda exhiberet.

Cum vero anteactis temporibus Romani Pontifices, praesertim Gregorius XIII, plurima altaria tum Romae, tum alibi, formula usi solemni, *privilegiata* declaraverint *ad instar* altaris S. Gregorii in Monte Coelio, et Christifideles haud dissimilem a superius dicta fiduciam reposuerint et reponunt in Missis, quae hujusmodi in altaribus ad juvandas animas in Purgatorio detentas celebrantur; cumque haec altaria *Gregoriana ad instar* nuncupata usque ad annum 1852 concessa, ob exorta dubia de discrimine altaris *Gregoriani ad instar* ab altari sine addito *privilegiato,* Pius s. m. PP. IX, die 15 Martii illius anni prohibuerit, quominus in posterum concederentur, quoad res maturius perpenderetur et absolveretur, hinc opportunum visum est dubiis a Rmo P. Abbate propositis aliud ex officio subnectere et dirimere, respiciens adamussim suspensionem a s. m. Pio PP. IX indictam.

Dubia vero proposita haec sunt quae sequuntur:

1° Utrum fiducia, qua fideles retinent celebrationem triginta Missarum, quae vulgo *Gregorianae* dicuntur, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem, pia sit et rationabilis; atque praxis easdem Missas celebrandi sit in Ecclesia probata?

2° Utrum fiducia, qua fideles retinent celebrationem Missae in altari S. Gregorii in ejus ecclesia Coelimontana, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem, pia sit et in Ecclesia probata?

3° Utrum idem dicendum sit de altaribus *Gregorianis ad instar?*

4° Utrum expediat revocare suspensionem novae concessionis altaris *Gregoriani* latam ex mandato SSmi in Audientia diei 15 Martii 1852?

Quibus in Congregatione generali habita die 11 Martii 1884 in Aedibus Apostolicis Vaticanis, Emi Patres rescripserunt:

Ad 1, 2 et 3. *Affirmative.*

Ad 4. Consulendum SSmo, ut revocet suspensionem novae concessionis altaris *Gregoriani ad instar.*

Die vero 15 ejusdem mensis et anni, facta de omnibus ab infrascripto S. Congregationis Secretario relatione SSmo Dno Nostro Leoni Papae XIII, Sanctitas Sua Patrum Cardinalium responsiones approbavit, et suspensionem novae concessionis altaris *Gregoriani ad instar* sustulit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 15 Martii 1884.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano, *Praef.*
Franciscus Della Volpe, *Secret.*

1102. Anno 1888 eidem S. Congregationi Indulgentiarum alia dubia proposita sunt enodanda quoad Missas, quae *Gregorianae* appellantur, et sunt:

I. An Missae, quae *Gregorianae* appellantur, atque pro defunctis sunt celebrandae juxta perantiquam S. Gregorii institutionem ab Ecclesia recognitam et probatam, pro vivis etiam celebrari valeant?

II. An ipsis Missis *Gregorianis* aliqua adnexa sit indulgentia a Summis Pontificibus, uti legitur in citato opere R. D. Louvet?

Et quatenus affirmative:

III. Pro quibus eadem indulgentia sit concessa, pro defunctis tantum, vel etiam pro vivis?

IV. Si supradictae Missae pro vivis dici nequeunt, ad quod tenebitur Sacerdos, qui bona fide pro vivis eas postulantibus celebravit?

S. Congregatio respondit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Non constat datam fuisse indulgentiam,* sed ex Decreto hujus S. Congregationis die 13 (11 ?) Martii 1884, recognita et approbata fuit *pia praxis* et *specialis fiducia,* qua fideles retinent celebrationem triginta Missarum specialiter efficacem ex benepla-

cito et acceptatione divinae misericordiae ad animarum e Purgatorii poenis liberationem.

Ad III. Provisum in praecedentibus.

Ad IV. Ad nihil tenetur Sacerdos, qui Missas celebravit juxta intentionem offerentis, qui putavit, durante adhuc vita, posse anticipari suffragia (Decr. 24 Aug. 1888, apud Acta S. Sedis, vol. XXI, pag. 254; et Acta Ord. Min. ann. VIII, pag. 50).

1103. Anno 1889 Moderator cujusdam pii operis, quod expiandis animabus in Purgatorio derelictis erectum existit in loco vulgo dicto *Beaune, Côte-d'Or,* dioecesis Divionensis, Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, quoad *Gregorianum Missarum Tricenarium* sequens dubium solvendum proposuit:

Estne necessarium, uti apud nos existimatur, quod Missae triginta, quae Gregorianae appellantur, celebrentur:

1° In memoriam S. Gregorii, quin tamen in illis fiat de eo commemoratio?

2° Ab eodem Sacerdote?

3° Pro una tantum anima absque ulla alia speciali intentione?

4° Diebus triginta continuis sine interruptione?

5° In eodem altari?

Et Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praefato dubio respondit:

Quoad 1^{m} partem: *Negative;*

Quoad 2^{m}: *Negative;*

Quoad 3^{m}: *Missae pro ea anima debent applicari, cujus liberatio a poenis Purgatorii a divina misericordia imploratur;*

Quoad 4^{m} partem: *Affirmative*;

Quoad 5^{m}: *Negative* (Decr. 14 Jan. 1889, apud *Nouvelle Revue Théologique,* tom. XXI, pag. 131).

1104. Ex documentis ergo modo relatis haec habentur authentice decisa:

A) QUOAD GREGORIANUM TRICENARIUM:

1° Recognita et declarata est *ut pia et rationabilis,* FIDUCIA qua fideles retinent CELEBRATIONEM TRIGINTA MISSARUM, quae vulgo *Gregorianae* dicuntur, UTI SPECIALITER EFFICACEM ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem.

2° *Praxis* proinde easdem Missas celebrandi *est in Ecclesia approbata.*

3° Praefatae Missae *Gregorianae,* juxta perantiquam S. Gregorii institutionem ab Ecclesia recognitam et approbatam, *non pro vivis, sed pro defunctis* celebrari debent.

4° *Sacerdos* qui bona fide praedictas Missas pro vivis celebravit, juxta nempe intentionem offerentis, qui putavit, durante adhuc vita, posse anticipari suffragia, *ad nihil tenetur.*

5° *Non constat* ipsis Missis Gregorianis adnexam fuisse indulgentiam.

6° Non est necessarium quod Missae triginta, quae *Gregorianae* appellantur, celebrentur in memoriam S. Gregorii.

7° Non est necessarium, quod eaedem triginta Missae celebrentur ab eodem Sacerdote.

8° Missae pro *ea anima* debent applicari, cujus liberatio e Purgatorii poenis a divina misericordia imploratur.

9° Necessarium est, ut Missae celebrentur *diebus triginta continuis sine interruptione.*

10° Non est tamen necessarium, quod praedictae Missae Gregorianae celebrentur *in eodem altari.*

B) Quoad altare S. Gregorii in Monte Coelio Urbis, declaratum est, quod:

Fiducia, qua fideles retinent celebrationem Missae in altari S. Gregorii in ejus ecclesia Coelimontana, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem, *est pia et in Ecclesia probata.*

C) Quoad altaria Gregoriana ad instar, idem prorsus declaratum est, quod scilicet:

Fiducia, qua fideles retinent celebrationem Missae in altaribus Gregorianis ad instar, uti specialiter efficacem ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem, *est pia et in Ecclesia probata.*

1105. Praemissis super materia, de qua agimus, *S. Sedis decisionibus,* modo conabimur eamdem nonnihil evolvere et explicare, ut rei notitia aliquanto plenior et clarior habeatur. Denuo igitur tria objecta breviter consideranda suscipimus, eodem quidem ordine, quo hucusque processimus, nempe 1° *de Gregoriano Tricenario;* 2° *de altari S. Gregorii in Monte Coelio;* 3° *de altaribus Gregorianis ad instar.* Id facientes, praecipue insistemus votis duorum Consultorum, quibus hujus materiae studium com-

missum fuit, quorumque votorum vide compendium apud Acta S. Sedis, vol. XVI, pag. 510.

§ II.

GREGORIANUM TRICENARIUM.

1106. Origo praxis celebrandi per continuos triginta dies triginta Missas, quae *Gregorianae* appellantur, sic in suis Dialogis enarratur a S. Gregorio Magno: « Cum Monachus nomine Justus « mortuus esset, misertus sum ejus status, quia fassus erat sese « gravem offendisse regulam. Hinc alium accersivi Monachum, eique « dixi: Vade itaque, ab hodierna die *diebus triginta continuis* « offer pro eo Sacrificium: *stude, ut nullus praetermittatur dies,* « quo pro absolutione illius Hostia salutaris non offeratur ».

« Post triginta dies Justus apparens Fratri suo monacho « Copioso ait: « Usque ad trigesimum diem male sese habuisse, « sed tunc bene sese habere ». Fratres vero (ait S. Gregorius) « sollicite computaverunt dies, et ipse dies extiterat, quo pro eo « trigesima oblatio fuerat impleta ».

Hinc usus communis invaluit, ut hae triginta Missae vocarentur *Gregorianae,* seu S. Gregorii. Quae Missae pie censentur *specialem habere vim* pro liberandis animabus a Purgatorii poenis (Apud Acta S. Sedis, vol. XVI, pag. 510 in nota).

1107. *Merito quidem praedictae Missae pie censentur specialem habere vim pro liberandis animabus a Purgatorii poenis.* Si S. Gregorius hac ratione animam a Purgatorio liberavit, consequenter fideles intulerunt, genus hoc suffragii Deo pergratum esse, et aptum ad eumdem consequendum effectum in aliis casibus. Et cum hujusmodi praxim sequatur Ecclesia occidentalis tota per cuncta saecula post S. Gregorii obitum, propositio quae damnaret talem praxim censenda esset, ait Consultor, *temeraria, pio, probato ac per Ecclesiam frequentato mori injuriosa.*

1108. Quod Magnus Gregorius specialem virtutem tribuerit Missarum Tricenario eruitur ex ipsius verbis praeceptivis ad Monachum: *Vade,* inquit, *ab hodierna die diebus triginta continuis offer pro eo Sacrificium: stude, ut nullus praetermittatur dies.*

Quare hoc factum a fidelibus et ab Ecclesia non est habitum nec habetur ceu factum transitorium, *sed induit naturam perma-*

nentis institutionis, ut infertur ex verbis, quibus usa est S. C. Rituum in Decreto 28 Octobris 1628: MISSAS QUAS GREGORIUS INSTITUIT. Et ideo jure concluditur, quod si eadem ponatur causa, idem generaliter gigni debeat effectus.

Hujus particularis efficaciae probatio desumitur etiam ex inscriptione, quae legitur in sacello ecclesiae Coelimontanae, sancto Gregorio dicato. Traditur enim hoc in sacello celebratas fuisse triginta Missas pro anima Justi, et in eo pluries litavisse S. Gregorium pro defunctis. Inscriptio haec talis est — *Hac in cella* tt. (triginta) *Gregorii Pont. Max. celebratae Missae, animas a cruciatu Purgatorii solvunt.*

1109. Sed quaenam est *causa* specialis fructus Tricenarii Gregoriani? Consultor respondit: *plures adesse sententias.* Benedictus XIII vero ait: *Assignandum est ut causa meritum Sancti, tunc Monachi, qui suis precibus efficacissimis impetravit his triginta Missis vim satisfactoriam.* Sunt qui putant, causam hanc reperiri in plenaria indulgentia concessa ab eodem S. Gregorio aut aliis Pontificibus. Sed quaecumque sit causa, quaestio est de nomine, *cum omnes conveniant per Tricenarium animam a Purgatorio liberari* (Cf. opuscul. Abb. Petri Antonii Uccelli edit. Neap. ann. 1878, *Le Messe Gregoriane* etc.).

Alia etiam, ait Consultor, admittitur opinio a magni nominis Theologis; quod nempe Deus *per S. Gregorii intercessionem* gratis indulgeat animae debitum, quod ultra fructum triginta Missarum solvendum superesset. Quae opinio, quamvis a Suarezio impugnetur, tamen etiam ab eo dicitur *pia, probabilis et fortasse vera.*

1110. Consultor quaerit etiam, *utrum Tricenarium differat a triginta Missis celebratis eodem die;* et respondet differre in hoc, quod Missae celebratae eodem die *citius* suffragium offerant, sed a Purgatorio non liberant animam, *quae indigeat suffragiis majoribus efficacia ordinaria triginta Missarum; dum Tricenarium, etsi tardius agat, tamen ad ejus exitum animam liberat.*

1111. Ut ex dictis patet, inter conditiones quae requiruntur pro rite explendo Tricenario, praecipuae sunt: 1° *Ut Missae sint triginta;* 2° *Ut celebrentur triginta diebus continuis.* Haec ultima conditio tamen intelligenda est cum restrictione, videlicet: *nisi ritus Ecclesiae impediat, ceu in triduo Passionis.* Quoad exceptionem pro triduo Passionis ait Tamburini: Non est credibile, Deum eas non acceptare ut continuas, dum servatur ejus sponsae

Ecclesiae tam pia consuetudo (Acta S. Sedis, vol. XVI, pag. 513 in nota. Cf. *Nouvelle Revue Théolog.* loc. cit. pag. 123).

Et Emus Cardinalis Orsini Archiepiscopus Beneventanus, postea Benedictus XIII, inquit: Ab hujusmodi regula excipiendum triduum Majoris Hebdomadae, si incideret durante cursu triginta dierum, quia *tunc non censebuntur dies intercalati, cum eo triduo Ecclesia celebrare non consuevit,* ut optime scripsit Nicolius Augustinianus (Opuscul. cit. Abbatis Uccelli, pag. 22).

§ III.

ALTARE S. GREGORII IN MONTE COELIO.

1112. Quod attinet ad altare S. Gregorii, erectum in ecclesia ejusdem Sancti in Monte Coelio, in primis notamus cum Consultore:

a) Privilegium *praefati altaris* quamplurimis aliis ecclesiis *communicatum fuisse.* Ex quo sequitur, idem privilegium a S. Sede haberi ceu *typum et formam* privilegii aliis altaribus concessi.

b) Incontroversum esse per hanc praxim, nempe per Missam in altari S. Gregorii in Monte Coelio celebratam, *liberari animam a Purgatorii poenis.*

c) Certum esse fideles *magis aestimare Missas celebratas ad altare S. Gregorii, quam alias celebratas ad altaria privilegiata.* Tum liberatio animae a Purgatorii poenis, tum major fidelium fiducia in Missis, quae celebrantur in ecclesia Coelimontana ad altare S. Gregorii, *videntur tribuenda tum indulgentiae plenariae ab aliquo Summo Pontifice concessae, tum meritis et intercessioni S. Gregorii. Deus enim videtur commisisse S. Gregorio specialiter patrocinari causam animarum purgantium.* Hinc probabilissimum est illum exercere hoc patrocinium in ecclesia sibi dicata in Monte Coelio, et praecipue in suo altari. Quare fundamento non destituitur pia fiducia, quae magis aestimat altare S. Gregorii, quam altare privilegiatum. In illo enim non est sola indulgentia plenaria, sed etiam *Sancti patrocinium.*

1113. Sed quaeri potest: *Quid sancti Gregorii patrocinium adjicere potest indulgentiae plenariae?* Respondetur: Per indul-

gentiam plenariam Deo offertur pretium necessarium pro immediata liberatione a Purgatorii poenis; sed *a beneplacito Dei pendet excipere illud pretium, saltem in sua tota extensione.* Jam vero Missae, de quibus sermo est, *addito Magni Gregorii patrocinio,* probabiliter efficiunt, ut Deus *facilius* integrum pretium illud excipiat.

Unde alter Consultor ait: Incontroversum videtur, altare S. Gregorii ad Montem Coelium *ceu privilegiatissimum habendum esse* duplici ex capite, nempe *tum propter acceptationem ex parte Dei* (ob merita et intercessionem S. Gregorii), *tum propter pontificias concessiones.*

1114. Non est praetermittendum, imo maxime notandum, tum majorem fiduciam, quam habent fideles in Missis ad praefatum altare celebratis, tum faciliorem et certiorem acceptationem ex parte divinae misericordiae, adscribi etiam debere *speciali deputationi* dicti altaris, auctoritate Ecclesiae factae in defunctorum levamen. Sic ex. gr. quaelibet ecclesia destinatur pro animarum suffragiis per Missas ad illius altaria celebratas; sed ecclesiae quae Romae vocantur *del Suffragio* et *della Buona morte, specialiter* ad hoc destinantur, atque per singularem concessionem omnia earumdem altaria sunt privilegiata. Quia vero destinatio hujusmodi suos gradus habet, dicendum est altare S. Gregorii esse *in summo gradu ad hoc specialiter deputatum.* Specialissima autem deputatio ab Ecclesia facta, est titulus specialissimus ad divinam acceptationem, ne auctoritas Ecclesiae suae a Jesu Christo frustra concessa dicatur. Huc adde singularia merita et efficacem intercessionem S. Pontificis Gregorii, qui habetur ceu Patronus specialis defunctorum.

1115. Brevius: Altare S. Gregorii in Monte Coelio apprime est Deo acceptum favore defunctorum, *tum intuitu meriti et mediationis S. Gregorii, tum intuitu specialissimae destinationis ab Ecclesia factae de illo altari* ad exercendam auctoritatem concedendi indulgentias pro defunctis. Exinde deducitur, differentiam gradus inter altare praedictum et altaria simpliciter privilegiata sitam esse *in majori certitudine,* quod indulgentia plenaria altaris S. Gregorii proprium sortiatur effectum; quod nempe acceptetur a divina bonitate *facilius, plenius, citius.*

§ IV.

ALTARIA GREGORIANA AD INSTAR SEU PER COMMUNICATIONEM.

1116. In Decreto S. Congregationis Indulgentiarum a nobis relato sub n. 1101 fit mentio de dubiis exortis quoad differentiam inter *altare Gregorianum ad instar* et *altare privilegiatum sine addito.* En quomodo res se habuit. — Circa annum 1840 Sacrae Congregationi Indulgentiarum sequens dubium propositum fuit solvendum:

Sacerdos quidam reputans unum et idem esse altare privilegiatum et altare Gregorianum, majoris commoditatis gratia saepe ad privilegiatum celebrat Missas, quas pro Gregoriano acceperat. Re cum aliis accidentaliter collata, magna nunc inter Sacerdotes dissensio viget: alii nempe diversum quid reputant et probant altare privilegiatum et altare Gregorianum, unum vero et idem esse dicunt et sustinent alii; omnes tamen judicio proprio et rationibus indirectis, cum nihil penes auctores inveniant: ideo ut pro nunc et in posterum sibi provideat, humiliter quaerit a S. Congregatione Indulgentiarum:

1. An quoad effectum unum et idem sit altare Gregorianum et altare privilegiatum? — Et quatenus negative,

2. Quaenam sit diversitas ista? — Qua supposita,

3. Ad quid teneatur Sacerdos, qui bona fide ad privilegiatum satisfecit onera pro altari Gregoriano accepta?

Sacra Congregatio negotium hoc tribus Consultoribus commisit, qui votum suum emiserunt typis etiam editum intra annum 1842 et 1844. Ast cum Consultores et Emi Judices *in eamdem non irent sententiam,* responsum fuit: *Dilata et ad mentem;* donec nimirum opportunior et penitior disceptatio haberetur. Interea vero Pius PP. IX f. r. die 15 Martii 1852 satius esse duxit *novas concessiones altaris Gregoriani suspendere* (Vid. cit. opusc. Abbatis Uccelli, pag. 33. et seq. — Acta S. Sedis, loc. cit.).

1117. Hujusmodi quaestio reassumpta, serio perpensa et tandem authentice resoluta fuit anno 1884 per Decretum a nobis supra allatum n. 1101, et Summus Pontifex Leo XIII *suspensionem novae concessionis altaris Gregoriani ad instar sustulit.*

1118. Si attente perpendantur declarationes in memorato Decreto contentae, differentia inter altare privilegiatum et altare

Gregorianum illico patebit. At notandum, *differentiam non esse substantialem,* cum utrumque altare, nempe *privilegiatum simpliciter* et *Gregorianum ad instar* idem possideat privilegium, id est *indulgentiam plenariam:* id quod patet etiam ex duabus formulis distinctis, quibus Romani Pontifices utuntur pro concessione altaris privilegiati et altaris Gregoriani. In iis enim formulis differentia apparet tantum in verbis, minime vero in substantia. Nam, ait Consultor, indulgentia ad liberandam animam a Purgatorii poenis eadem est in utraque formula. Discrimen igitur est in hoc, quod in altaribus Gregorianis *major certitudo* habeatur, quod indulgentia proprium sortiatur effectum, quod nempe acceptetur a divina bonitate *facilius, plenius, citius* (ut diximus de altari S. Gregorii ad Montem Coelium), tum ob specialem destinationem hujusmodi altarium ab Ecclesia factam, tum ob specialem intercessionem S. Gregorii. Quare si differentia non est substantialis, est tamen *realis,* quia altare Gregorianum, subjungit Consultor, habet *plus aliquid realis,* quod est novus titulus ad divinam acceptationem; et ideo non est tantum praecedentia gradus, honoris aut nominis.

1119. Doctrina, quam hucusque de praesenti materia exposuimus, est conformis declarationi Sacrae Congregationis Indulgentiarum, quod scilicet: *Fiducia, qua fideles retinent celebrationem Missae in altari S. Gregorii in ejus ecclesia Coelimontana et in altaribus Gregorianis ad instar,* UTI SPECIALITER EFFICACEM *ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae ad animae e Purgatorii poenis liberationem, pia est et in Ecclesia probata.*

1120. Quod autem Summi Pontifices possint communicare (de quo fuit disputatum) aliis altaribus privilegia, indulgentias etc. quibus gaudet privilegiatissimum altare S. Gregorii ad Montem Coelium, nonnisi temere negari potest. Est enim in potestate Ecclesiae deputare et sic multiplicare loca, quae habeant specialem titulum ad divinam acceptationem ob merita et intercessionem S. Gregorii. Accedit quod Summi Pontifices concesserunt et concedunt altaria Gregoriana ad instar; *ergo possunt:* temerarium enim ac injuriosum foret affirmare Summos Pontifices per saecula usos fuisse potestate, qua carebant. Jam vero in formula concessionis habetur quod « *ipsa anima per hujusmodi celebrationem easdem indulgentias et peccatorum remissiones consequatur... quas consequeretur... si praedictus Sacerdos hac de causa Missam ad altare S. Gregorii de Urbe ad id deputatum celebraret.*

1121. Ex his omnibus infertur: 1° altare Gregorianum ad in *iisdem frui privilegiis et indulgentiis,* quibus gaudet altare Gregorii in Monte Coelio; 2° altare Gregorianum *praestantius* *altari simpliciter privilegiato*; ac ideo 3° altare Gregoriar esse pro defunctis *magis utile et fructuosum,* quam altare vilegiatum. Praestantia altaris Gregoriani prae altari simplic privilegiato ex eo etiam patet, quod Summi Pontifices facile in gentias altaris privilegiati concedere solent, sed *raro admoa* *altaris Gregoriani.*

CAPUT VI.

VIA CRUCIS.

Haec de Via Crucis tractatio in superiori capite reponi poterat, quia indulgentiae pio exercitio ejusdem S. Viae Crucis adnexae, cum nequeant acquiri, nisi in loco, ubi stationes reperiuntur canonice erectae, inter eas adnumerantur, quas *locales* vocant. Verumtamen, inspecta tum materiae abundantia, tum speciali pii exercitii natura, in distincto capite de S. Via Crucis agere existimamus, simul in eo comprehendentes instructionem tam de *Crucifixo Viae Crucis,* quam de *Societate a Via Crucis perpetua* nuncupata.

ARTICULUS I.

STATIONES VIAE CRUCIS.

§ I.

BREVIS EXPOSITIO HISTORICA DE STATIONIBUS VIAE CRUCIS.

1122. Iter e praetorio Pilati usque ad montem Calvariae, quod Redemptor noster in die sanctissimae Passionis suae peregit, *Via Crucis,* vel *Via Dolorosa,* vel *Via Calvarii* vocatur. Imitatio seu repetitio hujusmodi itineris est « pium exercitium, quo tota Dominicae passionis series pictis tabulis, ubi commode fieri potest, expressa inque plures stationes distributa, eo modo, quo peregrini civitatis sanctae Hierusalem loca ipsa, ubi Christus passus est, recolentes et frequentantes invisunt, contemplanda proponitur » (Bened. XIII, Const. *Inter plurima,* V nonas Martii 1726 ; apud Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 59).

1123. Primordia hujus pii exercitii beatissimae Virgini Mariae pia adscribit traditio. Unde Adrichomius scribit: Porro B. Virgo cum suis, cruenta Filii sui vestigia ad crucem usque secuta, post ejus sepulturam hac rediens, prima Viam Crucis ex devotione calcasse, pie creditur. Unde et Christianorum processiones, ac Crucis gressiones originem habere videntur (Theatr. Terr. S. *Jerusalem,* n. 123).

Ex authentica Collectione (*Raccolta,* pag. 110) de origine ejusdem pii exercitii sequentia habemus: Originem habuit, juxta constantem traditionem, a tempore, quo Jesus Christus in coelum ascendit, in ipsa Jerusalem opera illorum priorum fidelium, qui venerabantur loca memorabiliora, quae in sua passione sanctificata fuerunt a divino Redemptore. Ab eo enim tempore, uti enarrat S. Hieronymus, Christifideles turmatim Jerusalem contendebant praefata pia loca visitaturi, et etiam sua aetate, ipso S. Doctore teste, Christiani ex omnibus terrae partibus illuc se conferebant ob eumdem finem.

1124. Pia Mater Ecclesia, cui maxime cordi est ut fideles in Dominica passione meditanda sese alacrius exerceant, pium Viae Crucis exercitium non modo semper commendavit, sed etiam ad illud peragendum filios suos excitavit, spiritualibus favoribus prope innumeris tam pium opus augendo.

Revera, maturo tempore, et fere ab initio originis praedicti exercitii, Romani Pontifices coelestia munera seu indulgentias Christifidelibus *Stationes Jerosolymitanas* visitantibus benigne concesserunt.

1125. Viae Crucis seu Calvarii erectio et *propagatio extra Loca sancta* AD INSTAR STATIONUM JEROSOLYMITANARUM, nec non forma et methodus, prout hodie ubique servantur, adscribendae sunt nostro seraphico Ordini, cui a sex saeculis et ultra custodia concredita est sacrorum Locorum nostrae Redemptionis.

1126. Unde factum est ut stationes Viae Crucis *juxta primaevas concessiones* erigi tantum poterant in ecclesiis, piisque locis Ordini Minorum Observantium subjectis, atque indulgentiis fruebantur personae, quae eidem Ordini erant addictae.

Tractu vero temporis *ad omnes Christifideles,* qui in ecclesiis piisque locis praedicti Ordinis tam sanctae devotioni vacarent, indulgentiarum concessio extensa fuit.

Deinde concessum est, praesertim a Benedicto XIV, Brevi *Cum tanta,* die 30 Aug. 1741, *ut etiam in aliis ecclesiis memorato*

Ordini non subjectis stationum erectio fieri posset cum aliqua tamen limitatione, nempe « exceptis locis, ubi reperiuntur Conventus praedictorum Fratrum Minorum, cum in hoc casu non debeat erigi Via Crucis in aliis ecclesiis eidem Ordini minime subjectis, dummodo tamen dicti Conventus non ita distent ab oppido vel civitate, aut ad eos iter ita sit arduum, ut sine gravi incommodo, ab Ordinario dijudicando, percurri nequeat a fidelibus pro pio exercitio peragendo ».

Tandem Pius PP. IX hanc etiam limitationem sustulit, indulgens ut stationes Viae Crucis cum adnexis indulgentiis etiam in locis ubi Conventus praefati Ordinis Minorum, sive Observantium, sive Reformatorum, sive Recollectorum existunt, *nulla habita superius expressae limitationis, ac distantiae ratione,* erigi possint et valeant (Decr. 14 Maji 1871. N. 429).

1127. Sanatio generalis stationum Viae Crucis invalide erectarum. Vigore specialium facultatum Sacra Congregatio Indulg. sub die 31 Julii 1883 sanavit ac convalidavit omnes stationes Viae Crucis *hucusque* invalide erectas, nempe usque ad praefatum diem et annum. En documentum (Vid. Rescript. auth. N. 442, in App. pag. 678):

Beatissime Pater,

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Minister Generalis, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, ex publicata in ephemeride, cui titulus: *Acta Ordinis Minorum,* instructione de stationibus S. Viae Crucis erigendis fuisse compertum, ejusmodi stationes non semel invalide erectas fuisse.

Cum autem admodum difficile videatur, ut hujusmodi erectiones renoventur, hinc, ne fideles visitantes tales stationes invalide erectas indulgentiis a S. Sede concessis privati existant, humiliter supplicat orator, ut Sanctitas Tua omnes S. Viae Crucis stationes hucusque invalide erectas convalidare ac ratas habere dignetur.

Quam gratiam etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro Leone Papa XIII tributarum, S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis

praeposita defectus omnes, de quibus in supplici libello, benigne sanavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis, die 31 Julii 1883.

A. Card. Bilio.
Franciscus Della Volpe, *Secret.*

De alia convalidatione anno 1894 ab eodem Summo Pontifice facta dicemus infra.

1128. Monita necessaria ad recte ordinandum devotum exercitium Viae Crucis. S. Congregatio Indulgentiarum ex mandato Clementis PP. XII sub dato 3 Aprilis 1731 statuit quasdam regulas seu monita tam pro iis qui Viam Crucis sunt erecturi, quam pro illis, qui hujus devotionis fructum consequi volunt. Istiusmodi monita, italico sermone exarata, in latinum inveniuntur translata in novissima editione *Decret. authent.* N. 100. Monitis *novem* Clementis XII additum fuit *decimum* ex mandato Benedicti XIV sub die 10 Maji 1742 (Decr. auth. N. 133). Quia in decursu tractationis saepe ad haec Monita erit recurrendum, ideo in principio ea exponere censemus. En igitur Monita:

I. Cum facultas erigendi Vias Crucis concessa fuerit Religiosis subditis Ministro Generali FF. Minorum tam de Observantia, quam Reformatorum, privative quoad alios quoscumque, prohibetur aliis eas erigere, et si aliter erigantur, Christifideles indulgentiis minime gaudent.

II. Erigi nequeunt nisi a Superioribus locorum praedicti Ordinis, vel ex eorum commissione ab alio Religioso ejusdem Ordinis, qui tamen sit aut concionator, aut saltem confessarius approbatus.

III. Erigendae sunt in forma consueta et hucusque adhibita in supramemorato Ordine, i. e. ut stationes sint numero quatuordecim, et cruces sive aediculae repraesentent mysteria Passionis. Ubi vero Via Crucis erigi vellet extra ecclesiam, prout fit in multis Conventibus praedicti Ordinis, curandum erit semper, ut ea ab ecclesia aut loco sacro ducat initium, vel usque ad ecclesiam vel sacrum locum finem habeat; et omnino attendatur, ut aediculae cancellis tutentur, ne homines vel animalia in eas ingredi queant, utque tam memoratae aediculae quam cruces collocentur in locis

irreverentiis minime obnoxiis; quod si decursu temporis loca, in quibus erectae fuerint, minus decentia evaderent, Superiorum erit eas interdicere, super quo eorum conscientiae stricte onerantur.

IV. In eadem ecclesia aut pio loco ad majorem populi commoditatem utile erit duas Vias Crucis erigere, unam nempe pro viris, alteram vero pro feminis; cum vero una extra ecclesiam erigitur, altera quoque erigatur semper in ecclesia, ita tamen ampla, quae sufficiat ad vitandam confusionem; ut tempore pluviae aut alterius impedimenti peragi nihilominus possit tam sanctum exercitium.

V. Hoc exercitium ubique sit uniforme, nil prorsus immutando quod hactenus servatum fuit in Conventibus Ordinis; i. e. Via Crucis peragatur vel processionaliter ab universo populo sub ductu unius vel plurium Sacerdotum, vel privatim ab unoquoque ex fidelibus. Si primo modo, processio ita disponatur, ut viri incedant separati a feminis, i. e. illi praecedant, hae vero sequantur, uno aut pluribus Sacerdotibus inter eos incedentibus, et ad singulas stationes aliquis clericus vel Sacerdos alta voce legat considerationem mysterio seu stationi respondentem, et recitato *Pater* cum *Ave*, et actu contritionis elicito ulterius procedatur, inter unam aliamque stationem interposito cantu *Stabat Mater* vel alterius orationis; curentque omnes summa se gerere modestia, silentio animique attentione; compertum enim est hoc sancto exercitio pie ac devote peracto, paulatim assuescere fideles quoscumque ad meditandum, eosque excitari ad mores reformandos.

VI. Si vero privatim peragatur, non est necesse recitare sex *Pater* cum *Ave* ad singulas stationes, ut putant nonnulli, sed sufficit meditari, quantumvis breviter, passionem Domini, quod est opus injunctum ad lucrandas sacras indulgentias, et juxta morem jam inductum recitare unum *Pater* cum *Ave* ad singulas cruces, actumque contritionis elicere.

VII. Si Via Crucis erecta fuerit in ecclesia, ab ea peragenda abstineant fideles tempore divinorum Officiorum, Missae, uti etiam quando talis sit in ecclesia populi concursus, ut ea peragi nequeat absque tumultu ac perturbatione, eo vel magis quod, ubi nullum adsit impedimentum, singulae stationes singillatim sunt visitandae.

VIII. Si Via Crucis erigenda sit in aliquo Sanctimonialium monasterio, vel conservatorio, non est opus erigentem ingredi clausuram, sed sufficit ut Religiosus ejusdem Ordinis maturae ae-

tatis et qualificatus, ut dictum est in tertio monito, de licentia Ordinarii benedicat cruces ad crates, breviterque Moniales aliasque in monasterio vel conservatorio degentes instruat circa modum quo visitandae sunt cruces ad lucrandas indulgentias, fructumque exinde pro animabus referendum.

IX. Non publicetur ex pulpitis, aut alia forma, multoque minus scribatur in aediculis sive stationibus certus et determinatus numerus indulgentiarum lucrandarum, quia pluries innotuit, indulgentiarum veritatem sive ex inadvertentia aut aequivocatione sive ex devotionis impetu alterari ac confundi; et propterea sat erit dicere, quemcumque Dominicae passioni meditandae hoc sancto exercitio daturum operam, ex concessione Summorum Pontificum consecuturum easdem indulgentias, quas consequeretur, si personaliter visitaret stationes Viae Crucis in Jerusalem.

X. Tandem Sanctitas Sua (Benedictus XIV) feliciter regnans, exoptans, ut ad fidelium utilitatem magis magisque hoc pium exercitium propagetur, hortatur Parochos cujuscumque oppidi aut civitatis, etsi in aliquo oppido plures extent paroeciae, ut populos sibi commissos ditent hoc tam insigni thesauro, introducentes in suis paroeciis vel in earumdem districtu tam proficuum exercitium, quin ullus habeatur respectus majoris vel minoris distantiae inter unam et aliam Viam Crucis, dummodo tamen erectio peragatur a Fratre Minore, qui sit subjectus Ministro Generali Observantiae et antedictis qualitatibus praeditus, ad hoc, ut populi edocti de magna utilitate, quam affert pium Viae Crucis exercitium, istud ferventius amplexentur, ipsisque magis proficuum evadat. Hinc est quod in citato Brevi *(Cum tanta)* arbitrio Parochorum relinquitur electio religiosi viri, quem aptiorem judicaverint, ut cum licentia sui Superioris localis benedicat cruces et assistat erectioni, quae in illa paroecia aut alio pio loco fieri contigerit; exceptis tamen locis, ubi reperiuntur Conventus praedictorum Fratrum Minorum *(hujusmodi limitationi hodie derogatum est, ut supra diximus)*, cum hoc in casu non debeat erigi Via Crucis in aliis ecclesiis eidem Ordini minime subjectis, dummodo tamen dicti Conventus non ita distent ab oppido vel civitate, aut ad eos iter ita sit arduum, ut sine gravi incommodo, ab Ordinario dijudicando, percurri nequeat a fidelibus pro pio exercitio peragendo.

§ II.

MATERIA VIAE CRUCIS, NEMPE CRUCES ET IMAGINES (1).

1129. Stationes Viae Crucis seu Calvarii constituuntur *ex parte materiae Crucibus,* quae ad instar stationum Calvarii montis esse debent numero *quatuordecim* ad repraesentanda mysteria Dominicae passionis (S. Congr. Indulg. Monitum III).

Immo invalida dicenda foret Viae Crucis constitutio, etiamsi *una* tantum crux in actu erigendi dicto deficeret numero (Instruct. de stationibus Viae Crucis, edit. 2ª. Quaracchi 1888, n. 24).

Cruces tam necessario requiruntur, ut sine illis, utpote *materia essentialis,* invalida omnino foret Via Crucis ac proinde indulgentiis destituta. Nam *indulgentiae crucibus tantum sunt adnexae,* minime vero imaginibus, nec loco ipsi in quo collocantur (Decr. 30 Jan. 1839. N. 270 ad 2m).

Crucium necessitas pro stationibus Viae Crucis sequenti casu comprobatur:

In una Cameracen. Episcopus Cameracensis exponit, quod in sua dioecesi *arbitrabatur, indulgentias stationum Viae Crucis*

(1) In ipso institutionis exordio stationes Viae Crucis videntur institutae fuisse indifferenter vel crucibus vel imaginibus, ac non raro constasse sacellis intus pictis vel sculptis sine ulla crucis praesentia; aut si aderant cruces, hae ex qualibet materia puta, ex ferro vel lapide, conficiebantur. Et revera Benedictus XIII, Constit. *Inter plurima,* sacram Viam Crucis expressam dicit *pictis tabulis.* Joseph Maria a Perusio in sua *Via Crucis illuminata,* edita Perusiae an. 1710, enumerans conditiones valide stationes visitandi, scribit, ad lucrandas indulgentias necessario visitandas esse *capellas aut imagines,* iisque non extantibus, *cruces* etc. (Cf. Roger. Abbanius a Solerio, *Historia... Viae Crucis,* pag. 80; Guerra, pag. 107).

Nec item videtur fuisse ab initio praefinitus numerus stationum Viae Crucis, nec modus repraesentandi mysteria Dominicae passionis. Revera in dioecesi Valentina in Gallia adhuc extat antiqua Via Crucis, erecta in civitate vulgo *Romans* post annum 1515, a Summo Pontifice Leone X indulgentiis ditata, quae constat 34 stationibus cum crucibus lapideis. Per singulare privilegium et specialissimam exceptionem, Summus Pontifex Leo XIII, die 18 Septembris 1880, benigne indulsit, ut hujusmodi stationes servari possint absque praejudicio indulgentiarum, et ut earumdem visitatio fieri possit a Christifidelibus cum interruptione, quae tamen non sit nimis diuturna, juxta prudentiam Episcopi (Cf. Guerra, pag. 107; vid. etiam Beringer, pag. 274 in nota 2).

tabulis et non crucibus adnexas fuisse. Ex hoc ortum est, quod in pluribus ecclesiis, ubi erectae existunt stationes Viae Crucis, *tabulae tantum apparent.* At cum id bona fide factum fuerit, supplicat pro facultate adnectendi omnes indulgentias Viae Crucis stationibus jam erectis, quamvis tabulae tantum appareant, et hoc ne scandalum oriatur in populo.

De quo, facto verbo cum Sanctissimo die 20 Junii 1838, SSmus, attenta bona fide, convalidavit stationes hucusque erectas sine crucibus, *ac mandavit ut Episcopus orator sive per se, sive per ejus Vicarium cruces ligneas privatim benedicat, easque benedictas stationibus sic jam erectis superponat* meliori quo fieri potest modo, ne scandalum oriatur (Decr. auth. N. 261).

1130. Ex usu universali et ex documentis S. Sedis notum est, cruces stationum habere non debere imaginem divini Redemptoris. Et sane ad valorem cujuslibet Viae Crucis, non crucifixi, sed simplices cruces praescribuntur.

1131. Cruces, ex praescripto Ritualis Romani, EX LIGNO ESSE DEBENT SUB POENA NULLITATIS. Nec huic praecepto sufficienter satisfit, etiamsi ad partem adversam crucium ex ferro vel ex alia materia non lignea confectarum, apponantur totidem cruces ligneae, *quae tamen adstantibus sunt invisibiles* (Decr. 23 Nov. 1878. N. 442).

1132. Docent communiter Auctores, cruces ligneas posse inaurari, argentari, colore infici; imo etiam metallicis aliisque instrui ornamentis, dummodo hujusmodi ornamenta non ita abundent, ut cruces potius ex metallo aliave materia, quam ex ligno confectae appareant (Cf. Instr. de stat. Viae Crucis n, 24; Beringer, tom. I, pag. 274).

Quamvis validae ac etiam licitae dicantur et sint hujusmodi cruces *inauratae* vel *inargentatae,* cum nulla de re inveniatur expressa prohibitio Ecclesiae, non videtur tamen, ut nos opinamur, approbandus talis usus, *cum in pio exercitio Viae Dolorosae Calvarii montis minime referat humilitatem crucis et passionis D. N. Jesu Christi.* Nec videtur praefatus usus satis conformis Decreto quod superiori numero retulimus. Eo enim docemur, cruces ita collocari debere, ut ab adstantibus videri possint (quasi diceretur) *tamquam cruces ligneae.* Si hae forent inauratae vel inargentatae, perinde apparerent ac si essent ex auro vel argento confectae. Tunc autem non videretur ratio, cur juxta ci-

tatum Decretum non sufficiat appositio crucium lignearum a parte postica crucium ferrearum.

1133. Quatuordecim ligneis crucibus adjungi possunt *imagines* seu *tabulae,* sive pictae sive · sculptae tamquam *materia libera* ipsius Viae Crucis, quae tot esse debent quot cruces. Materiam *liberam* vocamus, quia *imagines necessariae non sunt, et ideo ad lucrifaciendas indulgentias, quae pro stationum Viae Crucis visitatione conceduntur, minime requiritur tabularum erectio, sed crucium* (Decr. 13 Nov. 1837, et 20 Sept. 1839. N. 258 et 275).

1134. Quamvis autem ad lucrandas indulgentias S. Viae Crucis minime requiratur tabularum erectio, quia ipsae non pertinent ad materiam *essentialem,* tamen juxta antiquam et generalem consuetudinem *consultius est eas affigere.* Imagines enim sive pictae sive sculptae, pro omnibus quidem fidelibus, sed praesertim pro idiotis, rudibus et ruricolis, qui legere nesciunt, vel si sciunt, parum intelligunt, *ad instar libri* facillimae intelligentiae *sunt;* ipsaeque valde devotos adjuvant ad excitandum cordis affectum ac devotionem fovendam erga patientem Redemptorem.

1135. Imagines, si adhibeantur, debent esse illae, quae jam approbatae ac omnibus notae sunt: repraesentare nempe debent *eadem passionis Dominicae mysteria,* quae stationibus Hierosolymitanis repraesentantur. Nam Clemens XII Brevi *Exponi Nobis* mandavit, ut in erigendis stationibus Viae Crucis in locis Ministro Generali non subjectis, *modus et forma serventur, quibus ejusmodi erectiones in ecclesiis et locis Ordinis Minorum hactenus fieri consueverunt.* At Ordinis usus semper fuit erigendi pia loca Viae Crucis *ad instar stationum Montis Calvarii.* Nemini ergo licet statuere vel mutare qualitatem stationum, alias subrogando stationibus generaliter cognitis (Cf. Mons. Alessandro Cantoli, *Pio esercizio della Via Dolorosa,* edit. 2ª, pag. 50 et seq.).

Mysteria quae per stationes Viae Crucis repraesentantur et in pio exercitio peragendo recoluntur, sunt sequentia:

Statio I. Jesus ad mortem damnatur.

Statio II. Jesus recipit crucem super humeros suos.

Statio III. Jesus prima vice cadit sub crucem.

Statio IV. Jesus crucem bajulans, obviam habet Matrem suam dolorosissimam.

Statio V. Jesus in deferenda cruce adjuvatur a Simone Cyrenaeo.

Statio VI. Jesus sudario abstergitur a Veronica.
Statio VII. Jesus cadit secunda vice sub crucem.
Statio VIII. Jesus consolatur filias Jerusalem.
Statio IX. Jesus cadit tertia vice sub crucem.
Statio X. Jesus vestibus nudatur et felle potatur.
Statio XI. Jesus cruci affigitur.
Statio XII. Jesus in cruce moritur.
Statio XIII. Jesus e cruce deponitur et traditur Matri suae.
Statio XIV. Jesus in sepulchro collocatur.

1136. *Sub poena nullitatis* igitur sequentia requiruntur *ex parte materiae* in constituendis stationibus Viae Crucis:

a) *Cruces,* quibus tantummodo adnectuntur indulgentiae.

b) Cruces debent esse numero *quatuordecim,* ita ut si in actu erectionis *una* tantum deesset, id sufficeret ad invalidam reddendam S. Viae Crucis constitutionem.

c) Cruces debent esse *ex ligno,* exclusa quacumque alia materia. Quare non admittuntur cruces in pariete pictae, vel cartaceae vel marmoreae vel eburneae, sive etiam ex ferro, argento, auro, vel ex conchis (italice *madreperla)* aliaque materia, quae non sit lignea, elaboratae.

d) Cruces debent esse *visibiles,* ita ut a coram adstantibus facile conspici possint.

§ III.

FORMA STATIONUM VIAE CRUCIS, NEMPE BENEDICTIO ET AFFIXIO CRUCIUM, NEC NON TABULARUM SI ADSUNT.

1137. Forma in casu nostro dicitur id, quod determinat *materiam,* nempe *cruces,* ad *esse* stationum Viae Crucis. Stationes Viae Crucis constituuntur ex parte formae *ab erectione.* Vox autem *erectio* aequivoca est. Aliquando enim sumitur pro sola crucium *affixione;* saepius accipitur *insimul pro benedictione et affixione crucium.* Et revera lectori attendenti ad Decreta, quae supra retulimus et quae inferius adducemus, manifeste apparebit significatio diversa verbi *erectionis.* Quia vero ad constituendas stationes Viae montis Calvarii aeque necessaria est crucium benedictio et affixio, ideo hi duo actus *proprie* continentur, in praesenti materia, sub voce *erectionis,* quam proinde nos appellavimus *for-*

mam stationum Viae Crucis. Affirmamus igitur, erectionem completam, proprieque dictam duo complecti, videlicet *benedictionem* et *affixionem* tum crucium, tum tabularum si adsunt.

1138. *Benedictio crucium a Sacerdote facultatem habente, de necessitate est facienda.* Nam indulgentiae pro pio Viae Crucis exercitio concessae, crucibus tantum *rite benedictis* sunt adnexae, minime vero imaginibus (Decr. 23 Nov. 1878 in exordio, N. 442; et 30 Jan. 1839. N. 270 ad 2^{m}).

Hinc Apostolica Sedes, in casu superius n. 1129 a nobis relato, etsi convalidaverit stationes sine crucibus erectas, *mandavit* tamen, ut Episcopus sive per se, sive per ejus Vicarium cruces ligneas privatim *benediceret,* ac *sic benedictas* stationibus jam erectis superponeret.

1139. Quod attinet ad *imagines* seu *tabulas,* nulla quidem est necessitas pro validitate Viae Dolorosae et indulgentiarum acquisitione eas benedicendi. Verum, ut fert antiqua praxis, praesertim in Ordine Minoritico, etiam imagines benedici congruenter possunt: eo vel magis, quod in novissimis editionibus Ritualis Romani, ubi agitur de methodo pro erigendis stationibus Viae Crucis, apposita reperiatur « BENEDICTIO TABULARUM PICTARUM SI ADSUNT ».

Quod si S. Congregatio in certis responsis dicit, quod « *cruces solae sunt benedicendae* » (Decr. 30 Jan. 1839. N. 270), vel « *quoad imagines, nunquam benedicuntur* » (Decr. 28 Sept. 1838. N. 264), hujusmodi propositiones eo sensu videntur explicandae, quod scilicet imagines nunquam *de necessitate* sint benedicendae.

1140. Benedictio crucium tum valide cum licite fieri potest vel *ante* vel *post* earum affixionem. « Pro validitate benedictionis crucium stationum Viae Crucis *minime requiritur, ut benedictio detur ante ipsarum affixionem; sed sufficit, ut post affixionem impertiatur* » (Decr. 21 Junii 1879. N. 447).

« Hinc dubitari amplius nequit, quin stationum Viae Crucis erectio ac benedictio legitime ita fiat, ut ante caeremoniam, vel etiam die praecedenti, quatuordecim cruces cum tabulis pictis, si quae sint, suspendantur in locis praefixis, et earum benedictio fiat a Sacerdote ad eas ante aram converso » (Instructio, n. 27. Cf. Decr. N. 346).

Ad majorem tamen solemnitatem et ad populi devotionem in pium exercitium excitandam et augendam consulitur, nisi aliquid obstet, ut praefata stationum affixio durante caeremonia peragatur.

Experientia enim compertum est, erectionem stationum solemniter factam magnopere penetrare fidelium corda, eorumque animos sursum attollere.

1141. Pro valida Viae Crucis erectione requiritur etiam, ut *Sacerdos* ad eam deputatus *sit saltem moraliter praesens* in loco, ubi S. Via Crucis constitui debet. Id deducitur ex Brevi *Cum tanta* Benedicti XIV, in quo Summus Pontifex, dum indulget Parochis facultatem erigendi in suis ecclesiis Viam Crucis, addit « *sub directione* cujuslibet Fratris Ordinis Minorum » etc., nempe sub directione Sacerdotis, quicumque is sit, ad praedictam erectionem legitime deputati. — Ex quo sequitur, ad validam Viae Crucis constitutionem *minime sufficere, ut cruces privatim domi benedicantur,* ac sic benedictae Parocho vel alteri Sacerdoti in designato loco affigendae committantur.

Attamen qui habet facultatem erigendi Viam Crucis, benedictione tabularum et crucium prius facta, *non tenetur ipse tabulas collocare* et stationes percurrere, ut valida sit erectio (Decr. 22 Aug. 1842 ad 1m N. 311).

Benedictione tabularum et crucium facta a Sacerdote legitime delegato, *alter quicumque tabulas collocare potest* privatim sine caeremoniis, et etiam alio tempore (Decr. eod. ad 2m).

1142. Si Via Crucis erigenda sit in aliquo Sanctimonialium monasterio, non est opus erigentem ingredi clausuram, *sed sufficit, ut benedicat cruces ad crates,* breviterque Moniales in monasterio degentes instruat circa modum quo visitandae sunt cruces ad lucrandas indulgentias (Monitum VIII. — Decr. auth. N. 100).

1143. Non est putandum, Sacerdotem erigentem debere adsistere affixioni crucium, vel esse debere moraliter praesentem in loco, quoadusque stationes non fuerint affixae. Hoc minime requiritur, *sed benedictione tabularum et crucium facta, potest Sacerdos erigens domum suam illico repetere,* committendo alteri cuicumque officium appendendi stationes. Hoc patet ex responsione ad sequens dubium:

Cum ex decisione S. Congregationis Indulgentiarum « benedictione tabularum et crucium facta a Sacerdote legitime delegato, alter quicumque tabulas collocare potest privatim sine caeremoniis, et etiam alio tempore » (Decr. auth. N. 311), quaeritur:

An sit necessarium ut Sacerdos legitime deputatus, facta in loco ubi stationes erigendae sunt benedictione tabularum et

crucium, ibi permaneat quoadusque eaedem stationes non fuerint affixae, ita ut nequeat ante hujusmodi affixionem in domum suam reverti? S. Congregatio proposito dubio respondit: *Negative* (Decr. 26 Sept. 1892, apud Acta Ord. Min. ann. XI, pag. 182).

1144. Praeter crucium benedictionem, necessaria est etiam ad validitatem, ut eruitur ex dictis, earumdem crucium AFFIXIO. Haec enim, non secus ac benedictio, pertinet ad substantialem formam stationum, et Decreta tam allata, quam postea afferenda, clare ostendunt necessitatem affixionis. Et revera sine hujusmodi affixione non haberentur *determinatae stationes ad instar stationum Viae Crucis montis Calvarii.* Accedit quod si ex decisione S. Congregationis « ad tempus ablatis et remotis ab ecclesia stationibus et crucibus, indulgentiae non acquiruntur ab iis, qui in dicta ecclesia, *tamquam si stationes et cruces extarent,* exercitium devote peragerent » (Decr. 16 Dec. 1760. N. 223), a fortiori indulgentiae acquiri non poterunt, si dictae stationes nunquam fuerint affixae.

1145. Juxta consuetudinem ubique receptam, cruces utpote materia essentialis et Viae Dolorosae constitutiva, principem locum occupant, et ideo merito ponuntur *super* ipsas imagines. Hujusmodi consuetudini favent etiam S. Sedis Decreta, quae in casibus convalidationis quarumdam stationum vel sine crucibus vel cum crucibus ferreis erectarum, mandat ut cruces ligneae privatim benedicantur, easque benedictas stationibus sic jam erectis aliquis *superponat* (Decr. auth. N. 261 et 442).

Verum praefata superpositio seu affixio crucium *super* tabulas *minime accensenda est inter conditiones essentiales pro validitate Viae Crucis.* Si enim nec ipsae imagines sunt essentiales ad constituendam Viam Dolorosam, potiori ratione talis non est reputanda earum collocatio *super* vel *subtus* cruces, nisi aliter expresse declaretur ab Apostolica Sede. Verbum autem *superponere,* quod invenitur in citatis Decretis, non rigoroso sensu est accipiendum, sed explicandum et intelligendum ex introducta generali consuetudine. Insuper si bene perpendantur saepedicta Decreta, cum respectivis dubiis collata, videbitur eorum sensum et vim directe respicere non crucium positionem *super imagines,* sed *necessitatem apponendi et affigendi cruces ligneas,* veram et unicam materiam necessariam S. Viae Crucis. Cruces ergo affigi possunt, sine dispendio indulgentiarum, tum *supra* tum *subter* praedictas imagines. Unde S. Congregatio Indulgentiarum declaravit, quod « subsisterent indul-

gentiae, si cruces cum tabulis in unum corpus non coalescerent, sed totaliter ab illis sejungerentur » (si nempe totaliter ab illis sejunctae affigantur parieti) (Decr. 13 Nov. 1845. N. 332 ad 2).

1146. Pro consecutione indulgentiarum in erectione Viae Crucis, non solum in ecclesiis, sed etiam in oratoriis et capellis publicis *(et etiam privatis)* requiritur *aliqualis distantia* inter unam et aliam stationem (Decr. 28 Aug. 1752. N. 194 ad 1m).

Quoad hujusmodi distantiam, S. Congregatio, supplicante inclyto Missionario S. Leonardo a Portu Mauritio, jam declaraverat: « Inter stationes Viae Crucis non requiri distantiam aequalem Viae Crucis Hierosolymitanae, nec *determinatam* » (Decr. 3 Dec. 1736. N. 119).

Super distantia igitur inter unam aliamque stationem, tria a S. Congregatione Indulgentiarum habentur decisa, nempe:

1. Quod inter unam et aliam stationem requiritur *aliqualis distantia.*

2. Quod non requiritur *distantia aequalis Viae Crucis Hierosolymitanae.*

3. Quod nec requiritur distantia *determinata.*

1147. Cum ex dictis inter unam et aliam stationem requiratur aliqualis distantia, *non tamen determinata,* in casibus dubiis ad Episcopum, vel Superiores Ordinis nostri, vel etiam ad ipsum Sacerdotem erigentem spectat judicare de sufficientia ejusdem. Certe non in omnibus locis servari potest distantia eadem: major vel minor pendet a majori vel minori loci amplitudine. Extra ecclesiam et in locis spatiosis sub dio servari potest et expedit distantia notabilior. In ecclesiis vero, oratoriis, cellis domesticis etc. distantia necessario commensuranda est capacitati loci. Erector quoad hanc rem non sit nimis timidus, neque det locum scrupulis, memor quod requiritur quidem aliqualis distantia, *minime tamen determinata.*

Hoc unum dicimus, stationes Viae Crucis erigi non debere in locis tam angustis, in quibus totum Calvarii iter duobus aut tribus passibus conficitur. Tunc enim dubium oriri quidem posset circa indulgentiarum subsistentiam (Cf. Decr. 28 Aug. 1752. N. 194).

1148. Stationes *pro populo* collocandae sunt in corpore ecclesiae, non autem in choro vel presbyterio, ne saeculares et foeminae potissimum Sancta Sanctorum ingredi cogantur, pateantque plebi

loca clero reservata, et ne pium Viae Crucis exercitium certae confusioni exponatur.

1149. Nulla lex existit praecipiens ut Stationum iter incipiat *a parte Evangelii,* et terminet *in parte Epistolae,* ut putant nonnulli. Via Crucis incipi erigique valide potest ex alterutra altaris parte, sed consulitur ut servetur populi usus ac loci consuetudo. (Cf. Abbanius, n. 197). Quoad hoc inspicienda est etiam *directio,* quam tabulis seu imaginibus pictor impressit. Incongruum enim foret in peragendo Viae Crucis exercitio contra motum, ut ita dicam, sive versum et directionem figurarum incedere. Quocirca qui imagines pro Via Crucis ordinat, pictorem praemonere deberet de directione dictis imaginibus tribuenda. — Volumus etiam adnotare, stationes Viae Crucis in celebri ecclesia SS. Salvatoris in Jerusalem erectas, incipere a cornu Evangelii.

1150. Quoad *formam* igitur stationum Viae Crucis haec *brevius* sunt praecipue notanda:

1. Benedictio crucium de necessitate est facienda.

2. Benedictio imaginum, si adsunt, non est praescripta, sed congruenter fieri potest.

3. Benedictio crucium fieri potest tam *ante* quam *post* earum affixionem. Idem dicendum de imaginibus, si benedici velint.

4. Benedictio crucium fieri debet ab erectore non privatim in propria domo, sed in loco ubi stationes erigendae sunt.

5. Erector non tenetur per seipsum cruces et tabulas collocare: alter quicumque eas collocare potest privatim sine caeremoniis, et etiam alio tempore.

6. Consequitur, Sacerdotem erigentem, benedictione tabularum et crucium facta, posse in domum suam reverti, quin expectet ut cruces parieti affigantur.

7. Consequitur etiam, praedictum erectorem nullatenus teneri stationes percurrere et visitare ut valida sit erectio.

8. Pro legitima Viae Crucis erectione in aliquo Sanctimonialium monasterio sufficit ut cruces benedicantur ad crates.

9. Ad valorem stationum Viae Crucis necessaria est etiam earum affixio.

10. Inter unam aliamque stationem intercedere debet aliqualis distantia, quae non est determinata.

§ IV.

STATIONUM VIAE CRUCIS RENOVATIO, SUBSTITUTIO, REMOTIO VEL MUTATIO DE LOCO IN LOCUM.

1151. Circa S. Viae Crucis stationes *jam erectas* varii casus dari possunt, qui earum vel *renovationem,* vel *substitutionem,* aut *temporaneam remotionem a loco,* sive *mutationem definitivam de loco ad locum* respicere possunt. Istiusmodi casus quomodo sint resolvendi, ex authentico magisterio S. Congregationis Indulgentiarum clare patebit, cujus super re declarationes hic subnectimus.

1152. In una Camerin., sequens dubium propositum fuit: An in ecclesia, ubi canonice erecta est Via Crucis, si stationes et cruces renoventur vel mutentur, cessent indulgentiae; ac proinde opus sit nova erectione seu approbatione?

S. Congregatio respondit: *Negative juxta modum;* et modus est, quod si renoventur et mutentur *salva substantia, negative simpliciter,* ut supra; *si non salva substantia, negative* pariter, *sed in hoc casu novae cruces denuo benedicantur ad formam Constitutionum* (Decr. 16 Dec. 1760. N. 223 ad 1m).

Hoc principium a S. Congregatione positum clarius explicatur sequentibus declarationibus:

Cum ad lucrifaciendas indulgentias, quae pro stationum Viae Crucis visitatione conceduntur, minime requiratur tabularum erectio, sed crucium, proinde si ob vetustatis causam *ipsae tabulae removeantur,* ac in earum locum, etiam absque Pontificia facultate, novae tabulae substituantur, indulgentiarum concessio perseverat. Imo etsi *cruces ipsae,* quae solae necessario requiruntur, ob eamdem rationem, vetustate scilicet labentes *renovari* debeant, *dummodo earum non sit major pars,* nec nova erectione opus est, nec indulgentiarum beneficium amittitur (Decr. 13 Nov. 1837. N. 258).

Si cruces primitus benedictae *omnino* pereunt, iterum canonica erectio necessaria est; si pereunt *ex minori parte,* licet alias illis substituere absque ulla benedictione; *si penitus tolluntur* aliqua peculiari ratione, *et ad tempus tantum,* ut denuo eidem loco restituantur, nec erectione, nec benedictione opus est ad indulgentias lucrifaciendas (Decr. 30 Jan. 1839. N. 270 ad 5m).

Simili modo eodem anno S. Congregatio, fere iisdem verbis, rem repetit et confirmat, dicens:

Si cruces primitus benedictae *omnino* pereant vel tollantur, iterum nova erectio et benedictio requiritur ad acquirendas indulgentias. Si vero pereant vel tollantur *ex minori parte*, licet alias substituere absque ulla nova erectione et benedictione; ideoque indulgentiae perseverant (Decr. 20 Sept. 1839. N. 275 ad 2m; idem sub N. 311 ad 3m et 328).

1153. Patet igitur ex allatis Decretis, indulgentias S. Viae Crucis cessare tum si cruces *omnes* pereant vel tollantur (intellige *definitive*), tum si tot ex iis pereant vel tollantur ut non perseverent *in majori numero,* sive *simultanee* id contingat, sive *successive.* In hujusmodi casibus ad lucrandas indulgentias nova erectio et benedictio requiritur ab habente facultatem facienda.

Idipsum est affirmandum, si ex crucibus benedictis medietas, nempe septem, remanserit: tunc enim cruces non perseverarent in *majori numero,* quem S. Congregatio expresse requirit in suis documentis, praesertim in Decreto quod in collectione authentica Decretorum prostat sub N. 328, quodque nos inferius n. 1158 allegabimus.

1154. Pro casu remotionis temporaneae stationum Viae Crucis haec decisa habentur:

a) Cruces *ad tempus* a parietibus disjunctae propter rationabilem causam, *non sunt iterum benedicendae* (Decr. 28 Sept. 1838. N. 264 ad 4m).

b) Simili modo ad dubium: An pereant indulgentiae, cum cruces vel imagines quatuordecim stationum, aut partim aut integre, quacumque de causa e loco suo amoveantur, etiam ad breve tempus?

S. Congregatio respondit: Indulgentiae Viae Crucis crucibus tantum sunt adnexae, minime vero imaginibus, quae necessariae non sunt. Hoc posito, si cruces vel imagines quatuordecim stationum Viae Crucis aut partim, aut integre e loco suo moveantur *ad tempus, ut denuo eidem loco restituantur, indulgentiae non pereunt* (ideo non sunt iterum benedicendae) (Decr. 20 Sept. 1839. N. 275 ad 1m).

c) Non amittuntur benedictio et indulgentiae, *si una vel altera tantum crux removeatur a pariete ecclesiae* ad illam dealbandam; *sed si simul omnes cruces removeantur,* ut postea

iterum ponantur in dicta ecclesia, fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, *si in aliam ecclesiam* vel *oratorium* translatae sint cruces *sine apostolica facultate* (Decr. 20 Junii 1836. N. 257 ad 1^m^).

Ex prima parte hujus Decreti inferri posse videtur, quod *deficientia,* ob rationabilem causam, *unius* vel *alterius* TANTUM *crucis* non impediat quominus fideles, visitando hujusmodi stationes, lucrentur indulgentias exercitio S. Viae Crucis adnexas.

Secunda pars praedicti Decreti clarissima est, videlicet: si omnes cruces a pariete ecclesiae ad tempus removeantur, et *interim in aliam* ecclesiam vel oratorium transferantur et affigantur, fideles eo tempore illas visitando, lucrari nequeunt indulgentias, si stationum translatio facta fuerit sine apostolica facultate vel sine nova erectione rite peracta.

Similis declaratio jam antea facta fuerat a S. Congregatione Indulgentiarum. Proposito enim dubio:

An si dictae stationes et cruces, remotae ad tempus ab ecclesia, apponantur in parietibus sacrarii seu oratorii *sub diverso tecto,* vel *alterius ecclesiae,* lucrentur indulgentias pium peragentes exercitium ante easdem stationes in praedictis locis ad tempus repositas?

S. Congregatio respondit: *Negative quoad diversas ecclesias;* in reliquis recurrant in casibus particularibus (Decr. 16 Dec. 1760. N. 223 ad 3^m^).

1155. Evidens est ergo, quod si stationes Viae Crucis transferantur ad tempus in *aliam* ecclesiam, indulgentias non lucrantur ii, qui pium exercitium peragunt ante easdem ibi ad tempus repositas.

Si vero stationes ad tempus remotae ab ecclesia, apponantur in parietibus sacrarii seu oratorii *sub diverso tecto,* an tunc lucrari possint indulgentiae, S. Congregatio respondit ac statuit ut ad eam recurratur in casibus particularibus. Non semper enim patet quandonam locus dicendus sit *diversus,* et ideo dubia, quae super re oriri possunt, tantummodo S. Sedes authentice solvere poterit.

1156. Stationibus et crucibus Viae Crucis ad tempus ablatis et remotis ab ecclesia, indulgentiae non acquiruntur ab iis, qui in dicta ecclesia, *tamquam si stationes et cruces extarent,* exercitium devote peragunt (Decr. eod. ad 2^m^).

1157. Si *definitive* transferantur stationes *in alium locum,* indulgentiae cessant. Revera:

Si stationes Viae Crucis per cruces erectae a loco removeantur, ubi canonice erectae fuerint, et in *alium* (intellige: extra locum primitivum, sive ecclesiam sive oratorium etc.) transferantur, indulgentiae nec primo loco affixae remanent, nec cruces sequuntur, sed nova canonica erectio requiritur (Decr. 30 Jan. 1839. N. 270 ad 4^m).

1158. Mutatio crucium de loco in locum *in eadem ecclesia* non importat annihilationem indulgentiarum Viae Crucis adnexarum (Decr. 22 Aug. 1842. N. 311 ad 4^m).

Idem confirmatur sequenti declaratione, praemittendo, quod quidam Parochus petierat a S. Congregatione *potestatem permutandi quoad locum Viae Crucis stationes in propria ecclesia existentes, eisque substituendi alias stationes seu tabulas absque ulla peculiari caerimonia, ita tamen, ut hae postremae iisdem fruantur indulgentiis.*

S. Congregatio respondit: *Ex pluribus hujus S. Congregationis Decretis colligitur, minime necessariam esse facultatem commutandi stationes, seu cruces quoad locum, dummodo agatur* de eadem ecclesia; minimeque facultate indigere substituendi stationes, dummodo tamen cruces tabulis superpositae, *omnes* vel *in majori numero* perseverent; secus vero nova erectio, novaque benedictio omnino requiritur, impetrata tamen ab Apostolica Sede potestate (Decr. 20 Aug. 1844. N. 328).

Hinc etiam: *ob meliorem dispositionem* crucium indulgentiae non amittuntur (Decr. 20 Sept. 1839. N. 275 ad 3^m).

Pariter: Indulgentiae subsistunt, cum cruces a vetustis tabulis ad novas transferuntur, loco affixionis ad parietem non immutato *(substantialiter)*, ita ut superflua foret nova erectio Viae Crucis (Decr. 15 Nov. 1845. N. 332 ad 1^m).

1159. Nota. In quibusdam ex supra citatis Decretis dicitur, quod *indulgentiae non pereunt,* sive *indulgentiae perseverant,* quoties cruces renoventur vel mutentur *in minori parte.* Jam vero hujusmodi declarationes eo tantum sensu debent intelligi, quatenus, permanentibus in majori numero vetustis crucibus, *non requiratur nova benedictio et nova erectio;* non vero eo sensu, quatenus fideles lucrari interim possint indulgentias antequam compleatur praescriptus numerus stationum, visitando ex. gr. octo stationes, deficientibus ceteris, utpote quae sunt renovandae.

1160. Cum a S. Congregatione Indulgentiarum declaratum fuerit, indulgentias non cessare, si nova aedificetur ecclesia fere in loco

ubi vetus existebat, dummodo sub eodem titulo aedificetur (Decr. auth. N. 323), cl. auctor *Instructionis* inde inferri posse putat, ut patet ex contextu, nec indulgentias Viae Crucis cessare. Verum, si attente perpendantur Decreta, quae supra retulimus, hujusmodi sententia minime tuta apparebit. Ex iis enim colligitur, novam erectionem et benedictionem requiri, si stationes Viae Crucis *a loco removeantur ubi canonice erectae fuerant, et in alium locum, ecclesiam, oratorium transferantur*. Nova ecclesia in loco vel fere in loco veteris ecclesiae aedificata, tantummodo *ficte* seu *putative* dici potest *eadem* ecclesia, non vero *realiter*. Insuper eadem S. Congregatio statuit et declaravit, ad eam in casibus particularibus esse recurrendum, quando dubitatur de subsistentia indulgentiarum, dum stationes ad tempus apponuntur in parietibus sacrarii seu oratorii, sed *sub diverso tecto* (Decr. auth. N. 223). Nobis videtur res ita esse resolvenda: Privilegium *habendi* stationes in nova ecclesia non cessat, eo sensu quatenus non requiratur novae concessionis Rescriptum. Hoc tamen non obstante, necessaria est *nova erectio et benedictio* Viae Crucis, ut fideles pium exercitium peragentes lucrari possint indulgentias, eadem quidem ratione, qua, loquendo de stationibus Viae Crucis in oratorio privato, si dominus domus mutet habitationis sedem, vel oratorium *in eadem domo mutet,* semper necessaria est nova canonica erectio Viae Crucis, licet minime requiratur novum Rescriptum, ut inferius videbimus.

1161. Dictorum brevior conspectus.

1. Sine detrimento indulgentiarum *tabulae* seu imagines possunt *renovari* vel *removeri* sive ex toto sive ex parte.

2. Indulgentiae subsistunt, cum cruces a vetustis *tabulis* ad novas transferuntur, dummodo non mutetur locus affixionis, puta *in aliam ecclesiam.*

3. Non subsistunt indulgentiae, si *omnes cruces* renoventur, ac ideo nova erectio et benedictio necessaria est.

4. Nec item subsistunt indulgentiae, ac proinde nova erectio et benedictio facienda est, si cruces renoventur sive *ex majori* sive *ex aequali parte.*

5. Indulgentiae non pereunt si stationes perseverant *in majori numero;* in hoc igitur casu crucibus sublatis aliae substitui possunt *absque nova erectione et benedictione.*

6. Quamvis indulgentiae non pereant, si stationes perseverent

in majori numero, tamen acquiri nullatenus possunt a fidelibus, quousque stationes remotae seu renovatae non restituantur proprio loco.

7. Indulgentiae non pereunt, si ob rationabile motivum stationes Viae Crucis aut partim aut integre e loco suo removeantur *ad tempus,* ut denuo eidem loco restituantur.

8. Attamen fideles nequeunt eo tempore lucrari indulgentias, si praedictae stationes affixae fuerint ad tempus in *alia* ecclesia, sive oratorio sine canonica erectione.

9. Si stationes Viae Crucis in *alium locum* definitive transferantur, nova erectio et benedictio requiritur ad lucrifaciendas indulgentias.

10. Mutatio stationum de loco in locum in *eadem ecclesia* fieri potest sine amissione indulgentiarum, quin ad id requiratur specialis facultas.

11. Generatim, ob meliorem dispositionem stationum Viae Crucis indulgentiae non amittuntur.

§ V.

STATIONES VIAE CRUCIS IN DOMIBUS PRIVATIS ERECTAE.

Quae generatim hucusque exposuimus de materia et forma S. Viae Crucis, servanda sunt etiam dum agitur de canonica erectione *in domibus privatis.* Quae speciatim de erectione in hujusmodi locis sint notanda, sequentibus declarationibus continentur.

1162. Indultum Viae Crucis *non cessat,* in casu quo persona, quae pro suo privato oratorio illud obtinuit, *alio transferat habitationis sedem,* vel oratorium *in eadem domo mutet,* ita ut ad id privilegium habendum minime requiratur novum concessionis Rescriptum, dummodo locus in quo peracta est erectio Viae Crucis neque in precibus, neque in Rescripto determinetur (Decr. 26 Sept. 1892 ad III. apud Acta Ord. Min. ann. XI, pag. 183).

1163. Licet *privilegium* Viae Crucis perduret, tamen in praedictis mutationibus *ad lucrandas indulgentias necessario requiritur nova Viae Crucis erectio,* etiamsi oratorii et Viae Crucis mutatio fiat prope vetus oratorium; ex. gr. si constituatur in cella priori oratorio contigua, sed omnino separata, vel in alia ejusdem domus contignatione, uti constat ex pluribus responsionibus S. Congregationis, praesertim ex responsione de die 30 Jan. 1839 in una Lingonen. (Decr. eod. ad IV).

1164. Sacerdos legitime deputatus ad erectionem in priori oratorio jam factam, non potest etiam secundam et tertiam erectionem peragere in praedictis mutationibus seu translationibus *absque nova deputatione seu facultate;* id est *vi prioris tantum delegationis non potest novam erectionem peragere* (Ibid. ad V).

1165. Virtute ejusdem Rescripti nequeunt *eodem tempore* erigi plures Viae Crucis, puta, una in oratorio domestico domus urbanae, et altera in oratorio domestico domus ruralis pro diverso commorationis tempore. Excipiendum, ut per se patet, si aliter disponatur in praefato Rescripto.

1166. Cum privilegium Viae Crucis sit *personale,* immediate scilicet concessum personae (quam proinde sequitur, quocumque eadem persona figat habitationis sedem), consequitur idem privilegium vigere vel cessare cum *primario* vel *primariis indultariis. Mortuo* igitur *primario indultario,* vel, si plures fuerint personae, quibus dictum privilegium *immediate* concessum est, *omnibus* his *vita functis,* illico privilegium cessat, nec alii qui secundario loco in Rescripto nominantur, hujusmodi privilegio amplius perfrui possunt.

Veritas expositae doctrinae authentice confirmatur ex responsione S. Congregationis Indulg., ad hoc dubium:

In Indulto quo erigitur Via Crucis in oratorio domestico exprimi solet, indulgentias acquiri posse ab oratore ejusque consanguineis, affinibus et familiaribus cohabitantibus; quaeritur, utrum defuncto oratore indultario ceteri supra comprehensi adhuc lucrari possint indulgentias? S. Congregatio respondit: *Negative* (Decr. 26 Sept. 1892 ad VIII).

§ VI.

PLURALITAS STATIONUM VIAE CRUCIS IN EODEM LOCO, NORMAE ET MONITA.

1167. Ex documentis S. Sedis indubie constat, *plures stationes Viae Crucis* in eodem loco, ut in ecclesiis, civitate vel oppido etc., erigi posse. Sane Summus Pontifex Benedictus XIV hortatur Parochos cujuscumque oppidi aut civitatis, etsi in aliquo oppido plures extent paroeciae, ut populos sibi commissos ditent hoc tam insigni thesauro, introducentes in paroeciis vel in earum-

dem districtu tam proficuum exercitium, *quin ullus habeatur respectus majoris vel minoris distantiae* inter unam et aliam Viam Crucis (Monitum X).

1168. In eadem ecclesia aut pio loco ad majorem populi commoditatem utile erit duas Vias Crucis erigere, unam nempe pro viris, alteram vero pro feminis (Monitum IV.).

Et quia in praedictis S. Sedis documentis nulla quoad numerum stationum Viae Crucis reperitur restrictio, sed potius materna quaedam ostenditur benignitas et largitas, tenendum est *in uno eodemque loco* pio, praesertim in conventibus, monasteriis, conservatoriis, hospitalibus, etc., *plures constitui posse stationes Calvarii montis*. Erigi proinde possunt, praeterquam in ecclesia, etiam in choro, novitiatu, infirmaria, capellis, aliisque locis internis, *dummodo sint decentia ac irreverentiis minime obnoxia*.

1169. Stationes Viae Crucis erigi quoque possunt extra ecclesiam et sub dio, ut habet usus Romae et in tota Italia. — « Cum vero una extra ecclesiam erigitur, altera quoque erigatur semper in ecclesia, ut tempore pluviae aut alterius impedimenti peragi nihilominus possit tam sanctum exercitium » (Monitum IV).

1170. Ubi Via Crucis erigi vellet extra ecclesiam, prout fit in multis Conventibus praedicti Ordinis (Minorum), curandum erit semper, ut ea ab ecclesia aut loco sacro ducat originem, vel usque ad ecclesiam vel sacrum locum finem habeat (Monitum III).

1171. Probe attendatur, ut aediculae cancellis tutentur, ne homines vel animalia in eas ingredi queant, utque tam memoratae aediculae, quam cruces collocentur in locis irreverentiis minime obnoxiis (Ibid.).

Si decursu temporis loca, in quibus erectae fuerint, minus decentia evaderent, Superiorum erit eas (id est stationes) interdicere (Ibid.).

1172. Locus, ubi Via Crucis erecta est, *ad alios usus converti non debet.* Ut res exemplo fiat clarior, sequens facti species attendatur:

In monasterio N. Via Crucis erecta reperitur in quatuor distinctis locis; sed in uno ex iis necessitatis tempore non solum collocant Moniales aegrotas, verum etiam recreationes instituunt, Via Crucis tamen in praedictis circumstantiis ablata, ibique postea denuo reposita. — Quaeritur igitur:

An dictae Moniales visitantes in praefato loco Viam Crucis gaudeant indulgentiis?

SSmus D. N. Clemens PP. XIII die 4 Augusti 1767 commisit Confessario praedicti monasterii, onerando ipsius conscientiam, ut Viam Crucis ex loco quo Moniales *ad profanos usus* hucusque usae sunt, omnino amoveat, et ibidem nunquam in futurum collocari permittat; visitet deinde tria alia distincta loca ejusdem monasterii, in quibus Via Crucis erecta reperitur, et videat, an decenter in ipsis servetur, et cum pari devotione pium ejusdem Viae Crucis exercitium in iis peragatur, ac stricte injungat Monialibus, ne ullo anni tempore eadem loca ad alios usus convertant (Decr. auth. N. 236).

1173. Haec tamen Pontificia ordinatio non debet plus aequo urgeri. In casu enim modo exposito agebatur de loco, in quo non solum Moniales aegrotae collocabantur, sed etiam laetae conversationes instituebantur. De hoc facto cl. P. Beringer narrat, se scivisse, quemdam Ordinis Superiorem praefato Decreto turbatum, a S. Congregatione Indulgentiarum postulasse an in domibus sui Ordinis acquiri poterant Viae Crucis indulgentiae, non obstante quod stationes alicubi inveniantur erectae in ambulacris *(corridoi)* penes ecclesiam vel in capella domestica, et quod praedicta ambulacra aliquando inserviant Religiosis pro loco conversationis. Cui responsum fuit, eum non debere ob hanc rem turbari, cum supradictum Decretum haud casui suo poterat applicari (Beringer, tom. I. pag. 269, nota 2).

§ VII.

FACULTAS ERIGENDI STATIONES VIAE CRUCIS PENES ORDINEM FRATRUM MINORUM.

1174. Facultas erigendi Vias Crucis concessa est Religiosis subditis Ministro Generali FF. Minorum tam de Observantia, quam Reformatorum, *privative quoad alios quoscumque.* Hinc prohibetur aliis eas erigere, et si aliter erigantur, Christifideles indulgentiis minime gaudent (Monitum Im).

Stationes Viae Crucis erigi nequeunt nisi a Superioribus locorum praedicti Ordinis, vel *ex eorum commissione* ab alio Religioso ejusdem Ordinis, qui tamen sit *aut concionator, aut saltem confessarius approbatus* (Monitum II).

Indulgentiae Viam Crucis peragentibus a S. Sede concessae *non intelliguntur extensae ad Vias Crucis erectas a non subjectis*

Ministro Generali Ordinis S. Francisci de Observantia (Decr. 25 Apr. 1735. N. 108).

1175. Auctoritas ergo *ordinaria,* licet Apostolicae Sedi subordinata, est penes Ordinem nostrum Seraphicum, seu penes corpus regularis et strictioris Observantiae S. P. N. Francisci (Observantium nempe, Reformatorum, Recollectorum et Discalceatorum), quod militat sub *immediato* regimine Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, cui ratione concreditae Terrae Sanctae et diutinae custodiae sacrorum locorum nostrae Redemptionis, ea auctoritas ex speciali privilegio fuit concessa *privative quoad alios quoscumque,* a S. Sede sive immediate sive mediate non delegatos (*Instruct.* n. 11).

1176. Cum auctoritas erigendi stationes Viae Crucis seu Calvarii Ordini Seraphico concessa, *primario competat Superioribus, et secundario, ex Superioris commissione, aliis Religiosis,* qui tamen sint aut concionatores, aut saltem confessarii approbati, videndum est quinam veniant sub nomine Superiorum.

Superiorum nomine, ita *Instructio* n. 12, intelliguntur *omnes* et *soli,* qui ex canonica electione ac confirmatione, vel legitima juxta Ordinis Statuta suffectione, aut Rmi P. Ministri Generalis delegatione, actualiter praesunt vel toti Ordini, vel ejus sectioni, aut parti, scilicet:

a) Rmus P. Minister, Vicarius et Delegatus (ad universalitatem causarum) *Generalis.*

b) Minister, Vicarius, Commissarius *Provincialis,* nec non Custodes regiminis.

c) Commissarii a Rmo P. Ministro Generali in aliquibus locis constituti cum Superioris potestate.

d) Praefecti nostrarum Missionum immediate ab Ordine dependentium, exercentes guardianalem auctoritatem in Missionarios.

e) Praefecti aliarum exterarum Missionum, quibus tamquam suis Commissariis, Minister Generalis delegat Superioris auctoritatem in Missionarios.

f) Guardiani ac Praesidentes sive conventuum sive residentiarum legitime juxta Ordinis Statuta electi; nec non eorumdem Vicarii, qui *absentis* Guardiani vel Praesidentis vices canonice obeunt. — Ad id tamen non sufficit absentia *quaelibet,* sed talis, quae *rationabiliter* prohibeat, quominus expectetur reditus ipsius Guardiani vel Praesidentis ad Viam Crucis erigendam vel concedendam.

Excluduntur vero Patres, quibus forte contigerit, ratione gradus vel antianitatis, Superiorum legitimorum absentiam uno alterove die vices gerere, cum hi Superiores legales nulla ratione dici possint.

1177. Extensio in Ordine Minorum facultatis erigendi stationes Viae Crucis. Sed quousque in Ordine Seraphico se extendit potestas erigendi stationes Viae Crucis? Hujusmodi interrogationi fiet satis tum sequenti apostolico Rescripto, ad preces Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, tunc Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, obtento, tum dilucidationibus, quas postea dabimus.

Beatissime Pater,

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, ad pedes Sanctitatis Tuae venerabundus provolutus humiliter exponit, Ordinis alumno a se commissam esse disponendam e documentis authenticis instructionem de sacris Viae Crucis stationibus erigendis visitandisque, quam in lucem edendi mens est post obtentam a S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita (si ita S. H. C. visum fuerit) approbatione.

Cum vero non omni, qua par est, certitudine ac claritate e documentis authenticis, quae praesto sunt, pateat, quousque se extendat stationes Viae Crucis erigendi auctoritas praefato Ordini ab Apostolica Sede benigne concessa, hinc Minister Generalis totius Ordinis Minorum consuevit statim ab ingressu sui Generalatus Summum Pontificem supplex adire, ab Eoque impetrare confirmationem omnium facultatum, quas circa Vias Crucis erigendas ac benedicendos Crucifixos Viae Crucis vulgo nuncupatos Sancta Sedes Apostolica praedecessoribus suis indulsit; quod et praestitit et impetravit humillimus orator.

Praxis autem hujus curiae habuit et habet, ut *Minister Generalis*

a) *deleget tum intra cum extra Ordinem* facultatem erigendi Viam Crucis, etiam in oratoriis privatis, ex Indulto tamen Apostolico erectis, nec non benedicendi Crucifixos cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis;

b) concedat aliis, praesertim locorum Ordinariis, Vicariis Apostolicis, Missionum exterarum Praefectis etc., *auctoritatem etiam subdelegandi seu committendi subditis* Viae Crucis erectionem.

Praeterea, considerato tenore Brevis *Exponi Nobis* Clementis Pp. XII (d. d. 16 Januarii 1731), dicendum videtur, non solum Ministrum Generalem, *sed etiam alios in Ordine Superiores ac ex eorum commissione etiam ceteros Fratres* concionatores vel confessarios approbatos Viae Crucis stationes erigere posse *etiam in privatis seu domesticis oratoriis, saltem proprie dictis,* i. e. quae gaudent privilegio celebrandi in iis Missam. In praefato enim Brevi praelaudatus Summus Pontifex, extendens indulgentias ad Viae Crucis stationes per *Fratres dicti Ordinis* erectas vel in posterum erigendas in locis Ministro Generali non subjectis, inter hujusmodi loca enumerat etiam *oratoria,* quin ulla addatur distinctio seu restrictio.

Ut igitur omnis dubitandi ratio tollatur, et memorata instructio plenior esse queat, orator enixis precibus supplicat,

1° *Ut Sanctitas Tua Ministro Generali totius Ordinis Minorum pro tempore existenti vi muneris confirmare ac, in quantum opus est, de novo concedere dignetur facultates ab ipso exerceri diuturna praxi consuetas ac superius sub litteris* a *et* b *expositas ;*

2° *Ut Sanctitas Tua declarare ac, in quantum opus est, de novo concedere dignetur, omnes in Ordine Superiores ac ex eorum commissione etiam ceteros Fratres concionatores vel confessarios approbatos Viae Crucis stationes licite ac valide constituere posse etiam in oratoriis privatis seu domesticis, quae gaudent privilegio celebrandi in iis Missam.*

Tandem humillimus orator supplicat, ut Sanctitas Tua Auctoritate Apostolica *sanare dignetur defectus quoad praeteritum in praedictis forsan existentes.*

Quam gratiam etc.

Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII in audientia habita die 15 Martii 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, *praevia sanatione quoad praeteritum,* de qua in precibus, *benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita.* Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione ; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 15 Martii 1884.

A. Card. Oreglia a S. Stephano, *Praef.*

Franciscus della Volpe, *Secret.*

1178. Quamvis ex allato Rescripto manifeste appareat, quousque in Ordine nostro se extendat potestas quoad erectionem Viae Crucis, tamen pro majori hujus materiae claritate, res ita proponi potest.

Auctoritas, de qua nunc agimus, considerari potest vel *respectu personarum,* quibus Superiores Ordinis Minorum concedere possunt facultatem erigendi stationes Viae Crucis, vel *respectu locorum,* in quibus ipsi vel ab iisdem delegati praedictas stationes erigere queunt.

Respectu personarum Minister seu Superior Generalis, erigendi facultatem committere potest non solum suis subditis, *sed etiam aliis Sacerdotibus extra proprium Ordinem,* sive saecularibus sive aliorum Ordinum et Congregationum religiosarum. Concedere insuper potest, prout de facto concedit, praesertim locorum Ordinariis, Vicariis Apostolicis, Missionum exterarum Praefectis etc., *auctoritatem subdelegandi,* seu committendi subditis Viae Crucis erectionem, quae quidem delegatio seu commissio *in scriptis* expediri debet *sub poena nullitatis,* ut inferius videbimus (Cf. Decr. auth. N. 175).

Ceteri vero Superiores Ordinis *suis tantum subditis religiosis* concedere possunt dictam licentiam erigendi stationes Viae Crucis, ut patet ex sequenti declaratione:

Postulatum est a S. Congregatione Indulgentiarum:

An Superiores Conventuum, Hospitiorum etc. Ordinis Minorum, ut Guardiani, Praesides, Praefecti Missionum... delegare possint ad erigendas stationes Viae Crucis Religiosos Sacerdotes ejusdem quidem Ordinis vel Provinciae, non tamen sibi subditos?

S. Congregatio respondit: *Negative: id est non posse delegare nisi sibi subditos* (Decr. 26 Sept. 1892 ad 1^m penes Acta Ord. Min. ann. XI, pag. 183).

Respectu locorum facultas competit Ordini Minorum, ex privilegio quidem Apostolicae Sedis, erigendi Vias Crucis:

a) In ecclesiis, publicis oratoriis, coemeteriis, aliisque locis publicis, etiam sub dio, ut in moeniis coenobiorum, clivis montium, viridariis, Religiosorum nemoribus etc.;

b) *In oratoriis internis, aliisque locis decentibus,* sed communibus, Conventuum, Monasteriorum, Seminariorum, Hospitalium, Conservatoriorum, aliorumque locorum piorum;

c) *In oratoriis privatis* seu domesticis, *quae privilegio inibi celebrandi Missam sunt ditata,* in quibus non tantum Mi-

nister Generalis, sicut olim putabatur, sed etiam ceteri Superiores Ordinis erigere possunt *stationes*, cum facultate ad id delegandi proprios subditos.

1179. Excipiuntur oratoria *privata* seu *domestica praedicto privilegio destituta*, destinata dumtaxat ad orandum, nec non *cellae* item *privatae* seu *domesticae*, tum saecularium tum Religiosorum et Religiosarum in Conventibus seu Monasteriis commorantium. Pro erectione S. Viae Crucis in hujusmodi locis requiritur indultum Apostolicae Sedis, quae tamen ordinarie remittit preces ad Rmum P. Ministrum Generalem Ordinis Minorum cum facultatibus necessariis et opportunis.

1180. Ex supra relato Rescripto (n. 1177) colligitur, quod *respectu locorum* in quibus stationes Viae Crucis erigi possunt, potestas eas erigendi aequalis est, *relate ad loca respectivae jurisdictionis*, in omnibus, qui in Ordine Minorum sunt Superiores. Discrimen in eo est, quod Superior Generalis, sive per se sive per alium, *ubique in Orbe* Vias Crucis erigere potest, Provincialis in sua Provincia, Guardianus vel Praeses etc. in suo districtu, non tam rigorose sumendo, cum Benedictus XIV arbitrio Parochorum reliquerit electionem religiosi viri, quem aptiorem judicaverint, ut cum licentia sui Superioris ad erectionem faciendam pergat (vid. Monit. X). Quapropter intra limites propriae respectivae jurisdictionis, etiam Guardiani, Praesidentes, aliique Superiores Ordinis Viam Crucis erigere possunt, sive per se sive *per alium religiosum subditum*, qui tamen sit vel concionator vel confessarius approbatus, non solum in supra memoratis locis publicis, sed etiam in locis internis decentibus communibusque Conventuum, Seminariorum, Hospitalium etc. Item *in oratoriis privatis seu domesticis, quae gaudent privilegio celebrandi in iis Missam.*

1181. Quaeri hic posset, an liceat stationes Viae Crucis erigere in *dormitoriis* seu *ambulacris* (italice dormitorii o corridoj) Conventuum sive Religiosorum sive Monialium ?

Respondetur *affirmative*, dummodo sint decentia, profano usui non obnoxia, nec incompositis rumoribus subjecta. Tunc enim nulla apparet ratio, cur non liceat in memoratis dormitoriis Religiosorum stationes Viae Crucis erigere.

Ad rem: Summo Pontifici Pio IX porrectae sunt preces tenoris sequentis:

Bme Pater! Abbatissa ,ven. monasterii S. Annae civitatis Fri-

bur. cum suis Religiosis osculata pedes Sanctitatis Vestrae humiliter petit, ut Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur facultatem erigendi stationes Viae Crucis in *dormitorio* Conversarum, quo commodius illae sanctas indulgentias lucrari valeant. — Die 15 Martii 1852, SSmus D. N. Pius PP. IX benigne remisit instantiam Rmo P. Ministro Generali Ordinis Minorum Obs. S. Francisci Assisiensis cum facultatibus necessariis et opportunis (Rescr. auth. N. 375).

Patet ex hoc Rescripto, laudatum Pontificem non censuisse indecens *dormitorium* Monialium pro erigendis inibi stationibus Viae Crucis. In dormitoriis autem sumptis *pro cubiculis* majoris vel minoris magnitudinis, ubi *revera dormiunt* pueri vel puellae, infirmi vel senes etc. ut in Conservatoriis, Hospitalibus, Perfugiis etc., haud licet stationes Viae Crucis erigere. Sunt enim loca pro stationibus indecentia et profano usui subjecta.

§ VIII.

POTESTAS DELEGATA ERIGENDI STATIONES VIAE CRUCIS, EJUSQUE LIMITATIO QUOAD EXTRANEOS AB ORDINE MINORUM.

1182. Ex iis quae hucusque exposuimus abunde constat, potestatem *ordinariam* erigendi Vias Crucis, ex privilegio et benignitate S. Sedis Apostolicae, penes Ordinem Fratrum Minorum residere, *privative quoad alios quoscumque.* Quare *prohibitum est aliis eas erigere, et si aliter erigantur, Christifideles indulgentiis minime gaudent* (Monitum 1m).

Quae doctrina, si opus foret, confirmari posset responsione ad dubium sequens:

An indulgentiae Viam Crucis peragentibus a S. Sede concessae, etiam ad Vias Crucis erectas *a non subjectis Ministro Generali Ordinis S. Francisci de Observantia* extensae intelligantur?

S. Congregatio Indulgentiarum respondit: *Negative* (Decr. 25 Apr. 1735. N. 108).

Unde tamquam principium certum et evidens statuitur, *extraneos ab Ordine Seraphico,* id est *non subjectos Ministro Generali Ordinis S. Francisci de Observantia, nullam prorsus habere potestatem erigendi stationes Viae Crucis, nisi haec per speciale Indultum eis concedatur vel a S. Sede, vel a Superiore Generali praedicti Ordinis Minorum.*

1183. Verum, tum Apostolica Sedes, tum praefatus Minister Generalis Ordinis S. Francisci facile ac libenter extraneis ab Ordine indulgere solent facultatem erigendi stationes Viae Crucis.

Concedunt etiam, praesertim locorum Ordinariis, Vicariis Apostolicis ac Praefectis exterarum Missionum auctoritatem subdelegandi, committendi scilicet propriis subditis potestatem eas erigendi, ut supra n. 1178 dictum est.

1184. Quoniam vero facultas delegata tota pendet ab Indulto impetrato, consequitur eam contineri ac prorsus limitari intra terminos ejusdem. Unde si quis hos limites excederet, Viae Crucis erectionem certo periculo nullitatis exponeret.

Interim attendatur ad sequentes decisiones S. Congregationis Indulgentiarum:

Vicarius Generalis dioecesis Tornacensis humiliter exponit, ut infra. — Cum Rescripta S. Congregationis Indulgentiarum, quibus facultas erigendi Viam Crucis Sacerdotibus saecularibus conceditur, eamdem facultatem delimitent ad « *ecclesias seu publica vel privata oratoria de dioecesi locorum, in quibus Ordo Minorum Observ. S. Francisci Assisiensis non existit* », diversae circa horum verborum sensum moventur quaestiones; ideo supplicatur pro solutione sequentium dubiorum.

1° An per loca, in quibus Ordo Min. Observ. S. Francisci Assisiensis non existit, intelligendum sit in casu *civitas, oppidum, pagus cum respectivis suburbiis, sive locis eis adjacentibus?*

Resp. *Affirmative.*

2° An intelligendum sit paroecia vel universa dioecesis, aut alia quaelibet dioecesis sectio, seu pars?

Resp. *Provisum in primo.*

3° An *per formulam Rescripti* censeatur prohibitum, quominus Via Crucis erigatur extra ecclesias, vel oratoria sive publica sive privata, ex. gr. in coemeteriis, vel in claustris?

Resp. *Affirmative.*

4° An *sub poena nullitatis* apponatur facultatis delimitatio ad loca, ubi Ordo Min. Observ. S. Francisci non existit, et ad ecclesias et oratoria tantum ejusmodi locorum; ita ut Via Crucis a Sacerdote saeculari in locis, in quibus laudatus Ordo exstat vel extra ecclesias seu oratoria erecta, denuo erigenda sit?

Resp. *Affirmative* (Decr. 14 Dec. 1857. N. 382).

Collige 1° Sacerdotem Ordini extraneum, qui habet facultatem

erigendi Vias Crucis cum supradicta restrictione, non posse eas erigere *in civitate, oppido, pago cum respectivis suburbiis sive locis eis adjacentibus,* si ibi existat Conventus Fratrum Minorum.

2° Si in *dioecesi* existit Conventus Fratrum Minorum, praedictum Sacerdotem tunc posse Vias Crucis erigere, quando loca, ubi stationes sunt erigendae, ita distent a Conventu, ut Religiosus sacerdos nequeat eo commode vocari.

3° Sacerdotem Ordini extraneum, qui pro erigendis stationibus Viae Crucis obtinuit rescriptum cum limitatione ad *ecclesias* seu *publica et privata oratoria de dioecesi locorum,* non posse eas erigere extra hujusmodi ecclesias vel oratoria, ex. gr. in coemeteriis vel in conventibus. Standum est enim terminis concessionis.

4° Facultatis limitationem *ad loca, ubi Ordo Minorum non existit, et ad ecclesias et oratoria tantum* ejusmodi locorum, apponi *sub poena nullitatis,* ita ut stationes, si a praefato Sacerdote Ordini extraneo erectae fuerint, non gauderent indulgentiis.

1185. Minister Generalis Ordinis Minorum Sacerdotibus sibi non subjectis concedere solet facultatem erigendi stationes Viae Crucis *in ecclesiis, aut publicis Oratoriis, aut Coemeteriis, aut aliis locis publicis; vel praeterea in Oratoriis privatis, Apostolico tamen Brevi erectis; vel demum in Conservatoriis, et aliis locis piis, quamvis Indulto celebrandi Missam non munitis.* Vult autem et declarat, ut hujusmodi facultas pro *iis dumtaxat locis valeat, ubi Conventus nostri Seraphici Ordinis desunt, aut Fratres nostri eo commode vocari non possunt.*

1186. Praepositus Generalis Societatis Presbyterorum Misericordiae petiit a S. Sede solutionem infrascripti dubii:

Cum in Rescripto enuntietur facultas erigendi stationes in publicis ecclesiis, dubium exortum est, utrum his verbis: IN PUBLICIS ECCLESIIS, excludantur ecclesiae seu oratoria hospitiorum, seminariorum, communitatum, institutionum etc., quae ad usum tantum personarum intra septa illa degentium aedificata sunt, et publico usui exterorum nonnisi quandoque et per accidens inserviunt?

S. Congregatio respondit: Facultatem erigendi stationes in publicis ecclesiis, de qua in Rescripto, intelligendam esse etiam *pro oratoriis auctoritate Episcopi institutis, et per viam publicam ingressum habentibus* (Decr. 12 Martii 1855. N. 365 ad 1^{m}).

Excluduntur proinde per verba « *in publicis ecclesiis* » non solum oratoria domestica, sed etiam oratoria hospitiorum, semina-

riorum, communitatum, conservatoriorum, institutionum etc. destinata dumtaxat ad usum illarum personarum, quae in hujusmodi locis piis commorantur, et quae exteris non patent nisi quandoque et per accidens, puta, occasione alicujus festivitatis extraordinariae. Haec oratoria nonnullis auctoribus modernis placet vocare *semipublica,* (1) ut distinguantur ab oratoriis *stricte privatis, quae nempe in privatis domibus, et intra domesticos parietes cum privilegio inibi celebrandi Missam, erecta sunt.*

1187. Jam supra diximus, tam S. Sedem, quam Ministrum Generalem Ordinis Minorum concedere solere Sacerdotibus Ordini extraneis nedum facultatem erigendi stationes Viae Crucis, sed etiam, praesertim locorum ordinariis, Vicariis Apostolicis ac Praefectis exterarum Missionum, *auctoritatem subdelegandi,* id est committendi suis subditis potestatem easdem stationes erigendi. Circa hanc subdelegationem sequentia notanda sunt:

a) Si Episcopus, jam munitus in sua dioecesi vel missione facultate erigendi Vias Crucis, *specialem facultatem subdelegandi non obtinuerit,* nequit alios delegare, *ne suos quidem Vicarios Generales,* quamvis hi unam personam moralem cum eo efficiant. Ratio est, quia indulta hujusmodi iisque similia non sunt *de ordinaria Episcopi* potestate ad rectam necessariamque animarum sibi commissarum administrationem ordinata, sed sunt potius favores, quos idem Episcopus ab Apostolica Sede *personaliter* impetravit, *quique proinde ab Episcopo tantum erunt fidelibus distribuendi* (Decr. 24 Maji 1843. N. 321).

b) Cum Episcopo data sit facultas ab Apostolica Sede (sive a Ministro Generali Ordinis Minorum) *subdelegandi etiam parochos* indiscriminatim ad effectum erigendi stationes Viae Crucis in ecclesiis etc., idem Episcopus potest subdelegare *quemvis parochum* non modo in sua respectiva parochia, *sed in qualibet ecclesia parochiali etc.* prout in Domino opportunum judicaverit (Decr. 23 Sept. 1839. N. 276).

---

(1) Sacra Rituum Congregatio die 22 Maji 1896 declaravit, cappellam *principalem* Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, Piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum *instar oratorii publici* habendam esse. Haec tamen declaratio refertur ad Missam, minime vero ad indulgentias. (Vid. Decr. apud Acta Ord. Min. ann. XV, pag. 131).

1188. In locis, ubi reperiuntur Conventus FF. Minorum, *usque ad annum* 1871 non licebat erigere Viam Crucis in aliis ecclesiis eidem Ordini minime subjectis, cum hac tamen restrictione « dummodo tamen dicti Conventus non ita distent ab oppido vel civitate, aut ad eos iter ita sit arduum, ut sine gravi incommodo, ab Ordinario dijudicando, percurri nequeat a fidelibus pro pio exercitio peragendo » (Vid. Monitum X, n. 1128).

Pius vero Pp. IX Decr. Urbis et Orbis sub die 14 Maji 1871 hanc limitationem sustulit: « Indulsit enim, ut stationes Viae Crucis cum adnexis indulgentiis *etiam in locis, ubi Conventus praefati Ordinis Minorum,* sive Observantium, sive Reformatorum sive Recollectorum, *existunt,* quamvis in ejusdem Ordinis ecclesiis, sacris aediculis, piisque locis erectae reperiantur, *nulla habita superius expressae limitationis ac distantiae ratione,* servatis tamen aliis de jure servandis, *erigi possint et valeant.*

« Ceterum Sanctitas Sua per praesens decretum *minime intendit derogare privativae facultati, quam idem Ordo in peragenda erectione stationum Viae Crucis habet* » (Decr. auth. N. 429).

Per praefatum Decretum igitur revocatum est quidem privilegium *exclusivum* Ordinis Minorum *habendi* in propriis ecclesiis, aliisque locis stationes Viae Crucis, sed minime derogatum est *privilegio privativo easdem erigendi.*

§ IX.

DOCUMENTA REQUISITA ANTE ET POST ERECTIONEM S. VIAE CRUCIS.

1189. Sacerdos facultate jam munitus erigendi stationes Viae Crucis, curare diligenter debet, ne ullum omittatur documentum a S. Sede praescriptum ac requisitum sive *ante* sive *post* earumdem erectionem, eo vel maxime quod eorum nonnulla, ne dicam major pars, sub poena nullitatis praescribantur. Quaenam sint haec documenta, quid erector agere debeat, ex dicendis patebit.

1190. Qui obtinuit ab Apostolica Sede (vel a Ministro Generali Ordinis Minorum) facultatem erigendi stationes Viae Crucis, debet *dictam facultatem exhibere Ordinario,* etiamsi nulla mentio facta sit in concessionis Rescripto (Decr. 5 Febr. 1841. N. 286 ad 2^{m}).

Hac declaratione praejacta, quatuor notentur:

1. Exhibitio Rescripti Ordinario loci, etsi nullatenus sit omittenda, non invenitur praescripta sub poena nullitatis.

2. Obligatio exhibendi eidem Ordinario praefatum Rescriptum, seu facultatem a S. Sede vel a Ministro Generali Ordinis obtentam, *est distincta ab obligatione obtinendi ab eodem Ordinario consensum erigendi Vias Crucis.*

3. Ab obligatione exhibendi Ordinario praedictam facultatem erigendi Stationes, vel litteras deputationis proprii Superioris *eximuntur alumni nostri Ordinis,* utpote qui *jure ordinario* Vias Crucis erigunt. « Nec ullo jure, ita *Instructio* n. 18, exigere id valet Ordinarius (nisi forte rationabiliter suspicetur, Religiosum esse apostatam, suspensum etc.), excepto forsan casu erectionis faciendae ex speciali indulto S. Sedis in cellis domesticis ac oratoriis privilegio in iis celebrandi Missam non gaudentibus, in quibus ex dictis nec Ordo ullam ex semet possidet erigendi Viam Crucis auctoritatem ».

4. Quoad *ceteros Religiosos* sufficit testimonium proprii Superioris mentionem faciens Rescripti, de quo supra, ut possit Episcopus licentiam dare presbyteris Instituti seu Congregationis Religiosae erigendi stationes (Decr. 12 Martii 1855. N. 365 ad 2^{m}).

1191. **Documenta** ANTE **erectionem** Viae Crucis praeparanda, et POST ejusdem **erectionem** conficienda, infrascriptis Decretis determinantur:

a) In erigendis stationibus (Viae Crucis), tam Sacerdotis erigentis deputatio ac Superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii, vel Antistitis, et Parochi, nec non Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi ejusmodi erectionem fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia, *in scriptis et non aliter expediri, et quandocumque opus fuerit, exhiberi debeant, sub poena nullitatis* ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae (Decr. 3 Aug. 1748. N. 175).

b) Circa erectionem stationum Viae Crucis, impetratis antea ab Apostolica Sede necessariis et opportunis facultatibus, omnia ac singula, quae talem erectionem respiciunt, *scripto fiant,* tam nempe postulatio, quam erectionis ejusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus, seu in actis Episcopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus paroeciae seu loci, ubi fuerint erectae praefatae stationes, inseratur (Decr. 25 Sept. 1841. N. 294).

1192. Sequuntur dilucidationes circa documenta praescripta et explicite indicata in iis duobus Decretis S. Congregationis Indulgentiarum.

Primo requiritur LICENTIA seu CONSENSUS ORDINARII LOCI, in quo stationes erigendae sunt. Hujusmodi consensus dari debet *in scriptis sub poena nullitatis.* Insuper « consensus Ordinarii *in scriptis requiritur sub poena nullitatis* in singulis casibus *pro unaquaque stationum erectione;* nec sufficit quod sit *generice praestitus* pro erigendis stationibus in certo numero ecclesiarum vel oratoriorum *sine specifica designatione loci.* Summus Pontifex Leo XIII approbans votum S. Congregationis Indulg. benigne *sanavit praefatas erectiones cum generico consensu peractas,* noluitque ut suppleretur defectui per novum consensum in scriptis ab Episcopo specifice praestandum » (Decr. 21 Junii 1879. N. 445 ad 3m et 4m).

1193. Quoad hoc a quodam Episcopo nonnulla dubia S. Congregationi Indulgentiarum proposita sunt enodanda, quorum duo ita se habent:

II. An ipsa concessio Episcopi, qui *ab Apostolica Sede facultatem obtinuit* erigendi stationes Viae Crucis, *item scripto fieri debeat sub poena nullitatis?*

III. An in ipsa Episcopi concessione mentio fieri debeat facultatis obtentae ab ipsa Apostolica Sede erigendi stationes Viae Crucis, sub poena nullitatis?

Porro S. Congregatio propositis quaesitis ita respondendum censuit:

Ad II. *Affirmative; cf. Decretum sub n.* 445. (a nobis superiori n° relatum).

Ad III. *Congruit ut fiat mentio, sed non est necessaria* (Decr. 6 Aug. 1890, penes Acta S. Sed. vol. XXIII, pag. 349).

Etsi ergo Episcopus facultate a S. Sede obtenta praeditus sit erigendi sive per se sive per alium Sacerdotem stationes Viae Crucis, concessio tamen seu consensus ejus vel deputatio alterius Sacerdotis *scripto fieri debet sub poena nullitatis.* Non est autem necessarium, licet congruat, ut in documento concessionis vel deputationis fiat mentio facultatis obtentae ab Apostolica Sede erigendi stationes Viae Crucis.

1194. Notandum maxime est, praedictum Episcopi consensum *requiri in scriptis ante erectionem sub poena nullitatis,* ita ut

si Episcopus consensum quidem praebuerit ante dictam erectionem, *sed oretenus tantum,* invalida esset hujusmodi erectio, licet statim post erectionem consensum in scriptis expedierit (Cf. Decr. 26 Sept. 1892, ad X, apud Acta Ord. Min. ann. XI, pag. 183).

Quare *non est prorsus attendendum* ad quamdam decisionem, quam sub n. 470, 3° refert Prinzivalli, ceu emanatam a S. Congregatione Indulgentiarum die 27 Januarii 1838, ubi dicitur: Si Viae Crucis erectio nulla detegatur ob omissionem documenti in scriptis talis concessionis, suppleatur documenti defectui per novas litteras institutionis, seu confirmationis ab Ordinario conficiendas etc.

1195. A lege impetrandi licentiam sive Ordinarii loci sive Parochi excipiuntur ecclesiae, oratoria, ceteraque loca Ordinis Minorum, jurisdictioni scilicet Rmi P. Ministri Generalis jure ordinario subjecta. Hujusmodi enim licentia requiritur, dum agitur de erigendis stationibus Viae Crucis *extra ambitum Conventuum Fratrum Ordinis S. Francisci,* tam de Observantia, quam Reformatorum et Recollectorum (Cf. Decr. 28 Aug. 1752. N. 194 ad 2^{m} et N. 445).

Imo consensus Ordinarii et Parochi nec etiam requiritur pro erectione Viae Crucis *in locis exemptis a jurisdictione Ordinarii,* ut in ecclesiis, oratoriis, locis internis Conventuum *quorumcumque Ordinum exemptorum* (Decr. 26 Sept. 1892, ad IX, sup. cit.).

1196. Requiritur secundo, item sub poena nullitatis, CONSENSUS IN SCRIPTIS PAROCHI, quando tamen agitur de erectione facienda in ecclesiis, oratoriis, aliisque locis *omnino dependentibus* a jurisdictione parochiali, non autem si sermo sit de locis, quae de facto administrantur independenter a Parocho per Sacerdotem nominatum ab Episcopo. Tunc enim sufficit consensus praedicti Sacerdotis seu Capellani ab Episcopo nominati. Et revera declaratum est, quod

Validae sunt erectiones stationum Viae Crucis, *sine consensu in scriptis Parochi,* factae in hospitalibus, ecclesiis, capellis, aut domibus Congregationum Sororum, de jure haud exemptis a parochiali jurisdictione, sed de facto (juxta morem in Gallia vigentem) administratis independenter a Parocho, per Capellanum nominatum ab Episcopo (Cfr. totum Decr. 21 Junii 1879. N. 445).

Generatim ergo statui potest, consensum Parochi minime necessario requiri, dum agitur de erectione facienda in locis, quae ab ejus jurisdictione vel de jure, vel saltem de facto sunt exempta.

Ubi vero consensus Parochi necessario requiritur, hic obtineri debet *in scriptis, ante erectionem, et quidem sub poena nullitatis.*

1197. Tertio *requiritur* CONSENSUS SUPERIORUM ECCLESIAE, MONASTERII, HOSPITALIS, ET LOCI PII, *ubi ejusmodi erectionem fieri contigerit.* Hinc si Via Crucis erigenda esset, ex. gr. in ecclesia alicujus Conventus Ordinis regularis, consensus Superioris, puta Guardiani seu Prioris, obtineri necessario debet *in scriptis, ante erectionem,* et quidem *sub poena nullitatis.* Idem dicendum de consensu Superiorum conservatorii, hospitalis ac cujuslibet loci pii, quoties in iis erigendae forent stationes.

1198. Sacrae Congregationi Indulgentiarum expositum fuit dubium, quod hic integre transcribimus:

Contingit aliquando, ut non satis certo constet quisnam sit Superior qui consensum praestare debet pro Viae Crucis erectione in aliqua ecclesia, monasterio, conservatorio, hospitali etc.: non semper enim et ubique habetur Capellanus ab Ordinario nominatus, sed modo unus, modo alter Sacerdos a Parocho vel a Superiore alicujus Conventus mittitur ad aliquem ex praedictis locis, ut ibi praecipue pro inhabitantibus, puta pro Sororibus, pro infirmis etc., Missam celebret, aliaque ecclesiastica munia peragat. Unde quaeritur:

Utrum in hujusmodi casibus sufficiat, ut solus Parochus consensum praestet pro erectione Viae Crucis, vel requiritur etiam consensus in scriptis Superioris seu Superiorissae localis Fratrum sive Sororum ?

S. Congregatio respondit: *Si agatur de erigenda Via Crucis in ecclesia vel publico oratorio, praeter consensum Superioris vel Superiorissae ecclesiae, monasterii, conservatorii, hospitalis, requiritur etiam consensus Parochi: minime si agatur de Via Crucis erigenda in sacello privato seu decenti loco infra septa monasterii, quod a jurisdictione Parochi sit omnino exemptum* (Decr. 26 Sept. 1892, apud Acta Ord. Min. ann. XI, pag. 183 ad XI^{m}).

1199. Quod revera consensus, de quo loquimur, obtinendus sit *ad validitatem in scriptis et* ANTE ERECTIONEM, decisum est a S. Congregatione Indulgentiarum in Decreto sub die 26 Sept. 1892 edito, et a nobis pluries citato. Quaesitum fuit in X. dubio:

An valida dicenda sit Viae Crucis erectio, si Parochus vel Superior ecclesiae, monasterii, hospitalis, loci ubi erectio facta

est, consensum quidem ante erectionem praestiterit, non tamen in scriptis nisi post erectionem?

S. Congregatio resp. *Negative.*

Requiritur in casu exposito consensus Parochi, *si agatur de erigenda Via Crucis in ecclesia vel publico oratorio,* quia hujusmodi loca, ut supponitur in dubio et in respectiva responsione, non sunt exempta nec de jure nec de facto a jurisdictione parochiali; *non requiritur, si agatur de Via Crucis erigenda in sacello privato seu decenti loco infra septa monasterii,* quia hujusmodi loca sunt exempta a parochiali jurisdictione, et quia pro erectione stationum etiam in oratoriis domesticis minime requiritur consensus Parochi, ut paulo inferius videbimus.

1200. Quarto, *etiam* SACERDOTIS ERIGENTIS DEPUTATIO FIERI DEBET SUB POENA NULLITATIS IN SCRIPTIS ET ANTE ERECTIONEM. Superiores Ordinis Minorum, qui ordinaria pollent potestate erigendi stationes Viae Crucis, saepe impediuntur quominus per seipsos ad eas erigendas se conferant. Tunc ad id deputant Sacerdotem sibi subditum qui sit Confessarius vel concionator. Jam vero talis *deputationis actus* scripto fieri debet *ante erectionem sub poena nullitatis.*

Item Episcopus, ut sub n. 1193 notatum est, vel quilibet alius, qui ab Apostolica Sede vel a Ministro Generali Ordinis Minorum facultatem obtinuit erigendi stationes Viae Crucis sive per se sive per alios Sacerdotes sibi subditos, dum alii vel aliis committit officium eas erigendi, tenetur hujusmodi actum commissionis seu deputationis in scriptis conficere *ante erectionem sub poena nullitatis.*

1201. Quinto *requiritur* POSTULATIO ERECTIONIS, quae tamen scripto fieri *non praescribitur sub poena nullitatis* (Decr. 6 Aug. 1890, apud Acta S. Sed., vol. XXIII, pag. 350, Acta Ord. Min. ann. X, pag. 7-8 ad 1^m^).

1202. Postulatio erectionis *saepe continet consensum,* eique aequivalet. Si ex. gr. Parochus ipse vel Superior alicujus loci pii petat in scriptis a proprio Episcopo, subdelegandi indulto jam munito, facultatem erigendi Vias Crucis in respectiva ecclesia, sive oratorio, vel hospitali etc., talis postulatio evidenter includit consensum ejusdem Parochi seu Superioris. Ideo minime requiritur alius actus pro exprimendo consensu. Aliter esset, si postulatio fieret ab aliis personis, quam a Parocho seu Superiore loci pii.

Tunc enim, cum praedicta postulatio non includat istorum consensum, separata scriptura hic erit obtinendus, vel *in ipso folio postulationis,* si in scriptis haec fiat, *indicandus.*

1203. Contingere etiam potest, ut consensus ipsius Episcopi contineatur in alio documento, et ideo minime necesse sit illum iterum postulare. Casus esset, si Episcopus ipse, vigore Apostolici indulti vel potestatis a Ministro Generali obtentae, committeret presbytero suo subdito facultatem erigendi stationes in aliqua determinata ecclesia vel oratorio. Patet, *in hac delegatione in scriptis* consensum Episcopi contineri et superfluum omnino esset eum denuo postulare. Generatim dici potest, non esse necessarium, ut praefata deputationis, licentiae et consensus documenta in scriptis exhibenda, sint *explicita,* sed sufficit ut sint *implicita.*

1204. **Documenta requisita** POST **erectionem.** Rite constitutis stationibus Viae Crucis, confici debet *processus verbalis,* nempe instrumentum peractae erectionis ab ipso erectore propria manu subscribendum. In Decreto enim quod supra n. 1191 b) attulimus haec habentur: « omnia et singula, quae talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio, quam erectionis ejusdem concessio, *quarum instrumentum in codicibus, seu in actis Episcopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus paroeciae, seu loci, ubi fuerint erectae praefatae stationes, inseratur* ».

Verum, insertio testimonii erectionis *in actis episcopalibus et in codicibus paroeciae, seu loci,* ubi fuerint erectae stationes, praescribitur quidem, *sed non sub poena nullitatis* (Decr. 6 Aug. 1890 ad IV, apud acta S. Sed. vol. XXIII, pag. 350).

1205. Quod attinet ad tempus, quo confici debeat processus verbalis executae erectionis, an scilicet statim conscribendus sit, vel aliquam moram patiatur, S. Congregatio declaravit:

Non esse determinatum tempus ad documentum erectionis conficiendum; sed ratio per se patet, ut quamcitius hoc fiat, ne dubium in posterum oriatur circa praedictam canonicam erectionem (Decr. 10 Febr. 1844. N. 325).

1206. Ex relato Decreto duo deducuntur: a) Ex quo non est determinatum tempus ad documentum erectionis faciendum, consequitur *ejus defectum non invalidare stationes* jam rite constitutas, ac ideo fideles lucrari posse indulgentias pio exercitio adnexas, etsi documentum erectionis nondum fuerit confectum; b) Ex eo quod quamcitius fieri debeat, *ne dubium in posterum oriatur*

circa canonicam Viae Crucis erectionem, infertur, rationem praecipuam, ob quam erectionis documentum praescribitur, eam esse, *ut de legitima et valida S. Viae Crucis constitutione posteris certo constet.*

Sed iterum dicimus, instrumentum peractae erectionis *quamprimum* esse conscribendum, ne tractu temporis dubia exoriantur super ejusdem validitate, et consequenter super subsistentia indulgentiarum, quae a fidelibus pium Viae Crucis exercitium peragentibus acquiri possunt. Ut hujusmodi documentum majorem probationis vim habeat, consulitur ut etiam Parochus sive Superior loci propriam subscriptionem ei apponat.

In praefato documento fiat mentio de facultate obtenta erigendi stationes Viae Crucis, de licentia Ordinarii, de consensu Parochi sive Superioris loci, praeter diem, mensem et annum, quo dicta erectio facta fuit.

Istiusmodi instrumentum tradi debet custodiendum et conservandum ipsi Parocho seu Superiori loci, ita ut quandocumque opus fuerit, exhibere possit illi, cui jus est illud petendi et examinandi.

1207. Praescribitur ulterius, imo praecipue, ut etiam *erigentis deputatio, Ordinarii licentia, Parochi ac Superiorum loci,* ubi erectio stationum facta fuerit, *consensus,* conserventur a concessionario in respectivo archivo. Ideo enim hujusmodi praescriptiones exequi praecipiuntur *in scriptis sub poena nullitatis,* ut custodiantur, et quandocumque opus fuerit exhibeantur cui de jure, puta Episcopo in sacra visitatione (Decr. auth. N. 175 et 294).

Minime requiritur ut *Rescriptum ipsum* vel ejus exemplar tradatur custodiendum Parocho vel Superiori loci. Sufficit ut in aliquo ex documentis scriptis, sive Episcopi, sive Superioris loci, sive Parochi fiat mentio ac fides, Sacerdotem erigentem legitima facultate fuisse munitum.

1208. In Decreto, quo pluries usi sumus, sub n. 1191 relato, praescribitur, ut tam *instrumentum postulationis* S. Viae Crucis, quam *instrumentum concessionis* erectionis ejusdem, in codicibus, seu *in actis Episcopatus remaneat,* et testimonium saltem in codicibus paroeciae, seu loci, ubi fuerint erectae praefatae stationes, inseratur. Ex hac ordinatione patet, quod *postulatio,* quae consensui aequivalet, et *concessio erectionis,* non solum in archivo parochiali servari debent, sed etiam *in actis episcopalibus.* Huic

praescriptioni facili modo satisfieri potest, reponendo scilicet in archivo Episcopatus supplices litteras, idest postulationem Parochi seu Superioris loci, in qua paucis verbis indicetur Episcopi consensus cum dato diei et anni: eo prorsus modo, quo usus obtinet apud Secretarias SS. Congregationum Romanarum.

1209. Praefatae praescriptiones non videntur se extendere ad Superiores Ordinis Minorum, nempe ad postulationes ad eos directas, et ad concessiones ab iisdem factas. Nam cum Ordinarii licentia semper obtineri debeat una cum Parochi vel Superioris loci consensu, qui per ejusdem licentiae postulationem plerumque manifestatur, reponendo modo supradicto in actis episcopalibus memoratam Ordinarii licentiam seu concessionem una simul cum postulatione Parochi seu Superioris loci, jam observatur totum id quod hac super re praescribitur a S. Congregatione Indulgentiarum. Non est igitur necessarium, ut etiam in archivo Curiae Generalitiae vel Conventuum conserventur postulationes ac documenta erectionum a Superioribus vel Fratribus sibi subditis peractarum.

Verum, si id non est necessarium, optandum tamen esset, ut juxta praefatam S. Congregationis praescriptionem, etiam in conventualibus Ordinis archivis habeatur regestum, in quo adnotentur omnes S. Viae Crucis erectiones a Religiosis respectivi Conventus factae (*Instr.* n. 30).

1210. Modo quaeri potest: Quid dicendum de erectione Viae Crucis *in oratoriis domesticis?* Ut haec legitime fieri possit, requiriturne consensus Ordinarii, et etiam Parochi? Respondemus: Requiritur quidem ad validitatem *consensus Ordinarii, minime autem consensus Parochi.* Id certum est ex declaratione S. Congregationis Indulgentiarum. Proposito enim dubio:

In constituendis stationibus Viae Crucis in oratorio domestico, sive hoc sit cum privilegio celebrandi ibi Missam, sive non, requiritur *in scriptis, et id ad validitatem,* consensus a) Ordinarii, b) Parochi?

S. Congregatio respondit: *Affirmative quoad consensum Ordinarii: Negative quoad consensum Parochi* (Decr. 26 Sept. 1892 ad VI, loc. sup. cit.).

Insuper, consensus Ordinarii in scriptis *de novo* requiritur in casu mutationis oratorii et stationum Viae Crucis de domo in domum, vel de cella in cellam. Idem dicendum de consensu domini domus (Cf. Decr. cit. ad VII).

1211. *Praefata tamen documenta minime requiruntur in casu renovationis crucium seu stationum: tunc sufficit novas cruces benedicere.* Ita declaravit S. Congregatio Indulgentiarum, ut patet ex sequenti Rescripto:

Fr. Raphaël ab Aureliaco Procurator Ordinis Minorum huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi sequentia humiliter exponit:

Pro legitima stationum Viae Crucis erectione Sancta Sedes plura sapienter constituit observanda sub poena nullitatis: Nam statuit, « quod in erigendis hujusmodi stationibus tam Sacerdotis erigentis deputatio ac Superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii vel Antistitis et Parochi nec non Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis et loci pii, ubi ejusmodi erectionem fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia in scriptis et non aliter expediri, et quandocumque opus fuerit exhiberi debeant, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae ». Modo Orator petit a S. C. solutionem dubii sequentis:

Utrum in casu quo, ob crucium vetustatem vel ob aliam justam causam, renovari debeant stationes Viae Crucis in eadem ecclesia sive oratorio, in quo rite cum omnibus documentis ut supra a S. Sede praescriptis erectae reperiebantur, praefata omnia et singula documenta denuo, sive oretenus, sive in scriptis, postulanda sint; vel sufficiat tantummodo ut novarum stationum benedictio fiat a Sacerdote legitime ad id deputato?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita relato dubio respondit die 11 Januarii 1896:

Dummodo praesumi possit perseverare consensum eorum ad quos pertinet,

Negative quoad 1^m^ partem; quoad 2^m^ *sufficere tantummodo novarum crucium benedictionem.*

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die et anno uti supra.

A. Card. Steinhuber, *Praef.*
† Alexander, Archiep. Nicop., *Secret.*

1212. *Convalidatio generalis stationum Viae Crucis hucusque invalide erectarum* (Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 63).

Rmus P. Aloysius a Parma Minister Generalis Ordinis Minorum sequentia exposuit Summo Pontifici:

In erectione Viae S. Crucis stationum non semper et ubique omnia ea adamussim observata fuerunt, quae a S. Sede pro valida erectione praescribuntur, praesertim quoad consensum in scriptis ante erectionem obtinendum. Quapropter, ne fideles indulgentiis pio exercitio Viae S. Crucis concessis frustrentur, humilis Orator Sanctitati Tuae enixe supplicat, quatenus *omnes erectiones hucusque ob quoslibet defectus* invalide factas benigne sanare dignetur.

Quam gratiam etc.

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno N. Leone PP. XIII tributarum, S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita *defectus omnes* de quibus in supplici libello benigne *sanavit*. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 7 Aprilis 1894.

Fr. Ignatius Card. Persico, *Praef.*
✝ Alexander, Archiep. Nicopol., *Secret.*

§ X.

INDULGENTIAE SANCTO VIAE CRUCIS EXERCITIO ADNEXAE, AC TEMPUS EAS LUCRANDI.

1213. Indulgentiae S. Viae Crucis exercitio adnexae permultae sunt, tam partiales quam plenariae, uti constat ex Bullario Terrae Sanctae, et ex *Raccolta,* quae pag. 111 expresse dicit, pium Viae Crucis exercitium a Summis Pontificibus ditatum fuisse *plurimis* indulgentiis *(arricchito di moltissime indulgenze).* — In authentico Summario Indulgentiarum Ordinis Seraphici haec super re habentur: Religiosi et Moniales Ordinis Minorum, qui devote visitabunt stationes Viae Crucis sive in ecclesia sive in quocumque loco monasterii, lucrantur easdem indulgentias, quas lucrantur illi, qui eas visitant in locis sanctis Jerosolymorum, *quaeque sunt fere innumerabiles,* cum liberatione unius animae e Purgatorio (Rescr. auth. pag. 395, 36°).

Ob deperdita tamen vel igne consumpta documenta certus ac determinatus numerus indulgentiarum exhiberi nequit. Unde S. Congregatio admonet « *ut non publicetur ex pulpitis, aut alia*

forma, multoque minus scribatur in aediculis sive stationibus certus ac determinatus numerus indulgentiarum lucrandarum » (Monitum IX).

Propterea sat erit dicere, quemcumque Dominicae passioni meditandae hoc sancto exercitio daturum operam, ex concessione Summorum Pontificum *consecuturum easdem indulgentias, quas consequeretur, si personaliter visitaret stationes Viae Crucis in Jerusalem* (Monitum IX).

1214. Sunt auctores qui affirmant, Christifideles sanctum Viae Crucis exercitium peragentes, non solum lucrari indulgentias *Viae sacrae de Jerusalem,* sed etiam *illas ceteris locis Terrae Sanctae concessas.* Probant sententiam suam Constitutione Benedicti XIII, quae incipit *Inter plurima,* quaeque dictae sententiae favere videtur, dum declarat « Fratres et Moniales ac personas superius memoratas, exercitium Viae Crucis hujusmodi peragentes... frui et gaudere indulgentiis ac privilegiis, quae Romani Pontifices Locis Sanctis ac illorum stationibus *intra* et *extra* Jerusalem largiti fuerunt, perinde ac si exercitium praedictum ibidem peragerent ».

Verum, quia *Monita* saepe commemorata, sunt documenta de mandato Clementis XII a S. Congregatione Indulgentiarum emanata *ad ordinandum pium Viae Crucis exercitium,* quaeque praedictae Constitutioni *Inter plurima* posteriora sunt, merito infertur praefata Monita, sed speciatim *Monitum IX,* habenda esse *tamquam authenticam explicationem* seu *interpretationem verborum, quibus Benedictus XIII usus est* in citata Constitutione. Magis ergo ad veritatem accedit sententia hodie communis, quod scilicet standum sit declarationi Clementis XII ad Monitum IX, quo enuntiatur, fideles pium Viae Crucis exercitium peragentes, easdem consequi indulgentias, quas consequerentur, *si personaliter visitarent stationes Viae Crucis in Jerusalem.* — Comprobatur ex *Raccolta,* pag. 111, in qua habetur : Fideles devote visitantes *Viam Crucis,* consequi possunt omnes illas indulgentias a Summis Pontificibus jam concessas fidelibus christianis, qui personaliter visitant Loca Sancta de *Jerusalem.*

1215. Monendi sunt igitur Christifideles, ut in peragendo pio S. Viae Crucis exercitio, praeter unam indulgentiam plenariam pro semetipsis acquirendam si velint, ceteras omnes, sive plenarias, sive partiales, applicent animabus Purgatorii, vel omnibus in genere, vel uni sive pluribus determinate, ad beneplacitum, juxta

cujuscumque charitatem, pietatem et devotionem. Praedicta applicatio indulgentiarum fieri debet *in principio* pii exercitii, vel saltem *ante ejusdem finem*.

1216. Indulgentiae devoto S. Viae Crucis exercitio adnexae, etiam *noctis tempore* acquiri possunt. Sacra enim Congregatio per Decretum Urbis et Orbis de die 1 Martii 1819 ad propositum sibi dubium:

Utrum indulgentiae Viae Crucis adnexae, uti ceterae possint noctu obtineri, opera injuncta adimplendo?

Respondit:... *ipsas indulgentias aeque diei ac noctis tempore lucrifieri posse* (Decr. auth. N. 245).

1217. Omnes indulgentiae stationibus Viae Crucis adnexae, sunt etiam *fidelibus defunctis applicabiles*, prout declaravit Benedictus XIII in Const. *Inter plurima*, et patet ex *Raccolta*, pag. XXVIII, 3).

1218. Tempore Jubilaei indulgentia Viae Crucis, prout generaliter ceterae omnes, suspensae remanent, eo sensu, quatenus *acquiri nequeant pro vivis, sed utique pro defunctis*, pro quibus semper vigent, semperque lucrifieri possunt (Vid. supra n. 471).

1219. Quamvis generatim ad Viae Crucis exercitium peragendum omnia tempora sint apta, tamen aptius speciali modo est illud, quod memoriae passionis Domini nostri Jesu Christi, nec non sanctae mortificationi et poenitentiae est singulari modo consecratum. Tale est tempus Quadragesimae, maxime hebdomadae majoris, feriae sextae totius anni, quatuor anni tempora, dies festi Inventionis et Translationis sanctae Crucis, dies Commemorationis omnium Defunctorum, aliique dies, qui prae reliquis anni diebus melius exprimunt passionis Redemptoris mysteria, vel in quibus fideles a sancta Matre Ecclesia invitantur speciali modo ad poenitentiam, vel ad defunctorum animas e Purgatorii poenis nostris precibus sublevandas.

1220. Ob majorem fidelium commoditatem et ad removendam tempore divinorum Officiorum quamcumque perturbationem, exercitium *publicum* S. Viae Crucis opportunius peragitur, generatim loquendo, diebus Dominicis et festivis post vesperas vel aliis diebus in sero.

1221. Quando stationes Viae Crucis canonice erectae sunt in ecclesiis, oratoriis publicis, in coemeteriis, aliisque locis *publicis, omnes Christifideles* eas devote visitantes acquirere possunt indulgentias. Si vero erectae sint in locis *non publicis*, indulgen-

tiae lucrifieri nequeunt, *nisi a personis in concessionis rescripto nominatis.* — Hinc quoad stationes erectas *in conventibus, in hospitalibus, conservatoriis, aliisque locis piis,* indulgentiae acquiri possunt *ab omnibus inibi habitantibus;* et si aliter non sit dispositum in Rescripto concessionis, etiam illi indulgentias consequi possunt, qui illuc conveniunt ut assistant instructionibus, functionibus, aliisque piis exercitiis, quae in dictis locis fiunt. — *In oratoriis* vero *privatis* seu *domesticis,* indulgentiae acquiri tantum possunt *ab Indultariis, eorumque consanguineis, affinibus, servis et famulabus secum cohabitantibus.* Ceterum quoad hoc attente inspiciendus est tenor Rescripti.

Ex gratia obtineri potest facultas, qua etiam aliae personae extraneae visitare possint Viam Crucis in privato oratorio alterius familiae canonice erectam, et lucrari indulgentias; *sub conditione tamen ut accedat consensus patroni seu patronae oratorii, et usque dum oratores vel oratrices sub eodem tecto commorabuntur* (Vid. Rescr. auth. N. 387, pag. 300).

§ XI.

QUAESTIO: AN INDULGENTIAE EXERCITIO VIAE CRUCIS ADNEXAE PLURIES IN DIE LUCRARI POSSINT.

1222. S. Congregatio Indulgentiarum ad hujusmodi dubium sequentibus verbis propositum:

Utrum *toties in die* lucrari valeant indulgentiae exercitio Viae Crucis adnexae, *quoties* illud iteratur?

Respondit: *Ex documentis non constat, indulgentias pro pio exercitio Viae Crucis concessas toties lucrari, quoties praefatum pium exercitium iteratur* (Decr. 10 Sept. 1883, apud Rescr. auth. N. 442, pag. 679).

1223. Exinde auctor *Instructionis* infert, semel tantum in die acquiri posse indulgentias saltem plenarias pio exercitio Viae Crucis adnexas. Dicit enim: *post hujusmodi S. Congregationis responsum... memoratam auctorum* (qui affirmant indulgentias Viae Crucis *pluries in die* lucrifieri posse) *sententiam omnino relinquendam putamus, et praefatum dubium ex principiis generalibus resolvendum opinamur (Instr.* n. 44).

Laudatus auctor tribus rationibus opinionem suam confirmare conatur: 1° Responsione S. Congregationis modo relata; 2° Decreto *Delatae saepius* edito ex mandato ven. Innocentii XI die 7 Martii 1678, quod sic se habet: *semel dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud opus pium peragentibus, lucrifieri* (Decr. auth. N. 18); 3° *Raccolta.*

Ast, ex responsione S. Congregationis quae simpliciter declarat, *ex documentis non constare,* nullo jure inferri *certo* potest, indulgentias pio exercitio Viae Crucis adnexas non posse pluries in die lucrari. S. Congregatio praedicto suo responso nec affirmat, nec negat, nec utitur consueta formula: detur Decretum *Delatae saepius.* Ipsa declarat tantummodo, ex documentis ab ea hucusque examinatis non constare. Quare ex praefato responso nulla alia deductio trahi potest, nisi sequens: *ergo dubium super memorata quaestione adhuc remanet.*

Adde, tam in dubio proposito, quam in respectivo responso S. Congregationis, agi de indulgentiis *sine distinctione inter plenarias et partiales.* Si igitur praefatus auctor *Instructionis* aestimat *plenarias* Viae Crucis indulgentias pluries in die acquiri non posse, cur id non affirmat de partialibus quoque? Id enim legitime sequeretur ex praedicto responso: *ex documentis non constat* etc. Quasi diceretur: non constat nec de indulgentiis plenariis, nec de indulgentiis partialibus.

Nec ex Decreto, quod incipit *Delatae saepius,* R. P. Michaël Sleutjes, auctor egregius *Instructionis,* potest aliquid *certi* deducere in favorem suae thesis. Primo notamus, esse opinionem plurium Doctorum affirmantium, praedictum Decretum comprehendere tantummodo indulgentias *pro vivis,* non vero illas *pro defunctis* applicabiles, ut videre quisque potest apud Ferraris, verb. *Indulgentia* art. V. n. 9. De qua re Prinzivalli in sua collectione Decretorum, Append. nota f. pag. 193, haec habet: « Notandum est, quod indulgentia plenaria *pro vivis, concessa in diem certum,* ecclesiam locumve visitantibus, non acquiritur nisi semel, juxta Decretum Innocentii XI, 7 Martii 1678, quod incipit *Delatae saepius* ». Fere iisdem verbis res eadem affirmatur in *Rescriptis authenticis* pag. 577 in nota, ubi legitur: « Juxta memoratum Decretum indulgentia plenaria *pro vivis* concessa in diem certum, ecclesiam locumve visitantibus, non acquiritur nisi semel in die ».

— Si haec interpretatio vera esset, patet argumentum ex Decreto *Delatae saepius* depromptum nullius esse roboris.

Sed his omissis, adnotare sufficiat, legem quamcumque suas habere exceptiones, et citatum Decretum habet revera suas exceptiones, ut expresse affirmatur in ipsa *authentica Raccolta,* ad quam etiam provocat laudatus P. Sleutjes. In ea enim legitur: « Ab hac regula generali (per Decretum *Delatae saepius* statuta) excipiuntur indulgentia diei 2 Augusti communiter de Portiuncula nuncupata, et *aliae* seu *alia aliqua: Da questa regola generale sono eccettuate la indulgenza del secondo giorno di Agosto, comunemente chiamata della Porziuncola, e* QUALCHE ALTRA, *le quali possono acquistarsi più volte nel medesimo giorno (Raccolta,* edit. 1886, pag. XXVI).

Si praeter illam de Portiuncula, *aliae* quoque sunt indulgentiae plenariae, quae excipiuntur a regula generali, quaeque proinde acquiri possunt *pluries in die,* iterando idem opus injunctum, rationabilis praesumptio certe favet pio S. Viae Crucis exercitio, quod est opus prae ceteris sanctius, ut ait S. Leonardus, a Summis Pontificibus maxime fidelibus commendatum, atque innumeris spiritualibus gratiis ac privilegiis locupletatum. Et sane:

1° Hanc sententiam suadet *pius et singularis favor ipsius Apostolicae Sedis in piissimum Viae Crucis exercitium.* Summi enim Pontifices tum Bullis tum Brevibus singularem semper sollicitudinem ostenderunt in eo per paroecias, per ecclesias, per aliaque loca propagando; sapientes regulas ac monita statuerunt tam pro canonica erectione stationum, quam pro directione fidelium in devoto exercitio peragendo; innumeris favoribus coelestibus ditarunt ad alliciendos Christifideles ad illud frequentandum.

2° Favet huic opinioni communis *persuasio fidelium,* qui iterantes pium Viae Crucis exercitium, non dubitant easdem denuo acquirere indulgentias.

3° Probatur *ex communi traditione in Ordine Fratrum Minorum,* in quo semper creditum est, indulgentias Viae Crucis toties acquiri, quoties sanctum exercitium iteratur. Nec ista traditio est contemnenda; siquidem Ordini Seraphico Custodia Terrae Sanctae, ubi documenta asservabantur, concredita fuit a S. Sede, ac in ejusdem Ordinis ecclesiis tantum erigebantur primitus stationes Viae Crucis cum adnexis indulgentiis. Praesumi ergo licet, in Ordine nostro veram super hac materia traditionem conservari.

4° Probatur *auctoritate Scriptorum,* qui communiter hanc sententiam tuentur, ut aperte fatetur ipse auctor *Instructionis,* qui scribit: *Communi sententia* auctores, praesertim recentiores, affirmant, indulgentias Viae Crucis *pluries in die* lucrifieri posse *(Instr.* n. 44). Ne in longum abeamus, nos omittimus eorum citare nomina. Sufficiat commemorare inter recentiores cl. F. Labis canonicum Tornacensem, qui in egregio suo opere: *Le Chemin de la Croix,* edit. 1891, sententiam nostram defendit; P. Ulrich, Redemptorista, a laudato Labis citatus; Auctor *Tractatus de Indulgentiis ad usum alumnorum Seminarii Archiepiscopalis Mechliniensis,* Mechliniae 1890; cl. P. Lehmkuhl, qui in sua Morali vol. II, n. 559 pag. 394, nota 2, edit. sexta, postquam dixisset, quod ex responsione S. Congregationis supra relata, *res neque affirmatur, neque negatur, sed relinquitur objective dubia,* subjungit: *Inclino tamen in eorum opinionem, qui putent, illas pluries,* i. e. *toties quoties acquiri posse* etc.; quibus addere placet testimonium P. Rogerii Abbanii a Solerio, qui in sua *Historia... Viae Crucis,* edita Fulginiae an. 1867, a S. Congregatione Indulgentiarum approbata, ita scribit pag. 226, n. 562: « Indulgentiae Viae Crucis semel tantum applicari utiliter possunt viventibus; nam semel remissa poena temporali plenariae indulgentiae acquisitione, nil ulterius remittendum restat. *Defunctis autem sunt applicabiles toties quoties visitatur exercitium ipsum dolorosum:* quod enim nunc prodest uni defuncto, in reiteratione prodest alteri, et quo plus repetitur exercitium, eo magis augetur numerus fidelium paradiso inserendorum ».

5° Probatur argumento desumpto *ex authentico Summario Indulgentiarum seraphicae Chordigerorum Archiconfraternitati concessarum.* Ibi haec leguntur:

« Confratribus igitur et consororibus, ex praedictis Summorum Pontificum concessionibus et Brevi etiam *Exponi nobis* ven. Innocentii XI, die 15 Maji 1688 edito (Chron. t. III, part. I, pag. 286), communicantur, praeter alias multas nostratibus assignatas, indulgentiae pro recitatione *Coronae septem Gaudiorum B. Mariae Virginis, pro statione SS. Sacramenti,* et *pro exercitio Viae Crucis:* quae praecipuae habentur ac pretiosissimae, et a Tertiariis etiam et Chordigeris omnibus in gratia existentibus TOTIES QUOTIES lucrari possunt, et Purgatorii animabus applicari » *(Rescr. auth.* Summ. 23, pag. 434 et seq. n. XII).

Cum igitur in praedicto Summario Chordigerorum clare expressisque verbis affirmetur, indulgentias exercitio Viae Crucis adnexas *toties* lucrari, *quoties* repetitur opus, videtur non posse amplius dubitari de thesi, quam nos defendendam suscepimus. Si secus foret, infirmari videretur *authenticitas* praefati Summarii, *concordantis cum originalibus*.

Meminisse quoque juvat, post editum responsum S. Congregationis supra relatum, nempe: *Ex documentis non constat* etc., accessisse ad Rmum P. Ministrum Generalem Bernardinum a Portu Romatino quemdam pium et doctum Consultorem, qui eidem P. Ministro Generali declaravit, mentem S. Congregationis in hujusmodi negotio minime fuisse aliquid decidere, vel negare indulgentias Viae Crucis pluries in die lucrari posse, sed tantum declarare ex documentis ab ea hucusque examinatis non constare: ideo autem hoc modo respondisse, ut sibi relinqueret viam ad aliter definiendum, si forte in posterum aliquod favorabile vel contrarium documentum occurreret. De hoc quod asserimus, extat brevis memoria in *Actis Ordinis Minorum* ann. V, pag. 54 in nota, quae sic se habet:

« Ex praefato Decreto Sacra Congregatio declaravit tantummodo, *non constare ex documentis* indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas toties in eadem die lucrari posse, quoties illud iteratur; sed minime decidere voluit fideles easdem revera non lucrari, juxta explicationes Rmo nostro Ministro Generali viva voce datas. Multa etenim documenta, indulgentias Viae Crucis concernentia, temporum injuria vel diversis causis periisse compertum est. Fideles ergo pluries in die pium exercitium peragere possunt cum intentione indulgentias lucrandi, sicut in universo Ordine Fratrum Minorum et mente et praxi semper creditum est ».

1224. *Nota.* Viae Crucis stationibus plurimae indulgentiae, ut ex dictis abunde claret, adnexae sunt, quas in pio exercitio peragendo intendere res certo sancta est. At Christifidelis non unice indulgentias intendere debet, ita ut si hae concessae non fuissent, illud nullatenus perageret. Etiam in casu quo stationes Viae Crucis non forent tot coelestibus favoribus locupletatae, cuique omni sollicitudine adlaborandum foret in tam pio et sancto opere se exercere, quia, ut ait S. Leonardus, hoc devotionis exercitium est *ceteris antiquius, magis pium, omnibus excellentius, imo dici potest devotio omnium devotionum mater et regina.* Insuper, in prae-

fato exercitio peragendo frequentes esse debemus, ut in nobis excitentur amoris et compassionis affectus erga divinum Redemptorem, ad ostendendam animi nostri gratitudinem erga eum, qui tot tormenta contumeliasque pertulit amore nostri, ad fortiores nos ipsos reddendos in perferendis humiliter et patienter exemplo sui tribulationibus hujus mundi, ac denique ad obtinendas *gratias,* quas Jesus Christus passione sua nobis promeruit, *quibus certe nihil sanctius nihilque nobis utilius esse potest.*

§ XII.

CONDITIONES AD LUCRANDAS INDULGENTIAS VIAE CRUCIS.

1225. Praecipuae conditiones pro acquirendis indulgentiis pio exercitio Viae Crucis adnexis (quae tam vivis quam defunctis applicari possunt) sunt tres:

1° *Meditatio passionis Domini nostri Jesu Christi.*

2° *Motus localis de una statione ad aliam.*

3° *Visitatio non interrupta, saltem moraliter, quatuordecim stationum.*

1226. De prima conditione habetur authentice declaratum: « Non est necesse recitare sex *Pater* cum *Ave* ad singulas stationes, ut putant nonnulli, *sed sufficit meditari,* quantumvis breviter, *passionem Domini, quod est opus injunctum ad lucrandas sacras indulgentias,* et juxta morem jam inductum recitare unum *Pater* cum *Ave* ad singulas cruces, actumque contritionis elicere » (Monitum VI).

1227. Cum opus injunctum pro lucrandis indulgentiis Viae Crucis sit meditatio Dominicae passionis, consequitur *minime necessarias esse preces vocales.* Unde S. Congregatio Indulgentiarum iterum declaravit:

Recitatio Orationis Dominicae et Angelicae Salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis statione, quam sexies easdem preces iterare post absolutas omnes stationes est tantum *laudabilis consuetudo* a nonnullis inducta, minime vero necessaria conditio ad lucrifaciendas Viae Crucis indulgentias etc. (Decr. 2 Junii 1838. N. 259; 20 Junii 1836. N. 257 ad 2m; *Raccolta,* pag. 111).

Est item laudabilis consuetudo, minime vero necessaria conditio ad lucrandas indulgentias, recitatio ℣. *Adoramus te Christe* etc. et ℟. *Miserere nostri Domine* etc. (*Raccolta,* pag. 111).

Quamvis recitatio Orationis Dominicae, Angelicae Salutationis, aliarumque precum vocalium non sit necessaria ad lucrandas indulgentias Viae Crucis, tamen consuetudo eas etiam recitandi, dum pium exercitium peragitur, valde laudabilis est, ideoque non derelinquenda, maxime quando pium exercitium in communi vel solemniter peragitur.

1228. *Nec Confessio nec Communio requiritur,* cum neutra a S. Sede praescribatur. Sed quia pro lucranda indulgentia generatim exigitur *status gratiae,* ideo consulitur, ut in pii exercitii initio eliciatur *contritionis actus,* non quidem ut conditio ad lucrandas indulgentias, sed ut *mera dispositio,* quatenus nempe si quis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax lucrandae cujusvis indulgentiae, per perfectam contritionem cum proposito Confessionis ad statum gratiae restituatur, et capax fiat indulgentias consequendi (vid. n. 131). Is autem qui in statu gratiae reperitur, etsi ad contritionis actum non teneatur, valde tamen utiliter eum eliciet ad peragendum majori fructu pium exercitium.

1229. Ex adductis ergo patet, opus injunctum ad lucrandas indulgentias Viae Crucis esse solummodo *meditationem passionis Domini nostri Jesu Christi.* Non est autem necessarium ut meditatio fiat supra singulis mysteriis, quae a quatuordecim stationibus repraesentantur; sufficit meditari *in genere* passionem Domini. Id constat ex *Monitis VI et IX,* in quibus non solum nulla fit mentio de meditatione singulorum mysteriorum quatuordecim stationibus respondentium, sed expressis verbis dicitur: *sufficit meditari, quantumvis breviter, passionem Domini.* Quod quidem confirmatur ex *Raccolta* pag. 111, qua docemur: Christifideles in peragendo Viae Crucis exercitio, meditentur *passionem divini Redemptoris Jesu Christi secundum propriam cujusque capacitatem (nel visitare la Via Crucis si vada considerando la Passione del nostro divin Redentore Gesù Cristo secondo la propria capacità).* Iisdem fere verbis haec veritas enuntiatur *in Summario Indulgentiarum,* quibus gaudet *Confraternitas Devotorum Jesu Christi ad Calvarium* (vulgo *Sacconi rossi),* a S. Congregatione uti authentico recognito die 8 Febr. 1854. Ibi dicitur: Ad lucrandas indulgentias Viae Crucis, requiritur juxta Constitutiones Apostolicas, ut visitando sanctam Viam Crucis recogitetur *passio divini nostri Redemptoris Jesu Christi* juxta uniuscujusque capacitatem (Rescr. auth. pag. 504).

Quapropter, juxta doctrinam S. Leonardi a Portu Mauritio, ad lucrandas indulgentias Viae Crucis sufficit in pio exercitio peragendo recogitare seu meditari *unum* vel *plura ex mysteriis a stationibus repraesentatis,* vel etiam *passionem Jesu-Christi in genere.*

Imo addimus cum eodem S. Leonardo, pro personis rudibus ac simplicibus, quae nesciunt meditari, nec distincte et ordinate mysteria passionis considerare, sufficere ad lucrandas indulgentias, ut sciant cruces vel imagines, quas visitant, *repraesentare ea Loca Sancta, in quibus Jesus Christus Dominus noster passus est* pro nobis gravissima tormenta, et hac cogitatione diligenter curent in eorum cordibus excitare compassionis affectum erga patientem Redemptorem (S. Leonardo, *Via Sacra spianata,* 3ª considerazione).

Nihilominus si quis soleret meditari passionem Domini, prout hujus mysteria repraesentantur per singulas stationes, *proculdubio optime se gereret.* Sic enim haberetur contemplatio omnium poenarum, opprobriorum ac cruciatuum, quos amantissimus Redemptor noster, ut humanum genus redimeret, a domo Pilati usque ad Calvarii montem sustinuit, pretiosum sanguinem suum effundens.

1230. Secunda conditio ad lucrandas Viae Crucis indulgentias est, *ut fiat aliquis corporis motus,* seu *transitus de una statione ad aliam.* In *Monito enim VII* clare praescribitur, « quod ubi nullum adsit impedimentum, *singulae stationes sunt visitandae* ». Et S. Congregatio Indulgentiarum etiam clarius hanc obligationem confirmat. Nam interrogata : « An Christifideles in magno populi concursu, maxime cum ecclesia repleta et compressa sit devotis, possint sine corporis motu de loco in locum indulgentias Viae Crucis lucrari ?

S. Congregatio respondit : *Negative, absque speciali indulto.* Singula enim Summorum Pontificum Decreta affirmant, inter alias conditiones pro acquirendis stationum Viae Crucis indulgentiis, *necessario requiri aliquem corporis motum,* ut clarius declaratum est ab hac Sacra Congregatione, nempe : *Transeundum esse ab una statione ad aliam, in quantum sinit aut multitudo personarum, quae eas visitant, aut angustia loci, ubi sunt erectae* » (Decr. 26 Febr. 1841. N. 287).

Istiusmodi praescriptio semper est observanda, praesertim in *privato* exercitio, quando nempe fideles illud peragunt *in particulari :* siquidem circa hoc nulla invenitur exceptio, nisi ea ob-

tineatur vel obtenta sit per speciale indultum. Unde in *Monito VII* habetur: « *Si Via Crucis erecta fuerit in ecclesia, ab ea peragenda abstineant fideles tempore divinorum Officiorum, Missae, uti etiam quando talis sit in ecclesia concursus, ut ea peragi nequeat absque tumultu ac perturbatione* » etc.

1231. Regulae generali de corporis motu ab una statione ad aliam datur exceptio pro exercitio *publico* seu *in communi,* quando tamen ob fidelium multitudinem *perturbatio in ecclesia excitari potest.* Tunc en methodus observanda:

Pro *publico* exercitio Viae Crucis, *quando perturbatio excitari potest,* observetur methodus a S. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet, *unoquoque de populo suum locum tenente,* Sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione, ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus; pro *privato* autem tribuatur Episcopis facultas praescribendi tempus pro peragendo dicto exercitio opportunum » (Decr. 6 Aug. 1757. N. 210).

Cum dicitur: *unoquoque de populo suum locum tenente,* id non impedit quominus populus non possit se vertere ad singulas stationes, genuflectere ac se erigere cum Sacerdote circumeunte ac consuetas preces recitante. Imo *ita est faciendum,* vel saltem populo suadendum juxta S. Leonardum.

Possunt etiam (si ob ecclesiae amplitudinem aut alia loci adjuncta vix aut ne vix quidem audiri queat) recitari consuetae preces a Sacerdote *in suggestu,* unde ab omnibus audiatur, *dummodo alius Sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat et in qualibet statione sistat.* Servata hac conditione, quae pro Via Crucis censenda est substantialis, adquiri poterunt indulgentiae, quin specialis gratia ad id concedatur (S. C. de Prop. Fide 1 Martii 1884, penes *Instr.* pag. 65, edit. 2ª).

1232. Extant dioeceses, imo provinciae ecclesiasticae, in quibus in publico S. Viae Crucis exercitio jam ab initio usus invaluit hoc modo peragendi, ut clericus vel Sacerdos in sacro pulpito genuflexus manens, recitet populo breves considerationes et solitas preces totius Viae Crucis; populus autem, unoquoque suum locum tenente, post singulas stationes sicut Sacerdos ipse aliquem corporis motum aut genuflexionem faciat, et oculos ad momentum versus regionem sequentis stationis convertat. — Etiam in privato exercitio jam ab hominum memoria usus pariter invaluit in iis-

dem locis, ut in scamno suo vel loco quisque remaneat, et ibi genuflexus totum hoc sanctum exercitium persolvat, persuasus se posse lucrari indulgentias, dummodo post singulas stationes aliquem corporis motum faciat et paulisper assurgat. Ita autem faciunt sive ecclesia vacua sit, sive sit populo referta.

Rebus sic stantibus, porrectae sunt preces Summo Pontifici Pio PP. IX, ut concedere dignaretur, quatenus pro S. Viae Crucis exercitio tam publico quam privato in nominatis dioecesibus sufficiat ad indulgentias annexas prosequi in methodo supradicta, jam in veterem consuetudinem deducta etc.

S. Congregatio Indulgentiarum, attentis peculiaribus circumstantiis, *de speciali gratia in exemplum non afferenda,* praevia sanatione quoad praeteritum relate ad exercitium Viae Crucis,... permisit, ut enuntiata methodus in praefatis locis servari possit, *ita tamen, ut Christifideles saltem in loco, ubi manent, pro qualibet Viae Crucis statione assurgant et genuflectant* (Cf. Rescriptum diei 10 Martii 1868, apud Rescr. auth. N. 407).

1233. Tertia conditio ad lucrandas S. Viae Crucis indulgentias est, *ut quatuordecim stationes visitentur uno tractu,* quatenus nempe pium exercitium *notabiliter et moraliter* non *interrumpatur.* Ita declaratum est a S. Congregatione Indulgentiarum sequentibus Decretis:

Fideles, qui stationes Viae Crucis visitant in uno eodemque die, *non vero uno tractu,* sed interposito majori vel minori inter stationes temporis intervallo, non lucrantur indulgentias (Decr. 22 Jan. 1858. N. 385 ad 1^m).

Aliter dicendum, si interruptio non sit *notabilis.* Interrogata enim S. Congregatio: An qui exercitium Viae Crucis peragunt, et illud *ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad Confessionem faciendam* etc., indulgentias lucrentur si illud prosequuntur, vel ad indulgentiae acquisitionem oporteat in iis casibus illud ab initio reassumere?

Respondit: *Affirmative ad primam partem, dummodo notabiliter et moraliter exercitium non interrumpant; Negative quoad secundam; et ideo non oportet in his casibus illud ab initio reassumere* (Decr. 16 Dec. 1760. N. 223 ad 4^m).

Patet ergo, interruptiones, quae in pio exercitio Viae Crucis peragendo fieri possunt, non impedire indulgentiarum acquisitio-

nem *si breves* sint et rationabiles, quia uti tales, non destruunt *sancti exercitii unitatem*. Aliter dicendum, si sint *per longum tempus* protractae, praesertim si id contingat *ob causas profanas*. Tunc enim ad lucrandas indulgentias oporteret pium exercitium ab initio reassumere.

1234. Ceterum, S. Congregatio commendat ut hoc exercitium ubique sit uniforme, nil prorsus immutando quod hactenus servatum fuit in Conventibus Ordinis Minorum, id est, si sermo sit de exercitio *publico*, Via Crucis peragatur processionaliter ab universo populo sub ductu unius vel plurium Sacerdotum... Ad singulas stationes aliquis clericus vel Sacerdos alta voce legat considerationem mysterio seu stationi respondentem, et recitato *Pater* cum *Ave*, et actu contritionis elicito, ulterius procedatur, inter unam aliamque stationem interposito cantu *Stabat Mater* vel alterius orationis; curentque omnes summa se gerere modestia, silentio animique attentione (Monitum V).

§ XIII.

EPILOGUS.

1235. Conspectus rerum majoris momenti quoad stationes Viae Crucis.

1. Stationes Viae Crucis constituuntur ex parte materiae *crucibus*, quae debent esse numero quatuordecim.

2. Quatuordecim cruces debent esse *ex ligno* sub poena nullitatis.

3. Quatuordecim ligneis crucibus adjungi possunt, et laudabiliter adjunguntur, tabulae seu imagines sive pictae sive sculptae, quae tamen minime requiruntur ad validitatem stationum.

4. Cruces de necessitate benedici debent a Sacerdote, qui ad hoc legitimam habeat facultatem.

5. Imagines, si adsunt, congruenter benedicuntur; earum tamen benedictio non est necessaria.

6. Benedictio crucium tam valide quam licite fieri potest sive *ante* sive *post* earum affixionem. Idem dicendum de imaginibus, si hae quoque benedici velint.

7. Benedictio crucium fieri debet ab erectore non privatim in propria domo, sed in loco ubi stationes sunt erigendae.

8. Erector tamen non tenetur per seipsum cruces et tabulas collocare: alter quicumque eas affigere et collocare potest privatim sine caeremoniis, et etiam alio tempore.

9. Quare Sacerdos erigens, benedictione tabularum et crucium facta, potest in domum suam reverti, quin expectet, ut cruces parieti affigantur.

10. Exinde consequitur, erectorem non teneri stationes percurrere easque visitare, ut valida sit erectio.

11. Pro legitima Viae Crucis erectione in aliquo Sanctimonialium monasterio sufficit ut cruces benedicantur ad crates.

12. Ad valorem stationum Viae Crucis necessaria est etiam crucium affixio.

13. Inter unam aliamque stationem intercedere debet aliqualis distantia, quae tamen non est determinata.

14. Si cruces primitus benedictae *omnino* pereant, nova erectio canonica necessaria est. Si pereant *ex minori parte,* et ideo *ex minori parte* renovari debeant, licet alias illis substituere absque ulla benedictione, ideoque indulgentiarum beneficium non amittunt.

15. Si cruces aut partim aut integre e loco suo removeantur ad tempus, *ut denuo eidem loco restituantur,* indulgentiae non pereunt, ac ideo nova erectione non indigent.

16. In casu remotionis, si stationes *in aliam ecclesiam vel oratorium* transferantur, indulgentiae non lucrantur, nisi nova canonica erectio facta fuerit.

17. Mutatio crucium seu stationum de loco in locum in eadem ecclesia non importat annihilationem indulgentiarum, ac ideo nova erectio non requiritur.

18. Si stationes *definitive* in aliam ecclesiam seu oratorium transferantur, nova erectione opus est.

19. Relate ad stationes Viae Crucis *in oratorio privato, Indultum* a S. Sede impetratum eas erigendi non cessat in casu quo persona, quae illud obtinuit, *alio transferat habitationis sedem, vel oratorium in eadem domo mutet,* illud ex. gr. constituendo in alio cubiculo; dummodo tamen locus, in quo peracta est erectio Viae Crucis, neque in precibus, neque in Rescripto determinetur.

20. Ex hujusmodi tamen mutatione oratorii oritur necessitas *novam erectionem peragendi,* in qua omnia observanda sunt, quae observari debent in prima erectione.

21. Sacerdos legitime deputatus ad erectionem in priori oratorio domestico jam factam, non potest *vi prioris tantum delegationis* novam erectionem in oratorio mutato peragere: requiritur *nova deputatio* seu *facultas*.

22. Mortuo *primario* vel *primariis indultariis,* illico privilegium cessat, ac ideo aliae personae, quae *secundario loco* in Rescripto nominantur, nequeunt amplius dicto privilegio frui.

23. Plures stationes, ad majorem populi vel alicujus Conventus commoditatem, erigi possunt in eodem loco, ut in civitate, oppido, ecclesia et Conventu, etiam sub dio.

24. Loca, in quibus stationes Viae Crucis constituuntur, debent esse *decentia ac irreverentiis non obnoxia.*

25. Auctoritas *ordinaria,* subordinata tamen Apostolicae Sedi, est penes Ordinem Minorum S. Francisci de corpore Observantiae.

26. Minister Generalis facultatem erigendi Viam Crucis delegare potest tam Sacerdotibus subditis, quam non subditis. Ceteri vero Ordinis Superiores suis tantum subditis religiosis praefatam facultatem committere possunt.

27. Fratres Minores, ex privilegio S. Sedis, facultate gaudent erigendi stationes Viae Crucis in ecclesiis, oratoriis publicis vel semipublicis, in coemeteriis, in locis internis sed *decentibus et communibus* Conventuum, Seminariorum, Hospitalium, aliorumque locorum piorum. Item in oratoriis privatis, quae privilegio celebrandi ibi Missam sunt decorata.

28. Excipiuntur oratoria privata seu domestica *dicto privilegio Missae destituta,* nec non *cellae privatae cujuscumque personae.* Pro Viae Crucis erectione in hujusmodi locis requiritur speciale indultum S. Sedis.

29. Respectu *locorum* facultas erigendi stationes Viae Crucis aequalis est in omnibus Superioribus Ordinis Minorum *in suis tamen respectivis jurisdictionis locis.* Quare quod potest Minister Generalis ubique locorum, potest Provincialis in sua provincia, Guardianus in suo districtu etc. Guardianus proinde, prout Minister Generalis et Provincialis, jure Viam Crucis erigit sive per se, sive per suum subditum ab eo deputatum, in ecclesiis, oratoriis publicis vel semipublicis, oratoriis domesticis privilegio celebrandi inibi Missam ditatis etc.

30. Sacerdotes Ordini Seraphico extranei, facultate erigendi Viam Crucis muniti, ea uti possunt in locis tantum, *ubi non exi-*

stit Conventus Ordinis Minorum. Haec limitatio *sub poena nullitatis* apponitur in Rescriptis.

31. Qui obtinuit facultatem erigendi stationes Viae Crucis, eam debet exhibere Ordinario, quae tamen obligatio non videtur praescripta sub poena nullitatis. Ab hac obligatione eximuntur, generatim loquendo, alumni Ordinis Minorum, utpote qui jure ordinario erigunt. Quoad *ceteros Religiosos,* sufficit testimonium proprii Superioris, in quo fiat mentio obtenti Rescripti.

32. Quae *in scriptis* fieri debent *ante* erectionem *sub poena nullitatis* sunt: Sacerdotis erigentis *deputatio,* et *consensus* respectivi Ordinarii loci et Parochi, nec non Superiorum ecclesiae, monasterii, hospitalis, loci pii etc. Haec tamen omnia sunt observanda, quando loca, in quibus stationum erectio fieri debet, pendent a jurisdictione Episcopi et Parochi; quia in locis exemptis ab eorum jurisdictione, ut sunt ecclesiae et Conventus Regularium, sufficit ut scripto fiat *Sacerdotis erigentis deputatio et Superioris Conventus consensus.* Imo si ipse Superior erectionem scripto postulaverit et ad eam faciendam scripto deputatus fuerit, in his actis consensus ejus implicite habetur, ac ideo nihil aliud ante erectionem requiritur.

33. Postulatio erectionis non praescribitur ut in scriptis fiat sub poena nullitatis.

34. *Post* erectionem a Sacerdote erigente fieri debet instrumentum erectionis jam peractae, et hoc *quamcitius,* ne dubium in posterum oriatur circa praedictam canonicam erectionem.

35. Pro erectione Viae Crucis in oratoriis domesticis requiritur *in scriptis ante* erectionem et quidem *ad validitatem,* consensus Episcopi seu Ordinarii, et domini domus; et si oratorium in alium locum transferatur, nova erectio necessaria est cum iisdem documentis in scriptis ante erectionem sub poena nullitatis.

36. Memorata documenta minime requiruntur in casu renovationis stationum: tunc sufficit novarum crucium benedictio.

37. Leo PP. XIII die 7 Aprilis 1894 sanavit omnes erectiones hucusque ob quoslibet defectus invalide factas.

38. Indulgentiae exercitio Viae Crucis adnexae plurimae sunt, sed earum determinatus numerus exhiberi nequit.

39. Praefatae indulgentiae, etiam noctis tempore acquiri possunt.

40. Toties quoties, juxta saltem probabiliorem sententiam, lucrari possunt.

41. Conditiones ad lucrandas indulgentias exercitio Viae Crucis adnexas, praeter statum gratiae, tres praecipuae sunt: a) meditari passionem Domini; b) transire de una statione ad aliam; c) visitare quatuordecim stationes sine interruptione saltem morali.

ARTICULUS II.

CRUCIFIXI VIAE CRUCIS.

1236. Alumni nostri Ordinis Coenobii S. Bonaventurae in Urbe animadvertentes plures fideles in impossibilitate vel magna difficultate versari visitandi Viae Crucis stationes canonice erectas, ac ideo beneficio privari lucrandi indulgentias eisdem stationibus adnexas, Summo Pontifici Clementi XIV porrexerunt preces tenoris sequentis:

Infirmi, navigantes, carceribus detenti, et illi qui morantur in partibus infidelium, aut legitime impediuntur, quominus possint visitare sacram Viam Crucis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, suppliciter petunt hanc consolationem, ut possint lucrari indulgentias dictarum stationum, quando reperiuntur in statu dictarum tribulationum, recitando 14 *Pater* et *Ave* et in fine 5 *Pater* et *Ave* in memoriam divinae Passionis, manu tenentes crucifixum aeneum, benedictum tamen ab aliquo Guardiano, aut Superiori majori subdito Rmo P. Generali totius Ordinis in Conventu Arae Coeli.

Quam gratiam etc.

Quas quidem preces idem Summus Pontifex clementissime excepit, ac in Audientia diei 26 Januarii 1773 *benigne annuit pro gratia* juxta petita. Contrariis non obstantibus etc. (Decr. auth. N. 387).

Ab hac Apostolica concessione originem trahit usus ejusmodi crucifixorum. Ubi notandum quod, juxta tenorem documenti, sufficeret recitatio *novemdecim Pater* et *Ave* sine *Gloria Patri:* at, juxta posteriores declarationes, requiruntur *viginti Pater, Ave* et *Gloria,* ut ex dicendis patebit.

1237. Ex relato documento, ex *Raccolta,* pag. 112, aliisque auctoritatibus inferius proferendis, nec non ex usu constanti et universali, certum est, crucifixos benedicendos cum applicatione

indulgentiarum Viae Crucis esse debere proprie dictos crucifixos, nempe *cruces cum imaginibus Domini nostri Jesu Christi crucifixi* PROMINENTIBUS. Excluduntur proinde tum *cruces simplices,* in quibus deest divini Redemptoris imago, tum cruces cum imaginibus quidem, *sed pictis* vel *impressis.*

Admittuntur vero crucifixi cum imaginibus Domini nostri Jesu Christi crucifixi, *tantillum quidem prominentibus, sed a cruce haud separatis.* Id constat ex responsione S. Congregationis ad sequens quaesitum:

Bme Pater! Episcopus Gratianopolitanus humillime postulat solutionem infrascripti dubii:

Utrum crucifixi, quorum imago divini Redemptoris est aere cusa, ita tamen *ut tantillum sit prominens, quin e cruce solvatur seu separetur,* possint nihilominus omnes indulgentias, etiam Viae Crucis suscipere? S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, proposito dubio respondendum esse censuit: *Affirmative* (Decr. 24 Maji 1883; Acta Ord. Min. ann. X, pag. 187).

1238. Insuper crucifixi confecti esse debent ex *aurichalco* (italice *ottone;* gallice *laiton* seu *cuivre).* Sacra autem Congregatio declaravit: *Per verbum* OTTONE *intelligendam esse exclusam materiam fragilem dumtaxat* (Decr. 16 Sept. 1859. N. 387 ad 2m).

1239. Quoad *materiam objectorum,* quibus indulgentiae adnecti volunt, non licet recedere a regula a Summis Pontificibus statuta pro applicatione indulgentiarum *Apostolicarum,* quod nempe hujusmodi objecta debent esse *ex materia solida et durabili,* exclusa omnino materia fragili. Revera exordium Decreti S. Congregationis Indulgentiarum de die 29 Febr. 1820 haec continet:

In facultate concessa benedicendi coronas, rosaria, cruces, numismata etc. et iisdem applicandi indulgentias, expresse dicitur, quod ab hujusmodi benedictione Sanctitas Sua rejicit *imagines* sive *impressas,* sive *depictas,* nec non cruces, *crucifixos,* parvas statuas, numismata, vulgo *medaglie* nuncupata, quae *ex ferro, stanno, plumbo* vel *ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur* (Decr. auth. N. 249).

1240. Duo autem hic notare interest: 1° A praefata benedictione cum indulgentiarum applicatione non rejici *coronas* seu *rosaria ex dictis materiis* confecta (Decr. eod. ad 1m).

2° Memorata objecta *ex ferro* confecta *non amplius excludi* ab Apostolicae benedictionis concessione cum applicatione indulgen-

tiarum. Constat ex elencho Indulgentiarum Apostolicarum de mandato Summi Pontificis Pii PP. IX edito ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 14 Maji 1853. In eo enim post designata objecta et materias, quae a Pontifice intelliguntur exclusa a benedictione Apostolica, additum reperitur:

Notandum tamen Sanctitatem Suam ea etiam (objecta) quae EX FERRO *confecta sunt admittere, licet usque nunc prohibita essent* (Apud Acta S. Sedis, vol. I, pag. 573).

Item a Summo Pontifice Leone XIII *ferrum* minime rejicitur in suo Summario Indulgentiarum edito die 23 Februarii 1878; numero enim 3° legitur:

Excluduntur ab Apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata *ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta* (Rescr. auth., pag. 345).

1241. In allatis documentis *lignum* non connumeratur inter materias a benedictione Apostolica exclusas. Inferre exinde licet, indulgentias Viae Crucis *applicari utique posse crucifixis ex dicto ligno confectis,* dummodo tamen lignum sit *durum* et *solidum,* non leve facilisque consumptionis. Quare crucifixis ex auro, argento, ferro, aere, ossibus, ebore, conchis *(madreperla),* ligno confectis, applicari possunt indulgentiae Viae Crucis.

1242. Quae diximus de materia et pietatis objectis a benedictione Apostolica exclusis, intelligenda sunt *relate ad crucifixos* DE SOLO CHRISTO, seu *de sola imagine* divini Redemptoris, non vero *de cruce, in quam non cadit indulgentia concessa.* Id evidenter constat ex responsione S. Congregationis ad sequens dubium:

Utrum indulgentia concessa cadat *in solum Christum* ex aere, ligno, vel ex alia quaque materia confectum, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam ?

S. Congregatio respondit: *Affirmative* (Decr. 11 Apr. 1840. N. 281 ad 6^m^).

Inde consequitur, *cruces,* de quibus est sermo, cum in eas non cadat indulgentia, sed in solum CHRISTUM, *confectas esse posse etiam ex materia fragili, et imaginem divini Redemptoris ex materia solida confectam, affigi posse alteri cruci* sine amissione indulgentiarum. Cessant autem indulgentiae, si ipsa imago SS. Redemptoris frangatur vel deformetur.

1243. Non est determinatum, qualis et quanta esse debeat *magnitudo crucifixorum,* quibus S. Viae Crucis indulgentiae applicantur. Unde affirmari potest, eos, cujuscumque sint magnitudinis seu altitudinis, benedici posse cum applicatione indulgentiarum; id saltem *quoad validitatem.* Quoad enim *decentiam,* non videtur congruere *ut sint nimis parvi,* ita ut ob eorum exiguitatem, ait P. Maurel, dispareant ex manibus eorum, qui eis utuntur.

In quadam Audientia anno 1867 pluribus Presbyteris ex Germania concessa, narrat cl. P. Beringer, Summus Pontifex Pius IX, antequam eorum pietatis objecta benediceret, declaravit, se haud intendere benedictionem cum indulgentia conferre crucifixis, *in quibus Christi imago fere non habet veram formam humanam* (Tom. I, pag. 357 in nota).

1244. Ad adnectendas praedictis crucifixis indulgentias Viae Crucis *necessario requiritur benedictio* facta a Sacerdote legitima facultate munito. Benedictio hujusmodi datur per *simplex signum crucis,* etiam quando in indulto extat clausula: *in forma Ecclesiae consueta.* Id patet ex sequentibus declarationibus:

Utrum ad indulgentias applicandas crucibus, rosariis etc. *(ideo etiam crucifixis)* alius ritus sit necessarius, *praeterquam signum crucis* a Sacerdote, qui hanc facultatem accepit, factum?

S. Congregatio resp. *Negative* (Decr. 11 Apr. 1840. N. 281 ad 5^{m}).

Quando in indulto existit clausula: *In forma Ecclesiae consueta,* sufficitne signum crucis manu efformare super res benedicendas absque pronuntiatione formulae benedictionis, et sine aspersione aquae benedictae?

Resp. *Affirmative* (Decr. 7 Jan. 1843. N. 313 ad 2^{m}).

1245. Descripta benedictio cum applicatione indulgentiarum valide fieri potest non tantum singillatim supra quemlibet crucifixum, sed etiam *in globo,* antequam tali vel tali personae distribuantur (Decr. 12 Mart. 1855. N. 363).

1246. Indulgentiae Viae Crucis applicari etiam possunt *crucifixis, quibus jam aliae indulgentiae adnexae sunt.* Declaratum est enim, quod *uni et eidem rei,* puta uni coronae, possunt applicari indulgentiae diversae... dummodo ad eas lucrandas renoventur opera injuncta iterabilia (Decr. 29 Febr. 1820. N. 249 ad 3^{m}).

« Immo, supposita debita facultate, *unica benedictione* crucifixo applicari possunt lucrandae indulgentiae diversae, v. g. in-

dulgentiae Viae Crucis et Apostolicae, *modo benedicens easdem indulgentias applicandi habeat intentionem* » (*Instructio,* n. 51).

1247. In exercitio Viae Crucis cum crucifixo, eaedem prorsus, dummodo rite et devote peragatur, acquiruntur indulgentiae, quas consequuntur ceteri Christifideles *stationes* ejusdem Viae Crucis devote visitantes.

1248. Facultas benedicendi *crucifixos cum applicatione indulgentiarum S. Viae Crucis* competit in Ordine nostro iis omnibus, quibus est potestas erigendi stationes Viae Crucis, quosque superius n. 1176 inter *Superiores* computatos enumeravimus. Quae specialiter hic consideranda sunt, ad haec reducuntur:

a) Solus Minister (Vicarius vel Delegatus) *Generalis* potest *aliis tam intra quam extra Ordinem* concedere facultatem benedicendi crucifixos cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis.

b) Ceteri omnes Superiores nequeunt praedictam facultatem, *qua personaliter gaudent,* aliis delegare, ne suis quidem subditis concionatoribus sive confessariis, prout eis licet quoad erectiones stationum Viae Crucis.

c) Inspecto documento n. 1236 allato, facultas de qua agitur, ad minus dubia apparet in quantum spectat Praesides et Vicarios Conventuum. At etiam quoad istos omne dubium sublatum est per Breve *Exponendum* Pii PP. IX sub die 11 Augusti 1863, quod hic ad verbum transcribimus:

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponendum nuper Nobis curavit dilectus Filius Raphaël a Ponticulo Minister Generalis ut praefertur Ord. Fr. Min. S. Francisci jam alias ab hac Sancta Sede facultatem concessam fuisse, cujus vi Fideles vel infirmi vel carcere detenti aliave legitima causa impediti recitantes viginti vicibus Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, et Trisagium ante Crucem, quam manu tenere debeant, benedictam a Ministro Generali Ord. Min. S. Francisci, vel Provinciali, aut a Guardiano quocumque dicti Ordinis Indulgentias Stationum Viae Crucis seu Calvariae lucrari valeant. Cum vero ut idem dilectus Filius Nobis retulit in nonnullis regionibus Conventus praesertim recens erecti existant, qui Guardianos non habeant,

sed Superiores qui Praesides nominantur, aut, etsi habeant, saepe eveniat ut vel Sacris Ministeriis, et Spirituali proximorum commodo, aut etiam aliis negotiis peragendis operam impensuri, a respectivis Conventibus per aliquod temporis spatium abesse debeant, quo tempore eorum vices gerunt, qui Vicarii Conventus nuncupantur, hinc fit ut saepe in dictis regionibus nullus Frater ex eodem Ordine praesto sit auctoritate praeditus, quo piis Fidelium votis et spirituali consolationi satisfieri possit. Quare praefatus Minister Generalis enixe Nobis supplicavit ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos Fidelium commodo, quantum in Domino possumus consulere, et piis hujusmodi precibus obsecundare volentes Praesidibus nunc et pro tempore existentibus in Conventibus Fratrum Ord. Min. S. Francisci, qui Guardianos non habent, nec non Vicariis Conventuum ejusdem Ordinis, qui absentibus Guardianis respectivi Guardiani vices gerunt, facultatem memoratam, quae ab hac Sancta Sede alias Ministro Generali, Provinciali, et cuivis Guardiano praedicto Ministro Generali subdito concessa fuit benedicendi Cruces cum adnexis Indulgentiis Stationum Viae-Crucis seu Calvariae, dummodo tamen omnia quae praescripta sunt ab eis serventur, tenore praesentium auctoritate Nostra Apostolica in perpetuum concedimus et elargimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI Augusti MDCCCLXIII Pontificatus Nostri Anno Decimo octavo.

Loco ✠ Sigilli

Pro Dno Card. PARACCIANI-CLARELLI
Jo. B. BRANCALEONI CASTELLANI, *Substitutus.*

d) Relate ad Praefectos Missionum, licet in documentis authenticis non fiat de eis mentio, tamen cum in suos Missionarios legitime exerceant guardianalem jurisdictionem, *re, si non nomine, aequiparari possunt Guardianis* vel *Vicariis* sive *Praesidibus.* Non videtur ergo posse eis denegari potestas benedicendi crucifixos cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis (Cf. *Instruct.* n. 48).

1249. CONDITIONES *ad lucrandas Viae Crucis indulgentias* praedictis crucifixis adnexas ad tres revocantur:

PRIMA: *ut fideles, qui hujusmodi crucifixis utuntur, sint infirmi vel* LEGITIME IMPEDITI *a visitandis sacrae Viae Crucis stationibus.* Ita S. Congregatio declaravit Decreto 8 Augusti 1859 (Decr. auth. n. 387). In *Raccolta* vero pag. 112 habetur, quod indulgentias Viae Crucis cum memoratis crucifixis lucrari possunt: *Infirmi, in carceribus detenti... et illi qui in vera impossibilitate reperiuntur visitandi Viae Crucis stationes, ubi sunt erectae (che sieno* NELLA VERA IMPOSSIBILITÀ *di visitare le stazioni della Via Crucis, dove sono erette...).*

Ut quis igitur lucrari possit indulgentias stationum Viae Crucis cum crucifixo rite benedicto, requiritur, juxta *Raccolta, vera impossibilitas: vera,* quatenus non debeat esse ficta, idealis, seu imaginaria. Hujusmodi verba, si attente considerentur, eamdem vim habent ac verba *legitimum impedimentum,* seu *legitime impediti,* quibus utitur S. Congregatio in *Decr. auth.* loc. cit. Qui enim *legitimo* impedimento detinetur ut aliquid faciat, jam in *vera, non ficta* vel *imaginaria* impossibilitate versatur illud exequendi; quae impossibilitas potest esse *absoluta* vel *moralis.*

1250. Certum est tamen, legitimum impedimentum *absolute* requiri, ut quis praefato privilegio gaudere possit cum indulgentiarum acquisitione. Motivum *leve* minime sufficeret, quasi cuilibet liberum foret peragere ad arbitrium verum exercitium Viae Crucis, vel assequi indulgentias cum crucifixo ad hunc effectum benedicto. Meminisse juvat, talem gratiam seu privilegium non in commune commodum aut ad fovendam acediam fuisse concessum, *sed in spiritualem utilitatem ac solamen illorum fidelium, qui sunt legitime impediti a visitandis sacrae Viae Crucis stationibus.*

1251. Etsi legitimum impedimentum *absolute* requiratur, non tamen requiritur *impossibilitas absoluta:* S. Sedes hoc non docuit, sed jure legitimum tantum impedimentum exquirit, quod esse potest *physicum* vel *morale.* Egregie super re loquitur *Instructio* n. 52:

« Quoniam vero (ibi habetur) ex adagio juris favores sunt ampliandi, non nimis severe procedendum videtur in admittendo hujusmodi legitimo impedimento; sufficere putamus incommodum *mediocriter* grave seu motivum *vere* rationabile, quacumque demum ex causa proveniat, quod aliquem impedit a visitandis hic et nunc stationibus canonice erectis ».

1252. Praestat hanc materiam illustrare aliquibus exemplis, quae ex principiis expositis deduci posse videntur, eo vel magis quod non raro exoriantur circa hanc rem dubia et incertitudines. Quare dicimus, quod usu crucifixi ab habente facultatem benedicti, lucrari possunt indulgentiae S. Viae Crucis:

a) Personae utriusque sexus actuali vel habituali aegritudine laborantes, tum convalescentes ex gravi et diutina infirmitate e domo non exeuntes.

b) Caeci, claudi, paralytici, podagrici, crurum debilitate laborantes, nec non veri senes ac decrepiti, qui ordinarie sunt viribus destituti ita, ut vel non possint in ecclesiam se conferre, vel si possint, stationes Viae Crucis visitare nequirent, nisi cum gravi incommodo.

c) Foeminae praegnantes ac puerperae, quarum valetudinis conditio non raro pejor est quacumque infirmitate gravissima.

d) Peregrini, viatores, nautae, et etiam milites, qui ratione officii alio abire coacti, vel in castris agentes excubias, nequeunt adire ecclesiam. Isti enim si non laborant physica, laborant saltem impotentia *morali.*

e) Illi, qui ruri seu in medio camporum reperiuntur vel habitualiter commorantur, satis remoti a civitate, pago, seu locis, ubi stationes Viae Crucis inveniuntur erectae, praesertim si non possent, nisi cum gravi incommodo, in civitatem, pagum, seu loca ubi extat Via Crucis, pergere.

f) Pastores, pecudum curam habentes in montibus, famuli, ancillae, aliaeque personae, plena libertate carentes, in custodiam et servitutem domus a propriis dominis destinatae, quibus non licet e domo egredi, quin ad iracundiam provocentur domini.

g) Sacerdotes et infirmarii aegris et moribundis inservientes, durante tamen assistentia. Quamvis enim ipsis forte non desint vires, nec bona voluntas, deest tamen tempus ac possibilitas adeundi ecclesiam.

h) Fideles illi, quibus periculum immineret amittendi vitam, famam, honorem, substantiam etc., et etiam illi, qui ob malam tempestatem propter nivem, glaciem ac frigus, exire nequeunt e domo sua sine probabili periculo amittendi sanitatem.

E contrario, non assequerentur indulgentias Viae Crucis fideles illi, qui optima valetudine donati, nec moraliter impediti, possent, si vellent, pium exercitium peragere in locis, ubi ipsum rite institutum est.

Nec illi consequerentur indulgentias, qui nullo rationabili motivo retenti, negligunt *ex acedia* vel *inertia* adire ecclesiam.

Nec pariter illi, qui se abstinent a pio exercitio in ecclesia vel alio loco peragendo ad evitanda amicorum convicia et petulantis plebis derisiones: breviter, *ob respectum humanum* (Cfr. Abbanium, n. 400 et sqq.).

1253. SECUNDA CONDITIO est: *ut recitentur corde saltem contrito ac devote* (idque uno tractu, exclusa notabili et morali interruptione) *viginti Pater, Ave et Gloria, unum* nempe pro qualibet statione, *quinque* in sanctorum D. N. Jesu Christi Vulnerum memoriam, ac *unum* juxta mentem Summi Pontificis (Decr. 8 Aug. 1859. N. 387 ad 1m).

Jam diximus, quod juxta concessionem Clementis XIV supra n. 1236 allatam sufficeret recitatio *novemdecim Pater et Ave* sine totidem *Gloria*. Juxta *formam vero ac consuetudinem rescriptorum* S. Congregationis Indulgentiarum recitari debent *viginti Pater, Ave et Gloria,* quam consuetudinem Pius IX servandam esse decrevit (Decr. Urbis et Orbis loc. cit.).

1254. CONCESSIO SPECIALISSIMA. *Favore illorum fidelium, quos gravis morbus impares reddit recitandis viginti Pater, Ave et Gloria,* Summus Pontifex Leo PP. XIII, ad preces Rmi Patris Aloysii a Parma, Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, per litteras in forma Brevis sub die 9 Septembris 1890, benigne indulsit, ut praefatus Minister Generalis, durante munere, concedere possit ut eorum loco ad acquirendas indulgentias Viae Crucis ore recitent *actum contritionis,* et invocationem « *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti* », ac mente saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam *trium Pater, Ave, Gloria.* — Praestat hic transcribere integrum Breve Apostolicum, jam relatum in *Actis Ordinis,* ann. IX, p. 148.

BREVE

Leonis PP. XIII ad Rmum P. Ministrum Generalem, quo ipsi renovatur privilegium commutandi *viginti Pater, Ave et Gloria* ad lucrandas indulgentias Viae Crucis cum crucifixo benedicto, mutatis tamen conditionibus.

LEO PP. XIII.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Exponi Nobis curavisti, ex benignitate Apostolica Ministro Generali Ordinis tui pro tempore existenti, aliisque Sacerdotibus tum saecularibus, tum regularibus ab eo delegatis privilegium fuisse concessum crucifixos benedicendi cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis, seu Calvariae, ita ut Christifideles, qui legitime impediantur quominus pium exercitium Viae Crucis, in locis ubi ipsum rite institutum est, peragere possint, si ante imaginem crucifixi Redemptoris sic benedictam *vicies repetant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam,* et laudem *Gloria Patri* easdem Viae Crucis indulgentias adipiscantur. Insuper roganti decessori tuo Summus Pontifex Pius IX rec. mem. litteris 18 Decembris 1877 benigne concessit, ut ipse, durante munere, gravi morbo laborantibus hanc recitationem in breviores aliquas preces commutare posset. Jam vero cum tu, dilecte fili, similem Nobis adhibueris postulationem, Nos piis hujusmodi votis tuis obsecundare volentes, tibi facultatem facimus, *ut donec Ministri Generalis Ordinis tui munere fungaris,* iis tantum, qui deficientibus gravi morbo viribus, recitandis *viginti Pater, Ave et Gloria* omnino impares sint, concedere possis, ut eorum loco ad acquirendas indulgentias Viae Crucis, ipsi *ore* recitent actum contritionis, et invocationem « *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti* », et *mente* saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam *trium Pater, Ave, Gloria.*

Non obstantibus Nostra, ac Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 9 Septembris 1890, Pontificatus Nostri anno decimotertio.

Pro Dno Card. Ledochowski,
J. Archiep. Seleucien., *Substitutus.*

Juxta igitur concessionem a Summo Pontifice Leone XIII hodierno Ministro Generali factam, *impotentes ad recitationem vi-*

ginti Pater, Ave et Gloria, ut consequi valeant indulgentias quae crucifixis rite benedictis sunt adnexae, tria praestare debent, videlicet: a) *actum contritionis;* b) invocationem: *Te ergo quaesumus;* c) *et saltem mente sequantur recitationem ab alio adstante factam trium Pater, Ave et Gloria.*

1255. Cum in relato Brevi Leonis XIII nullum contineatur verbum, quod *revocationem* indicet facultatum a priori Ministro Generali Sacerdotibus concessarum, infertur dictas facultates in suo robore permanere usque ad tempus in concessione praefinitum. Quare pro fidelibus, qui crucifixum possident jam benedictum vel benedicendum a Sacerdotibus a praedecessore actualis Ministri Generalis legitime deputatis, *novae preces* in Brevi Leonis XIII praescriptae *non sunt obligatoriae.* Sunt vero obligatoriae pro iis, qui *post editum praefatum Breve Leonis XIII,* habent crucifixum a novo Ministro Generali vel ab aliquo Sacerdote debita facultate munito benedictum.

Hic obiter ad notitiam commemoranda est singularis gratia concessa a Summo Pontifice Clemente XIII. Iste Pontifex, ad preces P. Provincialis Reformatae Provinciae Bavariae, benigne indulsit, ut Confratres et Consorores Confraternitatum Tertiariorum et Chordigerorum S. Francisci existentium in Provincia Bavariae, qui *ob infirmam corporis valetudinem* ad ecclesias, ubi pium Viae Crucis exercitium peragitur, accedere nequeunt, omnibus indulgentiis eidem pio exercitio adnexis gaudere possint, dummodo visitatio stationum Viae Crucis *in aliud pium opus, quod pro viribus exequi poterit, arbitrio proprii Confessarii commutetur.* — Gratia hujusmodi concessa est per Rescriptum S. C. Indulgengentiarum diei 20 Julii 1762, *in perpetuum* valituro.

Eamdem gratiam et sub eadem prorsus forma idem Pontifex concessit die 9 Novembris 1762 Provinciae Alemanniae Fratrum Minorum Recollectorum (Vid. Minderer, part. I, pag. 304).

1256. Tertia conditio est: *ut crucifixus benedictus manu teneatur, dum recitantur praescriptae preces,* nempe *viginti Pater, Ave et Gloria* (Decr. auth. N. 387, et *Raccolta,* pag. 112).

1257. A primaeva concessione privilegii, de quo agimus, fere usque ad praesens, crucifixus pro exercitio Viae Crucis benedictus, *personae dumtaxat, quae eum possidebat, prodesse poterat quoad indulgentias lucrandas: privilegium* enim erat prorsus *personale,* ut constat ex Decreto 29 Maji 1841 apud *Decreta authentica* N. 291 ad 12^m.

Verum Summus Pontifex Leo PP. XIII sub die 19 Januarii 1884, postulante Rmo P. Bernardino a Portu Romatino Ministro Generali Ordinis Minorum, dignatus est privilegium hujusmodi ampliare (vid. n. 652), concedens, ut, quando plures fideles legitime impediti a visitandis stationibus in ecclesia vel in alio loco canonice erectis, recitant viginti *Pater, Ave et Gloria* IN COMMUNI, sufficiat ut *una tantum persona,* quaecumque ea sit ex communitate, crucifixum benedictum manu teneat, ut sic omnes in communi orantes, indulgentias Viae Crucis consequantur, dummodo tamen ceteri omnes, aliis quibusque curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona, quae tenet crucifixum.

1258. Ad pleniorem hujus privilegii notitiam, utile existimamus, tum preces Summo Pontifici porrectas, tum respectivum S. Sedis indultum ex integro hic afferre, prout de aliis Apostolicis Brevibus sive concessionibus fecimus.

BEATISSIME PATER,

Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, saepe saepius fideles, qui exercitium S. Viae Crucis peragere legitimo impedimento prohibentur, etiam impediri, quominus indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas lucrifaciant adhibendo crucifixum ad hunc effectum benedictum, eo quod hujusmodi crucifixum non possident, sicut accidit in familiis pauperum, in hospitalibus, aliisque hujus generis locis piis.

Hinc, ut devotio erga Passionem D. N. Jesu Christi magis magisque augeatur, neve fideles, imprimis animae in Purgatorio detentae, ob expositum crucifixi defectum a participatione praedictarum indulgentiarum arceantur, orator enixis precibus supplicat, ut Sanctitas Tua ad crucifixos Viae Crucis vulgo nuncupatos benigne extendere dignetur Indultum a s. m. Pio PP. IX in ordine ad Rosarium sub die 22 Jan. 1858 (*Decr. auth.* n. 384) concessum, ita ut omnes utriusque sexus Christifideles praescripta viginti *Pater, Ave* et *Gloria* in communi recitantes lucrari valeant indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas, licet manu non teneant crucifixum benedictum, ac sufficiat, ut una tantum persona, quaecumque ea sit ex communitate, illum manu teneat, ceterique omnes, *ceteris curis semotis,* se componant pro oratione facienda una cum persona, quae tenet crucifixum. Quam gratiam etc.

SSmus D. N. Leo PP. XIII in Audientia habita die 19 Januarii 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia juxta petita ad tramitem Indulti jam concessi pro recitatione SSmi Rosarii, ut nimirum Christifideles, de quibus in precibus, ita se componant pro pio exercitio Viae Grucis peragendo una cum persona, quae tenet crucifixum, ut Viae Crucis indulgentias lucrari queant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis, die 19 Januarii 1884.

(Rescripta auth. App. N. 447, pag. 682).

Al. Card. OREGLIA A S. STEPHANO, *Praef.*
FRANCISCUS DELLA VOLPE, *Secret.*

1259. Relate ad sensum verborum « *ceteris curis semotis se componant* » extat declaratum (vid. n. 741) « *fidelibus ab iis tantum occupationibus exterioribus esse abstinendum, quae* INTERNAM ATTENTIONEM *impediunt ad devotam Rosarii* (vel viginti Pater, Ave et Gloria) *recitationem pro lucrandis indulgentiis* » (Decr. 13 Nov. 1893, apud Acta S. Sed. vol. XXVI, pag. 310).

1260. Sicut Sacerdos facultate munitus benedicendi crucifixos cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis, debet, dum benedicit, habere intentionem applicandi dictas indulgentias, ita etiam fideles habere debent intentionem saltem *generalem*, eas lucrandi dum manu tenentes crucifixum, praescriptas preces recitant.

1261. Praescriptae preces, scilicet viginti *Pater, Ave* et *Gloria* recitari debent *corde saltem contrito et devote*, sed non requiritur, ut nonnulli opinantur, tamquam *pars operis injuncti* meditatio passionis Domini nostri Jesu Christi. Nam in nullo ex documentis Apostolicis superius allatis extat verbum, quod etiam a longe indicet obligationem meditandi passionem Domini. Declaratur potius cum omnimoda evidentia, a) opus injunctum ad lucrandas indulgentias *communibus* Viae Crucis *stationibus* adnexas, esse *exclusive* meditationem passionis Domini, sine ulla obligatione recitandi preces vocales; b) econtra opus injunctum pro assecutione earumdem indulgentiarum in pio exercitio peragendo *cum crucifixo*, esse devotam recitationem *viginti Pater, Ave* et *Gloria* sine ulla praescriptione passionem Domini meditandi.

Accedit, quod S. Sedes, dum agitur de praefiniendo opere pro alicujus indulgentiae assecutione, clare illud indicat et determinat. In casu nostro, dum clarissime tamquam opus injunctum determinat recitationem viginti *Pater, Ave* et *Gloria,* nullo verbo utitur, quod etiam obligationem meditandi passionem Domini indicet.

Certum est autem, quod etsi ad acquirendas indulgentias Viae Crucis *cum crucifixo,* non requiratur tamquam opus injunctum meditatio Dominicae passionis, valde tamen pie et utiliter ceteris precibus adjungitur a Christifidelibus.

1262. Tandem advertendum est, crucifixos pro exercitio Viae Crucis benedictos, non posse *aliis commodari, donari,* vel *vendi sine amissione indulgentiarum,* et si unus alterve ex dictis crucifixis fuerit deperditus vel fractus, nequire ei subrogari alium ad libitum (*Raccolta,* pag. 113).

In elencho Indulgentiarum Summi Pontificis Leonis PP. XIII a S. Congregatione Indulg. edito die 23 Februarii 1878, sequentia super re habentur praescripta:

« Jubet deinde idem Summus Pontifex (Leo XIII) indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis objectis (coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas, ac numismata ab eadem Sanctitate Sua benedicta) juxta Decretum s. m. Alexandri VII editum die 6 Febr. 1657 *non transire ab illis, pro quibus benedicta fuerint, vel illis, quibus ab iis prima vice fuerint distributa:* et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem objectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi *ad hoc, ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent:* itemque recensita objecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, *nequire venundari,* juxta Decretum S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 Junii 1721 » (Rescr. auth. Pars II, Summar. 1, pag. 348).

1263. Quae hucusque dicta sunt, clare manifestant sollicitudinem ac pietatem S. Matris Ecclesiae erga filios suos, volens ut omnibus etiam legitime impeditis, immensus indulgentiarum thesaurus sacrae Viae Dolorosae, mediante pio ejusdem exercitio *cum crucifixo* ad hunc effectum benedicto, esset apertus. Hoc enim medio non extante, quot fideles fere semper privati forent tam singulari ac salutifero beneficio? Quamplures certe sunt, quibus

nec tempus suppetit, nec opportunitas favet visitandi stationes sive infra hebdomadam sive in diebus festis. Alii Christifideles, magno quidem numero, praesertim ruricolae inter montes habitantes in humillimis casulis et tuguriis, pastores hac illac vagantes cum gregibus sibi a dominis concreditis, aliique permulti saepissime legitime impediuntur, quominus in ecclesiam se conferant, ut ecclesiasticis functionibus adsistant, ac visitationi stationum Viae Crucis dent operam; et id vel ob temporis defectum, vel ob non expeditam libertatem, speciatim in filiisfamilias, famulis et servis.

Jam vero si hi omnes haberent crucifixum indulgentiis Viae Crucis ditatum, adjecta bona voluntate, possent aliquo modo diebus festis supplere ecclesiasticis functionibus, quibus ob legitimum impedimentum interesse nequeunt, peragendo in propriis domibus, sive in campis, aut in alio quovis loco, pium exercitium Viae Crucis cum praedicto crucifixo. Sed non tantum diebus festis, verum etiam, si possibile foret, aliis diebus infra hebdomadam, *ut sic lucrari possint innumeras indulgentias tum pro semetipsis,* tum pro animabus Purgatorii. Et hic utile est meminisse praedictum exercitium fieri posse etiam *in communi,* methodo tamen sub n. 1257 et sqq. explicata, quae quidem illud reddit singulari modo facilius.

ARTICULUS III.

SOCIETAS A S. VIA CRUCIS PERPETUA.

1264. Ut fideles Christo in carne passo cogitatione passionis ejus saepe saepius unirentur, modum ad id congruum vereque dignum excogitavit ac invenit pietas christiana. Modus hic in eo est situs, ut Viae Crucis exercitium *singulis mensibus* vel *hebdomadis* a devotis fidelibus, pia Societate inter se conjunctis, peragatur, ita ut *continuum ac perpetuum aliquo modo reddatur.* In hunc finem *pia Societas* constituta est *a S. Via Crucis perpetua* nuncupata, cujus auctores extiterunt Religiosi nostri Ordinis decurrente decennio ab anno 1860 ad annum 1870.

1265. Summus Pontifex Leo PP. XIII Brevi de die 21 Januarii 1879 dictam *Societatem Viae Crucis perpetuae* commendat ac indulgentiis ditat. — Per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum de dato 15 Martii 1884 *sedes primaria* praefatae piae So-

cietatis ab ecclesia Conventus Burdigalensis Ordinis nostri transfertur *ad ecclesiam Aracoelitanam Urbis Romae.*

1266. Ad ordinandam hanc piissimam omnique laude dignam Societatem et ad notitiam ac uniformem directionem Sodalium, propriae regulae seu Statuta confecta sunt, a Rmo P. Bernardino a Portu Romatino Ministro Generali Ordinis Minorum sub die 10 Februarii anni 1885 libenti animo approbata, ac vehementer in Domino commendata (1).

Statuta piae Societatis a S. Via Crucis perpetua nuncupatae sunt sequentia:

a) *Natura hujus Societatis.* Pia Societas a *S. Via Crucis perpetua* quaedam est Christifidelium communio, qui Viae Christi dolorosae tam salutiferum exercitium singulis hebdomadibus vel saltem singulis mensibus ad determinatos fines peragere intendunt, et quodam modo perpetuum reddere sibi proponunt.

b) *Finis generalis* hujus Societatis est: multiplicatis S. Viae Crucis exercitiis, saepius imo quotidie recolere dolorosissimam D. N. Jesu Christi passionem, ejusque meritorum largiorem sibi et aliis procurare applicationem.

c) *Fines speciales* sunt: 1. reparare injurias, quae Deo et Domino nostro Jesu Christo quotidie inferuntur; 2. supplicare pro conversione peccatorum; 3. satisfacere pro animabus Christifidelium in Purgatorio detentis, praesertim illorum, qui hujus Societatis membra in vita fuerunt; 4. implorare S. Matris Ecclesiae exaltationem.

d) *Sedes primaria* hujus Societatis, ex Rescripto S. Congregationis Indulgentiarum sub die 15 Martii 1884, est ecclesia Aracoelitana Ordinis Fratrum Minorum de Observantia in Urbe.

e) *Sedes secundariae,* seu associationum centra de jure existunt in omnibus ecclesiis vel publicis oratoriis adnexis ad Conventus, residentias vel domus, quae quoquo modo subsunt jurisdictioni Ministri Generalis totius Ordinis Minorum.

f) *Facultatem adscribendi* ad hanc piam Societatem habent omnes in praedicto Ordine Superiores, vel in eorum absentia vices gerentes, tum per se tum per suos subditos.

---

(1) Si quis documenta et praefata Statuta ejusdem Societatis, in parvo libello typis edita, habere desiderat, recurrat ad Rmam Curiam Ministri Generalis Ordinis Minorum, Roma, Collegio S. Antonio in Via Merulana. — Relata habentur etiam apud *Acta Ordinis Minorum,* ann. IV, pag. 35-36.

g) *Centra et Directores.* Potest insuper praedicti Ordinis Minister Generalis associationum *centra,* de licentia Ordinariorum, erigere in ecclesiis vel publicis oratoriis locorum, in quibus non existunt Conventus, residentiae, vel domus Ordinis. Sacerdotes qui haec centra erigere vellent, opportunam facultatem petant a Rmo P. Ministro Generali Ordinis Minorum. — *Directores* harum associationum a jure fiunt sive Parochus pro tempore, sive Capellanus respective pro ecclesia sua, in qua rite institutum centrum habetur.

h) *Zelatores et Zelatrices.* Ut autem praesentium adscriptio facilior reddatur ac pro viribus promoveatur, possunt memorati Ordinis Superiores Generalis ac Provinciales et Custodes regiminis intra limites suae jurisdictionis instituere Zelatores vel Zelatrices, etiam laicos, cum facultate subdelegata adscribendi. Hujusmodi autem institutio scripto fiat, moneanturque praedicti Zelatores et Zelatrices, ne adscribant alios, quantum fieri potest, nisi qui injunctum opus adimplere et indulgentias lucrari intendunt.

i) *Conditiones adscriptionis.* Ut quis ad hanc piam Societatem legitime adscriptus haberi possit, requiritur ut ejus nomen inscribatur in piae hujus Societatis regesto, quod asservatur in memoratis sede primaria vel associationum centris, vel saltem ejus nomen descriptum habeatur a Zelatore vel Zelatrice rite instituto. Monentur autem hujusmodi Zelatores et Zelatrices, ut adscriptorum nomina saltem singulis annis mittant ad praefatam piae Societatis sedem primariam vel ad quoddam e praedictis associationum centris.

l) *De solemniori bis in anno Via Crucis peragenda.* Hortantur Directores, ut bis saltem in anno, in Dominica scilicet Passionis, et in prima Dominica Novembris, solemnius exercitium Viae Crucis in respectiva ecclesia peragi faciant, et piae Societatis scopus ac fines commendentur ac promoveantur.

m) *De sodalium obligatione.* Ad sodalium obligationem quod attinet, hi in duos distinguuntur classes vel sectiones: alii enim se obligant ad pium S. Viae Crucis exercitium peragendum singulis hebdomadis, alii vero singulis mensibus, die ipsis assignato ab adscribente, vel ab ipsis electo.

Consulitur autem, ut sodales in eodem loco commorantes distinguantur in parvas societates respective *septem* vel *triginta personarum,* ex quibus singulae singulis hebdomadae vel mensis respective diebus S. Viae Crucis exercitium peragant.

Supradicta vero sodalium obligatio nullum conscientiae vinculum inducit. Qui autem eidem obligationi *habitualiter* non satisfaciunt, hoc tempore durante concessis indulgentiis privati existunt.

n) *De crucifixo ad Viam Crucis benedicto.* Qui exercitium S. Viae Crucis peragere legitimo impedimento prohibentur, susceptae obligationi, de qua numero immediate superiori, satisfaciunt, adhibendo *crucifixum Viae Crucis* vulgo nuncupatum, ac praescriptas in hujusmodi usu preces rite persolvendo.

1267. Indulgentiae plenariae. Summus Pontifex Leo PP. XIII per Apostolicum Breve sub dato 21 Jan. 1879 piam Societatem *Viae Crucis perpetuae* commendat ac indulgentiis ditat.

« Supplicatum nuper Nobis fuit, ait laudatus Pontifex, nomine dilecti filii Ministri Provincialis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Provinciae S. Ludovici in Gallia, ut piam Christifidelium Societatem, quae in ecclesia Coenobii Burdigalensis ejusdem Ordinis initium habuit, et inde per totam Galliam diffusa est, ad sacrum exercitium Viae Crucis perpetuae propagandum canonice erectam, spiritualibus indulgentiarum muneribus ditare Apostolica benignitate dignaremur. Nos autem, ut pium hoc opus majora in dies ad Dei gloriam utilitatemque fidelium suscipiat incrementa, oblatis Nobis precibus annuendum censuimus ». Hinc Summus Pontifex Sodalibus praedictae Societatis *plenariam* indulgentiam concedit, consuetis conditionibus servatis:

1. Die primo singulorum ingressus in praedictam Societatem.
2. In mortis articulo.
3. Die festo Societatis principali, nempe VII Dolorum B. M. V. Dominica tertia Septembris.
4. Die festo S. P. Francisci Assisiensis, 4 Octobris.
5. Die festo S. Leonardi a Portu Mauritio, 26 Novembris.

Praeter descriptas indulgentias, quae sunt *speciales* pro aggregatis piae Societati, hujus Sodales lucrari possunt, ut per se intelligitur, ceteras multiplices indulgentias, quae exercitio Viae Crucis sunt adnexae.

1268. Coronidis instar dictorum *de Via Crucis perpetua,* liceat enixe commendare omnibus Sacerdotibus, sed illis praecipue, qui animarum curam habent, ut velint fideles, speciatim eos, qui eorum sollicitudini sunt commissi, edocere hanc piissimam et salutiferam institutionem, pro certo habentes, se opus facturos Deo quam maxime gratum, animabus Purgatorii utilissimum, fidelibus

viventibus singulari modo proficuum, zelantibus propagatoribus valde meritorium. Sane, excepto sanctae Missae sacrificio, non facile inveniri vel excogitari potest opus exercitio Viae Crucis sanctius et efficacius. Ipsum virtutem habet illustrandi intellectum, movendi voluntatem, penetrandi cor, ac spiritum sursum elevandi ad contemplationem. Attente, diligenter et viva fide praedictum S. Viae Crucis exercitium peractum, hominem roborat ad patienter perferendas tribulationes et infirmitates, simulque spem auget aeternam beatitudinem consequendi.

Ubi ergo haec sancta institutio, per quam quotidie obtinetur meditatio Dominicae passionis, non est nota, vel quomodolibet neglecta, curent Sacerdotes, Parochi praesertim, eam in suis parochiis introducere, constituendo parvas societates *ex septem* vel *triginta personis,* quae respective se obligent, quaeque pro una vice in hebdomada vel mense, ad pium exercitium S. Viae Crucis obeundum.

PARS TERTIA

DE INDULGENTIIS PARTICULARIBUS COETIBUS CONCESSIS.

PARS TERTIA.

Tractavimus in prima parte de Indulgentiis in genere, et in secunda de Indulgentiis in specie, quae tamen *ab omnibus Christifidelibus* acquiri possunt. Modo sequitur tertia pars, in qua agitur de Indulgentiis, quae *non omnibus Christifidelibus, sed quibusdam personarum coetibus* sunt concessae, ut sunt Ordines Regulares, Congregationes religiosae, Tertii Ordines saeculares, et Confraternitates aliaeque piae Sodalitates.

CAPUT I.

INDULGENTIAE CONCESSAE ORDINIBUS REGULARIBUS

ET CONGREGATIONIBUS RELIGIOSIS.

PRAENOTIONES.

1269. Ad rectam dicendorum intelligentiam quaedam censemus praemittenda, quae Instituta religiosa respiciunt.

1. Juxta sanctae Matris Ecclesiae disciplinam sub appellatione *Religionis* seu *Ordinis regularis* illa tantum Instituta comprehenduntur, quae ab Apostolica Sede ut *vere Religiosa* approbata sunt, et in quibus emittuntur *vota solemnia,* nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptata. Unde sequitur, personas *vere Religiosas proprieque Regulares* illas dumtaxat dici et esse, quae praedicta vota solemnia in hujusmodi Religionibus seu Ordinibus regularibus profitentur (Cf. Bizzarri, *Collectanea*... S. C. EE. et RR. pag. 796-800).

2. E contrario Instituta illa, quae *Congregationes* lato sensu *religiosae* vocantur, in quibus *vota simplicia* sive temporanea sive perpetua emittuntur, sub appellatione *Religionis* seu *Ordinis regularis* minime veniunt, ac proinde personae in iisdem Congregationibus professae *stricto sensu Religiosae seu Regulares non sunt.*

3. Ab hac generali lege excipienda est Societas Jesu, cujus alumni, qui post biennium probationis vota simplicia nuncupant, a Gregorio PP. XIII *veri Religiosi* declarati sunt. Hoc autem est privilegium, quod hucusque S. Sedes nulli alii Instituto concessit.

4. *Nec ipsi alumni,* qui in *Ordinibus religiosis* professionem votorum simplicium per triennium praemittere debent, declarati sunt *veri Religiosi,* licet participes facti sint omnium gratiarum, quibus professi votorum solemnium gaudent. Sane, in generali Congressu diei 15 Junii 1856 penes S. Congregationem super statu Regularium disputatum est: *An qui in Ordinibus religiosis votorum solemnium praemittere debent professionem votorum simplicium declarandi essent vere Religiosi, vel tantum participes privilegiorum?*

Nonnulli ex Emis Patribus primam partem propositionis probandam esse existimabant, quia agebatur de votis simplicibus perpetuis ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient, prout locum habet in Societate Jesu.

Alii vero autumabant, communicationem tantum privilegiorum esse concedendam, cum non expediat *privilegium singulare* Societatis Jesu ad alios Ordines extendere, *ne novus status Religionis* CONTRA VIGENTEM ECCLESIAE DISCIPLINAM *generaliter constituatur.*

In hac sententiarum disparitate Summus Pontifex Pius IX sequentem probavit articulum:

Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur et gaudent (Bizzarri, pag. 801 in nota).

5. Ex eo quod aliquando in documentis S. Sedis Congregatio aliqua vocetur *religiosa,* vel religiosis Familiis et Ordinibus regularibus aequiparetur, si id fiat in parte *enuntiativa* seu *expositiva,* non est putandum Congregationem illam *per hoc* in dignitate hujusmodi approbari, aut quidquam ei tribui novi juris. Cum tali appellatione in parte *expositiva* tantum, non vero *dispositiva,* Congregatio vel persona honorifico quidem titulo tractatur, sed in illa dignitate seu gradu minime constituitur.

6. Benedictus XIV in Bulla *Quamvis justo,* ut probaret, Moniales quasdam, quae *Virgines Anglicanae* vocantur, non esse

veras Religiosas, hanc affert rationem: *Ad essentiam status vere Religiosi requiritur, ut Religio seu Ordo in hujusmodi statu Apostolicae Sedis confirmatione stabiliatur* (juxta canonicas sanctiones etc.). Imo, subdit doctissimus Pontifex, *nec sufficit ab eadem Apostolica Sede obtinuisse dumtaxat approbationem et confirmationem regularum, quas aliqua virorum aut mulierum societas sibi observandas praescripserit; sed requiritur ut societas ipsa tamquam status religiosus approbetur* ».

7. Infertur, Instituta votorum simplicium non gaudere gratiis et privilegiis, quae *a jure communi* dimanant: haec enim ad Ordines *stricto sensu* regulares spectant. Praedicta Instituta iis tantum favoribus et privilegiis gaudent, quae *in Statutis* a S. Sede approbatis continentur, vel eis respective *per peculiaria indulta* concessa sunt (Cf. Bizzarri, pag. 797).

ARTICULUS I.

INDULGENTIAE A SUMMO PONTIFICE PAULO V REVOCATAE ET ALIAE DE NOVO CONCESSAE RELIGIOSIS ET MONIALIBUS REGULARIBUS.

§ I.

NOTITIA HISTORICA DE REVOCATIONE INDULGENTIARUM REGULARIBUS CONCESSARUM.

1270. Summus Pontifex Clemens VIII sibi proposuit ac constituit per Cardinales a se deputatos in examen revocare indulgentias Ordinibus religiosis a suis Praedecessoribus concessas, abusus tum in communicando, tum in modo illas recipiendi irreptos tollere, earumque authenticitatem inspicere et examinare. Sed morte praeventus, non omnia ad finalem executionem deducere potuit. Paulus V, qui Clementi in Pontificatu successit, pium opus a suo Praedecessore susceptum ad optimum finem perducere cupiens, Cardinalibus a dicto suo Praedecessore deputatis, de quorum numero erat ipse, injunxit, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, et indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, iisque recognitis rem cum eo communicarent.

Cardinales mandatum Pontificis exequentes, privilegia, concessiones et gratias praedictis Religionibus et Ordinibus concessas diligenter examinarunt, ac etiam eorumdem Ordinum Superiores et Officiales pluries audierunt.

Cum ex hujusmodi examine *varia dubia et incertitudines et confusiones circa indulgentias adesse constiterit,* Cardinales, *ex judicio eorumdem etiam Regularium,* Summo Pontifici proposuerunt, *valde expedire* pro eorum majori securitate et beneficio, ut indulgentiae praefatis Regularibus *ad instar, vel per communicationem, aut alio modo* hactenus concessae, annullarentur et revocarentur, ac aliae particulares de novo concederentur.

His auditis, Summus Pontifex, matura super hoc consultatione praehabita, sub die 23 Maji 1606 Constitutionem edidit, cujus initium Romanus Pontifex, *qua omnes et singulas indulgentias quibuscumque Ordinibus et Institutis Regularibus, etiam Mendicantibus, et quibuslibet personis regularibus,* tam vigore privilegiorum et Litterarum Apostolicarum, quam vivae vocis oraculo, aut alio quovis modo per Apostolicam Sedem *hactenus concessas, perpetuo revocavit, cassavit ac annullavit.*

Deinde eadem Constitutione laudatus Pontifex novas indulgentias in perpetuum concessit *Religiosis regularibus cujusvis Ordinis, tam Monastici, quam Mendicantis, nec non omnibus Monialibus cujusvis regulae approbatae et intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus et perpetuam clausuram servantibus.*

§ II.

INDULGENTIAE DE NOVO CONCESSAE A SUMMO PONTIFICE PAULO V RELIGIOSIS REGULARIBUS CUJUSVIS ORDINIS, ET MONIALIBUS CUJUSVIS REGULAE APPROBATAE CUM CLAUSURA ET VOTIS SOLEMNIBUS.

1271. *A)* Indulgentiae plenariae:

1. *Omnibus Christifidelibus,* qui canonice habitum regularem a legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, *die primo eorum ingressus in ipsam Religionem,* si vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

2. *Cuilibet Novitio* post completum probationis annum *professionem emittenti,* ac iisdem Sacramentis refecto.

3. *Cuilibet Religioso* intra claustra sui monasterii viventi *in festo principali sui Ordinis,* dummodo confessus et sacra Com-

munione refectus fuerit, aut Missam recitans et pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderit.

4. *In cujuslibet Religiosi mortis articulo,* si pariter vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem corde, devote invocaverit.

5. *Cuilibet religioso Sacerdoti,* jam confesso, *primam Missam celebranti,* nec non etiam *iis Religiosis qui pariter* confessi et sacra Communione refecti *eidem Missae interfuerint,* aut ipso die Missam similiter celebrabunt.

6. *Omnibus Religiosis,* qui de suorum Superiorum licentia, *a negotiis per decem dies alieni,* in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes mysteriorum fidei catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, passionis D. N. Jesu Christi et aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium saltem per duas horas in diem, et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore Confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut Missam celebraverint. Haec indulgentia plenaria acquiritur *toties, quoties* praefatum exercitium seu sacer recessus peragitur.

7. *Omnibus Religiosis, qui* de licentia Summi Pontificis aut suorum Superiorum *se conferunt in ditiones et terras infidelium aut haereticorum ad concionandum,* aut catholicos docendum, vel infideles et haereticos ipsos ad fidem catholicam convertendum. Isti *duabus vicibus* indulgentiam plenariam lucrari possunt, videlicet, *quando itineri se accingent,* et *quando in locum ipsis assignatum ingressi fuerint,* dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint.

8. Cum Superior in visitationibus generalibus *Orationes quadraginta Horarum* pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis Orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, nec non disciplinae

et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces effuderint, si confessi et sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenaria item indulgentia concessa est.

B) Indulgentiae Stationum Urbis, quarum aliae sunt plenariae, aliae partiales (Vid. sup. n. 948 et sqq.).

Religiosi (et Religiosae) intra claustra viventes, qui *suam ecclesiam* devote visitaverint, ibique oraverint juxta intentionem Summi Pontificis, consequuntur easdem indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitarent.

C) Indulgentiae partiales:

1. *Indulgentia sexaginta annorum totidemque quadragenarum* concessa iis Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus *spatio mediae horae orationem mentalem fecerint,* ac confessi et sacra Communione *ultima Dominica* mensis hujusmodi refecti fuerint.

2. *Indulgentia quinque annorum totidemque quadragenarum* concessa iis omnibus Religiosis intra claustra viventibus, qui *quinquies Pater* et *Ave ante altare eorum ecclesiae* dixerint; lucranda *in quolibet die.*

3. Item *Indulgentia quinque annorum totidemque quadragenarum* lucranda ab iis Religiosis, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes, tamquam Praedicatores et Lectores, quinque *Pater* et *Ave ante quodlibet altare* similiter dixerint.

4. *Indulgentia trium annorum totidemque quadragenarum* concessa iis Religiosis, qui contrito corde et poenitentes, eorum culpas et peccata ac imperfectiones *in capitulis culparum* accusabunt, et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient.

Hae sunt indulgentiae, quas Summus Pontifex Paulus V, post abrogatas antiquas, de novo concessit *Religiosis regularibus* cujusvis Ordinis, *comprehensis,* ut supra diximus, *Monialibus stricto sensu Religiosis,* scilicet cum clausura et votis solemnibus (Vid. Const. apud Decr. auth. pag. 443; Ferraris, verb. *Indulg.;* Theod. a Sp. S. part. II, pag. 90).

Praeter descriptas indulgentias *omnibus Religiosis regularibus communes,* aliae quoque dantur, quae sunt propriae cujuslibet religiosi Ordinis, quaeque vel fuerunt renovatae vel tractu

temporis a S. Sede concessae. Id constat ex Summariis singulorum Ordinum religiosorum, quorum nonnulla videri possunt penes *Rescr. auth.* pag. 380 et sqq.

§ III.

QUAENAM INDULGENTIAE FUERINT A PAULO V REVOCATAE, ET QUAENAM NON REVOCATAE.

1272. Generaliter omnes et solae illae indulgentiae revocatae sunt, quae *directe et principaliter* ipsis Regularibus utriusque sexus concessae erant. Hinc *ut revocatae* habendae sunt:

a) Indulgentiae *personales,* concessae scilicet *ipsis personis* Religiosis, quod clare patet ex ipsa Bulla *Romanus Pontifex.*

b) Indulgentiae concessae *eorum ecclesiis, sed pro Religiosis tantum:* hujusmodi enim indulgentiae potiori jure dici possunt personales ac Regularibus directe et immediate concessae. Haec doctrina videtur *verior,* quamvis non desint Auctores qui aliter sentiant.

Indulgentiae *non revocatae* a Paulo V sequentes recensentur:

1. Indulgentiae concessae *ecclesiis* Regularium *pro omnibus Christifidelibus* (Decr. 1 Febr. 1678. N. 17).

2. Indulgentiae *reales* vel *personales* concessae *promiscue* Regularibus et Saecularibus, quae scilicet *omnibus Christifidelibus* concessae sunt, prout sunt illae adnexae *numismatibus, coronis, crucibus, recitationi Officii parvi B. M. V. aut Defunctorum vel certis Orationibus* etc. Regulares enim ex communi doctrina Theologorum non debent esse deterioris conditionis, quam saeculares.

3. Indulgentiae *directe* pro Defunctis concessae, ex communi sententia Doctorum.

4. Indulgentiae quae sunt *immediate et directe* concessae parentibus, consanguineis, medicis, benefactoribus ac servitoribus Religiosorum.

1273. *Indulgentiae, super quarum revocatione controvertitur.* Disputant Theologi, an a Paulo V sit etiam revocata indulgentia *in articulo mortis.* Sunt qui negant, quia indulgentia in articulo mortis est ita favorabilis, ut non censeatur involvi in Bullis, tametsi universalissime suspendentibus omnes indulgentias, et

quia indulgentia speciali nota digna non censetur tacite esse sublata (Vid. Lezana, Ferraris etc. verb. *Indulg.*).

Alii Theologi sustinent, indulgentias *in articulo mortis* ab aliis Pontificibus antea concessas, fuisse a Paulo V sublatas; et haec sententia videtur verior. Nam dictus Pontifex indulgentiam pro articulo mortis ab ipso concessam *inter novas recensuit,* quam profecto superfluum fuisset adjicere, si veteres hujusmodi indul-dulgentiae de mente Pauli V non fuissent revocatae (Cf. Theod. a Sp. S. part. II. pag. 94).

1274. Alia quaestio est, an sint revocatae indulgentiae directe quidem et immediate concessae Religiosis viventibus, sed *cum facultate eas applicandi defunctis.* Affirmat Theodorus cum aliis, quia cum tales indulgentiae *principaliter* concessae sint Regularibus viventibus, cessante principali, cessat pariter accessorium, maxime si accessorium fundamentum agnoscat in principali, prout evenit in praesenti casu (Theod. loc. cit. pag. 95; Minderer, part. II, n. 382, pag. 324).

Negant alii, ut Pelizzarius, Kazenberger et Ferraris, quia hujusmodi indulgentiae, eo ipso quod possint applicari defunctis, gaudent privilegio concessarum immediate defunctis (Ferraris, verb. *Indulg.* art. IV, n. 8).

Huic secundae sententiae favet responsum S. Congregationis Indulgentiarum datum sub die 12 Martii 1855 Monialibus Clarissis civitatis Massiliensis, quae quaerebant, an formulis *Absolutionis generalis* (quae prostant apud Ferraris, et quae modo suppressae sunt, alia his subrogata) *sit adnexa indulgentia plenaria.* En quaesitum ad litteram:

An gratiae praedictae sint adhuc adnexae his formulis, non obstante Bulla Pauli V de indulgentiis Regularium?

S. Congregatio respondit: *Affirmative, excepta indulgentia plenaria pro vivis* (Decr. auth. pag. 430-432; cf. etiam *Nouv. Rev. Théol.* tom. XIV, pag. 466 in nota).

Dicendum est ergo, indulgentiam plenariam Absolutioni generali adnexam, fuisse primitus, ex concessione Pontificum, applicabilem etiam pro defunctis. Quia vero Paulus V omnes indulgentias personales Ordinibus religiosis antea concessas revocavit, non vero illas defunctis applicabiles, consequitur, quod indulgentia Absolutioni generali adnexa, *revocata pro vivis,* remanserit applicabilis pro defunctis dumtaxat.

Pro Tertiariis autem Franciscalibus indulgentia plenaria dictae Absolutioni generali adnexa, potest, *per novam concessionem* ipsis factam, applicari etiam vivis (Decr. 22 Martii 1879. N. 444, ad 9m et 10m).

§ IV.

INSTITUTA IN CONSTITUTIONE PAULI V COMPREHENSA ET NON COMPREHENSA.

1275. Oportet probe distinguere *quaenam instituta et personae* comprehendantur in laudata Constitutione *Romanus Pontifex.*

1. Comprehenduntur omnia Instituta et personae *Ordinum regularium,* tam Mendicantium quam non Mendicantium, tam virorum quam mulierum, *vota solemnia* emittentium. Id clare patet ex ipsa Bulla.

2. Comprehenduntur *Canonici Regulares Lateranenses,* quamvis nec Monachorum nec Mendicantium nomine designentur, utpote qui solemnia vota emittunt (Decr. 19 Junii 1713. N. 49).

3. Comprehenduntur *Canonichissae Regulares,* licet non Moniales, sed Canonichissae nuncupentur, cum et ipsae votorum solemnium vinculis sint obstrictae et perpetuam clausuram servent (Decr. 18 Dec. 1714. N. 53).

4. Non comprehenduntur Congregationes, Instituta, vel personae, etiam Tertiarii vel Tertiariae, *quae solemnia vota non emittunt,* sive intra sive extra claustra degant, sive servent, vel non, clausuram (Decr. 15 Julii 1681. N. 27).

1276. Exinde consequitur, praefatas Congregationes, sive personas, vota solemnia non emittentes, per memoratam Constitutionem Pauli V non fuisse privatas indulgentiis, quae eis *directe et immediate* fuerunt concessae; privatas autem extitisse indulgentiis illis, *jam revocatis,* quibus gaudebant per *simplicem* seu *accessoriam communicationem.* Unde Lezana, loquens de Congregationibus Tertiariorum et Tertiariarum, inquit: Loquendo de illis indulgentiis, quas participant *ratione Religionum, quarum sunt Tertiarii et Tertiariae,* cum istae sint *ad instar indulgentiarum Religionum,* et accessorium sequatur principale, ideo consequenter revocatae censeri debent per dictam Constitutionem Pauli V, *et concessae illis eae, quas* idem Pontifex Religiosis concedit (Tom. II, Indulg. quoad Regul. n. 16).

1277. Regulares utriusque sexus, praeter indulgentias a Paulo V ipsis specialiter elargitas, lucrari etiam possunt, ut quisque facile intelligit, omnes indulgentias universis Christifidelibus concessas, dummodo opera injuncta adimpleant. Insuper possunt fieri membra, habito suorum Superiorum consensu, plurium piarum Associationum, dummodo praecipuae harum obligationes non impediant Religiosos ab observantia obligationum proprii status. Quod si contingat, Religiosos alicui Confraternitati vel piae Unioni adscriptos non posse aliqua specialia opera, quae apud easdem pias Societates de more observantur, ut ex. gr. interesse processionibus, conferentiae, Missae etc., ex eo id solum sequitur, quod Religiosi vel Religiosae nequeant acquirere indulgentias iis operibus adnexas, quod etiam Sodalibus saecularibus haud raro accidit; at exinde minime cessant esse membra Confraternitatis vel piae Unionis, et jus ipsis remanet lucrandi ceteras omnes indulgentias, quarum conditiones eis licet explere.

Infertur, juvenes utriusque sexus jam alicui Confraternitati adscriptos, aliquam Religionem ingredientes, adhuc perdurare esse Sodales, et consequi posse indulgentias eidem Confraternitati elargitas, dummodo respectivas conditiones compleant. Hinc qui alicui Confraternitati Scapularium adscriptus est vel adscribitur, deferre continuo debet, si respectivis indulgentiis frui velit, scapulare: nullo enim fundamento nititur opinio quorumdam, qui asserunt, habitum Ordinis religiosi supplere sacrum Scapulare.

§ V.

ANIMADVERSIONES IN QUASDAM INDULGENTIAS.

1278. *Juvenes candidati pro Novitiatu,* indulgentiam plenariam a Paulo V concessam *die primo eorum ingressus* in Religionem, tunc sibi acquirunt, cum habitum Religionis de manu legitimi Superioris recipiunt et induunt; non vero ea die, qua ante habitus susceptionem, ut moris est apud nonnullos Ordines regulares, ad convivendum sub habitu saeculari in Religione recipiuntur. Id clare liquet ex ipsa concessione primo numero posita.

1279. Novitius, qui ob regularem habitum rite susceptum *causa profitendi,* indulgentiam plenariam jam lucratus est, si postea ob justam causam a Novitiatu exierit vel a Religione di-

missus fuerit, et denuo in eamdem vel aliam Religionem recipiatur, iterum, juxta sententiam cl. Theodori et Minderer, lucrari potest indulgentiam; dummodo sit rite confessus, sacra Communione refectus, et habuerit denuo verum propositum emittendi suo tempore professionem regularem. Nam talis juvenis vere implet ea omnia, quae pro ejus acquisitione praefiniuntur; ex altera parte Pontifex non determinavit concessionem ad unicam vicem (Theod. a Sp. S. part. II, pag. 99, quaest. 1; Minderer, part. II, Confer. 7, n. 409 et sqq.).

1280. Disputant Auctores an Novitius, *qui nondum expleto probationis anno,* in proximo mortis periculo constitutus *professionem regularem emittit,* consequatur vel non, *ratione professionis,* indulgentiam plenariam a Paulo V *emittentibus professionem solemnem* in Ordinibus regularibus concessam? Theodorus a Spiritu Sancto, loco citato pag. 100, negative respondet, quia in supradicta Pauli V Constitutione non conceditur indulgentia plenaria utcumque professionem religiosam emittentibus, sed *expleto probationis anno;* adeoque integer annus completus Novitiatus de mente Pontificis exigitur, ut Regularis hujus beneficii particeps reddatur. — Alii Auctores, quos citat Minderer loco supra memorato, affirmativam sententiam tuentur, et hanc rationem afferunt: S. Pius V per Breve, quod incipit *Summi Sacerdotii cura,* die 23 Augusti 1570, Monialibus novitiis Ordinis Praedicatorum in probabili mortis periculo versantibus, concessit facultatem emittendi religiosam professionem ante tempus a Concilio Tridentino statutum; *Ita tamen,* ait Pontifex, *quod ipsae Moniales novitiae sic decedentes, indulgentias et alias gratias, quas Moniales vere professae decedentes consequi possunt, consequantur* ». Jam vero *hoc privilegium,* nedum est particulare dicto Ordini, sed etiam ceteris aliis Religionibus commune, habentibus tamen communicationem privilegiorum et indultorum etc. Ergo Novitius qui ante completum probationis annum religiosam professionem ob periculum mortis emittit, consequitur fructum indulgentiae plenariae per Paulum V concessae profitentibus post dictum praefinitum tempus (Cf. Minderer, loc. cit.; Rodriguez, tom. III, quaest. 15, art. 6).

Conveniunt tamen Auctores cum P. Theodoro a Sp. S. Novitios in mortis articulo constitutos lucrari posse indulgentiam a Paulo V Regularibus *in mortis articulo existentibus* concessam; quia juxta communem Doctorum sententiam, in favorabilibus ve-

niunt nomine Regularium et Religiosorum (Cf. Decr. auth. N. 57 ad 1[m]; Rescr. auth. pag. 704, 7).

1281. *Quid dicendum si Novitius supervixerit?* Quia professio taliter facta in articulo mortis est conditionalis, et indulgentia conceditur Novitio *ex supposito quod decedat,* si mors non sequatur, indulgentiam non acquirit. Tunc vero lucrabitur cum, expleto probationis anno, absolute religiosam professionem de novo emittet. Ex hoc consequi videtur hanc indulgentiam eodem modo operari, quo indulgentia in articulo mortis, et pro Novitio in vero mortis articulo constituto eamdem sufficere, cum plures indulgentiae plenariae nequeant eodem tempore lucrari (Cf. Minderer, loc. cit. n. 414 et 415).

1282. *Quoad indulgentiam in articulo mortis* notandum est, Pauli V Praedecessores diversimode hanc gratiam Regularibus dedisse. Eugenius IV ex. gr. facultatem contulit Monachis S. Benedicti Vallisoleti, ut in articulo mortis constituti a Confessariis idoneis ab iisdem eligendis plenariae remissionis *tum culpae tum poenae temporalis* absolutionem reciperent, adjecto onere jejunandi qualibet feria sexta per unum annum, nisi ob legitimum impedimentum Confessarii libito jejunium in alia exercitia commutarent.

Eodem modo, citra tamen jejunii onus, Sixtus IV Religiosis Ordinis tum Praedicatorum tum Minorum similem gratiam concessit per Constitutionem, cujus initium est *Sacri Praedicatorum et Minorum;* indulsit nempe: *Ut Praedicatorum et Minorum Ordinum professoribus, qui nunc et pro tempore erunt, ut Confessor idoneus eorumdem Ordinum, quem quilibet pro se de sui Superioris licentia duxerit eligendum, eorumdem Confessione diligenter audita, pro commissis per eos excessibus et peccatis semel in vita, in forma Confessionalis per Nos edita, et in mortis articulo plenariam absolutionem et peccatorum hujusmodi remissionem impendere valeat.* Idem postea aliorum Ordinum regularium professoribus alii Summi Pontifices sub eadem forma Sixti IV praestiterunt, ut habetur ex eorum privilegiis.

Ex quo constat, Paulum V alium modum a praedecessoribus Pontificibus in hujusmodi indulgentiae concessione adhibuisse, quatenus nempe *sine ministerio Sacerdotis* Regulares beneficium indulgentiae plenariae reciperent; cum antea id minime possent, nisi per delegatam Sacerdotibus facultatem obtinere (Vid. Theod. a Sp. S. part. II, pag. 100 et seq.).

1283. *Indulgentia plenaria Sacerdotibus primam Missam celebrantibus concessa.* Paulus V, ut vidimus sub n. 1271, 5, cuilibet *Religioso* Sacerdoti jam confesso, primam Missam celebranti, nec non Religiosis eidem Missae adsistentibus pariter confessis, *plenariam indulgentiam* elargitus est. Sed sciendum, Summum Pontificem Leonem XIII *indulgentiam plenariam* concessisse etiam *omnibus Sacerdotibus* primum Sacrum facientibus, *nec non eorum parentibus usque ad tertium gradum,* Sacramentis Confessionis et Communionis receptis et effusis ad Deum precibus ad intentionem Sanctitatis Suae. Ceteris autem Christifidelibus eidem Missae assistentibus *indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum* a laudato Summo Pontifice concessa est, dummodo corde saltem contriti et devote orent etiam ipsi juxta intentionem Sanctitatis Suae (Vid. supra n. 361).

§ VI.

QUAESTIONES QUOAD INDULGENTIAS ET PRIVILEGIA REGULARIUM EXTRA RELIGIONEM SIVE CONVENTUM DEGENTIUM.

1284. Quaestio prima. *An Regulares ad episcopalem dignitatem assumpti, gaudeant indulgentiis suarum respective Religionum?* Sunt Auctores qui negant, quia, ajunt, Regularis ad episcopatum promotus, non est amplius Religionis membrum, cum non amplius intra Religionem vivat, nec a Superioribus respectivi Ordinis regatur; adeoque indulgentiis Ordinibus regularibus concessis gaudere non potest. Cessante enim concessionum fundamento, cessare debent etiam ea, quae illo innituntur. Insuper Regularis factus Episcopus a jugo claustralis disciplinae fit exemptus; adeoque cum Religionis incommoda non sentiat, nec debet indulgentiarum et privilegiorum commodum experiri.

1285. Verum, rationes ab iis Auctoribus allatae non videntur probare, Regularem ad episcopalem dignitatem assumptum, non posse indulgentiis propriae Religionis perfrui. Nam certum est, Episcopum regularem in substantialibus remanere *Religiosum,* obnoxium tam votis, quam regulis, quae nec dignitatem episcopalem dedecent, nec episcopali officio repugnant, nec rectum ejusdem officii exercitium impediunt. Et sane Benedictus XIII, Constit. *Custodes* diei 7 Martii 1725, statuit atque sancivit « *ut ex monastico,*

regulari, et mendicantium Instituto ad episcopalem... et S. R. E. cardinalatum jam evecti et in posterum evehendi, universis et singulis suae regulae officiis et obligationibus, quae pontificale sive cujuscumque alterius dignitatis aut cardinalatus officium minime impediant, perpetuo subsint.

1286. Hinc in S. Congregatione Episc. et Reg. habita die 6 Maji 1864, proposito dubio: *An et quomodo Episcopus regularis teneatur ad observantiam regulae quam professus est?* Emi Cardinales rescripserunt: *Affirmative ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII incipien.* CUSTODES: *nempe Episcopus regularis tenetur observare regulas suae Religionis, quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem,* ITA TAMEN UT IN PECULIARIBUS CASIBUS PRUDENTER JUDICIUM FERRE POSSIT, UTRUM CUM DIGNITATE ET OFFICIO EPISCOPALI ILLAE CONVENIANT. — Quam resolutionem approbavit et confirmavit Summus Pontifex Pius IX (Vid. Bizzarri, *Collectanea,* pag. 767 et sqq.).

1287. Ad id autem quod objicit contraria sententia, nempe Religiosum ad episcopatum evectum non amplius subesse obedientiae Praelati regularis, respondetur id verum esse, sed tamen *votum obedientiae ei non dispensatur,* sed mutatur in immediatam obedientiam Summo Pontifici.

1288. Cum igitur Regularis ad episcopatum promotus proprietatem *Regularis* non amittat, consequi videtur frui adhuc posse, *cum aliqua restrictione,* indulgentiis respectivi Ordinis. Diximus *cum aliqua restrictione:* distinguendae enim sunt indulgentiae Regularibus concessae. Nam hae vel sunt hujusmodi, ut earum acquisitio dependeat ab opere *intra ipsa claustra monasterii seu Conventus* implendo, vel tales sunt, *ut statum religiosum per se respiciant, quin ad earumdem lucrum requiratur habitatio in claustro.* Primum indulgentiarum genus nequit ab Episcopis regularibus lucrari, ut per se patet; nam ad lucrandas indulgentias necessario requiritur ut impleantur praescriptae obligationes. Indulgentiae hujus generis plures sunt, ut quisque videre potest in elencho Indulgentiarum a Paulo V Regularibus concessarum, quas supra n. 1271 descripsimus. Indulgentiae vero secundi generis, praesertim *personales,* Episcopus regularis lucrari utique potest, ad-

impletis praescriptis conditionibus. Sicut enim, ut similitudine utamur quorumdam Doctorum, ecclesia Regularis per hoc quod fiat parochialis, non amittit exemptiones, indulgentias et privilegia ob rationem communem aliis regularium ecclesiis concessa, nisi fuerint expresse sublata, ita etiam regularis Episcopus ea non amittit. Id enim quod conceditur parietibus, negari non debet personis, quae claustri quietem abdicarunt, ut gravioribus pro Ecclesiae Dei curis, majoribusque oneribus succumberent, quam sint ea, quae ante susceptum episcópale munus subiverant. — Brevius: Regularis ad episcopatum non assumitur nisi *ex voluntate Summi Pontificis,* et sic promotus *remanet substantialiter Religiosus,* cui certe non obest dignitas episcopalis, *cum etiam hic status sub evangelicae perfectionis genere comprehendatur.* Nulla ergo solida ratio afferri potest, cur ipse ob praestitam Papae obedientiam privatus censendus sit illis indulgentiis, quae *simpliciter* statum religiosum respiciunt, quin expostulent commorationem in claustro. Quare Episcopus regularis, ex. gr. Franciscanus, lucrari potest, ut nobis videtur, indulgentias adnexas recitationi coronae septem Gaudiorum B. M. V., Orationi mentali; item indulgentiam plenariam *(latam)* in articulo mortis a Paulo V omnibus Regularibus concessam, ac etiam illam pro quinquagesimo anno ab assumptione habitus religiosi etc. (Cf. Theod. a Sp. S. part. II, pag. 107, 108; Minderer, part. II. pag. 329, n. 402).

1289. **Quaestio altera.** An Religiosus extra claustra degens, lucrari possit indulgentias suae Religionis proprias?

Respondemus cum distinctione: Vel Religiosus justa de causa et cum debita licentia extra Conventum commoratur, vel non. In primo casu adhuc pergit gaudere indulgentiis Ordinis, illis tamen, quae *personales sunt, nec exigunt existentiam in claustro.* Nulla enim est ratio cur talis Religiosus, *legitime* extra Conventum degens, nequeat perfrui indulgentiis suo Ordini concessis.

1290. At hoc jus in dicto Religioso limitandum est, ut modo notavimus, ad illas tantum indulgentias quae personales sunt, neque exigunt existentiam in claustro. Hinc licet possit ex. gr. lucrari indulgentiam plenariam recitationi coronae franciscanae adnexam, minime tamen indulgentias Stationum Urbis. Hae siquidem a Paulo V concessae sunt Religiosis *intra claustra viventes, qui suam ecclesiam visitaverint.* Excipe, si ex speciali privilegio S. Sedis (quale Missionariis frequenter indulgeri solet) aliquid amplius concedatur.

Ad rem facit declaratio S. Poenitentiariae in *Instructionibus* latis pro Regularibus Italiae in suppressione generali anno 1866 et 1867. Die enim 18 Aprilis 1867, n. VI, sequentia enuntiavit:

« Declarat insuper, Superioribus regularibus integra manere privilegia, quibus hactenus quoad peculiares proprii Ordinis benedictiones usi sunt, ac similiter integras omnibus et singulis Regularibus utriusque sexus, etiam in saeculo *de legitima licentia* viventibus, manere SS. Indulgentias *personales* a S. Sede eisdem concessas, et non revocatas ».

1291. Aliter dicendum in secundo casu, si nempe agatur de Religioso, qui in saeculo vivit *absque legitima licentia*. Speciales enim indulgentiae benignitate Apostolica concessae sunt Religiosis, quatenus in vita communi sub obedientia Superiorum degunt; ac ideo spiritualibus hisce favoribus nequeunt gaudere illi, qui posthabita sancta obedientia et excusso Religionis jugo, in saeculo ad proprium commodum vivunt.

1292. Infertur, nec Religiosum *juste* dimissum ab Ordine, nec illum qui amissa vocatione vel taedio affectum erga Religionem, proprio Ordini valedicit, indulto saecularizationis obtento, posse amplius indulgentiis et privilegiis Ordinis frui. Nam, licet vinculum professionis non dissolvatur per dimissionem vel per indultum saecularizationis; cessat tamen id, cujus intuitu indulgentiae et privilegia a Summis Pontificibus conceduntur, scilicet vita communis religiosa, et onera in vita claustrali. Accedit, quod hujusmodi Religiosi ejecti non debent ex propria culpa commodum reportare.

1293. Sed quid dicendum de Religioso, qui *injuste,* seu sine justa causa dimissus fuisset ab Ordine? Hujusmodi Religiosus, juxta Minderer et alios Auctores quos ipse citat, non amitteret jus ad indulgentias Ordinis personales, quae in operibus exequendis non dependent ab existentia in claustro. Ratio est, quia dimissio cum sit contra justitiam, jus quaesitum Religioso auferre nequit, sed potius Religio eum recipere teneretur.

Item non videtur amittere privilegia et indulgentias Ordinis Religiosus ille, qui *vera causa existente,* legitimis facultatibus obtentis, extra Conventum, etiam sine habitu religioso, ad tempus degit; v. gr. ad subsidium ferendum parentibus extreme indigentibus (Cf. Minderer, part. II, n. 416, pag. 332).

§ VII.

ORDO RELIGIOSUS A CIVILI POTESTATE SUPPRESSUS INDULGENTIAS SUAS NON AMITTIT.

1294. Veritas praefatae affirmationis patet ex responsione, quam Pius VII per civitatem Taurinensem transiens, dedit Sacerdotibus Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii. Isti Summum Pontificem humiliter rogarunt pro concessione, seu prorogatione indulgentiarum et privilegiorum, quibus jam ante suppressionem eadem Congregatio gaudebat. Quibus Pontifex pulchre respondit, indulgentias et privilegia non amisisse: nam « *siete stati oppressi,* inquit, *e non soppressi; la soppressione non è stata legale* » (*oppressi estis,* inquit, *et non suppressi; suppressio minime fuit legalis).* At vero pro majori eorum tranquillitate postularunt a S. Congregatione: *Quid sentiendum sit hac super re?* S. C. respondit: *Oratores nulla indulgentiarum seu privilegiorum nova concessione ob allatam ab eodem Pontifice rationem indigere* (Decr. 26 Aug. 1840. N. 285).

Et S. Poenitentiaria in suppressione generali anni 1866 a gubernio italico decreta, simili modo, uti retulimus sub n. 1290, declaravit: « *Superioribus regularibus integra manere privilegia, quibus hactenus quoad peculiares proprii Ordinis benedictiones usi sunt, ac similiter integras omnibus et singulis Regularibus utriusque sexus, etiam in saeculo* DE LEGITIMA LICENTIA *viventibus, manere SS. Indulgentias* PERSONALES *a S. Sede eisdem concessas, et non revocatas* ». Idem declaravit quoad indulgentias *ecclesiis* Ordinum regularium affixas et assignatas, quae « *quamdiu iisdem ecclesiis aliquis Sacerdos ejusdem Ordinis legitima auctoritate praepositus fuerit, perdurare ut antea, omnino censeantur* » (S. Poenit. 18 Apr. 1867, n. V et VI).

ARTICULUS II.

INDULGENTIAE MONIALIBUS IN PARTICULARI CONCESSAE.

1295. Quia in superiori tractatu, agendo de indulgentiis Regularibus concessis, etiam Moniales comprehenduntur, supervacanea

videri posset alia disquisitio de iisdem Monialibus in particulari. At res non ita se habet; nam praeterquam quod de ipsis Monialibus votorum solemnium quaedam alia adnotanda supersunt, de quibus nonnisi incommode ibidem tractari poterat, aliae quoque (vid. n. 1269) in Ecclesia Dei extant et florent Moniales seu Sorores (1) sive Congregationes votorum simplicium, quae cum in magnum christianae civilisque reipublicae bonum hodie plures excreverint, de ipsis silere incongruum certo esset, eo vel magis quod non pauca dubia moveantur tum circa canonicam earumdem conditionem, tum circa privilegia et indulgentias, si quibus forte gaudent. Fatendum quidem est, conditionem canonicam praedictarum Sororum seu novorum Institutorum cum votis simplicibus esse paululum implexam neque enucleate definitam; attamen quid generatim sit de ea sentiendum, satis forsan apparebit ex iis, quae modo subnectuntur.

§ I.

VICISSITUDINES INSTITUTORUM VOTORUM SIMPLICIUM, EORUMQUE CONDITIO CANONICA.

1296. Monialium Instituta varia sunt:

1. Moniales, quae profitentur Institutum a Sede Apostolica approbatum *cum votis solemnibus*, ut Clarissae, Dominicanae, Carmelitae, Moniales Tertii Ordinis *Regularis* etc.

2. Moniales, quae pariter profitentur in praedictis Institutis, in quibus proinde *vota solemnia emitti deberent*, sed ob gravissima temporum adjuncta *vota simplicia* fiunt, et ut talia ab Ecclesia aestimantur, ut hodie sunt, praesertim in Gallia, praefatae Clarissae, Dominicanae etc.

3. Moniales, sive Sorores, quae profitentur in aliqua Congregatione, in qua juxta propriam regulam *vota simplicia dumtaxat*, sed *perpetua* emittuntur.

4. Moniales, seu Sorores, quae *vel nulla, vel temporaria tantum vota* nuncupant.

---

(1) Moniales vel Sanctimoniales proprie dictae sunt illae, quae vota solemnia emittunt; quae vero vota simplicia nuncupant, Sorores vocantur. Ob majorem tamen commoditatem hic ad nominis proprietatem non semper attenditur.

5. Moniales, seu Sorores Tertiariae, quae *privatim* in propriis aedibus commorantur.

1297. Concilium oecumenicum Lateranense sub Pontifice Innocentio III celebratum, sic decrevit, cap. 13: *Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam Religionem inveniat; sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis.*

1298. Bonifacius VIII cunctis Monialibus *professis* clausurae legem observandam praecepit. Nam antea, si quae erant Moniales clausurae legibus obnoxiae, consuetudine potius particulari, quam lege generali obligabantur (Cf. Bened. XIV, Institutio 29, n. 13; et Ferraris, art. III, n. 114).

1299. Clausurae lex a Bonifacio VIII praecepta, confirmata fuit a Tridentina Synodo hisce verbis: Nemini autem *Sanctimonialium* liceat post professionem exire de monasterio, indultis quibuscumque et privilegiis non obstantibus (Sess. 25, de Regularibus et Monialibus, cap. V).

Verum tam Bonifacius VIII, quam Conc. Tridentinum videntur loqui tantum de veris Monialibus, seu de Religionibus *stricte sumptis,* in quibus scilicet emittebantur vota solemnia.

1300. S. Pius V, Constit. *Circa pastoralis* 29 Maji 1566, *Tertiariis mulieribus in Congregatione viventibus* novam disciplinam indixit. Decrevit scilicet, ut *Tertiariae cujuscumque Ordinis vel sese clausurae subjicerent et vota solemnia emitterent, vel nulla in futurum possent* in ipsarum Ordinem, Religionem, Congregationemque *Moniales recipere* (Bened. XIV, Instit. 105, n. 74).

Id perpendens Lezana, a Benedicto XIV citatus, ait: Quo videtur intentum Pontificis fuisse omnino extinguere Congregationes istas mulierum *votum solemne non emittentium* (Summa Quaest. Reg. tom. II. cap. 14, n. 38).

1301. Porro Sedes Apostolica legem a S. Pio V propositam haud neglexit. In Decretis enim evulgatis anno 1616 sancitum est, mulieres Tertii Ordinis, quae collegialiter vivunt, *penitus subjacere dispositioni Constitutionis S. Pii V, « Circa pastoralis »* (Bened. XIV, loc. cit. n. 75).

1302. Praefata tamen Constitutio sancti Pontificis plenum effectum sortita non est. Tertiariarum enim Conventus, nedum

extincti non fuerunt, sed successu temporis pluries declaratum est, eos ab Ecclesia *non quidem approbari, sed tolerari, subjectos tamen jurisdictioni Episcoporum* (Cf. Bened. XIV, loc. cit. n. 76; Bouix, de Jure Reg. tom. I, pars III).

1303. Haec disciplina *tolerantiae* usque ad Benedictum XIII integre permansit. At hic Pontifex ob rationes, quas in suis Constitutionibus allegat, voluit ac mandavit, memoratas Tertiarias collegialiter viventes, pluribus in locis florentes sine clausura, ad *neutram* (id est *neque ad clausuram, neque ad votorum solemnium emissionem*) *absolute teneri, aut esse compellendas:* non obstantibus contrariis etc. (Bulla *Pretiosus,* VII kalendas Junii 1727).

Idem Pontifex, Constitutione *Paterna,* 20 Dec. 1725, praefatarum Tertiariarum Conventus sine clausura *denuo subjecit Superioribus regularibus Ordinum respective,* exemitque a jurisdictione Episcoporum (Bened. XIV loc. cit. n. 78; Ferraris, addit. ex aliena manu).

1304. Ast hujusmodi Constitutiones revocavit Clemens XII, Bulla *Romanus Pontifex,* 30 Martii 1732; et sic *quoad Tertiarias restitutum est jus commune ante Benedictum XIII vigens,* ita ut eaedem Tertiariae in Congregatione viventes sine clausura et absque votis solemnibus, *toleratae et Episcopis subjectae* censendae sint; *cum hac tamen limitatione,* inquit Bouix: *nisi aliquae ex his Congregationibus a tempore Benedicti XIII aliquid amplius a Sede Apostolica obtinuerint* (Cf. Bened. XIV, Inst. 29 et 105).

1305. Praeter Tertiarias, de quibus modo diximus, *aliae deinceps ortae sunt Congregationes mulierum absque clausura et votis solemnibus viventium,* ad quas pariter supradicta *tolerantia* extensa est. Licet enim in laudata Bulla S. Pii V Tertiariae dumtaxat nominentur, *utpote quae solae descripto modo tunc degebant,* ex fine tamen legis sponte fluit, dispositionem Pianam ceteras omnes Congregationes mulierum *similiter* viventium comprehendere. Volebat siquidem sanctus Pontifex *de medio tollere formam vivendi sine clausura et votis solemnibus* (Cf. Bened. XIV et Bouix, locis citatis).

1306. Infertur ex dictis, quod, non obstante Constitutione S. Pii V, *licitae postea fuerunt et hodiedum sunt* Monialium Congregationes sine clausura et absque votis solemnibus; ita tamen, ut *de jure communi* ab Ecclesia *toleratae, non autem approbatae* censeri debeant, et hoc etiamsi *regulae ipsarum ac vivendi modus*

a Sede Apostolica approbentur et confirmentur (Vid. Bullam *Quamvis justo* Bened. XIV, § 5; Bouix, loc. cit.).

Unde Summus Pontifex Benedictus XIV in citata Bulla *Quamvis justo* de die 30 Apr. 1749, agens de *Virginibus Anglicanis,* quarum regulae approbatae jam fuerant a Clemente XI, declaravit: Earum *Conservatoria* (id est domus, monasteria etc.) *tolerari* quidem ab hac Apostolica Sede, sed institutum ipsum nec approbatum, nec confirmatum esse; *obsistentibus sacris Canonibus, et generali Constitutione S. Pii V, ne religiosae mulierum domus Apostolica confirmatione stabiliantur, quae se perfectae clausurae legibus non obstrinxerint* (Loc. cit.).

Alibi doctissimus Pontifex, agens de saepedictis Tertiariis mulieribus, scripsit: Sedes Apostolica ita se gessit, ut easdem Tertiarias *non quidem sua auctoritate probaret, sed illas toleraret, et Episcopis subjectas declararet* (Instit. 105, n. 76).

1307. *Toleratae* dicuntur, quatenus Constitutio *Circa pastoralis* sancti Pontificis Pii V *ex parte vigere desiit. Non approbatae* existimantur, quia dictae Constitutioni nunquam fuit ab Apostolica Sede *expresse et positive* derogatum. Bulla enim *Pretiosus* Benedicti XIII, quae saltem *aequivalenter* Constitutioni S. Pii V derogabat, fuit, ut jam diximus, revocata a Clemente XII.

Et haec est vel saltem fere hucusque fuit conditio canonica, DE JURE COMMUNI, Monialium absque clausura et votis solemnibus in Congregatione viventium.

§ II.

STATUS TOLERANTIAE SENSUS, ET NOVA DISCIPLINA PRO SORORIBUS INDUCTA.

1308. Ex eo autem quod hujusmodi Moniales de *jure communi* dicantur *toleratae,* non est inferendum, talem denominationem denotare aliquam erga ipsas Ecclesiae repugnantiam; denominatio enim hujusmodi, saltem hodierno tempore, potius retinetur de stylo, tum in obsequium dispositionis S. Pii V, tum ad significandam earumdem ab aliis Monialibus distinctionem (Cf. Bouix, loc. cit.).

1309. Revera *tolerantiae* status minime impedit, quominus Ecclesia eas plurimi faciat ob magna emolumenta, quae ex eis rei catholicae obveniunt. Quod probat quotidiana praxis: siquidem frequens est, ut hujusmodi Monialium Constitutiones a Sede Apo-

stolica approbentur et confirmentur, et variae eisdem gratiae impertiantur. Consulatur super re methodus, quae a S. Congregatione Episcoporum et Regularium servatur in approbandis novis Institutis votorum simplicium, apud Bizzarri, *Collectanea,* appendix prima, pag. 828; et cf. Lucidi, *De Visitatione Sacrorum Liminum,* vol. II, cap. 5.

Audiatur super re laudatus Bizzarri, jam S. C. Episcoporum et Regularium Secretarius, ideoque in hujusmodi negotiis certe peritus:

« Post Const. S. Pii V circa clausuram incipientem *Circa pastoralis,* S. Sedes minime approbare consueverat Instituta votorum simplicium, sed dumtaxat monasteria, in quibus Moniales profitebantur aliquam regulam ab Apostolica Sede approbatam cum professione votorum solemnium, et cum papali clausura; quinimo S. Congregatio quandoque praecipiebat dissolutionem Communitatum mulierum, quae vota solemnia cum clausura papali non emittebant. Quod si aliquando ob peculiares locorum circumstantias offerrebatur Institutum votorum simplicium contra formam a S. Pio V praescriptam, gravibus concurrentibus causis confirmabat illius Constitutiones cum clausula « *Citra approbationem Instituti* », prout habetur in Const. Bened. XIV incipient. *Quamvis justo* pro Virginibus Anglicanis edita.

« Verum tractu temporis, et praesertim post Galliarum vicissitudines et civiles leges circa proprietatem bonorum quoad Moniales, S. Sedes Instituta votorum simplicium et sine papali clausura pro mulieribus *non solum tolerare, sed etiam laudare coepit.* Quinimo postremis hisce temporibus etiam peculiaribus Decretis S. Congregatio ea approbare non renuit.

« Haec autem approbatio *minus solemnis est, nec confundi debet cum approbatione solemni,* quae pro professione votorum solemnium impertiri solet, quando nempe conceditur erectio canonica alicujus monasterii, in quo aliqua ex antiquis regulis ab Apostolica Sede approbatis cum votis solemnibus, et clausura papali assumatur » (Edit. 1ª pag. 436).

1310. Unde inferri posse videtur, legem prohibentem Congregationes mulierum absque clausura et sine votis solemnibus viventium, *in desuetudinem abiisse,* seu *fuisse abrogatam,* non quidem *positive et expresse* per aliquam Constitutionem Apostolicam, sed *facto per contrariam Ecclesiae praxim.* Unde Grand-

claude scribit: Lex consuetudine contraria est abrogata, approbante S. Sede, quae laudat et confirmat Congregationes, quae vota simplicia tantum emittunt (Jus Canon. tom. II, pag. 436; cf. etiam Craisson, Manuale Juris Can. tom II, edit. 7ª pag. 433).

Franciscus Santi, jam clarissimus Professor Romanus, loquens de praefata prohibitione *de non assumendo novo habitu,* inquit: Haec dispositio ita saltem in praxi explicata est, *ut non interdicatur* in aliqua peculiari dioecesi ex Ordinarii licentia Congregationem quamdam sive virorum sive mulierum in communi viventium instituere (Praelectiones Juris Can. Lib. III, pag. 324).

1311. Apud Bizzarri, ut innuimus sub n. 1309, invenitur et clare explicatur methodus, quae a S. Congregatione Episcoporum et Regularium servatur in approbandis novis Institutis votorum simplicium (Collectanea, pag. 828).

Ibidem pag. 861 habetur *Elenchus praecipuorum Institutorum,* quae postremis temporibus (ab anno 1816 ad annum 1863, in quo edita fuit *Collectanea)* a S. Congregatione Episc. et Reg. laudata vel approbata fuerunt. Istiusmodi *nova Instituta praecipua* laudata vel approbata a dicta S. Congregatione, 124 numerantur a clarissimo Bizzarri, quorum major pars (ultra 80) pertinet ad Congregationes feminarum.

1312. Recentioribus temporibus spirituales favores concessi sunt quibusdam Monialium Institutis, quae Franciscano nomine gloriantur, utpote ad Tertium Ordinem S. P. Francisci pertinentia. Speciminis gratia sequentia, nobis nota, citamus.

I. Institutum *Filiarum a sacris Stigmatibus S. P. N. Francisci,* vulgo *Stimatine.*

Stigmatinae ob vitae simplicitatem, humilitatem, modestiam atque in bonum pauperum puellarum indefessum laborem, maximam venerationem ubique locorum sibi conciliant. In Albania, sed praecipue in Italia habent domos, quas sacros *Recessus* vocant.

Hujusmodi Institutum ejusque scopum et finem Summus Pontifex Pius IX, per Decretum S. C. Episcoporum et Regularium sub die 23 Julii 1855, summopere laudavit et commendavit. Anno 1856 *particeps declaratum est omnium privilegiorum et indulgentiarum, quibus Ordo Minorum* Observantium et Reformatorum *legitime fruitur et gaudet.* Tandem anno 1888 ejusdem Instituti *Constitutiones definitive approbatae et confirmatae sunt* ab Apostolica Sede (Decreta prostant penes Constitutiones dicti Instituti).

II. Institutum *Franciscalium Missionariarum a Maria Virgine* (Francescane Missionarie di Maria). Sequitur regulam Tertii Ordinis regularis S. P. Francisci, et domos habet Romae, in Gallia, in Anglia, in Belgio, in Helvetia, in Indiis, in Sinis, in Tunisia atque in dominio Canadensi; breviter, in Europa, in Asia, in Africa, in America; et Sorores iis omnibus incumbunt, quibus eget humana infirmitas, sive corpus haec respiciat, sive animam. Catholicae religionis zelo ductae, virili animo patriam deserunt, longissimis navigationibus se committunt, pericula contemnunt, ipsamque vitam pro Jesu Christo profundere non dubitant.

Per Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide sub dato 12 Augusti 1885, hoc Institutum primam approbationem obtinuit. Per aliud Decretum ejusdem S. Congr. die 6 Julii 1890, Institutum approbatum fuit.

Ex Audientia SS. sub die 17 Januarii 1886, referente Secretario S. C. de Propaganda Fide, Summus Pontifex Leo XIII benigne declarare dignatus est, Sorores Franciscales Missionarias a beata Maria Virgine *indulgentiarum Ordinis Minorum participes esse.*

Tandem per novissimum Decretum laudatae S. C. de Propaganda Fide de die 11 Maji 1896 a Leone PP. XIII confirmatum, regulae seu Constitutiones memoratarum Sororum Franciscalium Missionariarum a Maria sanctissima definitive approbatae sunt, ubi insuper declaratur, Sorores hujusmodi, prout Filias a sacris Stigmatibus, gaudere per communicationem *omnibus privilegiis, indulgentiis et Absolutionibus generalibus,* quibus fruitur Ordo Minorum.

III. Institutum *Tertiariarum Franciscanarum pro Missionibus.* Istiusmodi Tertiariae christianae educationi et litterariae instructioni puellarum sedulo singularique studio incumbunt tum in Statibus Foederatis Americae septentrionalis, tum in Orientis partibus, nec non in Italia. In hisce enim regionibus habent Domos, quarum caput, seu *domus-princeps* Glemonae in archidioecesi Utinensi sita est.

Nondum hoc Institutum a S. Sede approbationem obtinuit, et tamen per Rescriptum S. C. de Propaganda Fide die 31 Januarii 1892, Summus Pontifex Leo XIII concessit *ecclesiis publicis* hujusmodi Sororum privilegium indulgentiarum, *pro omnibus Christifidelibus,* Ordini Franciscano concessarum.

1313. Haec, quae etiam de ceteris Sororibus Tertiariis aliisque mulierum Institutis absque clausura et votis solemnibus subinde

dici possunt, plane ostendunt, quantum Familiae hujusmodi nostra praesertim aetate reipublicae catholicae sint utiles, et quam sapienter Apostolica Sedes opportuno tempore spiritualibus gratiis ac favoribus eas prosequatur.

1314. His de praesenti Monialium conditione praelibatis, nonnullae S. Sedis declarationes sunt afferendae relate ad earum privilegia et indulgentias. Ex hujusmodi declarationibus, aliae referuntur ad Moniales *generatim* cum votis solemnibus; aliae ad Moniales, *prout nunc existunt in Gallia;* aliae ad Sorores Tertii Ordinis *cum votis simplicibus.*

§ III.

DECLARATIONES PRO MONIALIBUS VOTORUM SOLEMNIUM.

1315. Sacra Congregatio Indulgentiarum pluries declaravit:

Monasteria omnia Sanctimonialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Episcoporum translata sunt, seu in posterum transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse, seu amissura fore, *sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere,* ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu existerent (Decr. 22 Apr. 1711. N. 36; vid. etiam NN. 118, 166).

Sanctimoniales quaecumque Ordinariis locorum subjectae, *gaudent indulgentiis suorum respective Ordinum aut Congregationum,* quarum ritum in Officio recitando sequuntur, ac simul institutum profitentur (Decr. 30 Maji 1744. N. 143).

1316. Moniales cujuscumque Ordinis regularis, quamvis nunquam extiterint sub gubernio Regularium, gaudent omnibus indulgentiis, quibus fruuntur ceterae Moniales, quae sub gubernio Fratrum sui Ordinis existunt (Decr. 28 Apr. 1716. N. 59).

1317. Moniales Tertii Ordinis S. Francisci, licet sub cura et gubernio Ordinariorum sint constitutae, fruuntur indulgentiis earum Ordini generaliter concessis (Decr. 3 Dec. 1736. N. 118).

1318. Moniales non gaudent indulgentiis *alterius Ordinis,* etiamsi ejus curae et gubernio subjaceant (Decr. 1 Apr. 1743. N. 138).

1319. Pro Monialibus, quae Sodalitiis adscriptae sunt, *non est subroganda ecclesia monasteriorum* in locum ecclesiae, quae a Sodalibus pro indulgentiarum consecutione visitanda est (Decr. 31 Mart. 1759. N. 212).

1320. Indulgentiae generaliter concessae *ecclesiis Fratrum pariter et Monialium,* tum in diebus festivis Sanctorum Ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus, cunctae et singulae aeque lucrari queunt *a Christifidelibus* visitantibus ecclesias Monialium, quae Ordinariorum gubernio et jurisdictioni subsunt (Decr. 26 Aug. 1747. N. 166, ubi in compendio alia Decreta super re resumuntur).

1321. Jam antea speciali Decreto declaratum fuerat « *ecclesias Monialium Clarissarum Ordinis S. Francisci Assisinatis gaudere indulgentia Portiunculae* nuncupata die 2 mensis Augusti *pro omnibus Christifidelibus,* eo modo quo gaudent ecclesiae Fratrum Minorum universi ejusmodi Ordinis S. Francisci (Decr. 23 Sept. 1741. N. 132; necnon penes Rescr. auth. N. 122).

1322. Idem prorsus dicendum est de ecclesiis Monialium Tertii Ordinis S. Francisci, etiam illarum Sanctimonialium ejusdem Tertii Ordinis, quae monasteria in partibus praesertim Germaniae habent sita sub nuncupatione *Congregationis Elisabethinarum,* licet sub cura et gubernio Ordinariorum existant (Decr. 26 Aug. 1747. N. 166).

1323. Moniales, *legitima facultate ex uno ad aliud monasterium translatae,* gaudent omnibus privilegiis, quibus antea in primo monasterio fruebantur (S. Congr. Conc. Decr. 7 Febr. 1632 penes cl. Aloysium Adone, *Synopsis liturg. canonica,* lib. II, n. 1434).

1324. *Oblatae Conservatorii* non participant omnia privilegia Monialium e clausura et ex votis solemnibus (S. C. Episc. et Reg. Decr. 4 Febr. 1876, apud Adone, lib. II, n. 1438).

1325. *Puellis, quae a Monialibus educantur,* non conceduntur indulgentiae ipsis Monialibus concessae (Decr. 5 Maji 1719. N. 73).

1326. S. Congregatio *pro expositione Venerabilis* nullas impertiri solita est indulgentias in Monialium ecclesiis. Attamen ex gratia eas concessit Monialibus S. Benedicti Neovarsavien. civitatis in Polonia, *sed pro ipsis tantum* (Cf. Decr. 27 Maji 1732 apud Rescr. auth. N. 83).

1327. In ecclesiis Monialium *regulariter* pro solis Monialibus conceditur indulgentia, quamquam *multae* factae sint exceptiones (Cf. Rescr. auth. nn. 80, 83, 311).

Cum Summo Pontifici Clementi XIII constiterit, in ecclesiis Monialium *praeter indulgentias Ordinis pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus concessas,* aliam et alias quandoque moris fuisse concedi infra annum indulgentiam et indulgentias plenarias ab omnibus pariter Christifidelibus earumdem ecclesias visitantibus lucrandam, idem Summus Pontifex praesenti Decreto statuit et mandavit, *ut in posterum quaecumque alia indulgentia plenaria* etiam pro unica vice, quae *praeter indulgentias Ordinis* in praefatis Monialium ecclesiis cujuscumque Ordinis et ubicumque existentibus concedenda expostuletur, *nonnisi pro ipsis Monialibus tantum ceterisque in monasterio degentibus concedi possit et debeat* (Decr. 12 Martii 1760. N. 220).

§ IV.

DECLARATIONES PRO MONIALIBUS, PROUT NUNC IN GALLIA COMMUNITER EXISTUNT.

1328. Permulta feminarum monasteria, decimo octavo saeculo ad finem vergente, existebant in Gallia. Sed exorta politica immanique perturbatione, omnia eversa vel dissoluta fuerunt. Pacatis politicis vicissitudinibus, plures Moniales cujusque Ordinis in aliqua domo sese collegerunt, ut meliori quo fieri posset modo, monasticam vitam ducerent juxta regulas Ordinis, quem professae fuerant. In hisce domibus deinde admissae fuerunt novae alumnae, quae peracto tyrocinio vota emittebant. Hinc ob specialia rerum adjuncta in quibus hujusmodi Neo-Moniales reperiebantur, *exortum est dubium:*

An illarum vota essent solemnia, prout antea emittebantur, an potius simplicia?

Ad hujusmodi dubium S. Poenitentiaria *pluries* respondit: *Vota, quae in praesenti rerum statu a Monialibus in regno Galliarum emittuntur, uti simplicia a S. Sede aestimari* (Decr. S. Poenit. 19 Maji 1829, apud Bizzarri, pag. 504).

1329. Eadem S. Poenitentiaria, sub die 23 Decembris 1835, declaravit etiam, quod monasteria earumdem Monialium a Sede Apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tamquam *Ordines vere et proprie religiosi,* sed piissimarum familiae feminarum aestimantur (Bizzarri, loc. cit.).

Simile responsum ab eadem S. Poenitentiaria datum fuit ad Episcopum Petrocoricensem sub die 26 Nov. 1852 hisce verbis: Cum Moniales in Galliis nec vota solemnia emittere, neque esse Moniales *stricte tales,* sed piarum tantum feminarum societates (vid. tamen inferius n. 1343-1359), *pluries responsum fuerit,* ideo illae non alia obligatione tenentur, quamea quae ex respectivis Constitutionibus resultat (Vid. Gury, tom. II, n. 183).

1330. Utrum vero praedictae Moniales in Gallia *privilegiis* et *indulgentiis gaudeant, quibus fruuntur Regulares, et quibus Moniales ipsae fruebantur, quando solemnia vota emittebant,* S. Poenitentiaria sequens dedit responsum:

Sorores monasteriorum Galliae lucrari posse *indulgentias omnes,* quae Religioni seu Instituto aliarum Monialium solemnia vota emittentium secundum institutum, seu regulam respectivam concessae fuerunt, idque *ex indulto* Pii VII a SS. Domino Gregorio XVI confirmato (Decr. cit. 23 Dec. 1835).

Item Rmus Dnus Bouvier, Episcopus Cenomanensis postulavit a S. Poenitentiaria:

An Moniales tempore perturbationis Gallicanae suppressae, postea restitutae, *sed ab aliis dioecesibus in Cenomanensem translatae,* vere nihilominus sint Moniales antiquis privilegiis suis gaudentes?

Resp.: Moniales, quae ante Gallicanam perturbationem *solemnem* religiosam professionem emiserunt, *veras Religiosas esse,* easque, *sicut et ceteras Sorores monasteriorum Galliae,* lucrari posse *indulgentias omnes,* quae Religioni seu Instituto aliarum Monialium solemnia vota emittentium, secundum institutum seu regulam respectivam concessae fuerunt; idque *ex indulto* S. P. Pii VII, et a SS. D. Papa Gregorio XVI iterum confirmato (Decr. 3 Febr. 1841, apud Gury loc. cit.).

Simili modo eamdem rem declaravit S. Congregatio Indulgentiarum in responsione ad sequens dubium ab Archiepiscopo Cameracensi propositum:

Utrum Moniales etiam non approbatae a S. Sede, ut in Gallia communiter existunt, possint lucrari indulgentias, quibus gaudent respectivi Ordines religiosi Romae vel alibi existentes, et qui sunt approbati?

S. Congregatio respondit: *Affirmative* juxta Rescriptum Sacrae Poenitentiariae 10 Julii 1843, quod sic se habet: Sacra Poeni-

tentiaria, perpensis expositis, respondit: *Affirmative,* nempe oratrices (hoc est Carmelitas Excalceatas), *uti et ceteras Sorores monasteriorum Galliae,* lucrari posse indulgentias omnes, quae Religioni seu Instituto aliarum Monialium solemnia vota emittentium secundum institutum, seu regulam respectivam, concessae fuerunt, idque *ex indulto* s. m. Pii VII a SS. D. N. PP. Gregorio XVI iterum confirmato (Decr. 12 Julii 1847. N. 343).

1331. Prout facile intelligitur, hic non agitur de novis mulierum Congregationibus *vota tantum simplicia* EX INSTITUTO emittentium; sed est sermo de *Ordinibus antiquioribus* ab Ecclesia solemniter approbatis, in quibus JUXTA REGULAM RESPECTIVAM vota solemnia pronuntiari deberent, sed ob temporum circumstantias *pro nunc* vota simplicia emittuntur.

1332. Moniales igitur antiquiorum Ordinum, quae ex instituto vota solemnia pronuntiare deberent, sed ob temporum iniquitatem in pluribus regionibus vota tantum simplicia emittunt, iisdem privilegiis et indulgentiis gaudent, quibus fruitur respectivus Ordo seu respectivae Moniales solemnia vota emittentes, idque *ex indulto* Pii PP. VII, a Summo Pontifice Gregorio XVI iterum confirmato. Si speciali indulto opus fuit, ut hujusmodi Moniales votorum simplicium indulgentiis respectivi Ordinis frui possent, infertur ipsas a participatione indulgentiarum, quibus Moniales votorum solemnium gaudent, *per se* cessasse, et nonnisi *vi praefati indulti* ad idem jus admissas fuisse.

1333. Licet per hanc Apostolicam concessionem Monialibus hujusmodi fuerit abunde provisum, tamen Abbatissa Monialium S. Clarae monasterii Lugdunensis petiit et obtinuit a S. Sede aliud indultum. Preces Summo Pontificii Leoni XIII sunt sequentes:

Quod monasteria S. Clarae in Galliis existentia, etsi ibi Sorores vota solemnia non emittant, salvaque in omnibus Ordinariorum jurisdictione, iis privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent ac perfruuntur Moniales ejusdem Ordinis vota solemnia emittentes, saltem per communicationem, gaudere ac frui possint ac valeant. Qua de gratia etc.

Vigore specialium facultatum... S. Congregatio Episc. et Reg... benigne dignata est demandare, ut *omnibus et singulis monasteriis Sororum Clarissarum,* quae in Galliis reperiuntur, tribuatur, prout praesentis Indulti tenore tribuitur, *communicatio omnium privilegiorum et spiritualium gratiarum,* quibus gaudent Sancti-

moniales Clarissae *votorum solemnium,* ita tamen ut ab illis, *etiam in posterum, vota simplicia emittantur,* nullamque habeant exemptionem ab Ordinariorum jurisdictione (Decr. 23 Nov. 1886, apud Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 35).

1334. Ut conditio canonica praedictarum Monialium melius dignoscatur, sequentes adjicimus declarationes, quibus nonnulla explicantur clausuram quoque concernentia.

Ex Gallia in una Parisien. postulatum est:

1. Utrum vota, quae nunc emittunt Moniales in Gallia, sint solemnia ?

2. Utrum, si non sint solemnia vota, Moniales nihilominus teneantur ad clausuram servandam, quam voto simplici vovent, sub censuris a Tridentina Synodo editis, ubi Episcopus clausuram restituerit ?

3. Utrum etiam excommunicationis incurrant poenam qui sine licentia ingrediuntur septa monasterii, ubi clausura ab Episcopo restituta est ?

Sacra Congregatio ad proposita dubia respondendum censuit:

Ad 1m *Negative, donec aliter a S. Sede decernatur.*

Ad 2m *Negative quoad poenas a SS. Canonibus et Apostolicis Constitutionibus praescriptas ; Affirmative relate ad censuras ab Episcopo fortasse impositas.*

Ad 3m *Affirmative, si ab Episcopo decreta fuerit* (S. Congr. Episc. et Reg. die 1 Aug. 1839, Bizzarri, pag. 94).

1335. Collige: a) Vota, quae nunc in Gallia emittuntur a Monialibus, quae *ex institutione* profiteri deberent vota solemnia, praesenti tempore habentur ab Apostolica Sede tamquam simplicia, donec ab eadem aliter decernatur.

b) Si clausura, ante perturbationes civiles *papalis,* postea ab Episcopo, qui certe jus habet imponendi clausuram episcopalem in monasteriis votorum simplicium, restituta fuerit, Moniales tenentur ad eam servandam, non quidem sub poenis a Sacris Canonibus praescriptis, quae latae sunt contra violantes clausuram papalem, sed utique sub poenis, quas Episcopus fortasse imposuit.

c) Clausura ab Episcopo restituta et ab eodem decreta cum excommunicatione contra illam violantes, proculdubio hujusmodi censuram incurrunt qui sine licentia septa monasterii ingrediuntur.

Clausura *papalis* et clausura *episcopalis* in eo differunt, quod in priori solus Papa extra casus in lege statutos dispensare potest; in posteriori plenam dispensandi potestatem habet Episcopus.

1336. Etiam ex Statibus Foederatis Americae septentrionalis varia dubia proposita fuere S. Congregationi EE. et RR. quoad votorum naturam, quae ab illarum regionum Monialibus emittuntur. S. Congregatio die 30 Septembris 1864 sequentia statuit ac declaravit:

1. Vota quae a Monialibus a Visitatione B. M. V. nuncupatis emittuntur, in monasteriis locorum Georgetown, Mobile, Kaskiaskias, S. Aloysii et Baltimorae, vi Rescriptorum a S. Sede ab iisdem obtentorum, esse solemnia.

2. Quoad clausuram, praedictas Moniales uti posse facultatibus sibi in variis Rescriptis a S. Sede concessis.

3. Ratione habita ad temporum, locorumque circumstantias, in posterum ab eisdem Monialibus Visitationis, post expletum novitiatum emittenda esse *vota simplicia;* exactisque quinque annis a votorum simplicium professione, admitti eas posse ad vota solemnia nuncupanda, praeviis spiritualibus exercitiis per decem dies; professas autem votorum simplicium frui et gaudere *omnibus et singulis gratiis et favoribus spiritualibus,* quibus professae votorum solemnium fruuntur et gaudent.

4. Vota, quae *ab aliis monialibus* in monasteriis jam erectis emittuntur, *esse simplicia,* excepto casu quo Rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apostolica Sede obtinuerint.

5. Tandem in monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus Unitis, vota a Monialibus emittenda esse simplicia.

Itaque, sic concludit S. Congregatio EE. et RR., de mandato Sanctitatis Suae declaratio haec ad Amplitudinem Tuam (Archiepiscopum Baltimorensem) per praesentes transmittitur, ut eam cum ceteris istorum locorum Ordinariis communicare velis ad rectum monasteriorum regimen ac disciplinam (Apud Collectanea S. C. de Propag. Fide, pag. 170, N. 430).

§ V.

DECLARATIONES QUOAD SORORES TERTII ORDINIS IN GENERE.

1337. Sacra Congregatio de Propaganda Fide sub die 17 Januarii 1763 Instructionem edidit mulieres Tertii Ordinis respicientem, in qua licet plura contineantur quae dicta jam sunt, utile tamen putamus eam referre, cujus summa est sequens:

1. Hic non agitur de Tertiariis, quae latini ritus non sint; hujusmodi enim mulieres a Missionariis latinis cujusvis Ordinis aut Instituti, minime licere ad habitum Tertii Ordinis suscipiendum admittere; quinimo, et admissae si quae fuerint, ab iisdem Missionariis curandum esse, ut quantocius susceptum habitum deponant sub poenis Apostolicae Sedis arbitrio subeundis, prout jam declaravit S. Congregatio Decreto edito in Congr. Gen. sub die 9 Maji 1757 et a sa. me. Benedicto XIV approbato.

2. Mulieres Tertium Ordinem profitentes duas in classes referuntur: alteram earum, quae simul collegialiter vivunt; alteram earum *(de quibus nos inferius)* quae seorsum suis in domibus degunt.

3. Quoad primas, quae nempe simul collegialiter vivunt, explorata res est, *privilegiis Tertii Ordinis minime frui* etiam illas, quae votum simplex castitatis emiserint, *nisi vota solemnia nuncuparint, et clausuram sancte religioseque custodiant.* Quamvis enim ejusmodi privilegiis olim fruerentur vigore Constitutionum Leonis X, quarum altera incipit *Dum intra,* altera *Nuper,* ea tamen privilegia diserte revocata leguntur a S. Pio V Constitutione quae incipit *Cura pastoralis officii,* in qua districtius cautum est, ne Tertiariis quae vota solemnia non emittunt, et clausurae lege obstrictae non sunt, usquam collegialiter vivere liceat. Quod etiam a Gregorio XIII plane confirmatum est Constitutione quae incipit *Deo sacris Virginibus.*

4. Fatendum quidem est his non obstantibus, et hactenus fuisse, et adhuc esse Conservatoria quaedam, ubi Tertiariae collegialiter vivunt, etiamsi nec solemnia vota emittant, nec clausurae lege teneantur. At cum ea ab Apostolica Sede *tolerata, non approbata* esse intelligantur, ut Religiosae domus canonice erectae haberi non possunt, sed potius ut domicilia fundata contra mentem Sedis Apostolicae (1), ideoque certis privilegiis, quae nonnisi clausis Tertii Ordinis monasteriis propria sunt, *carere omnino necesse est.* Sequitur ergo, hujusmodi Tertiarias jurisdictioni Ordinarii integre solideque subjectas manere.

---

(1) Disciplinam hanc recentiori tempore fuisse aliquantulum temperatam et per contrariam Ecclesiae praxim fere abrogatam, superius (n. 1308 et sqq.) demonstravimus.

5. Quod hucusque deductum est juxta doctorum omnium sensum, luculentissime docuit Benedictus XIV Instit. can. 105, n. 76, ac constanti stylo rescripsere Sacrae Urbis Congregationes.

6. Disciplinam hanc aliquantulum immutavit Benedictus XIII, nonnullis Constitutionibus editis, nimirum ea quae incipit *Paterna,* altera quae incipit *Exponi Nobis,* tertia denique quae incipit *Pretiosus,* quarum dispositione Tertiariae, quae sine solemnibus votis et sine clausurae lege collegialiter viverent, a jurisdictione Episcoporum subductae, in jurisdictionem et curam Superiorum Ordinis redierunt. At vix defuncto laudato Pontifice, ejus successor Clemens XII, Constitutione quae incipit *Romanus Pontifex, sublatis iterum ejusmodi gratiis et privilegiis,* pristinam de Tertiariis Ordinario subjectis disciplinam restituit.

§ VI.

DECLARATIONES QUOAD SORORES TERTII ORDINIS FRANCISCALIS IN PARTICULARI.

1338. Quoad Sorores Tertii Ordinis S. P. Francisci habetur specialis declaratio edita a S. Congregatione indulgentiarum die 18 Septembris 1861 (Decr. auth. N. 391) sequentis tenoris:

Tres status comprehendit Tertius Ordo S. Francisci. Primus dicitur *regularis,* et est ille, qui profitetur regulam Tertii Ordinis cum votis solemnibus, et gaudet omnibus indulgentiis FF. Minorum. Secundus status dicitur *saecularis,* et est eorum, qui habitant in propriis domibus; hujus privilegia nota sunt. Tertius status *est eorum qui habitant in monasteriis, secessibus, conservatoriis, collegiis* etc. *unam efformantes familiam* sub jurisdictione Ordinariorum, et dirigitur a Sacerdotibus saecularibus absque votis substantialibus status religiosi, quamvis recitent Officium Ordinis; hic status, ut plurimum, tantum mulieres complectitur.

Quaeritur nunc: *Utrum hujus tertii status ecclesiae gaudeant indulgentiis, prouti gaudent illae Ordinis FF. Minorum, ita ut Christifideles, qui easdem visitent die 2 Augusti, lucrentur indulgentiam de Portiuncula nuncupatam?* — Et quatenus *Negative,* supplicatur pro gratia juxta petita.

S. Congregatio respondit:

Monasteria, congregationes, seu communitates mulierum etc., quae subjectae non sunt obedientiae vel directioni Ministri Generalis Ordinis FF. Minorum S. Francisci, *non gaudere communicatione privilegiorum et indulgentiarum Ordinis, nisi speciale habeant indultum Sedis Apostolicae,* vel nisi agatur de monasteriis Sanctimonialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam Episcoporum jurisdictionem translata sunt, quae fruuntur cunctis privilegiis et indulgentiis, ac si sub gubernio Fratrum suorum actu existerent, juxta Decretum S. Congregationis die 22 Apr. 1711.

Quoad gratiam vero quae *generice* petitur pro indulgentiis et privilegiis, de quibus agitur, obtinendis: *Non expedire* (Decr. 18 Sept. 1861. N. 391).

1339. Tertiariae igitur in communitate viventes sine clausura et cum votis simplicibus, indulgentiis et privilegiis Ordinis minime gaudent, nisi ea obtinuerint *per speciale indultum S. Sedis.* Et sane, si pro Monialibus, quae ex Instituto emittere deberent *vota solemnia,* sed ob tristia temporum adjuncta in nonnullis regionibus vota simplicia, sic *disponente Apostolica Sede,* nuncupant, necessarium fuit *speciale indultum,* ut indulgentiis respectivo Ordini concessis frui possent (vid. n. 1330 et sqq.), quanto magis id dicendum videtur de praedictis Sororibus Tertiariis collegialiter viventibus, quae *secundum ipsum earum institutum* vota tantum simplicia emittunt?

Quod dicitur de praefatis mulieribus Tertiariis in communitate viventibus, applicandum est ceteris omnibus recentioribus Institutis mulierum cum votis simplicibus collegialiter viventium, quae ut indulgentiis respectivi Ordinis gaudere possint, speciali indulto indigent.

1340. Hac doctrina cognita, quaeri potest: An pro dictis mulieribus Tertiariis in Congregatione viventibus hoc speciale indultum existat, cujus vigore participes sint indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Minorum? Cui quaestioni videtur affirmative respondendum. En indultum:

ORDINIS MINORUM OBS. S. FRANCISCI — DECLARATIO.

Ad preces humillimas Rmi P. Venantii a Celano totius Ord. Min. Obs. S. Francisci Ministri Generalis, SSmus D. N. Pius PP. IX

clementer inclinatus, audito prius voto Sacrae Eminentissimorum Patrum Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, quae apud Vaticanas Aedes die 31 Martii ineuntis anni est habita, benigne declaravit, omnes et singulas indulgentias, privilegia, communicationes etc. Tertiariis S. Francisci a glorioso Praedecessore suo Benedicto XIII concessas tam vigore Constitutionis *Paterna Sedis* diei 10 Decembris 1725, quam alterius *Singularis devotio* diei 5 Julii 1726, atque ab ipsa Sanctitate Sua tum Tertiariis Franciscalibus Galliarum per Litteras Apostolicas in forma Brevis *Supremi Apostolatus* diei 7 Julii 1848 confirmatas, tum per alias Litteras *Cum sicut Nobis nuper* diei 11 Martii 1851 ad preces Rmi P. Ministri Generalis Ord. Min. Conventualium S. Francisci iterum concessas, extendi ad omnes et singulos S. Francisci Tertiarios sub quacumque directione existentes, sive Ordinis Min. Observantium, sive Ord. Min. Conventualium, sive Ord. Min. Cappuccinorum, sive denique sub directione cujuscumque Sacerdotis tam saecularis quam regularis, legitima tamen facultate pollentis, tam erigendi quam moderandi Tertiariorum S. Francisci Sodalitates seu Congregationes, ita ut unusquisque Tertiarius, qui cuilibet ex praefatis directionibus subsit, dummodo injuncta opera adimpleat, omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis, communicationibus, ut supra, elargitis ac confirmatis, gaudere possit et valeat. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus Constitutione Benedicti XIV anni 1751 quae incipit *Ad Romanum Pontificem* et aliis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis Indulgentiarum, die 14 Aprilis 1856.

F. Card. Asquinius, *Praef.*
A. Colombo, *Secret.*

1341. Modo breviter observentur sequentia:

1. Per hoc Apostolicum Rescriptum universis Tertiariis Franciscalibus restituuntur omnes indulgentiae et privilegia, quibus per citatas Constitutiones Benedicti XIII ditati fuerant.

2. In Constitutione *Paterna Sedis Apostolicae providentia* laudatus Pontifex Benedictus XIII approbat et confirmat *quascumque... concessiones, indulgentias, privilegia, communicationes...*

tam in genere, quam in specie Fratribus et Sororibus praedictis de Poenitentia, eorumque monasteriis, domibus, conservatoriis, aut aliis quovis nomine nuncupatis habitationibus, ecclesiis etiam, oratoriis et capellis vel immediate et directe, aut etiam per communicationem cum aliis Ordinibus, et praesertim Fratrum Minorum, a Romanis Pontificibus quomodolibet concessa.

3. In praefata igitur Constitutione *Paterna* a Pio PP. IX in suum robur, quoad partem *non contentiosam,* restituta, comprehenduntur Tertiarii omnes S. Francisci, tam saeculares quam *non saeculares.*

4. Per Constitutionem Summi Pontificis Leonis XIII *Misericors Dei Filius* sublata sunt quidem privilegia omnia ac indulgentiae, sed Tertiariis *saecularibus* tantum in propriis domibus degentibus, non vero Tertiariis stricto vel lato sensu *religiosis,* collegialiter seu in communitate viventibus cum votis simplicibus.

5. Ergo pro hujusmodi Tertiariis seu Congregationibus Tertiariarum indulgentiae et privilegia, quibus ante Constitutionem *Misericors Dei Filius* fruebantur, adhuc, ut nobis videtur, in suo vigore remanent virtute indulti, quod supra retulimus, a Summo Pontifice Pio IX concessi et numquam pro iisdem revocati.

1342. Quoad indulgentiam *Portiunculae* in particulari habetur speciale indultum de die 16 Octobris 1865, ab eodem Pio PP. IX concessum, supplicante P. Ludovico a Casauria, quod ad litteram dabimus ubi de Tertio Ordine saeculari sermo erit. Per hujusmodi indultum concessum est, ut *in omnibus ecclesiis* sive *capellis* Sodalibus Tertii Ordinis adsignatis, sive hi *collegialiter* sive *sejunctim* in saeculo degant, possint die 2 Augusti non solum ipsi, sed etiam *omnes Christifideles* indulgentiam Portiunculae lucrari. Certum est, hanc concessionem per Constitutionem *Misericors Dei Filius* quoad Tertiarios *saeculares* esse revocatam, sed quoad Congregationes Tertiariarum cum votis simplicibus in communitate viventium, adhuc, ut videtur, in suo robore permanere.

1343. Nec dicatur quod hujusmodi Sorores, cum non sint *Religiosae,* inter saeculares computari debeant; siquidem verum quidem est ex declaratione S. Sedis, eas non esse *strictiori sensu* Religiosas seu vere Regulares, *sensu* tamen *latiori,* analogico, minus complete dici posse Religiosas. Profitentur enim, ut supponitur, *tria vota sub regula quadam; vivunt in communitate* sub Superioris vel Superiorissae obedientia; *specialem ac uniformem*

deferunt habitum; Officium divinum seu parvum B. M. V., vel quasdam statutas preces quotidie simul recitant: quae omnia ostendunt, Sorores hujusmodi rationem status religiosi participare, ac ideo *lato sensu* dici posse Religiosas. Quinimo S. Congregatio EE. et RR. in Decreto anno 1889 edito, quod in fine hujus tractationis (n. 1359) integrum dabimus, hujusmodi Instituta votorum simplicium recognoscit, ut videtur, non quidem uti *Religiones formales votorum solemnium,* sed uti *formales* seu *veras religiosas Congregationes votorum simplicium.* Quod si ita est, ipsae non comprehenduntur in revocatione privilegiorum et indulgentiarum facta a Summo Pontifice Leone XIII pro Franciscalibus Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur.

1344. Unde praefatae Tertiariarum Congregationes gaudere pergunt, juxta nostram sententiam, privilegiis et indulgentiis, quibus primus, secundus et tertius Ordo regularis S. P. Francisci fruuntur, ac ideo diebus, in quibus concessa est indulgentia plenaria visitantibus ecclesias Ordinis Minorum, praedictae Sorores acquirere eam possunt, visitando propriam ecclesiam seu oratorium *publicum,* non exclusa indulgentia Portiunculae die 2 Augusti. Quinimo quoad *saltem* indulgentiam Portiunculae, etiam ceteri Christifideles lucrari eam possunt, visitando ecclesiam earumdem Sororum, et hoc vi memorati indulti a Summo Pontifice Pio IX concessi ad preces P. Ludovici a Casauria, in quo explicite id enuntiatur.

1345. Demum notandum est, praefatas indulgentias adhuc subsistere non solum pro Tertiariarum Congregationibus a S. Sede approbatis vel laudatis, sed etiam pro illis, quae tantum ab Ordinario loci approbationem obtinuerint, dummodo, ut supra dictum est, in communitate cum habitu religioso vivant, et regulam Tertii Ordinis Franciscalis, quae sit ab Ecclesia approbata (puta illa moderata a Leone X) profiteantur. Ratio horum est, quia concessio est generalis, facta scilicet dictis Sororibus *collegialiter* viventibus.

Hucusque exposita confirmantur ex alio Brevi de die 7 Aprilis 1876 praelaudati Pontificis Pii IX, quod per extensum afferemus in Tractatu de Tertio Ordine S. P. Francisci.

§ VII.

SORORES SEORSIM IN PROPRIIS DOMIBUS DEGENTES.

1346. Quoad secundam Tertiariarum classem, prosequitur S. C. de Propaganda Fide supra laudata (n. 1337), quae scilicet seorsim suis in domibus degunt, pluribus privilegiis olim gavisas fuisse compertum est, inter quae praecipua numerantur: 1° privilegium fori; 2° ut Patribus illius Ordinis, cujus regulam profitentur, sua peccata in Sacramento Poenitentiae aperire liceret, quamquam ab Ordinario non approbatis; 3° ut Communionem Paschalem in eorumdem Regularium ecclesia recipientes, praecepto Ecclesiae satisfacerent; 4° ut ab iis etiam Viaticum atque Extremam Unctionem in exitu vitae possent recipere.

1347. Haec tamen omnia successivis temporibus a Summis Pontificibus atque a Sacris Congregationibus editis Constitutionibus et Decretis, penitus sublata, atque ad terminos juris communis redacta sunt.

Unde Benedictus XIV, Instit. 105, n. 67 et seq. infert: « Si Leonis X Constitutio vim totam et integram obtineat, hae Tertiariae, privatim vitam agentes, ab Episcopi jurisdictione prorsus immunes esse deberent: eos sibi Confessarios deligere possent, qui ad Monialium Confessiones, non vero saecularium excipiendas probantur: ad parochiam accedere non tenerentur, ut Paschalis praecepto satisfacerent: tandem a Praefectis suis regularibus Extremam Unctionem percipere, et post mortem in ecclesia sui Ordinis sepeliri jure possent. *Sed aliter se res habet:* nam Leonis X Constitutio ad certos quosdam limites redacta fuit a Summis Pontificibus, qui deinde Sedem Apostolicam tenuerunt. Cum hae mulieres revera *non habeantur Regulares,* eo quod tribus votis solemnibus non adstringantur, ideo non censentur immunes ullo modo ab Episcopi facultate ».

1348. Deinde idem Pontifex ex Decretis Sacrarum Congregationum ostendit, minime posse Sacerdotes regulares mulierum Tertii Ordinis, de quibus est sermo, Confessiones sacramentales excipere, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad Confessiones personarum saecularium audiendas, quemadmodum nec posse illis sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum administrare in die Paschatis,

neque pariter Extremam Unctionem, nec earum cadavera domo efferre indicata funebri pompa sine Parocho, aut sine ipsius licentia. — Possunt tamen earum cadavera sepeliri in ecclesiis sui Ordinis, si locus Tertiariis designatus seorsum existat; sin minus, in parochiali ecclesia, ut ceterarum cadavera sepelienda sunt.

Lucrantur etiam indulgentias, gaudentque aliis spiritualibus gratiis Ordini adnexis, quem profitentur, statim ac ad habitum Tertii Ordinis, ac ad votum simplex castitatis a Superioribus regularibus admittuntur, quibus hanc facultatem ex Apostolicae Sedis indulto reservari compertum est.

1349. Non tamen ad omne mulierum genus haec facultas extenditur, sed ad eas dumtaxat, quae conditiones a Sacris Congregationibus rite praescriptas habuerint, nimirum: a) ut honestis probisque moribus fulgeant; b) ut annos quadraginta saltem attingant; c) ut necessaria ad congruam vitae sustentationem bona possideant; d) ut nonnisi cum consanguineis vel affinibus in primo gradu cohabitent.

1350. Hujusmodi autem conditionum examen et judicium, non ad Superiores ipsos regulares, sed ad locorum Ordinarios pertinere, Summi Pontifices decreverunt. Unde laudatus Benedictus XIV loc. cit. subjicit: « Quare si, quod proprium est, unicuique tribuatur, ad Praefectum regularem spectat religiosum habitum his mulieribus impertiri; ad Episcopum vero facultatem tradere et praescriptas conditiones accurato examine cognoscere ». Qui plura de iis mulieribus scire desiderat, conferat Instructionem S. Congr. de Propag. Fide super re condita et a Clemente XIII approbata die 16 Jan. 1763 (Chronol. Ord. Min. tom. IV, pag. 483 et seqq. — Collectanea S. C. de Propag. Fide, pag. 175, n. 445).

§ VIII.

SORORES EXTERNAE SIVE ROTARIAE (TOURIÈRES).

1351. In transactis saeculis multa Secundi Ordinis Seraphici monasteria *ad quaestuationem aliaque externa munera obeunda,* Fratres Laicos habuerunt. *Mos tamen hodie ubique invaluit pias tantummodo mulieres ad hujusmodi servitia admittendi.* Quae quidem mulieres *Tertii Ordinis saecularis Regulam ordinarie*

profitebantur, superaddito simplici voto servandi decalogi praecepta, promissisque Matri Abbatissae obedientia, castitate ac paupertate.

Quia hujusmodi Sorores *externis* officiis, ac monasterii *rotae* inserviunt, *Sorores externae,* sive *Rotariae,* gallice *Tourières,* appellari solent.

1352. Recentiori tempore, praesertim post Constitutionem Leonis PP. XIII *Misericors Dei Filius,* quae Tertii Ordinis saecularis Regulam mitigat, praefatae Sorores, servitio externo monasteriorum Clarissarum addictae, petierunt: *ad quamnam Regulam tenerentur, et an cessaverint indulgentiarum Secundi Ordinis esse participes?*

Praedictae Sorores, ut supra innuimus, antea profitebantur, saltem in majori monasteriorum parte, *Regulam Tertii Ordinis saecularis,* et aliquando tria vota simplicia *temporanea* adjiciebant, quin tamen super re haberetur aliqua S. Sedis declaratio, quae hujusmodi tenorem vitae approbaret.

1353. Ad solvendas motas difficultates, anno 1885 diversa monasteria Galliae et Belgii interrogata sunt quid de re sentirent; et ex his pleraque responderunt, esse in suis votis, ut Regula *Tertii Ordinis regularis* a Papa Leone X, Bulla *Inter cetera,* confirmata, pro iisdem Sororibus externo servitio addictis aptaretur, cum participatione indulgentiarum et gratiarum spiritualium monasterio, cui inserviunt, concessarum.

Eodem fere tempore tria monasteria civitatum vulgo *Romans, Valence* et *Crest,* humillime supplicarunt Summo Pontifici, ut Sorores externae praefatorum monasteriorum, *Tourières* nuncupatae, emitterent in posterum *tria vota simplicia paupertatis, obedientiae et castitatis* juxta Regulam Tertii Ordinis B. P. Francisci de Poenitentia a Leone PP. X approbatam per dictam Bullam *Inter cetera,* 20 Januarii 1521, cum declarationibus tamen et explanationibus, nec non indulgentiis et gratiis spiritualibus supra memoratis.

Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium placuit audire super hoc negotio votum Rmi P. Bernardini a Portu Romatino Ministri Generalis Ordinis Minorum, qui etiam desideratum opus praeparare fecit.

1354. Desiderium piarum Sororum plenum sortitum est effectum. Summus enim Pontifex Leo XIII in Audientia a Secretario

Congregationis Episcoporum et Regularium habita die 5 Maji 1888, attentis litteris commendatitiis Episcopi Valentinen., preces Abbatissarum trium praefatorum monasteriorum benigne excipiens, indulsit: ut Sorores externo servitio eorumdem monasteriorum addictae, *Tourières* nuncupatae, *rite expleto Novitiatu, consueta tria vota simplicia paupertatis, castitatis et obedientiae prius ad tempus, dein in perpetuum emittant,* juxta Tertiam Regulam S. Francisci a s. m. Leone PP. X approbatam, nec non declarationes et explanationes in Regula relatas Sanctitas Sua approbare et confirmare dignata est, indulta quoque eisdem Sororibus *participatione indulgentiarum et gratiarum spiritualium* ad tramites earumdem declarationum.

1355. Jam vero, in declarationibus, ad quas documentum Pontificium remittit, haec leguntur: *Cunctae Sorores externae, quae praedictam observant Regulam, participes sunt omnium gratiarum ac indulgentiarum, praesertim vero Benedictionum Papalium et Absolutionum generalium, quibus gaudet monasterium, cui inserviunt.*

Notentur sequentia, quae inveniuntur in declarationibus et explanationibus, quibus aptatur praedicta Regula saepedictis Sororibus externis:

a) Quoties in Regula verbum *Fratres* occurrit, perinde ac non fuisset expressum habendum est; idemque dicendum de ceteris praescriptionibus, quae *Fratribus* unice conveniunt.

b) Verba: *ab eo qui recipiendi habet facultatem,* intelligenda sunt de Matre Abbatissa ejusque Discretorio. Receptio tali modo peracta, ab Ordinario vel ejus delegato confirmanda est.

c) *Visitator* ac *Praelati,* de quibus agitur in Regula, sunt Episcopus dioecesanus vel ejus delegatus, et Abbatissa Monasterii. *(Olim erant Superiores Ordinis Minorum).*

d) Sororum habitus juxta singulorum monasteriorum consuetudines, sive peculiares Constitutiones ab Ordinario approbatas, assignari ac determinari debet.

e) Tria vota in Regula expressa, *ad annum* tantummodo a Sororibus externis emitti debent, et singulis annis *per decennium* renovantur. Quo quidem transacto decennio, ad *vota perpetua* emittenda Sorores admitti possunt, judicio Matris Abbatissae ejusque Discretorii. *Haec vota sunt simplicia, sed dispensatio a S. Sede obtinenda foret.*

f) Dominium *radicale* bonorum suorum semper retinent; attamen ipsis interdicitur eorum directa administratio, ususfructus et usus, et de illis disponere nequeunt absque Abbatissae licentia.

g) Sororibus externis praeest quaedam ex ipsis, quae *Sororis Majoris,* non vero Superiorissae titulo decoratur. *Soror Major* singulis trienniis a Matre Abbatissa ejusque Discretorio instituitur, praevia tamen interrogatione Sororum externarum professarum, et Matri Abbatissae ac Monialibus ab ipsa deputatis per omnia obedire tenetur.

h) Ceterae Sorores externae *Sorori Majori* humiliter subsunt, sicuti Sorori antiquiori.

1356. Ad caput decimum et ultimum Regulae haec declaratio ponitur:

Omnibus Clarissarum monasteriis, Episcoporum jurisdictioni subjectis, fas sit praedictam Regulam Tertii Ordinis S. Francisci, Sororibus externis accommodatam, acceptare, praevia Ordinarii licentia; eisdem tamen liceat propria servare statuta ac legitimas consuetudines, quae praefatae Regulae adnexisque animadversionibus non adversantur.

1357. In *textu* ejusdem capitis, Leo PP. X declarat: Omnia et singula in praesenti Regula contenta, sunt consilia ad facilius salvandas animas viatorum, et nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel divino jure aliquis alias esset obligatus. Obligantur tamen Fratres et Sorores facere poenitentias sibi a Superioribus impositas, quando super hoc requiruntur. Obligantur etiam ad tria vota essentialia: paupertatem, nihil habendo in speciali; castitatem, quia post votum non possunt matrimonium contrahere, nec, sine transgressione, vitiis carnis se immiscere; et *obedientiam,* quantum ad illa, sine quibus non potest commode ista fraternitas manuteneri (Vid. *Règle du Tiers Ordre Régulier de S. François et Déclarations* etc. edit. Quaracchi 1888. — Constit. *Inter cetera* Leonis X extat etiam penes Wadding. edit. 2ª tom. XVI, pag. 127, n. XIX, ann. 1521).

1358. Et hic commemorare placet, etiam Rotariis seu Ostiariis Clarissarum civitatis Lugdunensis, extra clausuram viventibus, quae tamen habitu regulari donantur, tria religionis vota emittunt, et sub Regula Tertii Ord. S. P. Francisci degunt, *indultam fuisse communicationem omnium privilegiorum et gratiarum spiritua-*

lium, quibus gaudent Moniales Clarissae (Rescriptum S. C. Episc. et Reg. die 27 Maji 1887, apud Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 147).

Eadem S. Congregatio per aliud Rescriptum de die 1 Julii ejusdem anni 1887, eamdem gratiam ad Sorores externas Monialium S. Clarae civitatis *Versaliensis, Ambianensis* et *Insulensis* benigne extendit (Loc. cit.).

§ IX.

AMPLIOR CONCESSIO QUOAD CONDITIONEM CANONICAM SORORIBUS VOTORUM SIMPLICIUM COLLEGIALITER VIVENTIBUS NUPERRIME FACTA.

1359. Anno 1889 ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium prodiit Decretum, quod nos hic per extensum referre existimamus, cum ex eo cognosci possit, quaenam sit recens disciplina Ecclesiae quoad Instituta votorum simplicium. Brevissimas animadversiones post Decretum subnectemus.

De habitu religioso et conditione Institutorum eumdem non praescribentium.

DECRETUM (1).

Ecclesia catholica hoc omnino habet, ut cum ad christianam fovendam pietatem, tum ad vitia extirpanda suas vires omnes jugiter intendat. Hinc nostra fere aetate, nedum *verae Congregationes religiosae* in magnum christianae civilisque reipublicae bonum excrevere, verum etiam aliae atque aliae fidelium piae sunt formatae societates, quae et consilia evangelica sequerentur et charitatis officia majori libertate obirent, a quibus per temporum nequitiam exercendis religiosae familiae aut pene aut omnino prohibentur.

Cum autem piae istae fidelium societates, non secus ac *verae religiosae Congregationes*, a S. Sede laudatae fuerint, earumque statuta approbata, ac novae insuper societates hujusmodi approbari

(1) Vid. Decretum apud Acta Ord. Min. ann. X, pag. 22; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXIII, pag. 129.

postularent, de earumdem societatum natura deque S. Sedis mente in illis approbandis coeptum est disputari.

Qua de causa in generali S. R. E. Cardinalium Congregatione EE. et RR. de mandato SSmi D. N. Leonis PP. XIII duo haec quaesita sunt:

1. Utrum expediat, ut S. Congregatio Episcoporum et Regularium Decretum laudis aut approbationis concedat Institutis illis, quae praeter Sorores in communitate viventes, habent obstrictas votis simplicibus sive temporaneis sive perpetuis alias Sorores, quae propriis in domibus vivunt, quin signum aliquod praeseferant externum, per quod innotescat eas membra esse alicujus regularis Instituti?

2. Utrum expediat, ut eadem S. Congregatio concedat Decretum laudis aut approbationis Institutis illis, quorum membra, etiamsi in communitate vivant, nullum tamen ejusdem Instituti signum praeseferunt, quinimo student occultare tam Institutum ipsum quam ejus naturam?

Porro in plenaria Congregatione habita in Palatio Apostolico Vaticano die 21 mensis Junii anno 1889 Eminentissimi Patres decreverunt:

Sacra Congregatio, quando laudat vel approbat hujusmodi Instituta, etiam sub expresso Congregationum nomine, ea intendit laudare aut approbare non quidem *uti Religiones formales votorum solemnium*, neque etiam *ut formales seu veras religiosas Congregationes votorum simplicium*, sed tantum uti pias sodalitates, in quibus, praeter alia quae juxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica nomine Ecclesiae a legitimo Superiore accepta. Haec insuper sodalitia laudat vel approbat S. Congregatio sub essentiali conditione quod plene perfecteque respectivis Ordinariis innotescant, ac eorum omnino subsint jurisdictioni. Denique harum sodalitatum membra, quamvis nullum regularem habitum deferant, attamen satagant, ut in se ipsis *non sit... indumenti vestimentorum cultus* (I. Petr. III, 3), nec aliquid quod cujusquam offendat adspectum, sed quod decet religiosas personas, *promittentes pietatem per opera bona* (I. Timoth. II, 10); caveantque ne quod per spiritus prudentiam occulitur, per prudentiam carnis in culpabilem simulationem degeneret.

Hoc autem Decretum Sanctitas Sua ratum habuit ac confirmavit, et in hujus generis Institutorum statutis inseri praecepit,

in Audientia habita a me Cardinali Praefecto praelaudatae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 11 Augusti 1889.

I. Card. Verga, *Praefectus.*
Fr. Aloysius Episc. Callinicen., *Secretarius.*

1360. Modo observentur sequentia:

1. In allato Decreto agitur directe de illis Institutis, quae praeter Sorores in communitate viventes, alias habent Sorores, quae in propriis domibus vivunt sine habitu religioso, ac insuper de Institutis illis, quorum membra in communitate degunt, quin tamen ejusdem Instituti signum aliquod deferant.

2. Sacra Congregatio declarat, quod cum laudat vel approbat hujusmodi Instituta, etiam sub expresso Congregationum nomine, ea intendit laudare aut approbare *non quidem* a) *uti Religiones formales votorum solemnium; neque etiam* b) *ut formales seu veras religiosas Congregationes votorum simplicium; sed tantum* c) *uti pias societates seu sodalitates.*

3. Ergo Instituta votorum simplicium ab Ecclesia laudata vel approbata, quorum membra in communitate vivunt cum habitu religioso (de quibus nos hic loquimur), a S. Congregatione recognoscuntur, si rem bene intelleximus, *ut formales seu verae religiosae Congregationes* votorum simplicium ad distinctionem *piarum societatum seu sodalitatum,* et id non solum in parte *expositiva* Decreti, sed etiam in parte *dispositiva* edicitur.

4. Consequitur, Ecclesiae disciplinam quoad praefata Instituta fuisse per memoratum Decretum (vid. n. 1343), ut nobis videtur, aliquantulum mutatam, ita ut si antea Sorores votorum simplicium in communitate viventes cum religioso habitu habebantur ut societates, aut sodalitates vel familiae piarum feminarum, vel etiam *piae* Congregationes, modo eadem Instituta aestimantur non quidem ut Ordines regulares aut Religiones formales votorum solemnium, sed utique ut verae et formales *Congregationes religiosae,* relicta appellatione piarum societatum vel sodalitatum Institutis illis, quorum membra, etsi in communitate vivant, nullum signum externum proprii Instituti deferunt, et in quibus alia desunt, quae juxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur. Ad minus, inspecto citato Decreto, S. Congregatio non videtur praedictis Institutis vo-

torum simplicium denegare honorificam appellationem *Congregationum religiosarum.*

§ X.

BREVIOR DICTORUM CONSPECTUS.

1361. Relictis iis quae canonicam Sororum conditionem respiciunt, haec retinenda sunt *quoad indulgentias* respectu Monialium et Sororum:

1. Moniales *stricte* sumptae, quae scilicet vota solemnia emittunt et clausuram servant, sive Regularibus subdantur sive Episcopis, *privilegiis et indulgentiis* respectivorum Ordinum gaudent.

2. Moniales seu Sorores, quae ad easdem familias votorum solemnium pertinent, sed ob tristia temporum adjuncta *vota simplicia* nuncupant, *ex speciali indulto* a Pio VII concesso et a Gregorio XVI confirmato, *iisdem indulgentiis* gaudent quibus fruuntur Consorores solemnia vota emittentes.

3. Sorores, quae *ex instituto* seu juxta regulam respectivam *vota simplicia* emittunt, sive sint *Tertiariae* cujuslibet Ordinis, sive *Sorores quarumcumque Congregationum,* nullius Ordinis regularis privilegia et indulgentias participant, nisi id eis *per speciale indultum* a S. Sede concessum fuerit.

4. Quocirca quodlibet Institutum votorum simplicium videat, an *hujusmodi speciale indultum* obtinuerit, quia si secus, indulgentiis tantum quae omnibus Christifidelibus concessae sunt, frui possunt.

5. Sorores Tertiariae *Franciscales* in communitate viventes jam possident specialia indulta a Summo Pontifice Pio IX concessa et pro ipsis non revocata, quorum vi gaudent indulgentiis Ordinis Minorum.

6. Indulgentiae generaliter concessae ecclesiis Ordinum regularium, aeque lucrari possunt ordinarie *a Christifidelibus* in ecclesiis *vere Monialium* respective.

7. Indulgentiae concessae *tantummodo* ecclesiis Monialium, nequeunt *ordinarie* lucrari nisi ab ipsis Monialibus, aliisque personis in monasterio degentibus. Sed quoad hoc sunt accurate perpendenda indulta Apostolica.

ARTICULUS III.

COMMUNICATIO PRIVILEGIORUM ET INDULGENTIARUM INTER ORDINES REGULARES.

§ I.

PRAENOTIONES.

1362. Cum de indulgentiis eadem ratio sit habenda ac de privilegiis quoad communicationem, nonnulla praemittimus quae modum communicandi privilegia respiciunt.

Communicatio et *communicare* a verbo *communis* derivatum, idem est ac commune facere, et conferre alicui quod prius alteri jam fuerat concessum. Unde ad rem nostram communicari dicuntur privilegia, quando uni Ordini religioso concessa, fiunt aliis communia (Cf. Reiffenstuel, tom. 4. lib. V Decretalium, tit. 33, n. 53).

Communicatio privilegiorum dupliciter fieri potest, videlicet:

a) *Absolute, plene,* et *perfecte,* et hoc accidit quando privilegium alicui personae vel communitati concessum, ita alteri communicatur, ut per se independenter ab alio frui possit privilegio, perinde ac si ei prius specialiter esset concessum. Hujusmodi privilegium seu communicatio privilegii dicitur etiam *ad instar,* vel *pariformiter,* seu *aeque principaliter* (Reiffenstuel, n. 54; cf. etiam Bizzarri, Collectanea, edit. 1ª pag. 478, 798).

b) *Imperfecte, relative,* seu *accessorie,* et hoc evenit, quando privilegia extenduntur ad alios non propter se, sed ob connexionem quam habent cum aliis; sive, ut explicat Schmalzgrueber, talis communicatio fit « quando unum privilegium, et idem, quod aliquibus personis antea concessum erat, ad alios aeque extenditur, *illos quasi aggregando ceteris,* qui antea gaudebant eo privilegio » (Schmalz. tom. V, tit. XXX, n. 77; Reiff. n. 54).

Inter utrumque communicandi modum hoc interest discrimen, quod in priori, nempe in privilegio communicato *absolute, pariformiter,* sive *ad instar,* privilegium stat et perseverat, quamvis imminuatur vel revocetur privilegium illi, cui prius datum fuit; est enim ab hoc indipendens in sua existentia, licet concessum ad instar prioris. In posteriori communicandi modo, nempe *imperfecte,*

accessorie seu *per extensionem,* privilegium communicatum sequitur vicissitudines primarii privilegii. Quare si augeatur, vel minuatur, aut revocetur privilegium in iis, quibus fuit primo concessum, augetur, diminuitur et revocatur etiam in omnibus aliis, quibus accessorie fuit communicatum. Tali modo privilegia Religiosorum communicantur eorum medicis, advocatis, familiaribus, et nonnumquam etiam Monialibus (Cf. Auctores cit.).

§ II.

COMMUNICATIO PRIVILEGIORUM ET INDULGENTIARUM INTER ORDINES REGULARES, PRAESERTIM MENDICANTES, REVERA CONCESSA EST A SUMMIS PONTIFICIBUS.

1363. Ordines *Mendicantes* (1) omnes habent inter se absolutam, perfectam, et plenissimam communicationem privilegiorum, prout omnes Doctores hac de re scribentes unanimiter docent, atque ex variis Constitutionibus Pontificiis, praesertim Julii II, Leonis X, et S. Pii V manifeste patet (Reiffenst. n. 55; Schmalzgr. n. 87; Ferraris, verb. *Privilegium,* art. I, n. 23, et verb. *Indulg.* art. V, n. 71, 72).

« Dudum per Nos accepto, ita Leo PP. X, quod Romani Pontifices praedecessores Nostri, aliqui ad Minorum, alii vero ad Eremitarum S. Augustini, alii ad B. Mariae de Monte Carmelo, reliqui ad Praedicatorum Ordinum Fratres et domos, juxta ipsorum vota devotionis affectum gerentes, illorum singulis nonnullas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, ac dona tam spiritualia quam temporalia, per diversas ipsorum litteras respective concesserunt.

---

(1) Ordines seu Religiones Mendicantes illae sunt, quae *ex primaeva sua institutione* paupertatem non tantum in particulari, sed etiam in communi observant, nulla penitus bona immobilia possidentes, contentae iis solis, quae vel mendicantur humiliter, vel donantur liberaliter, vel honesto acquiruntur labore et industria. Ordines Mendicantes vere et proprie seu de jure communi approbati quatuor sunt, videlicet Ordo Praedicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum. Tractu temporis alii Ordines per specialia privilegia inter Mendicantes adnumerati sunt, ut Servitae, Minimi S. Francisci de Paula, Jesuitae etc. (Vid. Barbosa, *Juris ecclesiastici* etc. lib. I, cap. 41, n. 206 et sqq.; Ferraris, verb. *Religiones Regulares,* art. I, n. 25).

« Nos ad singulos Ordines, singulasque ipsorum Ordinum domos, ubi religiose vivitur, *indifferenter absque acceptione personarum devotionis affectum aequa lance gerentes, omnes et singulas gratias, concessiones, indulgentias, peccatorum remissiones, praerogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta tam spiritualia quam temporalia, qualiacumque illa essent... illaque omnia et singula inter dictorum Ordinum* (Mendicantium) *personas, pariformiter communia fuisse et esse volumus* » (Bulla *Dudum,* 10 Dec. 1519, Bullar. vol. V, n. XXXVIII, edit. Taur.; Theodorus, part. II, pag. 113).

1364. Quoad Ordines regulares non Mendicantes videnda sunt, ait Schmalzgrueber (loc. cit. n. 87) specialia Decreta Pontificia. At sententia communis Doctorum affirmat, communicationem privilegiorum et indulgentiarum dari etiam inter Ordines Mendicantes et quoscumque alios Ordines regulares non Mendicantes, ut eruitur ex Bullis privilegiorum et indulgentiarum cujuslibet Ordinis regularis, de quibus vide Emmanuelem Rodericum, *Quaestiones Regulares,* tom. I, quaest. 55; Barbosa, *Juris ecclesiastici universi,* lib. I, cap. 41.

Ratio hujus generalis communicationis inter Ordines regulares indicatur a Sixto IV in *Mari magno* (1) (Bulla, *Dum fructus uberes)* Ordinis Eremitarum S. Augustini, ubi de diversis Ordinibus dicitur, quod propterea fuerint variis per Sedem Apostolicam privilegiis decorati, « *ut quos par labor, pariaque merita conjungunt, paria conjungant privilegia et favores* ». Unde Pignatellus (tom. X, Consult. 1, n. 26) scribit, privilegiorum communicationem Ordinibus Mendicantibus a Summis Pontificibus concessam fuisse, et pluries confirmatam et roboratam « *ad tollendam illam particularitatem affectus Romanorum Pontificum erga hanc vel illam Religionem, et inducendam debitam aequalitatem; ut sicut Religiones omnes aequaliter insudant, quaelibet juxta propriam regulam, pro servitio Ecclesiae, ita etiam aequaliter compotes sint ac participes concessionum Apostolicarum.*

Privilegium hoc *in se consideratum,* est quidem magnum et singulare, ac jure merito dici potest *privilegium pro acquirendis*

---

(1) Quilibet Ordo religiosus suum habet *Mare magnum,* quo nomine insigniri solet Constitutio Apostolica, in qua praecipua privilegia cuique eorum tributa continentur.

privilegiis: per ipsum enim fit, ut dum aliquod novum alicui Ordini conceditur, commune eo ipso evadat, singulisque proprium Ordinibus communicantibus, quibusdam exceptis, de quibus infra.

§ III.

COMMUNICATIO PRIVILEGIORUM ET INDULGENTIARUM SPECIALI MODO INDULTA ORDINI FRATRUM MINORUM.

1365. Quoad praedictam privilegiorum communicationem Religio Fratrum Minorum de Observantia amplissimam concessionem obtinuit a Clemente VII, Const. *Dum fructus uberes,* 30 Maji 1525, in qua Pontifex *motu proprio,* et *ex certa scientia,* omnia et singula privilegia, immunitates, exemptiones, indulta, indulgentias, peccatorum remissiones, et gratias, dicto Minorum, et S. Clarae, ac Tertio (1) de Poenitentia nuncupato, Ordinibus, illorumque personis, ecclesiis, locis etc. approbat et innovat, *ac perpetuae firmitatis robur habere debere declarat.* Insuper eisdem Fratribus, Monialibus... Ordinis praefati *communicantur* omnia et singula privilegia, indulgentiae... *quibusvis Ordinum Mendicantium vel non Mendicantium* Congregationibus quomodolibet concessa et concedenda... in omnibus et per omnia, *perinde ac si eis specialiter concessa fuissent* (Cf. Reiff., loc. cit. n. 55; et Ferraris, verb. *Privil.* art. I, n. 25. ubi in extenso affertur Bulla).

1366. Bullae Clementis VII addenda est Constitutio Clementis VIII, incip. *Ratio pastoralis officii* de die 20 Dec. 1595, qua Pontifex plenissimam confirmavit privilegiorum et indulgentiarum communicationem non solum cum Mendicantibus, sed etiam *cum non Mendicantibus* in favorem Ordinis Minorum de Observantia *in his omnibus, in quibus decretis Concilii Tridentini non adversantur.* — Omnia singula alia privilegia, ait Pontifex, immunitates, exemptiones, libertates, praerogativas, favores... facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias et indulta spiritualia et

(1) Privilegium communicationis Tertio Ordini saeculari per Constitutionem *Misericors Dei Filius* sublatum est. Hic et alibi retinentur verba pro integritate textus Bullae Apostolicae. — Sciendum tamen, Summum Pontificem Leonem XIII, Brevi diei 7 Julii 1896 benigne concessisse, ut Tertiarii saeculares Franciscales *ad quinquennium* participes sint indulgentiarum ac piorum operum, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet.

temporalia, *etiam per modum communicationis et extensionis inter se et cum aliis Ordinibus Mendicantibus et non Mendicantibus* ejusdem Fratrum Minorum regularis Observantiae, et S. Clarae, et de Poenitentia Tertio Ordinibus, etiam in Congregatione sub trium votorum substantialium professione, et eorumdem Superiorum Ordinis Minorum regularis Observantiae hujusmodi obedientia degentibus: ipsorumque Superiorum Fratribus, Monialibus, Sororibus... nec non monasteriis, domibus, ecclesiis et locis quibuscumque in genere et in specie... sub quacumque forma et expressione verborum concessa... auctoritate Apostolica, tenore praesentium, ex certa scientia... *approbamus et confirmamus, ac innovamus, perpetuamque roboris firmitatem obtinere et firmiter observare,* nec non Ordinibus Fratrum Minorum regularis Observantiae et S. Clarae ac Tertio de Poenitentia nuncupato... *etiam per modum communicationis et extensionis hujusmodi suffragari, illisque frui, uti et gaudere, et quando et quoties opus fuerit, posse et debere, in judicio et extra, ac etiam in foro conscientiae, in omnibus et per omnia, ac si specialiter et expresse eisdem Fratrum Minorum et S. Clarae, et Tertio de Poenitentia Ordinibus per Nos concessa fuissent, decernimus...*

Et notentur clausulae efficacissimae, quibus utitur Pontifex in praefata Constitutione: Non obstantibus praemissis... aliisque Apostolicis Constitutionibus, ac provincialibus et capitularibus statutis... *cum quibusvis irritativis, annullativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, restitutivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, quomodolibet, etiam pluries concessis, firmatis et innovatis...* (Vid. Constit. penes Ferraris, ibid. n. 26; Reiff. loc. cit.).

Idem Pontifex Clemens VIII Fratribus Capuccinis communicavit omnia privilegia Fratribus Minoribus et Camaldulensibus concessa vel concedenda (Cf. Piatus, tom. II, pag. 287).

1367. Ex efficacissimis et cassativis clausulis in relata Bulla Clementis VIII appositis, inferunt Doctores, Ordinem Minorum (et etiam ceteros Ordines Mendicantes) communicare in omnibus privilegiis Societatis Jesu, etiam in illis, in quibus reperitur clausula exceptiva, ut est sequens, qua usus est Gregorius XIII: *Ne illis per communicationem fruantur ceteri Mendicantes* (Cf. Ferraris, verb. *Privilegium,* art. I, n. 27-28).

§ IV.

RESTRICTIONES FACIENDAE IN COMMUNICATIONE PRIVILEGIORUM ET INDULGENTIARUM.

1368. Quamvis ex Constitutionibus Summorum Pontificum compertum sit, amplissimam esse communicationem privilegiorum et indulgentiarum inter religiosos Ordines, quibus illa indulta est, sunt tamen quaedam restrictiones faciendae, quae vel ex ipsa privilegii et communicationis notione profluunt, vel in ipsa concessione per appositas clausulas indicantur, aut saltem a communi Doctorum interpretatione assignantur.

Monacellus (in Formular. legal. pract. Supplem. pag. 109, n. 444, edit. 3ª Rom. 1844) exceptiones in communicatione privilegiorum ita describit: « *Privilegia, quae involvunt praejudicium tertii, vel sunt aliis onerosa, aut speciali nota digna, vel quae raro conceduntur, vel demum jurisdictioni ordinariae Episcoporum sunt praejudicialia et laesiva, non conferuntur per solam communicationem, sed indigent speciali et expressa concessione, non obstante quod communicatio habeat clausulas praegnantes, ut late probat Pignatellus, Consult.* 1, *n.* 32, 33 *et* 34, *tom.* X ».

Juxta communem Doctorum sententiam excluduntur pariter a communicatione:

a) Privilegia alicui personae privatae concessa, quoties sint *simpliciter personalia;* non autem si officio vel dignitati sint adnexa (Reiff. loc. cit. n. 60; Lezana, tom. I, pars II, n. 53).

b) Privilegia concessa aliquibus ecclesiis *ad tempus determinatum,* ut sunt indulgentiae in honorem alicujus Sancti per tot vel tot annos concessae (Reiff. ibid. n. 61, et Ferraris, verb. *Indulg.* art. IV, n. 74).

c) Privilegia quae concessa fuerunt ob aliquam specialem rationem, ut quando indulgentia concessa est uni loco speciali, quia ibi est imago B. M. Virginis cum magna veneratione fidelium. Tunc enim militat specialis ratio, qua aliae ecclesiae carent (Reiff. n. 62).

d) Indulgentia Portiunculae, quae licet ad omnes ecclesias Ord. Minorum sit extensa, non tamen communicatur ecclesiis alio-

rum Ordinum, quia *singularis* et *specialissima* indulgentia est (Ex communi Doctorum).

e) Excluduntur a communicatione indulgentiarum altaria privilegiata (S. C. Indulg. 27 Nov. 1764. N. 233).

f) Item non communicantur privilegia, quibus nonnulli Ordines religiosi gaudent privative, ut illud erigendi stationes Viae Crucis, proprium Ordinis Franciscani; illud erigendi Confraternitates SS. Rosarii, proprium Ordinis Dominicani, et sic de aliis similibus.

1369. Advertendum est, post revocationem indulgentiarum a Paulo V factam, privilegium communicationis non amplius vigere quoad indulgentias *personales,* ante dictam revocationem Regularibus concessas, utpote revocatas; vigere autem relate ad indulgentias *locales* et eas quae *pro defunctis* erant concessae. Respectu vero indulgentiarum post praefatam revocationem concessarum, communicatio locum habet in omnibus indulgentiis sive localibus, sive personalibus (Cf. Theod. a Sp. S., part. II, pag. 114).

1370. Quoad communicationem indulgentiarum expostulatum est: Utrum tuta sit opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis, ceteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur?

S. Congregatio Indulgentiarum respondit: *Negative, imo falsa* (Decr. 31 Jan. 1893 ad XVII).

1371. Liceat hic obiter adnotare, privilegium communicationis aliter et quidem modo claro et indubio locum obtinere penes Confraternitates SS. Rosarii. Legatur Bulla *Nuper pro parte* Innocentii XI, de die 31 Julii 1679, in qua insertum habetur « *Summarium Indulgentiarum et gratiarum confratribus et consororibus SS. Rosarii tam in vita, quam in morte concessarum* ». Ibi cap. I, n. 2. dicitur: « Omnes indulgentias specialiter, vel generaliter, aut quocumque modo, *uni,* vel *pluribus Confraternitatibus* SS. Rosarii, vel etiam *confratribus et consororibus* alicuius Confraternitatis *in aliqua particulari ecclesia erectae* impertitas, communes esse omnibus Confraternitatibus SS. Rosarii, omnibusque confratribus et consororibus omnium dictarum Confraternitatum *universi Orbis.* Hoc indulsit Gregorius XIII in Brevi incipiente *Pastoris aeterni,* 5 Maji 1582 pro Confraternitatibus canonice erectis. Et Sixtus V in Brevi *Dum ineffabilia,* 30 Janua-

rii 1586, omnia privilegia, indulta, facultates, exemptiones, immunitates, concessiones, *indulgentias,* etiam plenarias a Summis Pontificibus concessa et concessas Confraternitatibus et confratribus SS. Rosarii, extendit et ampliat in perpetuum ad Confraternitates erigendas, illarumque confratres et consorores pro tempore existentes ».

Juxta *tenorem Constitutionum* dictorum aliorumque Summorum Pontificum confectum est memoratum Summarium Indulgentiarum et gratiarum, quod quidem ex majori parte conflatur ex indulgentiis et gratiis, quae directe et immediate concessae fuerant *particularibus* Confraternitatibus, quaeque tamen per privilegium communicationis intelligebantur extensae, et de facto extensae sunt, ad omnes et singulas totius Orbis Confraternitates SS. Rosarii (Vid. cit. Bullam Innoc. XI penes Acta S. Sed. pro Societate SS. Rosarii, vol. II, pag. 293).

§ V.

QUOMODO INTELLIGENDA SIT COMMUNICATIO PRIVILEGIORUM EX JULIO PP. II.

1372. Juxta declarationem Julii II privilegiorum et indulgentiarum communicatio intelligi debet sequenti modo:

a) De Praelatis ad Praelatos, qui in alio Ordine ejusdem sunt dignitatis, licet diverso vocentur nomine.

b) De Fratribus privatis, id est sine praelaturis, ad Fratres privatos.

c) De Conventibus ad Conventus.

d) De festivitatibus ad festivitates (Bulla *Alias ad supplicationem,* 1 Junii 1509, apud Reiff. n. 59; Ferraris, verb. *Indulg.* art. V. n. 75).

1373. Quare totum id quod est concessum Generali Ordinis Praedicatorum pro suo Ordine, censetur etiam concessum Generali Minorum pro suo, et quibusvis aliis Generalibus pro suis respective Ordinibus. Totum id quod est concessum Provincialibus Praedicatorum pro suis provinciis, censetur concessum Provincialibus Minorum et aliorum Regularium pro suis respective provinciis. Totum id quod est concessum Priori Praedicatorum pro suo prio-

ratu, censetur concessum Guardiano Minorum pro suo guardianatu, et Superiori locali cujuslibet alterius Religionis pro suo locali superioratu. Totum id quod est concessum Religiosis subditis in et pro suo Ordine Praedicatorum, censetur concessum Religiosis subditis in et pro suo Ordine Minorum, et sic de omnibus aliis (Cf. Ferraris, loc. cit. n. 76; Miranda, quaest. 46; Casarubios, verb. *Communic. Privil.*).

Idem dicendum est de festivitatibus ad festivitates, de indulgentiis ad indulgentias. Quare « *ea quae in honorem sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomae de Aquino, Catharinae de Senis, Fratribus vel locis Praedicatorum sunt concessa, omnia illa Fratribus Minoribus praefatis eorumque locis in festivitatibus sanctorum Francisci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventurae, quinque Martyrum dicti Ordinis Minorum, qui apud Marrochium martyrii coronam adepti sunt, S. Clarae, et in aliis festivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet sint in majori numero, quam festa ipsorum Fratrum Praedicatorum, sint et intelligantur concessa, ad tollendam quamcumque haesitationem, et inde forte ortum scrupulum* » (Vid. cit. Bullam *Alias ad supplicationem*).

§ VI.

OPINIONES DOCTORUM CIRCA PRIVILEGIA QUAE COMMUNICANTUR, ET CIRCA MODUM QUO COMMUNICANTUR.

1374. Licet ex allatis Summorum Pontificum Constitutionibus certa ac manifesta sit communicatio privilegiorum et indulgentiarum inter Ordines regulares, tamen cum quaeritur, *quaenam privilegia* et *indulgentiae,* et *quomodo* communicentur, Auctores, non obstante praefata declaratione Julii II, diversimode respondent. Exinde provenit, ut circa hanc materiam *incertitudines non paucae et confusiones habeantur.*

1375. Emmanuel Rodericus, *quaestio* 55, art. XX, ex memorata Bulla Julii II infert, « quod cum in festivitatibus D. Francisci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventurae, Didaci, et S. Clarae aliquam ecclesiam Ordinis Minorum visitantibus... indulgentia plenaria concedatur; etiam eaedemmet indulgentiae censentur conces-

sae visitantibus ecclesias Praedicatorum in festivitatibus sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomae de Aquino, Catharinae de Senis... Et per consequens, sicut in die S. Didaci modo est concessa a Sixto V ecclesias Minorum visitantibus indulgentia plenaria; ita etiam eademmet indulgentia per viam communicationis censetur concessa visitantibus ecclesias Praedicatorum in die festivitatis D. Hyacinthi. Hoc enim operatur communicatio privilegiorum etiam in posterum concedendorum ». Hanc sententiam profitetur Schmalzgrueber, n. 91, qui in ejusdem favorem citat memoratum Rodericum, Suarez et Palaum.

At opinio hujusmodi, *inspecta saltem moderna praxi,* non videtur posse sustineri. Nam quilibet Ordo religiosus pro habenda indulgentia in festo alicujus Sancti, eam non ex privilegio communicationis derivat, sed ab Apostolica Sede postulat et *per speciale indultum* obtinet. Et quamvis, per hypothesim, praedicta sententia in se vera foret, nil utilitatis exinde in praxi haberetur, quia ob defectum super re authenticae declarationis, nemo eidem sententiae fideret, et ideo ad S. Sedem pro obtinenda indulgentia recurreret, prout in dies fieri videmus.

1376. Alii Theologi, ut Gobat, Hasbensis, aliique plures, ut asserit Matthaeucci in « *Officialis Curiae Ecclesiasticae* » verb. *Indulg.* n. 16 et sqq., sustinent id privilegii Mendicantes habere, ut indulgentiae templis unius Ordinis concessae, censeantur ad aliorum Ordinum templa, *etiam per saeculares* lucrandae, communicatae et extensae (Cf. etiam Kazenberger, Supplem. ad Sporer, de Indulg. in specie, n. 85; Lezana, tom. II, verb. *Indulg.* n. 8).

Verum, etiam quoad hanc sententiam hodierna praxis aliter docet et communis fidelium sensus contrarium ostendit. Fideles enim pro lucranda indulgentia plenaria concessa iis, qui die festo, ex gr. S. P. Francisci, S. Antonii Patavini, S. Bonaventurae etc. ecclesias Ordinis Minorum visitant, has ecclesias adeunt, non illas aliorum Ordinum regularium; et vicissim dum agitur de lucranda indulgentia ecclesiis aliorum Ordinum concessa, tunc fideles non ad ecclesias Franciscanorum pro ea assequenda pergunt, sed ad eas dictorum Ordinum respective. Ergo, saltem juxta praxim et fidelium sensum, indulgentiae ecclesiis unius Ordinis concessae, non censentur ad aliorum Ordinum ecclesias, *etiam a saecularibus lucrandae,* communicatae et extensae.

§ VII.

EXEMPLA MATERIAM DE COMMUNICATIONE PRIVILEGIORUM ET INDULGENTIARUM ILLUSTRANTIA.

1377. Praxis Sacrarum Congregationum certe non favet sententiis expositis, et potius ostendit, hujusmodi privilegium inter Ordines regulares esse, saltem hodie, valde diminutum et restrictum, ut ex sequentibus exemplis liquet.

I. Procurator Generalis Ordinis Capuccinorum postulaverat a S. Sede pro singulis sui Ordinis ecclesiis plenariam indulgentiam in festis diebus SS. Paschalis Baylon et Joannis a Capistrano. Sacra Congregatio rescripsit: *Dilata, et afferantur alia exempla.*

Exhibita proinde fuere, praeter indulgentiam pro festo S. Didaci Confessoris obtentam et in alio folio antea relatam, *alia duo indulgentiarum Brevia:* primum Sixti V, datum die 28 Septembris 1585, quo in omnibus ecclesiis tum Fratrum Minorum Conventualium, tum Fratrum Capuccinorum, tum Fratrum de Observantia, pro festis diebus SS. Francisci de Assisio, Antonii de Padua, Bernardini, Bonaventurae, ac Ludovici Episcopi et Confessoris indulgentia plenaria in perpetuum conceditur; alterum vero Clementis IX, datum die 2 Octobris 1669, quo idem Summus Pontifex in ecclesiis omnibus Ordinis S. Francisci etiam Capuccinorum, etiam pro festo S. Petri de Alcantara indulgentiam plenariam perpetuo valituram concessit. Quibus inspectis denuo quaesitum est:

1° *An in omnibus ecclesiis FF. Capuccinorum indulgentia plenaria pro festis diebus SS. Paschalis Baylon et Joannis a Capistrano concedi debeat?* Et quatenus affirmative,

2° *An petita indulgentia, perpetua, vel solum ad septennium concedenda sit?*

S. Congregatio die 25 Sept. 1713 respondit: Ad 1m *Affirmative;* ad 2m *Concedendam esse indulgentiam plenariam perpetuam* (Rescr. auth. N. 17, pag. 11).

Ex expositione huius Rescripti manifeste apparet, S. Congregationem non recognovisse in Ordine Capuccinorum privilegium communicationis relate ad illas indulgentias locales de quibus in enuntiato Rescripto agitur. Gratia enim petita obtenta fuit per *specialem concessionem* et quidem post allata *alia Brevia* seu

exempla. Et tamen agebatur de Capuccinis, qui non secus ac alii Fratres Ordinis Minorum, sunt filii Seraphici P. S. Francisci. Non videtur ergo posse sustineri sententia illa, quae docet, indulgentias concessas ecclesiis unius Ordinis censeri communicatas et extensas ad aliorum Ordinum ecclesias, *etiam a saecularibus lucrandas*.

II. Ad preces Commissarii Generalis Curiae *Min. Obs.* Ordinis S. Francisci, Clemens PP. XIII, per Rescriptum S. Congr. Indulgentiarum, die 3 Sept. 1765, omnibus Christifidelibus vere poenitentibus confessis et sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam praedicti Ordinis die 27 (*in praesens* 29) Novembris, in qua *omnium Sanctorum ejusdem Ordinis festum celebratur*, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, *indulgentiam plenariam* benigne concessit (Rescr. auth. N. 231, pag. 187).

Auctor seu Collector citati voluminis « *Rescripta authentica* » ad calcem ejusdem loci hanc notam posuit: *Eadem gratia die* 17 *Septembris* 1765 *concessa fuit Ordini FF. Minor. Observ. Reform.* ». Et revera Rescriptum de re prostat penes Ferraris, verb. *Indulgentia,* art. V, n. 83, petitum et obtentum *Ex audientia SS.* a Vice-Procuratore Generali Min. Observ. Reformat. cum dato 16 Sept. 1765.

Omisso, quod speciale indultum pro Observantibus Reformatis quoad praedictam indulgentiam in festo *omnium Sanctorum Ordinis Minorum* non erat forsan necessarium, cum primum indultum etiam ecclesias Reformatorum videatur comprehendere, concessio tamen specialis eisdem facta demonstrat, S. Sedem in hujusmodi gratiis elargiendis non attendere ad privilegium communicationis, quasi scilicet indulgentiae templis unius Ordinis concessae, censeantur ad aliorum Ordinum templa, ut supra citati Auctores arbitrantur, *etiam per saeculares acquirendae,* communicatae et extensae.

III. Rmus P. Joseph Ximenez Samaniego Minister Glis Ordinis Minorum sequentia dubia circa extensionem Officiorum S. Rituum Congregationi proposuit solvenda:

1m An communicatio etiam amplissima privilegiorum unius Religionis alteri facta, se extendat ad Officia Sanctorum?

2m An facultas recitandi Officium de aliquo Sancto, concessa specialiter Minoribus Conventualibus, vel Capuccinis, vel Fratribus

Tertii Ordinis S. Francisci, vel Monialibus S. Clarae, S. Elisabeth, Conceptionis, aut Annuntiatae, se extendat ad Fratres Minores de corpore Observantiae, sive de Familia, sive Reformati, sive Excalceati, sive Recollecti dicantur, ita ut isti licite illa uti possint?

3m An facultas recitandi aliquod Officium concessa specialiter Fratribus Minoribus Reformatis Italiae, sub hoc nomine se extendat ad Observantes de Familia, vel Excalceatos Hispaniae, vel Recollectos Galliae, et e converso?

4m An eadem facultas concessa specialiter Fratribus Minoribus de Observantia familiae Cismontanae, se extendat ad Fratres ejusdem Ordinis familiae Ultramontanae, et e converso?

5m An facultas recitandi aliquod Officium concessa specialiter alicui Provinciae, se extendat ad alias Provincias ejusdem Ordinis et Instituti; aut concessa specialiter alicui Conventui, se extendat ad alios Conventus ejusdem Ordinis, vel saltem ejusdem Provinciae?

6m An concessio recitandi singulis mensibus una die, festo novem lectionum non impedita, Officium S. Clarae a f. r. Clemente X Fratribus Minoribus Regularis Observantiae absolute facta; sit intelligenda cum moderatione similibus Officiis ab eadem S. Congregatione posita, nempe exceptis Quadragesima, Adventu, Quatuor Temporibus et Vigiliis; vel absolute, ut sonat?

Et eadem Sacra Rituum Congregatio quoad 1m, 2m, 3m, 4m et 5m respondit: *Negative in omnibus.* — Et quoad 6m respondit esse intelligendum cum moderatione (Die 16 Decembris 1679, apud Chronolog. Ord. Min. Perusini, part. I, pag. 187; Mattaeucci, Offic. Cur. Eccl. cap. 21, n. 13).

IV. Sacrae Rit. Congregationi propositum fuit solvendum dubium sequens:

An Regulares, absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum, possint addere nomen S. Fundatoris in Litaniis et Confiteor, itemque recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus?

Resp. *Negative in omnibus* (Die 20 Martii 1706 apud Gardellini 3741 ad 3, 11, 244; Piatum, tom. II, pag. 287, nota 8).

Haec omnia revera ostendunt, privilegium communicationis inter Ordines regulares, si adhuc valet aliquid, valde angustis limitibus modo esse circumscriptum, maxime si considerentur revocationes a Summo Pontifice Pio IX factae in Constitutione *Apostolicae Sedis.*

§ VIII.

ALIUS MODUS COMMUNICATIONIS.

1378. Alio modo indulgentiarum communicatio inter Ordines regulares intelligi potest. Sed antea advertendum est, Julium II in saepedicta Constitutione *Alias ad supplicationem,* loqui tantummodo *de privilegiis in genere,* non vero *de indulgentiis expresse et in specie.* De his igitur specialim agendo, communicatio indulgentiarum inter Ordines regulares tali privilegio gaudentes, ita potest et etiam, juxta nostram sententiam, debet intelligi, scilicet: *quod indulgentias omnes concessas ecclesiis unius ex Ordinibus regularibus lucrari potest in ecclesia sui Ordinis quivis alius Regularis, nisi obstet aliqua specialissima ratio.*

1379. Id eruitur ex Constit. Leonis X, *Dudum per Nos.* Cum enim Pontifex per hujusmodi Bullam indulgentias inter Ordines regulares Mendicantes communicasset, et Religiosi evulgassent *in vim dictae communicationis posse* Saeculares, visitando ecclesias aliorum Ordinum, lucrari indulgentias elargitas ecclesiae S. Mariae de Populo in Urbe ad PP. Augustinianos spectanti, declaravit, *Saeculares* eas lucrari non posse, nisi visitando ipsam ecclesiam de Populo, quia gratia facta *intuitu Religionis,* seu favore speciali erga Religiosos, *ad Saeculares* non extenditur. « Attendentes, inquit Pontifex, quod indulgentia *intuitu Religionis* concessa *ad Saeculares extendi non debet,* volentes mentem praedecessorum nostrorum et nostram declarare, volumus, et auctoritate Apostolica *declaramus, quod universi et singuli dictorum Ordinum Fratres et Moniales* etc. *praedictis indulgentiis gaudeant, perinde ac si ipsi dictam domum B. Mariae de Populo personaliter visitassent* » (Cf. Matthaeucci, Official. Curiae, verb. *Indulg.* n. 17; Ferraris, n. 73; Lezana, tom. I, cap. XX, n. 9).

1380. Veritas enuntiatae propositionis confirmatur ex *authentico* Summario Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Minorum. In eo sequentia leguntur et declarantur:

« Nota, Religiosos et Moniales *aliorum Institutorum religiosorum* gaudere omnibus praedictis indulgentiis per communicationem spiritualem concessam a Leone X, Julio II, aliisque Summis Pontificibus, ita ut *visitando suam ecclesiam* in die S. Francisci,

S. Antonii a Padua, confessi et sacra Communione refecti, orando Dominum pro exaltatione S. Ecclesiae, extirpatione haeresum, et pro pace et concordia inter principes christianos, lucrentur eamdem indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum.

« Ita pariter Religiosi et Moniales S. Francisci *visitando proprias suas ecclesias* in festo S. Dominici, magni Patris S. Augustini, S. Francisci de Paula, aliorumque pariter Patriarcharum et Fundatorum Ordinum a S. Sede approbatorum. Pariter diebus Jubilaeorum, et indulgentiarum eorum ecclesiis concessarum, confessi et sacra Communione refecti lucrantur easdem indulgentias, remissiones et Jubilaea, *ac si personaliter visitassent eorum ecclesias* » (Summar. Indulg. n. 53, apud Rescr. auth. pag. 398).

1381. At vero notandum, indulgentias praedicto modo communicatas *Regulares dumtaxat* posse in propriis ecclesiis lucrari, *minime vero Saeculares*. Id patet ex supra allata declaratione Leonis X, id ostendit, ut superius diximus, communis fidelium sensus. Nam in dies videmus, saeculares pro acquirendis indulgentiis in aliquibus Sanctorum Regularium festivitatibus concessis, pergere ad illas Regularium ecclesias, pro quibus indulgentiae sunt specifice et immediate concessae, non vero ad ecclesias aliorum Regularium (Cf. Passerini, quaest. 102).

1382. Nunc exposita confirmari possunt ex his quae affirmantur in memorato Summario n. 1°, ubi dicitur: « SSmus D. N. PP. Sixtus V, inhaerendo concessioni factae a Leone X, concedit et ipse, ut Religiosi Ordinis Minorum, et consequenter Moniales Clarissae, *per communicationem privilegiorum* possint lucrari *omnes indulgentias* a Summis Pontificibus concessas *aliis Ordinibus regularibus,* et esse participes omnium orationum, vigiliarum, jejuniorum, abstinentiarum, disciplinarum, sacrificiorum, quae fiunt in toto mundo a Religiosis Instituti mendicantis ».

Ibidem n. 2°, ita continuatur: « Unde fit, ut Fratres, Moniales, aliique Religiosi, quotiescumque visitabunt *propriam suam ecclesiam,* ibique orationem facient, et Deum precabuntur pro exaltatione S. Ecclesiae, pro extirpatione haeresum, et pro pace et concordia inter principes christianos, lucraturi sint omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum et S. Jacobi de Galitia; et hoc vi ipsiusmet Bullae Pauli V, qui revocavit multas indulgentias a suis Praedecessoribus concessas Regularibus, et hanc confirmavit ».

Ex adductis videtur posse jure concludi, quod indulgentias omnes concessas ecclesiis unius ex Ordinibus regularibus lucrari potest in ecclesia sui Ordinis *quivis alius Regularis,* nisi obstet aliqua specialissima ratio, quae evidenter communicationem excludat, prout diximus sub n. 1368.

§ IX.

OBJECTIO ET CONCLUSIO.

1383. Contra expositam doctrinam objici potest, quod praxis apud Regulares eam non confirmat. Nam Religiosi diversorum Ordinum, dum omnem sollicitudinem impendunt pro assequendis indulgentiis propriis ecclesiis concessis, non eamdem, imo forte nullam curam habent, illas indulgentias in iisdem propriis ecclesiis adipisci, quae sunt adnexae ecclesiis alterius Ordinis.

Respondemus: Si vigor et extensio communicationis privilegiorum et indulgentiarum desumi et mensurari debeat ex ipsorum Ordinum regularium *usu et praxi,* nos in tali hypothesi non haesitamus asserere, *praedictum communicationis privilegium jamdiu inter eosdem Ordines regulares cessasse.* Ordines enim praefati, favoribus ac indulgentiis *Regularibus omnibus* a S. Sede concessis, vel *per specialia indulta* ab eadem obtentis contenti, non amplius ad communicationis privilegium attendunt. Ob Theologorum dissentiones circa hanc materiam, ob eorum haesitationes in asserendo vel negando, in extendendo vel coarctando memorato privilegio, factum est ut religiosi Ordines, posthabita lege communicationis, cui ob tantas incertitudines *non amplius fidunt,* ad Apostolicam Sedem recurrunt pro impetrandis gratiis, quae fortasse per viam communicationis ipsis competunt.

Si attente perpendantur Constitutiones Romanorum Pontificum, praesertim Julii II, Leonis X, Clementis VII et VIII, quas supra citavimus, et quae legi possunt penes Auctores Reiffenstuel, Kazenberger, Ferraris etc., videbitur profecto, communicationem privilegiorum et indulgentiarum esse tam amplam et claram ut quamlibet dubitationem excludere videantur. Certum est autem verba Summorum Pontificum dictam communicationem concedentia effectum suum operari, nisi ab alio Summo Pontifice indulta gratia revocetur. In tanta autem Theologorum discrepantia diffi-

cillime sciri potest, ideoque *dubium* semper erit, an et quando concessiones Summorum Pontificum effectum suum *de facto* operentur. Et tunc quid amplius valet *in praxi* privilegium communicationis?

1384. Ex dictis, et mature perpensis declarationibus S. Congregationis Indulgentiarum (*Decr. auth.* n. 107 ad 4^m, et 115; nec non *Rescr. auth.* n. 103), statui potest haec regula generalis: Communicatio indulgentiarum inter Ordines regulares habetur quoad indulgentias concessas *pro causa generali,* id est propter opera, quae ex Instituto aliorum etiam Ordinum peragenda sunt. Non habetur vero communicatio quoad illas indulgentias, quae concessae sunt pro *causa speciali et omnino propria* uni Ordini, Provinciae vel Ecclesiae, quaeque proinde non habet suam applicationem, ob defectum ejusdem vel similis causae, in aliis Ordinibus, Provinciis sive Ecclesiis. Fere eodem modo plures Theologi rem explicant, dicentes, privilegium communicationis intelligi debere solum de privilegiis et indulgentiis, quae *in genere* sunt concessae, et etiam de illis, quae personis particularibus sunt elargitae, *non tamen ut personis particularibus in seipsis,* sed prout sunt *partes alicujus Congregationis,* seu non prout sunt *personae privatae,* sed prout sustinent aliquod officium (Cf. Lezana, tom. I, part. II, cap. 1, n. 52, 53; tom. II, verb. *Indulg.* n. 8).

1385. Pro clariori intelligentia de communicatione indulgentiarum, quae *in genere* sunt concessae, quaeque solae juxta dictos Theologos communicantur, nos quaesivimus de re aliquod exemplum apud non paucos Auctores, sed nullibi illud potuimus invenire. Quaenam ergo sunt indulgentiae Regularibus, privilegio communicationis gaudentibus, *in genere* concessae, et *quae solum communicantur?* Non certe illae, quae post generalem revocationem, de novo omnibus et singulis Ordinibus religiosis concessit Paulus V. Nam hujusmodi indulgentiae non per viam communicationis, sed per immediatam et primariam concessionem habentur.

Quaenam ergo sunt, vel saltem possent esse? Nos putamus, hujusmodi interrogationi difficulter satisfieri posse *cum omnimoda certitudine,* maxime si perpendantur exempla, quae sub n. 1377 attulimus. Quocirca nobis videtur ita posse concludi:

1386. Conclusio. Relate ad privilegium communicationis indulgentiarum inter Ordines regulares, si spectetur *jus antiquum*

a Summis Pontificibus statutum, communicatio privilegiorum et indulgentiarum est certa et amplissima. Nam Romani Pontifices in suis Bullis, ut supra vidimus, decernunt et VOLUNT, *communia fuisse et esse* inter Ordines (puta Mendicantes) *omnes et singulas gratias, concessiones, indulgentias... privilegia, indulta tam spiritualia quam temporalia,* QUALIACUMQUE ILLA ESSENT... *illaque omnia et singula...*

Si vero spectetur *jus modernum,* vel potius *praxis* sive *factum,* communicationis privilegium inter Regulares, praesertim *quoad indulgentias,* perinde se habere, *ac si non amplius existeret* (1), idque non quidem per generalem alicujus Summi Pontificis revocationem, sed *per non usum a diuturno tempore* ob dubia et incertitudines circa ejus valorem et extensionem; consequenter *ob defectum fiduciae* in privilegio ex parte ipsorum Regularium, qui ad illud non amplius attendunt, sed gratias spirituales, si quas volunt, a S. Sede petunt, illasque *per specialia indulta* obtinent; tandem, et quidem praecipue, *ob quamdam super re mutationem disciplinae* jamdudum introductam sub ductu S. Matris Ecclesiae.

ARTICULUS IV.

LITTERAE FILIATIONIS.

1387. Urbanus V, scribit Casarubios, concessit ut Generalis et Provinciales totius Ordinis Minorum possint communicare suffragia, indulgentias, orationes et bona spiritualia benefactoribus Ordinis (Compend. Privilegiorum, verb. *Indulgentia quoad Saeculares,* c. 4, n. 6).

P. Ferraris rem confirmat pro omnibus Praelatis cujuscumque Religionis, dicens: Praelati regulares concedere possunt specialibus benefactoribus suae respectivae Religionis *Filiantias* seu *Litteras Filiationis,* eis communicando suffragia, indulgentias, orationes et bona spiritualia, tamquam filiis propriae Religionis, ex

(1) Advertendum tamen, indulgentias, quae Regularibus *jam factae sunt propriae* per communicationem, dummodo non fuerint revocatae, adhuc in suo robore permanere.

concessione Urbani V, facta Praelatis totius Ordinis Minorum (Biblioth. can. etc. verb. *Regularis Praelatus,* n. 74).

Lezana ex Ordine Carmelitarum iisdem verbis ac Casarubios rem affirmat, et adjungit, quod *eodem privilegio tam Minores, quam alii Mendicantes, qui communicant in privilegiis cum ipsis, potiri possunt.*

1388. Quoad communicationem *indulgentiarum* benefactoribus Ordinum regularium, praelaudatus Lezana scribit: « Possunt autem dicti Praelati communicare suis benefactoribus indulgentias (intellige sui Ordinis) multipliciter. Primo quidem praecipiendo suis subditis, ut pro illis indulgentias lucrentur. Quod fieri potest, supposita sententia Suarez (supra disp. 52, sect. 7, n. 6), Bonacinae (supra punct. 6. n. 12), et aliorum asserentium posse unum hominem viventem pro alio etiam vivente lucrari indulgentias, *si Pontifex concedat,* prout contingere videtur in hoc casu. — Secundo, uniendo et aggregando praedictos benefactores cum suis Religiosis, ac ita faciendo, quod quemadmodum Religiosi dictas indulgentias consequuntur, faciendo opus a Papa praescriptum, ita et illi benefactores, si illud fecerint. Quo casu Praelati nihilominus non dicuntur concedere indulgentias, *sed solum Papa.* Hoc enim modo intelligunt hoc privilegium Suarez (supra disput. 55, sect. 5, n. 13 etc.) et Peyrinus (tom. II. de Prael. quaest. 3, c. 6, n. 9), qui etiam addit id fieri posse, applicando fructum dictarum indulgentiarum modo, quo applicantur defunctis. Quod tamen coincidere videtur cum primo modo assignato ». Hucusque Lezana (Summa quaest. vol. II, verb. *Indulg. quoad Regulares,* n. 15; cf. etiam ibid. verb. *Bona Regularium*).

1389. Verum primus modus communicandi benefactoribus indulgentias non videtur verus, sed simpliciter *hypotheticus,* quia Ecclesia numquam solet elargiri indulgentias, quae sint pro aliis *viventibus* applicabiles (Vid. n. 48, 49). Quoad secundum modum, facile intelligitur, benefactores, si per litteras Filiationis aggregati et incorporati fuerint Ordini, *posse* eos quoque frui indulgentiis ipsi Ordini concessis, *dummodo tamen Summus Pontifex id concedat.* Haec extensio indulgentiarum ad praedictos benefactores per litteras Filiationis Ordini religioso aggregatos, concessa est, juxta Suarez, *Mendicantibus.*. Tunc autem, subjungit eximius Doctor, non Praelatus Religionis, sed ipsemet Summus Pontifex indulgentias concedit; *atque ita indulgentiarum lucrum numquam ab his Praelatis Religionum manat* (Suarez, disp. 55, sect. 5, n. 13).

1390. Haec ultima verba exprimunt conclusionem thesis, quam laudatus Doctor in citata Disputatione et Sectione defendendam suscepit, quod scilicet Praelati Religionum, *jure divino vel ordinario, seu ex vi muneris nullam habent potestatem* (Vid. n. 73, 10°, et 76) *concedendi indulgentiam.* Ideo antea arguerat: « Breviter dicendum est, quidquid in hoc genere Prelati Religiosorum aut possint aut faciant, solum esse suffragiorum oblationes seu donationes, non vero esse indulgentiarum concessiones ».

Deinde refutata ut omnino falsa sententia illorum, qui asserunt (Vid. n. 20), quamlibet fidelium congregationem, ut puta Ordines regulares, Dioeceses etc., particularem habere thesaurum sub eorum respective dominio positum, cujusque dispensatio ad eamdem congregationem seu ad ejus Praelatum pertineat, Suarez infert: Ex his ergo satis constat, quando aliqua Religio vel Praelatus ejus aliquem admittit ad consortium seu participationem operum talis Religionis, non admittere illos ad participationem alicujus thesauri cum illo communicandi, neque applicare illis aliquas satisfactiones ad remissionem peccatorum quae commiserant, et consequenter in ea communicatione *nec rationem nec concessionem indulgentiae intervenire.* Admittunt ergo illos ad applicationem seu participationem suorum meritorum et operum, *praecipue per modum impetrationis.* Nam, quia propter pia opera totius Religionis *Deus specialiter benefacit membris ejus, ideo omnibus etiam cum tali Religione specialiter conjunctis specialia beneficia confert propter eadem opera.*

Possunt etiam aliquos admittere ad participationem suffragii satisfactorii, si velint satisfactiones suas eis applicare, quando eas faciunt. In hoc tamen advertere oportet, hujusmodi applicationem semper requirere particularem voluntatem et intentionem singularium personarum operantium. Itaque non satis est quod Praelatus unius domus v. gr. sua intentione et voluntate applicet pro benefactoribus opus satisfactorium quod ab aliquo sibi subdito efficitur, sed necesse est, ut etiam ipse subditus sua voluntate illud offerat, vel expresse et directe, vel intentionem suam ad Superioris intentionem referendo. Ratio est, quia voluntas Superioris non sufficit ad dirigendum moraliter alienum opus, cum non sit directe et immediate sub dominio illius (Suarez, disp. 55, sect. 5).

1391. Ex dictis collige: 1° Praelatos regulares posse benefactores sui respectivi Ordinis admittere ad participationem bonorum

spiritualium quae per subditos Fratres et Sorores fiunt in proprio Ordine. 2° Non posse eisdem benefactoribus applicare *praeteritas* Religiosorum satisfactiones, sed *praesentes tantum aut futuras.* Religiones enim, ut supra notavimus, non habent specialem thesaurum, in quo repositae conserventur subditorum satisfactiones: hae siquidem praesatisfactiones Religiosorum *superabundantes* statim ingrediuntur communem Ecclesiae thesaurum, cujus supremus dispensator jure divino est tantum Summus Pontifex (Vid. n. 73). 3° Consequenter Praelatos Religionum non posse praedictos benefactores admittere ad lucrum indulgentiarum, quibus fruitur Ordo religiosus, *nisi Summus Pontifex id concedat.*

1392. Quaestio remanet, et quidem *principalis* in hac materia, *utrum Romanus Pontifex Praelatis regularibus facultatem indulserit admittendi per litteras Filiationis benefactores proprii Ordinis ad participationem indulgentiarum ipsius Ordinis?*

Si fides adhibenda sit Auctoribus supra citatis, nempe Suarez, Casarubios, Lezana, Ferraris, aliisque, propositae quaestioni respondendum foret respectu saltem Ordinum Mendicantium: *Affirmative,* idque ex concessione Urbani V *directe* facta Praelatis Ordinis Minorum. Quae sententia, *relate ad Ordinem Minorum,* robur videtur accipere ex iis, quae affirmantur in Summario Indulgentiarum, quibus gaudet Confraternitas Devotorum Jesu Christi ad Calvarium (vulgo: *Sacconi rossi*). Ibi enim (*Rescr. auth.* pag. 449, 34°) haec leguntur: « Per aliud diploma *(Rmi P. Ministri Generalis Paschalis a Varisio)* diei 13 Februarii 1776 Fratres nostri *(praefatae Confraternitatis)* affiliati sunt eidem Ordini Minorum cum plenaria participatione omnium privilegiorum, gratiarum et *indulgentiarum* a Summis Pontificibus ipsi concessorum, virtute facultatum concessarum Patri Ministro Generali *pro tempore* Minorum de Observantia in Bulla Innocentii XII *Sua Nobis* 15 Decembris 1695 ».

Si revera asserta Bulla existit, P. Ministro Generali Ordinis Minorum facultas certo esset admittendi benefactores per litteras Filiationis ad participationem etiam indulgentiarum Ordinis. Nos quidem non modicum tempus impendimus in ea perquirenda, et sollicite eamdem quaesivimus tum in Bullariis, tum in Chronologia Ordinis Seraphici, tum etiam apud non paucos Auctores, *sed frustra.* Quid ergo dicendum de hac quaestione? Sententia nostra haec est: Quousque non appareat documentum certum S. Sedis, quo Docto-

rum, quos citavimus, doctrina fulciatur, nos non audebimus in re tanti momenti affirmare, Praelatos Religionum posse per litteras Filiationis indulgentias Ordinis ad ejusdem benefactores extendere.

Quid ergo indubitanter communicari possit et de facto communicetur per *Filiantias* a dictis Praelatis, ex eorum diplomatibus dignosci debet. Jam vero in litteris quas concedit Minister Generalis Ordinis Minorum, haec habentur «...tenore praesentium Vos admittimus et accipimus inter Confratres nostros, quatenus tam in vita, quam in morte, et post mortem plenariam participationem obtinere possitis *omnium meritorum, quae suffragiis, Missis, jejuniis, meditationibus, praedicationibus, missionibus, aliisque piis operibus in universo nostro Ordine* per Fratres Observantes, Reformatos, Excalceatos, Recollectos, Tertii Ordinis, nec non per Moniales S. Clarae, Annuntiationis, Conceptionis, aliosque nostrae jurisdictioni subjectos, die noctuque acquiruntur». Ubi ut vides, nulla fit largitio indulgentiarum, sed communicatio seu participatio tantum meritorum Ordinis.

1393. Hic tamen advertendum est, quod cum dicitur Praelatos applicare posse bona opera suorum subditorum pro aliis, non debet intelligi de illis quatenus sunt stricto sensu *meritoria,* seu, ut dicunt Theologi, meritoria *de condigno gratiae et gloriae:* hoc enim modo pia opera sunt personalia et *omnino incommunicabilia aliis;* sed intelligi debet de praedictis operibus, quatenus sunt *impetratoria* apud Deum, et *satisfactoria* pro poena temporali. Vide quae diximus n. 17.

1394. Notandum est etiam, Praelatos non posse communicare, saltem juxta probabiliorem sententiam, ea bona, quae subditus in particulari facit pro satisfactione suorum peccatorum, si talis subditus ipsis egeat, nisi ad hoc aliquo modo consentiat. Nam cum ipsum opus fiat determinate ab ipso subdito pro satisfactione suorum peccatorum, jam non est bonum commune religiosae familiae, sed particulare ipsius personae operantis (Cf. Rodericum, loc. cit. art. IV; Lezana, loc. cit. n. 7).

1395. Quibus litterae Filiationis concedendae sint, satis constat ex dictis, sed pro Superiorum nostri Ordinis norma placet adjicere quae de eisdem statuta sunt in nonnullis Capitulis Generalibus. In Constitutionibus generalibus conditis in Capitulo Generali Romae in Conventu S. Mariae de Aracoeli celebrato anno 1700, haec super litteris Filiationis seu Confraternitatis (vulgo *Fratellanza*) fuerunt decreta:

Cum in Capitulo Lugdunensi 1518 inter cetera confirmata a Leone X emanarit statutum sequentis tenoris: *Ordinatur, quod de cetero suffragiorum Confraternitates nulli dentur, nisi his quos Minister Provincialis, aut Custos, aut Guardianus in suis administrationibus nominaverint; nec nominare debent, nisi personas dignas et benemeritas, alias ipsae litterae ipso facto sint nullius valoris;* item in Lavallensi 1505, *quod nullus Commissarius possit dare hujusmodi litteras in albo, sed solum ubi sunt nomina expressa;* nimia autem facilitas dandi hujusmodi litteras absque delectu quibuscumque personis, aestimationem diminuat thesauri meritorum nostrae Religionis; Capitulum Generale instanter commendat Praelatis Generalibus, praecipitque Provincialibus, quatenus se conformando praedictis statutis, nulli deinceps litteras Confraternitatis seu Filiationis concedant, nisi illis solummodo, qui judicio Praelatorum fuerint *benefactores insignes;* nec eas unquam pro libitu Fratribus distribuendas committant, sed illis dumtaxat, quorum judicaverint nomina exprimenda in eis, atque expresserint (Vid. Chronolog. Ord. Perusini, tom. I. pag. 467, n. 32).

CAPUT II.

INDULGENTIAE ORDINI MINORUM CONCESSAE.

Fratres et Sanctimoniales Ordinis S. P. Francisci, praeter indulgentias quae omnibus Christifidelibus et omnibus Regularibus sunt communes, aliis quoque perfruuntur indulgentiis, quae ipsis specialiter a S. Sede concessae sunt, quaeque ideo propriae Ordinis Minorum sunt, prout ceteroquin quilibet religiosus Ordo propias indulgentias habet. Nonnullae ex his indulgentiis aliis etiam Ordinibus absque dubio elargitae sunt, vel eisdem per communicationem factae sunt communes; nos tamen hujusmodi investigationem praetermittentes, ad directam indulgentiarum concessionem Ordini Minorum factam unice in hac recensione attendimus.

ARTICULUS I.

STATIO SS. SACRAMENTI.

1396. A saeculis in universo Seraphico Ordine usus viget recitandi sive in communi sive seorsim, brachiis extensis, plerumque ante SS. Sacramentum, *quinquies Pater noster cum Ave Maria,* et in fine cujuslibet, *Gloria Patri,* ad intentionem Summi Pontificis, et aliud *Pater,* et *Ave Maria,* et *Gloria Patri* pro concedente indulgentias.

1397. Fratres et Moniales Ordinis Minorum recitantes praedicta *sex Pater, Ave et Gloria* lucrantur omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Jacobi Galitiae et Portiunculae. Complexus hujusmodi precum et indulgentiarum eisdem adnexarum dicitur *Statio;* et quia precum recitatio fieri debet, saltem ex primaevis concessionibus, ante sanctissimum Altaris Sacramentum, ideo vocari solet *Statio SS. Sacramenti.*

1398. Leo X, ita unanimiter Scriptores Franciscales, concessit omnibus Fratribus Minoribus Regularis Observantiae ac Monialibus S. Clarae et Tertii Ordinis (hodie tamen Tertiarii *saeculares* vi Constitutionis *Misericors Dei Filius* (1) non amplius hoc privilegio fruuntur), quod dicendo sex *Pater, Ave,* et *Gloria,* lucrantur indulgentias omnes, tam plenarias, quam non plenarias, concessis ecclesiis Urbis, Hierosolymae, Compostellae et Portiunculae, quacumque hora diei vel noctis praedicta sex *Pater, Ave,* et *Gloria* recitaverint (Cf. Casarubios, in Compend. Privilegior, verb. *Indulgentiae Stationum;* Kazenberger, Supplem. Theol. Mor. Sporer, n. 88; Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 1 et sqq.).

1399. Deinde Auctores Franciscani et non Franciscani demonstrant, hujusmodi indulgentias non fuisse a Paulo V per Constitutionem *Romanus Pontifex* revocatas. Nam Paulus V revocavit quidem indulgentias Regularibus concessas, sed personales tantum, non vero locales, quae indiscriminatim pro omnibus Christifidelibus concessae fuerunt. Porro praedictae indulgentiae Stationum sunt locales, concessae nempe certis ecclesiis et locis et quidem pro omnibus Christifidelibus: non sunt ergo revocatae. Relate ad Regulares, Summi Pontifices solum dispensarunt *in modo lucrandi* memoratas indulgentias, quatenus nempe personae regulares, quin Romam, Hierosolymam, Compostellam ac Portiunculam se conferant, easdem indulgentias lucrari possint visitando proprias ecclesias, ibique recitando sex *Pater, Ave,* et *Gloria,* sicut Romae etiam saeculares eas lucrantur, visitando ecclesias Stationum. Hinc colligitur, hunc modum acquirendi praedictas indulgentias constituere *privilegium* seu *gratiam* ab Apostolica Sede Regularibus concessam, easdem indulgentias assequendi via, medio et modo faciliori.

1400. Auctores Franciscani probant ulterius existentiam earumdem indulgentiarum ex Rubricis particularibus nostri antiqui Breviarii ab Innocentio XII confirmatis, in quibus commendatur

---

(1) Diximus: vi Constitutionis *Misericors Dei Filius,* quia vigore novissimi *Brevis Apostolici* d. d. 7 Julii 1896, Tertiarii, cum facti sint *per quinquennium* participes indulgentiarum ac piorum operum, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet, possunt etiam ipsi per hujusmodi spatium temporis indulgentias Stationi SS. Sacramenti adnexas lucrari. Vide Breve ubi de Tertio Ordine circa finem.

Fratribus quotidianum exercitium Stationum SS. Sacramenti ex sex *Pater, Ave,* et *Gloria,* «et praesertim die Sabbati (ita in praefatis Rubricis) observandum est statutum Julii III, cap. 5, sic decernens: In omnibus etiam Conventibus statim post *Ave Maria* Fratres omnes ad ecclesiam vadant, et ante SS. Sacramentum dicant *brachiis extensis* sex *Pater noster,* et totidem *Ave Maria,* et *Gloria Patri* ».

1401. Postremo Auctores Franciscani affirmant, quod licet olim ad lucrandas indulgentias, de quibus est sermo, requireretur recitatio precum *brachiis extensis ante venerabile Altaris Sacramentum,* modo tamen hae conditiones ad validitatem non amplius requiruntur. Possunt ergo, sine dispendio indulgentiarum, recitari praedictae preces sine brachiis extensis, quacumque hora diei vel noctis, quocumque in loco, sive in ecclesia vel in choro, sive in oratorio vel in claustro, sive in propriis cellis vel alio decenti loco (Cf. Ferraris, loc. cit. n. 5 etc.; Casarubios et Kazenberger, loc. cit.).

Haec, quae de Statione SS. Sacramenti ex Franciscanis Auctoribus retulimus, ad lectorum notitiam tantummodo dicta sint: non enim de hac materia auctoritas privatorum necessario est invocanda, cum de ea plura documenta authentica habeantur in promptu, prout ex iis quae subjungimus constat.

1402. In Summario Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus, uti authentico recognito a S. Congr. Indulgentiarum sub die 20 Julii 1841, et iterum sub die 16 Decembr. 1882, et anno 1885 in libro « *Rescript. auth.* » inserto, sequentia quoad indulgentias Stationum SS. Sacramenti habentur:

1° Paulus V de novo concessit et confirmavit Ordini Fratrum Minorum Stationem SS. Sacramenti, ut quilibet Religiosus istius Ordinis, qui recitabit ante altare sanctissimi Sacramenti sex *Pater noster,* sex *Ave Maria,* et sex *Gloria Patri,* lucretur omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Jacobi Galitiae, et Portiunculae.

2° Hanc indulgentiam Stationum, de novo concessam a Paulo V, confirmavit et renovavit Urbanus VIII, dummodo tamen Statio fiat ante altare SS. Sacramenti. *Ita dicit Rodericius, cum attestatione Rodriguez aliorumque.*

3° Haec Statio indulgentiae dicendo supradicta *Pater noster* etc. ante altare SS. Sacramenti, acquiri potest *saepius in die,*

eodem prorsus modo, quo eam lucraretur quicumque Religiosus, qui personaliter visitaret *ecclesias* Romae, Hierosolymorum, Compostellae, et Portiunculae, *perinde atque acquiruntur aliae indulgentiae perpetuae, quae non habent limitationem aut determinationem temporis,* ut affirmat Angelicus Doctor S. Thomas, Corduba, Toledo, Henriquez, aliique citati a P. Michaëlangelo Bogliasco in suo compendio Indulgentiarum funiculi impresso Liburni 1620, pag. 109.

4° Hoc modo Religiosi manentes in suis Conventibus, merentur plus quam dum vadunt per mundum peregrinantes ad lucrandas indulgentias. S. Thomas citatus a Perino dicit: *Religiosi existentes in suis monasteriis, promerentur amplius, quam discurrendo et peregrinando ad lucrandas indulgentias.*

5° Et cum supradictae indulgentiae possint applicari animabus Purgatorii per modum suffragii, monentur omnes ad lucrandas illas *saepius in die* pro dictis animabus, quae non erunt ingratae facienti sibi tale beneficium.

Ita *ad litteram* in praefato Summario a S. C. approbato, penes Rescr. auth. pag. 386, 387.

1403. Die 5 Martii anni 1855 nonnulla dubia proposita fuerunt in S. Congregatione Indulgentiarum apud Vaticanum habita relate ad indulgentias, de quibus agimus. In relatione tamen facta Summo Pontifici Pio IX a Card. Praefecto sub die 26 Julii ejusdem anni, Sanctitas Sua praecipiendum esse duxit, ut in alia Congretione iterum proponerentur, addito quoque alterius Consultoris voto. En dubia et respectivae responsiones:

1° An *Sodales Tertiarii* Ordinis S. Francisci Assisinatis cujuscumque provinciae sint, lucrifaciant stationes, indulgentias, remissiones tum Urbis, tum etiam Portiunculae, sive Jerusalem, et S. Jacobi in Compostella, recitando sex *Pater, Ave* et *Gloria,* scilicet quinque pro felici statu S. Matris Ecclesiae, sextum autem pro intentione Summi Pontificis concedentis?

2° An Sodales scapularis caerulei immaculatae Conceptionis, recitando sex *Pater, Ave,* et *Gloria* in honorem SS. Trinitatis et Deiparae Virginis immaculatae, orando pro haeresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque christianorum principum pace et concordia, omnes lucrifaciant indulgentias septem Basilicarum Romae, Portiunculae, Jerusalem et S. Jacobi de Compostella?

3° An indulgentias, de quibus in superioribus dubiis, lucrentur *toties quoties,* et *an in quocumque loco* preces ipsas fuderint?

4° An ad easdem lucrandas indulgentias recitare sufficiat sex tantum *Pater, Ave,* et *Gloria,* ita ut necesse minime sit alias preces addere, prouti in indulgentiarum concessionibus atque rescriptis orandi per aliquod temporis spatium juxta intentionem Pontificis, seu pro haeresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque christianorum principum pace et concordia etc. injungi consuetum est?

5° An ad memoratas indulgentias, de quibus scilicet in dubiis 1° et 2° consequendas, necessaria sit Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio?

6° An denique hae ipsae indulgentiae omnes animabus in Purgatorio detentis applicari possint?

EE. PP. in Comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes habitis die 31 Martii 1856, rebus mature perpensis, altero quoque voto audito, respondendum esse duxerunt, ut infra:

Ad 1m *Affirmative.*

Ad 2m *Affirmative.*

Ad 3m *Affirmative* juxta votum Consultoris, nempe servato Decreto S. Congregationis die 7 Martii 1678 approbato ab Innocentio XI, cujus initium *Delatae saepius.*

Ad 4m *Affirmative.*

Ad 5m *Negative.*

Ad 6m *Affirmative.*

Quas resolutiones Pius PP. IX die 14 Aprilis ejusdem anni 1856 approbavit (Decr. auth. N. 374).

1404. Relate ad primum responsum notandum est, ipsum respicere Tertiarios Franciscales *saeculares,* qui non secus ac primus et secundus Ordo S. P. N. Francisci privilegio Stationis SS. Sacramenti gaudebant. Quamvis autem hujusmodi nostri consodales post Constitutionem *Misericors Dei Filius* SS. D. N. Leonis XIII hoc privilegio non amplius fruantur (1), tamen resolutio S. Congregationis aeque inservit ad melius dignoscendam naturam et ad confirmandam existentiam atque extensionem praedicti privilegii, quo ipsi per viam communicationis cum primo et secundo Ordine gaudebant.

1405. In tertia responsione habetur clausula restrictiva « ser-

---

(1) Vide tamen quae diximus supra pag. 649 in nota.

vato Decreto *Delatae saepius* ». In tali Decreto circa finem haec habentur:

Indulgentias vero Stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatae sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat (S. Congregatio): *semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri* (Decr. 7 Martii 1678. N. 18; *Raccolta,* pag. XXVI).

Quo sensu allatum Decretum applicari debeat in praesenti casu, Auctores incerti sunt, nec facile res resolvitur sine apposita declaratione Apostolicae Sedis. In *Rescr. auth.* pag. 577 *in nota* haec leguntur: « Juxta memoratum Decretum indulgentia plenaria pro *vivis* concessa in diem certum, ecclesiam locumve visitantibus, non acquiritur nisi semel in die ». Etiam P. Lucio Ferraris probabilius videtur, in illo Decreto non comprehendi indulgentias defunctis applicabiles, quae proinde, etiamsi plenariae, acquiri possunt toties quoties (Biblioth. verb. *Indulg.* art. V, n. 9).

Utiliter consuli possunt clarissimi Scriptores Beringer et Lehmkuhl, qui agentes de Scapulari caeruleo, in apposita nota sensum praefati Decreti pro respectivo casu investigare conantur, modo potius interrogatorio (Beringer, pag. 412; Lehmkuhl, Theol. Mor. n. 561, pag. 396).

1406. Religiosi vero et Religiosae Ordinis nostri attendant ad *Summarium Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus,* uti authenticum recognitum a S. Congregatione Indulgentiarum. Hujusmodi Summarium exhibetur Ordini nostro tamquam norma generalis authentica. Jam vero, ut supra vidimus n. 1402, in eo ista leguntur:

Haec Statio indulgentiae, dicendo supradicta *Pater noster* etc. acquiri potest *saepius in die,* eodem prorsus modo, quo eam lucraretur *quicumque Religiosus, qui personaliter visitaret ecclesias Romae, Hierosolymorum, Compostellae et Portiunculae, perinde atque acquiruntur aliae indulgentiae perpetuae, quae non habent limitationem aut determinationem temporis* (Rescr. auth. pag. 387, 8°).

In Summario Indulgentiarum Confraternitatis Devotorum Jesu Christi ad Calvarium (vulgo *Sacconi rossi*) haec leguntur: Visi-

tando SS. Sacramentum in ecclesiis Ordinis *(Ordinis Minorum, cui Confraternitas est aggregata)*, recitando sex Pater, Ave et Gloria lucrantur indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, et S. Jacobi de Galitia, et Portiunculae, SINGULIS VICIBUS (Rescr. auth. pag. 300, 3°).

1407. Ex quo Religiosi nostri Ordinis (et alii eodem privilegio gaudentes) recitantes sex *Pater, Ave,* et *Gloria* lucrifaciunt stationes, indulgentias, remissiones ecclesiarum Urbis Romae, Portiunculae, Jerusalem et S. Jacobi de Compostella, quaeri potest: *Quae et quot sunt hujusmodi indulgentiae?*

Respondetur: Relate ad indulgentias *Stationum Urbis,* hae fuerunt determinatae a Summo Pontifice Pio VI, die 9 Julii 1777, et de his locuti sumus sub n. 949. Quoad alias indulgentias, quibus fruuntur ecclesiae Jerusalem, Compostellae et Portiunculae, quae et quot sint, certo non constat. Quare ad generale quaesitum: Quae et quot sunt indulgentiae *Stationis SS. Sacramenti?* responderi utique potest, *eas plures esse;* sed haud posse certum et determinatum numerum exhiberi. Videtur ad rem facere *monitum,* quod S. C. Indulgentiarum dedit die 3 Aprilis 1731 (Decr. auth. N. 100) relate ad indulgentias Stationum Viae Crucis, vetans publicari ex pulpitis, aut qualibet alia forma, certum et determinatum numerum indulgentiarum lucrandarum, « quia, ait S. Congregatio, pluries innotuit indulgentiarum veritatem sive ex inadvertentia aut aequivocatione, sive ex devotionis impetu alterari et confundi ». Propterea satis erit dicere, quemcumque Religiosum sive Religiosam Ordinis Minorum, rite et devote recitantem antedicta sex *Pater, Ave* et *Gloria,* ex concessione Summorum Pontificum consecuturum vel consecuturam easdem indulgentias, quas consequeretur, si personaliter visitaret ecclesias Urbis, Hierosolymae, S. Jacobi de Galitia (1), et Portiunculae.

---

(1) R. P. Schneider S. J. petiit a Rmo Ans. Vittoria, canonico Metropolitanae ecclesiae Compostellanae (S. Jacobi de Galitia) authenticum catalogum indulgentiarum, quibus illa ecclesia ditata est. Pro responso accepit documentum sigillo Capituli Metropolitani munitum, ex quo apparet, indulgentias Compostellae in eo recensitas ad parvum numerum reduci, et Summum Pontificem Pium IX solummodo, sub die 23 Martii 1855, concessisse omnibus Christifidelibus celebrem ecclesiam illam visitantibus easdem indulgentias, quae acquiruntur visitando Basilicam Lateranensem Urbis (*Rescr. auth. pag.* 360). In fine tamen praefati docu-

1408. *Dictorum recapitulatio.*

1. Privilegium Stationis SS. Sacramenti adhuc viget pro Fratribus et Monialibus Ordinis Minorum, pro nunc non exceptis Sodalibus Tertii Ordinis saecularis.

2. Indulgentiae eidem Stationi adnexae acquiri possunt *saepius in die*, sive *toties quoties* recitantur sex *Pater, Ave*, et *Gloria.*

3. Hujusmodi indulgentiae plurimae sunt, etsi determinatus numerus non cognoscatur. Certum est enim, ecclesias Romae, Jerusalem, Compostellae et Portiunculae, fere innumeris indulgentiis fuisse a Romanis Pontificibus ditatas. De septem Urbis ecclesiis, v. gr. *Raccolta*, p. 475, habet: « Quicumque confessus, sacraque Communione refectus eas devote visitaverit, ibique juxta intentionem Summi Pontificis oraverit, consequi poterit *permultas* indulgentias *(le moltissime indulgenze)*, quibus ditatae fuerunt, ut constat ex appositis Bullis et Brevibus Romanorum Pontificum ». Si placet, consulant lectores Summaria Indulgentiarum Basilicis Vaticanae, Lateranensi et Liberianae concessarum, quae jacent apud *Rescripta authentica*, pag. 356 et sqq.

4. Ad lucrandas indulgentias praedictae Stationis SS. Sacramenti *non est necessaria Sacramentorum susceptio.*

5. Licet Urbanus VIII pro talium indulgentiarum consecutione praescripserit, ut recitatio sex *Pater, Ave* et *Gloria* fieret ante SS. Sacramentum, post responsum tamen S. Congregationis ad 3^{m} dubium supra allatum n. 1403, dictae indulgentiae acquiri possunt *in quocumque loco Religiosi antedictas preces effuderint.*

6. Quamvis Pontificia documenta non praescribant, ut sex *Pater, Ave* et *Gloria* recitentur *brachiis extensis*, tamen laudabilis Ordinis nostri consuetudo tali modo recitandi retineri et observari expedit, cum èa ad fovendam humilitatem et pietatem valde conferat.

menti haec leguntur: Ecclesia metropolitana et cathedralis Compostellae est, dicitur, pluribus aliis indulgentiis et gratiis spiritualibus locupletata, *quarum tamen titulus legitimus non extat* (Vid. Beringer, tom. I, pag. 411, nota 2^{a}).

ARTICULUS II.

ABSOLUTIO GENERALIS.

§ 1.

NOTIO ABSOLUTIONIS GENERALIS.

1409. Absolutio de qua nunc agitur, non ea est, qua Christifideles per legitimum Sacerdotem absolvuntur a *culpa peccati* in Sacramento Poenitentiae, sed est illa vel illae, quas Praelati regulares in quibusdam anni festivitatibus et in fine Visitationis canonicae suis subditis Religiosis impertire solent.

1410. Istiusmodi Absolutiones, inspecto formulae tenore, cadunt super excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, quas forte subditi ignoranter contraxerunt vel obliti sunt, ita ut, ajunt communiter Auctores, si postea recordentur et cognoscant, se aliquam censuram vel poenam reservatam incurrisse, non teneantur amplius pro absolutione ab illis censuris vel poenis recurrere ad Superiorem facultatem habentem, sed sufficiat quod confiteantur communi Confessario peccata, ob quae illas incurrerunt. Nam illa peccata, ut supponitur, erant solum reservata ratione censurae, qua sublata, cessat reservatio peccati (Cf. Ferraris, verb. *Regularis Praelatus,* n. 67; Lantusca Theatr. Reg. verb. *Absolutio;* Matthaeucci, Offic. Cur. c. 38, n. 30; Kazenberger, de Indulg. n. 142).

Lezana de eisdem Absolutionibus scribit: Absolutiones et dispensationes a censuris... quae communiter solent dari a Praelatis Regularium tam in Visitationibus, quam in aliquibus festivitatibus solemnioribus, prosunt Religiosis in foro interno animae, saltem pro censuris... dubiis et oblitis seu ignoranter incursis. *Alias prorsus vanae et inutiles essent tales Absolutiones et dispensationes* (Summa Quaestionum, tom. I, c. 18, n. 93).

Sebaldus Minderer Absolutionem generalem ita describit: « Per illam aliud non intelligitur, quam auctoritativa relaxatio censurarum, et remissio poenarum temporalium peccatis quoad culpam remissis debitarum, facta ab habente legitimam potestatem, vel *in foro Poenitentiae et sacramentali,* vel *in foro conscientiae dumtaxat et extra Sacramentum Poenitentiae,* juxta usum et facul-

tatem variorum Ordinum regularium. Potissimum autem *extra Sacramentalis...* praesertim illa, quam solent tradere Superiores regulares in Visitatione » (Part. II, n. 496, pag. 358).

In parvo libello, cui titulus: « *Benedictiones speciales Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis captivorum* », de Absolutione generali, pag. 14-15 dicitur: Quod in Ordine nostro (de Mercede) jam ab antiquo tempore datur diebus a S. Sede assignatis... omnibus confratribus et consororibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, Benedictio, quae Absolutio generalis dicitur... Quod per istam Absolutionem generalem (Sacramentis susceptis) *indulgentiam plenariam* lucrari possunt (Vid. etiam Summ. Cincturat. apud *Rescr. auth.* pag. 505, n. 32, ubi Communio non praescribitur).

1411. Nos non latet, quod respectu hujusmodi Absolutionum incertitudines et quaestiones permultae fuerint, sive quoad earum naturam et valorem, sive quoad personas quibus competat facultas eas impertiendi, sive quoad locum in quo conferri debeant, puta an intra vel extra Sacramentum Poenitentiae etc. Revera sunt qui putant, praefatas Absolutiones esse *sacramentales* cum facultate facta Confessario absolvendi *plenarie,* a quibuslibet nempe peccatis et censuris Fratres et Sorores. Emmanuel Rodericus ex. gr. arbitratur, omnes praedictas Absolutiones indulgentia carere, praeter illam concessam *pro festo S. Catharinae V. et M.,* et alteram *quater in anno* indultam. « Quantum vero ad Absolutiones aliarum festivitatum, ait, nolo praecipitare sententiam, dicendo virtute earum indulgentiam poenarum plenariam ipsos absolutos consequi posse, cum in his dicatur, quod imponatur ipsis poenitentia salutaris, quae verba aliqualiter denotant indulgentiam plenariam omnium peccatorum in ipsis minime concedi » (Quaestiones Regulares, tom. I, q. 62, art. 12; cf. etiam P. Ant. de Cipressa in sua « Regula Tert. Ord. S. Fr. » pag. 167, nota 2).

Nos, posthabitis hujusmodi quaestionibus, quae haud facile finem haberent, ante oculos habentes tum praesentem Ecclesiae disciplinam, tum declarationes quae a Romanis Congregationibus novissimis temporibus editae sunt, nec non praxim in Ordine Minorum plus minusve servatam et plurimorum Scriptorum auctoritatem, rem resolvimus prout in sequentibus.

§ II.

FORMULAE ADHIBENDAE PRO IMPERTIENDA ABSOLUTIONE GENERALI.

1412. Praefatae Absolutioni generali adnexa est indulgentia plenaria, ut patet ex ipsa formula, in qua dicitur: *concedens* (Praelatus, seu Sacerdos) *vobis remissionem et indulgentiam omnium peccatorum* etc., et melius patebit ex dicendis.

1413. Non est confundenda Absolutio, de qua agimus, cum altera absolutione, quae dari solet a Praelato regulari seu a Praeside ante electiones, quae fiunt in Capitulis et Congregationibus. Huic enim, ut constat ex ipsa formula, quae prostat in Rituali nostro Seraphico, nulla adnexa est indulgentia. Haec absolutio cadit tantum super censuras et irregularitates, quae possunt esse impedimentum inhabilitatis ad *eligi* et *eligere;* impertitur nempe « *ad effectum electionis canonice et rite celebrandae, quatenus opus sit* » (Vid. formulam loc. cit. et Ferraris, verb. *Regularis Praelatus,* n. 70).

1414. Formula servanda a *Regularibus* cujuscumque Ordinis privilegio Absolutionis generalis fruentibus, est illa approbata a Summo Pontifice Leone XIII, Brevi *Quo universi,* die 7 Maji 1882, quae incipit: *Ne reminiscaris, Domine;* abrogatis penitus et suppressis quibuscumque aliis formulis hucusque usitatis (Decr. auth. pag. 412 et 491).

1415. Formula vero Absolutionis generalis, seu Benedictionis cum indulgentia plenaria *pro Tertiariis saecularibus, ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum Regularibus cujuscumque Ordinis habentibus,* est illa quae in *Decreta authentica,* loco citato, jacet secundo loco, approbata pariter a laudato Summo Pontifice in memorato Brevi: *Quo universi,* quaeque incipit ab antiphona: *Intret oratio mea* etc.

1416. Pro Congregationibus *votorum simplicium,* cum ipsae non constituant Ordinem regularem stricto sensu sumptum, non prima formula, sed secunda, illa nempe pro Tertiariis saecularibus praescripta, adhiberi debet in impertienda eisdem Absolutione generali, si ad eam jus habeant (Cf. Decr. S. C. Indulg. diei 19 Dec. 1885, apud Acta S. Sed. vol. XVIII, pag. 413).

§ III.

DIES IN QUIBUS ABSOLUTIO GENERALIS IMPERTIRI POTEST.

1417. Fratres Minores, Moniales S. Clarae, Tertiarii et Tertiariae Franciscales *Regulares,* ex concessione Leonis X, gaudent privilegio Absolutionis generalis cum indulgentia plenaria. Dies et festivitates, in quibus cum licentia Superiorum suorum eam accipere possunt, sunt sequentes: *in omnibus solemnitatibus Domini, B. M. Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. P. N. Francisci, S. Clarae, S. Catharinae V. et M., Omnium Sanctorum,* et insuper *per totam Hebdomadam Sanctam (Rescr. auth.* in Summario Indulg. Ord. Seraph. pag. 397; Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 67; vid. etiam Bullam *Cum sicut Nobis* ipsius Leonis X, n. XV apud Confettium, *Collectio Privilegiorum* etc.).

1418. Praeterea Fratres et Moniales praedictae, ex concessione ejusdem Pontificis Leonis X, consequi possunt eamdem plenariam Absolutionem et indulgentiam ac insuper papalem Benedictionem *quater in anno,* diebus quibus maluerint. Et nota verba, quae in antiqua formula, nunc abrogata, legebantur: « *...et restituo vos illi innocentiae, in qua eratis, quando baptizati fuistis, et quomodo Sanctitas Domini Nostri Papae faceret, si ipsemet in confessione peccata vestra auscultaret; ac eadem auctoritate Apostolica Benedictionem papalem vobis impertior. In nomine Patris* » etc. (Cf. *Rescr. auth.* loc. cit. n. 50; Ferraris, ibid. n. 66; P. Léon, *La Séraphique Règle du Troisième Ordre de S. François,* Paris 1881, edit. 6ª pag. 419; Casarubios, in Compendio Privileg. verb. *Absolutio extraordinaria quoad Fratres,* n. 6 et sq.).

1419. Ex concessione Sixti PP. IV Fratres et Moniales Ordinis S. P. N. Francisci, *semel in vita* et *semel in articulo mortis* accipere possunt Absolutionem generalem, et plenariam suorum peccatorum remissionem consequi; et hoc etiamsi ante factam professionem decedere contigerit *(Rescr. auth.* pag. 397, n. 49; Ferraris, loc. cit. n. 65; et vid. etiam Bullam laudati Pontif. *Sacri Praedicatorum et Minorum,* n. II. apud Confettium; De Gubernatis, *Orbis Seraphicus,* tom. III, edit. Romae ann. 1684, pag. 126).

De indulgentia tamen in *articulo mortis* concessa a Sixto IV, vide quae diximus sub n. 1282.

1420. Sacrae Congregationi Indulgentiarum sequens dubium propositum fuit resolvendum:

An Absolutiones generales dari debeant aut possint *intra vel extra Sacramentum Poenitentiae?*

Resp.: *Servetur pro Regularibus consuetudo* (Decr. 22 Martii 1879. N. 444 ad 12^{m}).

Modo lectores, maxime Ordinis Minorum, quorum praecipue interest, attendant ad declarationes, quas super hac materia S. Indulgentiarum Congregatio dedit sub die 5 Martii 1855, approbatas a Summo Pontifice Pio IX die 12 ejusdem mensis Martii.

1421. Moniales Clarissae civitatis Massiliensis in Gallia haec exposuerunt S. Congregationi Indulgentiarum:

« Ferraris (Bibliot. Canon. verbo *Indulg.*) ait:

« Ex concessione Leonis X (Clarissae) possunt consequi plenariam Absolutionem et indulgentiam, ac insuper papalem Benedictionem quater in anno, diebus quibus maluerint, et traditur formula *(nos eam jam abrogatam transcribere omittimus; jacet ibi art.* V. *n.* 66.)

« Item ex concessione ejusdem Leonis X possunt consequi plenariam Absolutionem et indulgentiam in omnibus solemnitatibus seu festis Domini Sabaoth, et B. M. Virginis, Omniumque Sanctorum, et Apostolorum Petri et Pauli, ac S. P. Francisci, et S. Clarae, et per totam Majorem Hebdomadam, ac insuper in festo S. Catharinae Virginis et Martyris, et traditur formula » *(hanc etiam formulam, modo abrogatam et suppressam, nos omittimus; jacet apud Ferraris, loc. cit. n.* 67). Hucusque praedictus Auctor; de quibus enixe quaeritur:

1° An gratiae praedictae sint adhuc annexae his formulis, non obstante Bulla Pauli V de Indulgentiis Regularium?

Resp. *Affirmative, excepta indulgentia plenaria pro vivis.*

2° An retineri vel introduci possit usus illas impertiendi?

Resp. *Affirmative juxta modum ut in primo.*

3° An per festa Domini Sabaoth intelligenda sint: Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, et etiam festum Trinitatis, et SS. Corporis Christi?

Resp. *Affirmative juxta consuetudinem.*

4° An per festa B. Mariae Virginis intelligenda sint: Purificatio, Annuntiatio, Visitatio, Assumptio, Nativitas, Praesentatio, et Conceptio?

Resp. *Affirmative juxta consuetudinem.*

5° Quia de priori formula dicitur quod debeat recipi de consensu Confessarii, an sufficiat ut Abbatissa illam ab eo expostulet quibusdam diebus ante, nomine Sororum ?

Resp. *Affirmative.*

6° An Confessarius et Capellanus, qui non esset confessarius, possit illas impertire ex delegatione Ordinarii, cui Clarissae subjiciuntur ?

Resp. *Affirmative.*

Quas resolutiones Summus Pontifex Pius IX die 12 Martii 1855 benigne approbavit (Decr. auth. pag. 430-432).

1422. Ex quibus collige:

a) Privilegium concernens Absolutiones generales et Benedictiones papales adhuc subsistere, non obstante Bulla Pauli V, *Romanus Pontifex.*

b) Indulgentiam plenariam Absolutioni generali adnexam animabus tantum Purgatorii (pro Regularibus) esse applicabilem.

c) Absolutionem generalem cum indulgentia plenaria ac insuper Benedictionem papalem, quam *quater in anno* ex privilegio accipere possunt Religiosi et Religiosae Ordinis S. P. N. Francisci, esse ad eorum libitum *quoad dies* pro ea recipienda.

d) Distincte scimus, quibus festivitatibus Absolutiones generales impertiri possunt.

e) Certi sumus, retineri vel introduci posse, ubi non vigeat, usum illas impertiendi.

f) Norma exhibetur Kalendaristis nostri Ordinis pro adnotandis in kalendario diebus, quibus praefatae Absolutiones generales impertiri possunt.

1423. Et quia hujusmodi generalibus Absolutionibus magnum spirituale bonum est adnexum, qualis est indulgentia plenaria, ideo rogantur Praelati regulares ad has suis subditis impertiendas diebus omnibus et festivitatibus assignatis vel assignandis, ne secus tanto spirituali bono fraudentur.

Quod si Praelati ab ea impertienda fuerint impediti, vel quomodocumque eam elargiri omittant, curent Religiosi a proprio respectivo Confessario eam accipere. Juxta enim responsionem S. C. superius allatam Absolutiones generales pro Regularibus dari possunt tam *intra* quam *extra* Sacramentum Poenitentiae, *juxta consuetudinem.* Jam vero consuetudo apud Nostrates non est nec

constans nec uniformis in omnibus Ordinis provinciis. In pluribus enim ex his, si excipiatur feria V in Coena Domini, rarissime aliis festivitatibus assignatis Absolutio generalis impertiri solet universae Communitati, seu toti religiosae familiae.

1424. Nec hujusmodi Absolutiones sunt parvifaciendae ex eo, quod indulgentia ipsis adnexa defunctis dumtaxat sit applicabilis; siquidem, ut demonstrat Theodorus a Spiritu Sancto, part. I, pag. 405, melius et laudabilius est, viventem, etiam debito solvendi poenam temporalem pro peccatis suis obnoxium, indulgentias aliaque opera satisfactoria applicare defunctis, quam sibi: nam in tali applicatione reperitur et emicat major charitas, quae est lapis lydius, quo major aut minor bonorum operum excellentia declaratur. Hac veritate innititur actus heroicus charitatis erga animas in Purgatorio detentas, ab Ecclesia approbatus.

§ IV.

QUAESTIONES ABSOLUTIONEM GENERALEM ET INDULGENTIAM EI ADNEXAM RESPICIENTES.

1425. Relate ad conditiones pro lucranda indulgentia plenaria Absolutioni generali annexa requisitas, non videtur posse dubitari, Confessionem sacramentalem requiri. Nam primitus intra ipsam Confessionem, saltem plerumque, communicabatur praedicta indulgentia, et quidem vel a Superioribus Ordinis vel *ab aliis Religiosis confessariis ejusdem Ordinis ad hoc a dictis Superioribus specialiter deputatis.* Quoad Communionem vero et preces, non constat an requirantur pro indulgentiae acquisitione. In authentico Summario Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus, nulla fit mentio nec de Communione nec de precibus, ut videre quisque potest apud *Rescripta authentica* pag. 397, ubi est sermo de *Absolutionibus generalibus.* Nec pariter in documentis recentioribus Communio et preces inveniuntur praescriptae *pro Regularibus* ad lucrandam indulgentiam Absolutioni generali adnexam. Nihilominus ob rei incertitudinem consulitur Religiosis SS. Eucharistiae susceptio, ne, si forte praescripta fuerit, periculo se exponant non lucrandi indulgentiam.

Diximus *pro Regularibus,* quia Communio et preces sunt proculdubio conditiones necessariae ad lucrandam eamdem indulgen-

tiam, et etiam illam quae Benedictioni papali est adnexa, *pro Tertiariis Ordinis S. Francisci,* ut suo loco videbimus.

1426. Dubitatum est etiam, an indulgentia plenaria, quae per Absolutionem generalem communicatur Franciscanis Regularibus, lucrifieri potuerit *vi primaevae concessionis in vigilia,* die nempe eas festivitates praecedente, quibus est concessa. Nobis videtur respondendum *negative,* quia in documentis non reperitur, quantum nobis constat, clausula *« a primis Vesperis »;* et quando haec deest, indulgentiae lucrandae incipiunt *a media nocte ad mediam noctem,* prout declaravit S. Congregatio Indulgentiarum die 12 Januarii 1878 (Decr. auth. N. 434 ad 1^m). Id habetur expresse declaratum in parvo libello cum titulo: *Benedictiones peculiares Ordinis B. M. V. de Mercede.* De Absolutione generali, quibus fruuntur confratres per communicationem *a respectivo Ordine regulari,* dicitur: Quod ab ortu solis usque ad ejus occasum in qualibet hora vel tempore illius diei (Absolutio generalis) impertiri potest.

1427. Verum omne dubium sublatum est per recentissimum Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum, quo conceditur ut Absolutio generalis impertiri possit apud Fratres et Moniales Ordinis Minorum in *vigilia festi,* cui est adnexa. En Rescriptum:

Bme Pater,

Fr. Raphaël ab Aureliaco Proc. Glis Ordinis Minorum ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, sequentia exponit: Ex benigna concessione Apostolicae Sedis Fratres et Moniales Ordinis Minorum gaudent privilegio recipiendi quibusdam anni diebus Absolutionem generalem cui adnexa est indulgentia plenaria. Verum tempus ad eam impertiendam et recipiendam videtur limitatum ad spatium unius diei. Cum autem ob varia ministeria et officia quibus Fratres incumbunt, difficulter possint omnes Religiosi in decursu diei insimul congregari ad recipiendam dictam Absolutionem generalem, quae a Superiore impertitur, facilius autem id obtineri si in sero diei praecedentis tribuatur, Orator enixe rogat S. V. ut concedere dignetur, quatenus praedicta Absolutio generalis impertiri et recipi possit in pervigilio, seu die eas festivitates praecedente, quibus illa est concessa.

Quam gratiam etc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia juxta preces. Praesenti IN PERPETUUM valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 26 Aug. 1895.

Card. BONAPARTE.
† A. Archiep. Nicopolit., *Secret.*

1428. Praefata Absolutio generalis impertienda est, juxta citatum Summarium Indulgentiarum Ordinis Minorum et juxta Casarubios et Ferraris, *cum licentia Superiorum.* Nos tamen putamus licentiam generalem et quandoque etiam tacitam vel praesumptam posse sufficere, praesertim si Absolutio generalis privatim vel post expletam sacramentalem Confessionem impertiatur. Potest enim contingere ut Superior desit, vel accessus ad eum pro licentia impetranda difficilis sit, aut quis Confessionem peragens, oblitus fuerit dictam licentiam a Superiore expresse postulare. In hujusmodi et similibus casibus, licentia tacita sive praesumpta nobis videtur posse sufficere, eo vel magis quod super re non invenitur clausula irritans.

Juxta memoratos Auctores, Religiosis Absolutionem generalem recipientibus *aliqua salutaris poenitentia injungi debet* (Cf. Ferraris, verb. *Indulg.* art. V. n. 69).

At vero, in *nova formula* hujusmodi salutaris poenitentia minime praescribitur.

1429. Quoad Absolutiones generales cum indulgentia plenaria *quater in anno,* quas supra commemoravimus, illud singulare in iis exhibetur, quod adjunctam habeant *Benedictionem papalem* ex concessione Leonis X. Utrum vero hujusmodi Benedictioni adnexa sit indulgentia plenaria, ex documento concessionis non constat.

De hujusmodi *Absolutionibus generalibus cum Benedictione papali* fit mentio in catalogo (modo abrogato) indulgentiarum Tertiariis Franciscalibus concessarum, a S. Congregatione Indulgentiarum uti authentico recognito die 27 Octobris 1862. Ibi parte II, n. 13, dicitur: *Tertiarii quatuor in anno diebus quibus malue-*

rint, possunt recipere Absolutionem generalem seu plenariam, et papalem Benedictionem a Confessario ad id approbato (Vid. P. Antonium a Cipressa, Regula Tertii Ord. saecul. etc. pag. 168).

1430. Quaestio. Si Fratres Minores et Moniales S. Clarae recipere vellent praedictas *Absolutiones generales conjunctim cum Benedictione papali quater in anno,* quaenam formulae adhiberi debent?

Respondetur: Pro impertiendis Absolutionibus generalibus adhibenda est sub poena nullitatis formula a Leone XIII pro omnibus Regularibus praescripta (vid. n. 1414). — Pro impertienda vero Benedictione papali, *quae conjunctim cum praefatis Absolutionibus generalibus olim dabatur,* ordinarie in confessionario, quaenam formula sit adhibenda, res non potest, ut nos opinamur, a privatis *tuto* definiri. Certum est ex una parte, quod pro impertienda *Benedictione papali cum indulgentia plenaria* adhibenda sit sub poena nullitatis formula a Benedicto XIV confecta. Incertum est ex altera parte, an Benedictioni papali, de qua loquimur, adnexa sit indulgentia plenaria. Ulterius, Benedictio papalis, de qua est sermo, non solemnis vel publica, sed prorsus privata erat, et ordinarie, ut diximus, in ipso confessionario dabatur *una simul cum Absolutione generali.* Econtra Benedictio papalis cum formula Benedictina solemnis est seu publica, et nonnisi multitudini potest hodie conferri (Cf. *Nouv. Rev. Théol.* tom. XIV, pag. 469 in nota).

1431. *Quid ergo tenendum circa hanc materiam parum vel nihil hucusque enucleatam?* Nos, salvo meliori consilio, arbitramur hujusmodi papalem Benedictionem esse *simpliciter invocativam,* cui proinde indulgentia plenaria adnexa non est. Et sane inspiciantur apud Ferraris (vide supra n. 1421) formulae, quibus olim utebantur Fratres Ordinis Minorum tum pro conferenda Absolutione generali conjunctim cum Benedictione papali, tum pro impertienda Absolutione generali dumtaxat. Binae formulae iisdem verbis, *collationem indulgentiae plenariae significantibus,* constant, excepta hac ultima clausula: « *ac eadem auctoritate Apostolica* (seu *insuper*) *Benedictionem papalem vobis impertior* », quae in una ex dictis formulis reperitur.

Porro quando haec ultima verba pronuntiantur, plenaria indulgentia jam collata est per antecedentem clausulam, qua dicitur: *concedens vobis remissionem et indulgentiam plenariam omnium peccatorum vestrorum* etc. Ergo Benedictio papalis, quae post for-

mulam Absolutionis generalis adjungitur, habenda est tantum, ut nobis videtur, *tamquam simpliciter invocativa,* auctoritativo tamen modo a Jesu Christi Vicario impertita ad impetranda Fratribus divinae gratiae auxilia, quin adnexam habeat indulgentiam plenariam. Si secus esset, dicendum foret, per eamdem formulam, et per eumdem actum, nec non eodem temporis momento, duplicem indulgentiam plenariam Fratribus communicari, quod nemo fortasse affirmabit.

Ceterum saepe videmus vel audimus, Romanum Pontificem fidelibus postulantibus (vid. n. 564), sive singillatim, sive familiam constituentibus vel simul ad aliquod Religionis negotium tractandum adunatis, suam Apostolicam Benedictionem mittere, ut ejus virtute roborati, facilius alacriusque ad Dei gloriam et salutem animarum operentur. Inferius sub n. 1440 similia exempla referuntur.

1432. Si sententia exposita, quam nos defendimus, veritate nititur, inferendum est, illas *quatuor Benedictiones papales,* quae olim dicebantur concessae Tertiariis Franciscalibus per communicationem cum primo Ordine, non habuisse adnexam indulgentiam plenariam. Rectius dici potuisset, Tertiarios jus tunc habuisse recipiendi quater in anno, diebus quibus maluerint, *Absolutionem generalem,* ac insuper *papalem Benedictionem* (simpliciter invocativam).

1433. Ex dictis colligi posse videtur: 1° Praeter Absolutiones generales, quae diebus supra (n. 1417-1421) descriptis impertiri possunt Religiosis Ordinis Minorum, sex alias recenseri ac eisdem Religiosis conferri posse, et sunt: a) una *semel in vita;* b) altera *semel in morte;* c) et *quater in anno.*

2° Absolutiones generales, quas Religiosi accipere possunt *quater in anno* conjunctam habere *Benedictionem papalem* simpliciter invocativam, quae proinde utpote non solemnis, nec publicà, neque indulgentiam adnexam habens, potest adhuc communicari *privatim,* puta a proprio Confessario, sine formula Benedictina: haec enim formula praescribitur quidem sub poena nullitatis pro omnibus indiscriminatim (*Decr. auth.* N. 444 ad 6^{m}), sed hujusmodi decisio respicit tantum, ut nos putamus, Benedictionem papalem *publicam,* cui plenaria indulgentia adnexa est.

3° Cum pro praefatis Absolutionibus generalibus impertiendis non sint assignati dies, sed ad ipsorum Fratrum libitum relictum

sit tempus ad eas recipiendas, nos opinamur, proprium Confessarium cum licentia Superioris, si hic per se nolit, posse easdem Absolutiones in ipso Confessionario impertire: hic enim modus esset juxta primaevam concessionem, et S. Indulgentiarum Congregatio ad dubium: *An Absolutiones generales dari debeant aut possint intra vel extra Sacramentum Poenitentiae?* Respondit: *Servetur pro Regularibus consuetudo* (Vid. supra n. 1420). Porro relate ad istas Absolutiones generales *quater in anno* et *semel in vita* nulla, in quantum nos scimus, apud nos viget consuetudo. Haec autem juxta responsum S. Congregationis ad 2[m] dubium (vid. n. 1421), introduci potest. Ergo usus praedictas Absolutiones generales conferendi potest introduci ita, ut impertiantur sive a Superiore sive cum ejusdem licentia a Confessario.

1434. Pro lucranda indulgentia plenaria *in articulo mortis,* non est necessarium *pro Regularibus,* ut alibi diximus, ut ea communicetur per aliquam formulam. Nam hujusmodi indulgentia, ut patet ex concessione facta a Paulo V per Constitutionem *Romanus Pontifex,* non est *ferenda,* sed *lata,* quae proinde *non requirit Sacerdotis ministerium.* Quod si ea applicari velit per Sacerdotem, hic adhibere debet formulam a Benedicto XIV praescriptam, ut notavimus sub. n. 589 et sqq. Formula enim, qua Regulares utebantur in conferenda *Absolutione generali* cum indulgentia plenaria Religiosis in mortis periculo constitutis, est abrogata, quamvis non sit abrogatum privilegium eamdem indulgentiam communicandi per formulam, modo Benedictinam.

1435. Quaeri tandem potest, cur indulgentia Absolutioni generali adnexa non pro vivis, *sed tantum pro defunctis sit applicabilis?* Ratio videtur esse sequens. Indulgentia Absolutioni generali adnexa *est personalis,* et primitus tam vivis quam defunctis applicari poterat. Cum autem Paulus V per Bullam *Romanus Pontifex* revocaverit omnes indulgentias *personales* Ordinibus religiosis antea concessas, exceptis illis pro defunctis elargitis, disputatum est inter Auctores (vid. n. 1274), an indulgentiae *directe* concessae pro vivis, *sed quae poterant etiam applicari defunctis,* adhuc lucrari possint *pro defunctis dumtaxat,* non obstante revocatione pro vivis. Jamvero cum S. Congregatio declaraverit, indulgentiam plenariam esse adhuc adnexam Absolutioni generali, *excepta indulgentia plenaria pro vivis,* consequitur hanc fuisse quidem pro vivis sublatam, *sed remansisse adhuc applicabilem in suffragium animarum Purgatorii.* Vid. supra n. 1421, 1°

1436. Vi Constitutionis MISERICORS DEI FILIUS, *Tertiariis saecularibus* Ordinis S. Francisci, « *qui admissorum Confessione ritu christiano expiati, sacram Eucharistiam sumpserint, et ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint, jus est accipiendi Absolutionem generalem, hoc est Benedictionem cum indulgentia plenaria* », per hos dies qui infra scripti sunt:

1° Natali D. N. Jesu Christi; 2° die solemni Paschatis Resurrectionis; 3° die solemni Pentecostes; 4° in festo SS. Cordis Jesu; 5° item Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis; 6° S. Josephi sponsi ejus, die 19 Martii; 7° Impressionis SS. Stigmatum Francisci Patris, die 17 Septembris; 8° S. Ludovici Regis Galliarum, Patroni coelestis salutaris Sodalium ex Tertio Ordine, die 25 Augusti; 9° S. Elisabeth Hungariae, die 19 Novembris (1). Sed de Tertio Ordine Franciscali tractabitur proprio loco. Praefatae Absolutioni generali pro *Tertiariis* adnexa est indulgentia plenaria applicabilis tam pro vivis, quam pro defunctis (Decr. 22 Martii 1879, ad 9^m^ et 10^m^ apud Decr. auth. n. 444).

§ V.

ALIAE INDULGENTIAE ET PRIVILEGIA ORDINI MINORUM CONCESSA.

1437. INDULGENTIA PLENARIA concessa Fratribus et Monialibus Ordinis Minorum RECITANTIBUS CORONAM FRANCISCANAM seu septem Gaudiorum beatae Mariae Virginis, de qua abunde sub n. 713 locuti sumus.

1438. INDULGENTIA PLENARIA PRO CELEBRATIONE QUINQUAGESIMI ANNI RELIGIONIS. Benedictus XIV omnibus et singulis Fratribus et Monialibus Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum *nationis Germano-Belgicae* vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui *annum quinquagesimum* respective eorum Religionis sanctificaverint ac vota substantialia Ordinis renovaverint, qua die id egerint, ac respectivam eorum (vel earum ex monasterii cratibus) ecclesiam devote visitaverint, ibique juxta mentem Sancti-

---

(1) Cum Tertiarii Franciscales participes facti sint *per quinquennium* indulgentiarum ac piorum operum, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet, consequitur, eosdem recipere posse Absolutionem generalem diebus etiam ad eam recipiendam assignatis pro Fratribus et Monialibus Ordinis Minorum; vid. pag. 649 in nota.

tatis Suae pie oraverint, *indulgentiam plenariam* semel tantum per unumquemque lucrifaciendam benigne concessit (Rescriptum diei 18 Aprilis 1752 apud Archiv. Ord.; Chronol. Ord. Min. tom. IV, nempe P. Augustini a Neapoli, pag. 60).

Cum in allato Rescripto non praefiniatur tempus, indultum pro Franciscanis Recollectis Nationis Germano-Belgicae censeri debet *in perpetuum* valiturum.

1439. Ad preces Procuratoris Generalis Ordinis Minorum pro extensione praefati Rescripti *ad omnes Fratres et Moniales totius Ordinis,* Summus Pontifex Leo XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum die 21 Junii 1892 « omnibus et singulis Fratribus et Sanctimonialibus totius Ordinis Minorum S. Francisci Assisiensis, *plenariam indulgentiam* benigne concessit eo die lucrandam, quo memorati Fratres et Sanctimoniales *annum quinquagesimum ab assumptione habitus religiosi celebrantes,* vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, vota religiosa nuncupaverint, et suam respectivam ecclesiam visitantes, inibi aliquo temporis spatio ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Praesenti *ad septennium* valituro » etc. (Acta Ord. Min. anno XI, pag. 118).

1440. Benedictio Apostolica et indulgentia plenaria Missionariis Franciscalibus et fidelibus Missionibus interessentibus. « Omnibus et singulis Fratribus Ordinis S. Francisci tam de Observantia quam Reformatorum ad Missiones *in quibusvis locis* de Ordinariorum licentia respective exercendas in futurum mittendis (ubi tamen non erunt Missionarii Congregationis de Propaganda Fide), et aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, *Nostram et Apostolicam Benedictionem* per praesentes impartimur; nec non iisdem vere poenitentibus et confessis, et sacra Communione refectis, qui pro sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione, haeresum extirpatione, prout unicuique suggesserit devotio, pias ad Deum preces effuderint, *plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam...* pro unica vice dumtaxat pro unaquaque Missione de Ordinariorum licentia respective facienda concedimus et elargimur » (Innoc. XI, Brevi *Coelestium munerum,* die 12 Martii 1688; Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 18; Chronolog. Ord. Min. Perusini, tom. I, pag. 184).

Haec singularis gratia, nempe *indulgentia plenaria cum Benedictione papali* reperitur etiam concessa in Summario Indul-

gentiarum Societatis Jesu. Ibi n. 9 dicitur: Religiosis Societatis missis a Superioribus ad Missiones peragendas, et quibuscumque fidelibus ad eos accedentibus in qualibet Missione et durante illa, semel *indulgentiam plenariam* cum *Benedictione papali,* quam illis *mittit Summus Pontifex,* si confessi et sacra Communione refecti oraverint juxta consuetas intentiones. Concessit Paulus V etc. *(Rescr. auth.* Summ. 74, pag. 613).

1441. *Speciale Breve Apostolicum,* quo concessae sunt indulgentiae pro sacris Missionibus, quas Patres nostri Ordinis habent *in regionibus Gallicae ditioni subjectis.*

Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Ordinis Minorum, Summo Pontifici Leoni PP. XIII exposuit, in bonum sacrarum Missionum, quas Fratres sui Ordinis in regionibus Gallicae ditioni subjectis habebunt, cessurum esse, si quidem eas indulgentias tam plenarias quam partiales Christifidelibus pro hac re impertiretur, quae alias a S. Sede Fratribus Ordinis S. Francisci Capuccinis Provinciae Rhenano-Westphalicae eadem Missionum occasione concessae sunt. Summus Pontifex hujusmodi petitioni benigne annuit.

Quare omnibus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui *coram Cruce erecta in fine Missionum,* quas Fratres Ordinis Minorum de Observantia et Reformatorum in regionibus Gallicae ditioni subjectis existentes peregerint, *a)* die erectionis ejusdem Crucis, *b)* die hujusmodi erectionis anniversario, vel Dominica proxime sequenti; insuper diebus festis *c)* Inventionis et *d)* Exaltationis SS. Crucis D. N. J. C., vel Dominica *respective* insequenti, per aliquod temporis spatium pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, et ecclesiam parochialem loci, ubi Crux erecta est, devote visitaverint, quo die praefatorum id egerint, Leo PP. XIII *indulgentiam plenariam* concessit.

Iisdem vero Christifidelibus, qui *ter saltem concionibus* Missionum, ut supra dictum est, a memoratis Fratribus peragendarum interfuerint, et vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti parochialem loci ecclesiam, ubi Missio habita est, devote visitaverint, atque ibidem, ut supra dictum est, oraverint, *plenaria* similiter *indulgentia* tributa est. Quam quidem indulgentiam *pro extraneis,* etiamsi alibi, id est extra paroeciam, in qua Missio habetur, sacramentalem Confessionem et Communionem faciant, ad quindecim usque dies post Missionem finitam Summus Pontifex prorogare dignatus est.

Praeterea omnes Christifideles saltem corde contriti, qui *cuilibet* ex dictis concionibus devote interfuerint, et *quamlibet ecclesiam publicam* devote visitaverint, ibique ut supra oraverint, *indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum* consequuntur.

Item quoties ante Crucem in fine Missionum ut supra erectam *septies Salutationem angelicam* devote recitaverint, *indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum* lucrantur.

Tandem quoties *(qua vice)* ante praefatam Crucem *quinquies* Orationem dominicam et Salutationem angelicam in honorem SS. Vulnerum Christi pie recitaverint, *indulgentiam tercentorum dierum* assequuntur.

Omnes praedictae indulgentiae etiam animabus Purgatorii per modum suffragii sunt applicabiles. — Brevi Apostolico *in perpetuum* valituro (Vid. Breve apud Acta Ord. Min. anno IV 1885, pag. 1).

1442. Indulgentiae pro Doctrina Christiana. Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, docentes Doctrinam Christianam, et Christifideles in hoc salutari opere eisdem Fratribus cooperantes, prout etiam ipsam Doctrinam audientes, plures lucrantur indulgentias ex benigna concessione Innocentii PP. XI in Constitutione *Pietatis ac christianae charitatis* (in perpetuum valitura) die 30 Maji 1686, et sunt sequentes:

1. *Indulgentia plenaria* concessa omnibus et singulis dicti Ordinis Fratribus, et aliis universis Christifidelibus ubivis locorum existentibus ac cum iisdem Fratribus ad infrascripta cooperantibus, qui de Superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum locorum, pueros et adultos quoscumque Doctrinam Christianam, juxta Decreta Concilii Tridentini, docere, vel eidem (dum docetur) interesse consueverint, si vere poenitentes et confessi, sanctissimo Eucharistiae Sacramento, die festo (ab iisdem Ordinariis in ecclesiis, in quibus Doctrina Christiana docetur, semel in anno) designando, refecti fuerint.

2. *Indulgentia plenaria in articulo mortis* omnibus supradictis vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, vel si facere id nequiverint, animo contrito nomen Jesu, saltem corde, devote invocaverint.

3. *Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum* concessa est illis, qui pariter vere poenitentes et confessi, *semel quolibet mense* sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

4. *Indulgentiam ducentorum dierum* lucrantur illi, qui in causa fuerint, ut pueri, famuli aut quaevis aliae personae ad Doctrinam Christianam eant.

5. Qui diebus *Stationum Urbis* hanc Doctrinam in ecclesiis aut oratoriis de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi, qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequun-

tur, quas consequerentur, si ecclesias Stationum ejusdem Urbis personaliter visitarent. — Easdem etiam indulgentias Visitatores Scholarum Doctrinae hujusmodi, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas illo die visitare poterunt, consequuntur, si peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

6. *Indulgentiam centum dierum* lucrantur ii, qui diebus feriatis hanc Doctrinam Christianam aut publice aut privatim explanaverint.

7. *Indulgentia septem annorum* concessa est omnibus et singulis praeceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad Doctrinam Christianam duxerint, illosque illam docuerint.

8. *Indulgentiam septem annorum* consequuntur illi, qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem Doctrinam explicaverint, aut collationes fecerint, licet illo die non intervenerint in aliquam scholam docendi causa.

9. *Indulgentia centum dierum* concessa est patribus et matribusfamilias, qui in suis domibus, liberis, famulis et familiaribus utriusque sexus Doctrinam Christianam similiter explicaverint, lucranda *qualibet vice* id fecerint.

10. *Indulgentiam septem annorum* lucrantur fideles illi, qui per civitates, terras et alia loca viros, mulieres, aut pueros ad discendam eamdem Doctrinam Christianam, docendi causa convocando, circumierint.

11. *Indulgentiam decem annorum* consequuntur illi, qui etiam extra civitates ad eamdem Doctrinam docendam per castra et villas exeunt.

12. *Indulgentia centum dierum* elargita est etiam omnibus Christifidelibus, qui per mediam horam Doctrinae praedictae aut discendi, aut docendi causa studuerint, aut eidem Doctrinae interfuerint.

13. *Indulgentiam ducentorum dierum* qualibet vice consequuntur iidem fideles, qui Doctrinam praedictam docere solent, si infirmos visitaverint (Vid. Bullam penes Chronolog. Ord. Min. Perusini, tom. I, pag. 259; Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 16; Minderer, part. II, pag. 338).

1443. Advertendum est, laudatam Constitutionem indultam fuisse ad preces Commissarii Generalis Ordinis Minorum *favore Religiosorum ejusdem Ordinis.* Verum Paulus V, et deinde Cle-

mens XII et Pius IX *generaliter* (vid. n. 357) plures indulgentias concesserunt *tam pro docentibus, quam pro discentibus* Doctrinam Christianam, ut videre est apud *Raccolta,* pag. 478. Ex his sequentes commemorare sufficiat:

Indulgentiam plenariam diebus Natalis Domini, Paschatis et SS. Petri et Pauli *adultis omnibus* concessam, qui assidue pio exercitio sive docendi sive discendi causa interfuerint, dummodo confessi, sacra Synaxi reficiantur et ad mentem Pontificis orent.

Indulgentiam trium annorum in quolibet festo B. Mariae Virginis *omnibus fidelibus* cujuscumque aetatis, qui in scholis aut ecclesiis consueverint congregari pro addiscenda Doctrina Christiana, dummodo in dictis festis peccata sua confiteantur.

Indulgentiam septem annorum, si iisdem festis, praeter Confessionem, etiam sacram Communionem receperint.

1444. Indulgentia plenaria pro spiritualibus exercitiis per octiduí spatium. Paulus V, ut supra notatum est (n. 1271, 6), indulgentiam plenariam concessit *omnibus Regularibus* spiritualia exercitia obeuntibus *per decem dies.* Verum Alexander VII per Constitutionem *Cum sicut,* die 11 Junii 1659, eamdem indulgentiam concessit Fratribus Minoribus de corpore Observantiae dicta spiritualia exercitia, de Superiorum suorum licentia *quandocumque* peragentibus *per solos octo dies,* sumptis Confessionis et Communionis Sacramentis (Vid Constit. apud Ferraris, loc. cit. art. IV, n. 9; Minderer, part. II, pag. 337).

1445. Indulgentiae pro Oratione mentali. Innocentius XII per Constitutionem incipientem *Ad ea,* die 24 Decembris 1692, Fratribus et Monialibus Ordinis Minorum, qui per *quadrantem horae* Orationi mentali vacaverint, *pro qualibet vice* concessit indulgentiam *centum dierum.* Illis vero qui *per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae singulis diebus et per totum mensem* dabunt operam, et vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, *plenariam semel quolibet mense indulgentiam,* etiam defunctis per modum suffragii applicabilem, *in perpetuum* clementer elargitus est.

Imo praedictae indulgentiae non solum omnibus et singulis Fratribus et Monialibus Ordinis Minorum fuerunt concessae, sed

etiam « aliis utriusque sexus personis Ordinum et Congregationum obedientiae seu directioni Ministri Generalis ejusdem Ordinis, et pro tempore subjectis, ac etiam Christifidelibus confratribus et consororibus *quarumlibet Confraternitatum et Societatum,* sive *sub alio quolibet titulo* seu *invocatione,* tam hactenus in eorumdem Fratrum et Monialium ecclesiis canonice erectarum, quam imposterum canonice erigendarum », dummodo praefata opera injuncta adimpleant.

Sciendum quoque est, supra memoratas indulgentias fuisse extensas ad *pium exercitium Viae Crucis.* « Insuper, subjungit s. m. Innocentius XII in citata Bulla, quod Fratres et Moniales ac utriusque sexus personae hujusmodi Orationi mentali, sive (ut dicitur) *Viae Crucis exercitio,* ad quam, seu quod, ratione eorum Regulae et Constitutionum, quolibet die tenentur, operam dantes, praedictas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones... lucrari et consequi possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis indulgemus » (Vid. Const. apud Chonolog. Ord. Min. Perusini, tom. I, pag. 345; Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 17).

Quoad indulgentiam pro Oratione mentali a Benedicto XIV concessam *omnibus Christifidelibus,* vid. n. 362.

1446. INDULGENTIA PRO RENOVATIONE RELIGIOSAE PROFESSIONIS. Regulares Ordinis Minorum de Observantia, qui die 16 Aprilis (Festum S. Raphaëlis Archangeli apud eos), qua die S. P. Franciscus cum suis sociis professionem in manibus Innocentii III emisit, suam professionem annuatim renovant, poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, et effundentes ad Deum preces ad mentem Summi Pontificis, lucrantur *indulgentiam plenariam* a Clemente XII die 30 Martii 1735 concessam. Quam quidem indulgentiam lucrari etiam possunt Moniales nostri Ordinis, adimpletis praedictis conditionibus (Vid. Breve *Cum sicut* apud Minderer, part. II, post n. 438, pag. 339, vel in Chronol. Perusini, tom. II, pag. 202).

1447. PRIVILEGIUM PRO SENIBUS ET INFIRMIS RELIGIOSIS ORDINIS MINORUM. Benedictus XIV benigne concessit, « ut Fratres et Moniales Ministri Generalis Ordinis Minorum Observantium jurisdictioni subjecti, qui ex causis *senectutis, infirmitatis ac imbecillitatis* in valetudinariis diversantur, *visitato oratorio aut sacello* in eodem valetudinario existente, *indulgentias omnes* hactenus concessas et in posterum a Summis Pontificibus concedendas ecclesiis

ejusdem Ordinis, lucrari possint et valeant, ac si ecclesiam ejusdem Ordinis visitarent; reliquis expletis juxta praescriptum explendis» (Rescriptum 11 Sept. 1755, apud Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 81; Minderer, part. II, Confer. 7, pag. 340; Chronolog. Ord. Min. P. Augustini a Neapoli, pag. 193).

Similis gratia Religiosis Ordinis Minorum Capuccinorum fuerat jam pridem concessa a Benedicto XIII sub die 24 Aprilis 1725 (Chronolog. loc. cit.).

1448. Imo Religiosi et Moniales *infirmi* et *convalescentes* in cubiculo aut infirmitorio, et etiam in lecto, si commode aliter facere non possint, dicendo quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria,* et orando pro exaltatione S. Matris Ecclesiae etc., lucrabuntur easdem indulgentias, quas lucrati fuissent, visitando propriam suam ecclesiam (Ex Summario Indulg. Ord. Seraph. apud *Rescr. auth.* pag. 386, 4°).

Habetur insuper in citato loco n. 52: «Infirmi et decrepiti, qui non possunt adire ecclesiam, lucrantur indulgentias in cella sua ex concessione Sixti IV, Pauli V, et ex privilegio Clementis VIII ad instantiam Rmi P. Fr. Joannis Baptistae de Molles, Commissarii Generalis, in infirmitorio. Fratres et Moniales, qui opem ferunt curandis infirmis, visitando capellam aut oratorium infirmitorii aut conventus, lucrantur indulgentias sicut alii Religiosi assistentes in eodem conventu».

1449. Quoad onus recitandi divinum Officium dicitur (Ibid. n. 44). «Fratres Minores et Moniales, quando sunt infirmi, possunt dicere septem *Ave Maria* et unum *Pater noster* loco Officii divini, aut quid aliud sibi assignatum a Confessario suo, et si infirmitas sit gravis, et medicus ita judicaverit, ne ad hoc quidem erunt obligati, sed sufficiet sola intentio, qua velint illud recitare».

§ VI.

INDULGENTIAE CONCESSAE BENEFACTORIBUS ORDINIS MINORUM.

1450. Non semel postulatum est, an et quibusnam indulgentiis gaudeant Benefactores Ordinis Seraphici. Cui petitioni respondetur: 1° quod Benefactoribus Ordinis Minorum et etiam aliorum Ordinum regularium, praesertim Mendicantium, fuerunt proculdubio concessae nonnullae indulgentiae, ut Scriptores dictorum Ordinum referunt,

et ut ex dicendis apparebit; 2° quod relate ad quaesitum: *quae et quot sint hujusmodi indulgentiae,* res non facile definiri potest.

1451. Porro, inter indulgentias Benefactoribus Ordinum regularium olim elargitas recenseri possunt illae, quae datae sunt *porrigentibus manus adjutrices* ad fabricam ecclesiarum Ordinum. At hujusmodi indulgentiae, *quae etiam quaestuandi facultatem quomodolibet continent,* revocatae fuerunt a S. Pio V celebri Constitutione *Etsi Dominici gregis* sexto idus Februarii 1567. Unde Lezana scribit: « Hic autem notandum, quod licet plures Summi Pontifices intuitu religiosorum Ordinum plures quoque et varias indulgentias concesserint, eleemosynas, opera charitatis, seu pietatis, vel manus adjutrices illis exhibentibus, ut constat pro Carmelitis ex Sixto IV..., nihilominus, quia Pius V in Bulla *Etsi Dominici gregis,* anno 1567... revocavit omnes indulgentias, pro quibus consequendis *manus adjutrices porrigendae sunt...,* ideo tales indulgentiae hoc tempore invalidae sunt, ut etiam notarunt Navarrus et Stratius » (Summa Quaestionum, tom. II, verb. *Indulg. quoad Regulares,* n. 14).

1452. *Indulgentiae quae adhuc vigent favore Benefactorum Ordinis.* Posthabitis indulgentiis, quae olim a Summis Pontificibus fuerunt concessae Benefactoribus manus adjutrices porrigentibus, utpote revocatis; relictis illis, quae a variis Auctoribus asseruntur iisdem Benefactoribus elargitae, utpote quae ex indubiis documentis constare non videntur, contenti erimus hic eas tantum transcribere, quae reperiuntur insertae in authentico Summario Indulgentiarum Ordinis Seraphici, aliquid postea addendo de indulgentiis specialiter concessis Syndicis Apostolicis Conventuum Fratrum Minorum. Igitur in dicto Summario penes *Rescripta authentica,* pag. 399, sequentia habentur:

55° « *Indulgentiae concessae Advocatis.* Advocati ecclesiarum, conventuum et monasteriorum dictorum Ordinum ex concessione Martini IV lucrantur indulgentiam *centum annorum. Ferraris.*

56° « *Indulgentiae concessae Procuratoribus.* Procuratores, qui adjuvant et defendunt monasteria et loca praefata, ex concessione Martini IV lucrantur indulgentiam *centum annorum.*

« Insuper Innocentius VIII concedit, ut dicti Procuratores et eorum substituti, filii, patres, matres, uxores, sorores et fratres diebus Stationum Urbis Romae, dicendo in ecclesia praefatorum Ordinum quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria,* Deum

orando pro felici statu S. Ecclesiae, *lucrentur easdem indulgentias*, ac si visitarent ecclesias Urbis Romae, in quibus habentur dictae Stationes. *Ferraris*.

58° « *Indulgentiae concessae Medicis dictorum Ordinum*. Medici Conventuum dictorum Ordinum cum eorum filiis, filiabus, uxoribus, sororibus, fratribus, patribus et matribus lucrantur singuli eorum, ex concessione Alexandri VI, indulgentiam *centum annorum*, et insuper omnes indulgentias et stationes, quas lucrantur Religiosi Minores et Moniales, dicendo tamen quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria* pro felici statu S. Ecclesiae, et lucrantur dictas indulgentias vi particularis privilegii Innocentii VIII concessi Procuratoribus, et applicati dictis Medicis per supradictum Alexandrum VI ». Hucusque *Rescripta auth.* in Summario Ordinis Minorum.

1453. Collige ex dictis, quod tum *Advocati*, tum *Procuratores*, tum *Medici* Conventuum et monasteriorum Ordinis Minorum lucrari possunt, pari jure, indulgentiam *centum annorum*, ac ideo in hoc praedicti Advocati, Procuratores et Medici pares sunt. Relate autem ad *indulgentias Stationum Urbis*, visitando ecclesias Ordinis, in iisque orando ut supra, comprehenduntur in concessione *Procuratores* et *Medici*, non vero Advocati, nisi forte sub denominatione Procuratorum intelligi velint etiam Advocati, qui non secus ac Procuratores *adjuvant et defendunt monasteria et loca praefata*.

1454. Verum, in relatis verbis Summarii non determinatur nec *quando*, nec *quoties* praefatae indulgentiae acquiri possint a memoratis Benefactoribus. Porro quoad indulgentias Stationum Urbis facili negotio respondetur, eas acquiri posse *diebus in Missali Romano descriptis*; hoc est enim de regula generali. Quoad vero indulgentiam *centum annorum*, nos putamus eam lucrari posse singulis annis *semel tantum*. Ita etiam Ferraris refert loco supra citato n. 36).

1455. Dubitari etiam potest, an dictis indulgentiis gaudeant tantum Benefactores Ordinis Minorum, vel potius etiam Benefactores aliorum Ordinum regularium? Si conferantur verba Summarii indulgentiarum Ordinis Seraphici superius adducta, cum iis quae describuntur sub n. 53° ejusdem Summarii, inferri posse videtur, eodem indulgentiarum thesauro frui Benefactores aliorum Ordinum regularium, maxime Mendicantium. Et revera ibi est sermo de

Advocatis ecclesiarum et Conventuum *dictorum Ordinum;* de Procuratoribus qui defendunt *loca praefata;* de Medicis Conventuum *dictorum Ordinum.* Quinam sunt isti Ordines? Videtur respondendum, esse illos qui generice commemorantur sub citato n. 53°, ubi haec leguntur: « Nota, Religiosos et Moniales *aliorum Institutorum religiosorum* gaudere omnibus praedictis indulgentiis etc. ». Confirmatur ex authentico Summario Cincturatorum S. Augustini et S. Monicae, ubi (Rescr. auth. pag. 513, n. 38) haec leguntur: « *Corrigiatis* (seu Cincturatis) *actu Procuratoribus Ordinis aut Confraternitatis* conceduntur *centum anni indulgentiae,* et si recitabunt quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirent indulgentiam *quadraginta annorum* ». Huc addendum privilegium amplissimae communicationis inter Ordines regulares, et speciali modo inter Ordines Mendicantes, quo quidem olim utebantur Regulares.

1456. *Indulgentiae Syndicis Apostolicis Ordinis Minorum specialiter concessae* (1). Ut Regulae puritas in Ordine Fratrum Minorum de Observantia vigeret et magis augeretur, Fratresque ipsius Ordinis ab omni dominio et proprietate alieni conservarentur, Summi Pontifices statuerunt et ordinarunt, ut unicuique Conventui dicti Ordinis unus *Procurator sive Syndicus Apostolicus,* qui nomine Romanae Ecclesiae omnes eleemosynas tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illasque in necessitates Fratrum praefatorum applicare deberet.

1457. Jam vero hujusmodi Syndicos *intuitu laborum, quos continuo in Fratrum beneficium sustinent,* maximeque transactis temporibus sustinebant, S. Sedes spiritualibus favoribus decoravit. Relictis ceteris privilegiis, quibus hujusmodi Syndici a Summis Pontificibus olim ditati fuerant, sermo limitatur in praesenti ad indulgentias, quibus praedicti Syndici frui possunt. Dicimus proinde *Syndicos* (qui in documentis S. Sedis vocantur etiam *Procuratores*) Conventuum Ordinis Fratrum Minorum legitime institutos, *gaudere iisdem indulgentiis, quibus gaudent ipsi Fratres Minores,* idque ex concessione Summi Pontificis Clementis VII per Litteras in forma

---

(1) Ne cogamur terere tempus in citationibus, advertimus documenta quae hic afferuntur vel simpliciter innuuntur videri possunt apud Kazenberger in Supplem. Theol. Mor. P. Sporer, n. 107, pag. 74; Matthaeucci, Officialis Curiae Ecclesiast. cap. 51; Ferraris, verb. *Indulgentia,* art. V, n. 35, et verb. *Syndicus,* ubi lector plura inveniet; Chronol. Ord. Min. Perusini, tom. II, pag. 462.

Brevis, incip. *Dum consideramus,* de die 16 Apr. 1526, quarum tenor est sequens:

« Dum consideramus assiduos labores et vigilias, quos dilecti filii Syndici et Procuratores domorum et monasteriorum Fratrum Minorum S. Francisci Regularis Observantiae et Monialium S. Clarae, Conceptionis, Annuntiationis Ordinum, et Sororum tertiae regulae S. Francisci sustinere non cessant, merito nos obligant, ut animarum suarum saluti consulamus...

« Idcirco *uni Syndico et Procuratori* hujusmodi, cum illius uxore et liberis, praesenti et futuro, singulae domui et monasterio praedictis pro tempore servientibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ipsi et eorum quilibet, *omnibus et singulis indulgentiis et peccatorum remissionibus,* favoribus et gratiis, quibus Fratres Ordinis Observantiae praedictorum utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere possint et valeant... auctoritate Apostolica concedimus et indulgemus ».

Litterae Apostolicae Clementis VII, nec non plura Decreta SS. Romanarum Congregationum edita in favorem privilegiorum, quibus gaudent Syndici Apostolici nostri Ordinis, confirmatae sunt a Benedicto XIV, Brevi *Exponi Nobis* de die 25 Maji 1751, quod per extensum refertur a P. Carolo Maria Perusini in Chronolog. Ordinis Minorum, tom. II, pag. 462-463. Inter privilegia Syndicis Conventuum Ordinis Minorum a S. Sede concessa, illud singulare erat, quod *ipsi gaudere debebant privilegio fori,* tam in causis civilibus, quam in criminalibus et mixtis.

1458. Cum praefatae indulgentiae a S. Sede communicentur Syndicis *intuitu laborum, quos continuo in Fratrum beneficium sustinent,* consequi videtur, quod illi Syndici, qui, titulo Syndici Apostolici contenti, nullum laborem sustinent aut sustinere volunt in beneficium Fratrum, jus non habeant ad praefatas indulgentias assequendas (1).

(1) A Scriptoribus Franciscanis commemorantur etiam *indulgentiae concessae fidelibus, qui moriuntur cum habitu Fratrum Minorum.* Clemens IV, scribunt, concessit morientibus cum habitu Fratrum Minorum, et qui cum eo elegerint sepeliri, remissionem tertiae partis poenae temporalis illis debitae propter sua peccata. Idem concesserunt Nicolaus III et Urbanus V. Alexander VI extendit eamdem indulgentiam ad mulieres suscipientes ante mortem vel post mortem habitum S. Clarae. — Leo X concessit insuper indulgentiam *plenariam* iisdem fidelibus in dicto habitu morientibus et sepeliri eligentibus, et declaravit sufficere habitum

§ VII.

INDULGENTIAE CONCESSAE ALUMNIS ET BENEFACTORIBUS COLLEGIORUM SERAPHICORUM.

1459. Summus Pontifex Leo XIII ad preces Rmi P. Bernardini a Portu Romatino Ministri Generalis Ordinis Minorum, in Brevi eidem dato sub die 14 Januarii 1879 *(in perpetuum valituro),* non solum laudat et approbat Collegia Seraphica, quae etiam Probandatus nuncupantur, sed insuper indulgentias eisdem ac eorumdem benefactoribus elargiri benigne dignatur. Ait enim:

Exponendum Nobis curavit dilectus filius Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, in nonnullis Italiae Galliaeque provinciis ejusdem Ordinis, Collegia fuisse piis fidelium elargitionibus erecta, recipiendis instituendisque adolescentibus, qui ad religiosae vitae rationem ineundam vocari videantur. Jam vero Nos, ut opus tam pium, quod fide et charitate suadente inchoatum est, feliciter confirmetur et crescat, et crebros nanciscatur suffragatores, de omnipotentis Dei misericordia... *omnibus atque singulis Christifidelibus in praefatis Collegiis degentibus, et illis qui erga eadem Collegia benefecerint...* indulgentias... concedimus... (Vid. Breve apud Acta Ord. Min. ann. III, pag. 33).

1460. Indulgentiae a Summo Pontifice memorato Brevi concessae, tres sunt:

1° *Plenaria* in cujuslibet eorum *mortis articulo,* si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel, quatenus id

---

praedictum petere ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiamsi ante mortem non induatur.

Ad lucrandas tamen has indulgentias necesse est recipere talem habitum a Guardianis seu aliis Praelatis Superioribus, vel ab aliis ad id destinatis. Unde praedictum habitum dare non potest subditus, neque Confessarius Monialium, neque quivis alius, nisi id sibi a Praelato fuerit concessum (Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 38; Gaudentius Kerckove, Commentarii in Generalia Statuta Ord. S. Francisci etc. cap. 4, paragr. 3; Lantusca, Theatr. Regularium, verb. *Habitus*).

In Summario Indulgentiarum Confratrum S. Cincturae legitur: *cuilibet e fidelibus, qui moriatur cum habitu Augustiniano, si elegerit sepeliri cum eodem habitu, remittitur quarta pars poenae temporalis illi debitae propter sua peccata* (Rescr. auth. pag. 514-515, n. 44).

facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

2° *Plenaria,* die quo adolescentes Collegiorum alumni sacram Ordinis vestem rite assument, servatis conditionibus quas modo indicabimus.

3° *Plenaria,* die festo Praesentationis B. Mariae Virginis Immaculatae a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, servatis pariter conditionibus praescriptis.

Conditiones pro acquirendis his duabus postremis indulgentiis plenariis sunt: *Confessio, Communio, devota visitatio* singulis annis *ecclesiae* seu *oratorii proprii Collegii,* aut *propriae cujusque parochialis ecclesiae,* nec non *piae preces* pro consuetis finibus, nempe pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.

1461. *Personae, quibus jus est lucrandi praedictas indulgentias,* in eodem Apostolico Brevi indicantur, scilicet: *Omnes atque singuli Christifideles in praefatis Collegiis degentes, et illi, qui erga eadem Collegia benefecerint.* Quare istiusmodi indulgentiarum participes sunt personae sequentes:

a) Omnes et singuli juvenes postulantes seu probandi in Collegio Seraphico degentes;

b) Omnes Rectores, Magistri, Fratres Laici, et alii si qui sint ibi degentes, ad servitium et in bonum Collegii legitime destinati. Nam hi quoque sunt fideles ibi viventes, et erga Collegia Seraphica benefacientes.

c) Omnes Christifideles, qui erga eadem Collegia Seraphica benefecerint, sive ea eleemosynis adjuvando, sive contra adversarios defendendo, sive alia quaecumque charitatis opera in eorumdem bonum exercendo; uno verbo: *omnes Benefactores,* dummodo, ut dictum est, injuncta opera seu conditiones supra descriptas adimpleant diebus in Brevi Apostolico statutis, videlicet die quo adolescentes Collegiorum sacram Ordinis vestem rite assument, et die festo Praesentationis B. Mariae Virginis.

1462. Verum Apostolicum Breve pluries memoratum ad Collegia in provinciis Italiae et Galliae erecta limitatur. Erectis postea hujusmodi Collegiis in aliis etiam Ordinis provinciis extra Italiam et Galliam, Procurator Generalis Ordinis supplices litteras Summo Pontifici Leoni XIII porrexit, ut dignaretur praefatas indulgentias

extendere ad omnia Collegia Seraphica, quae hodie jam reperiuntur erecta vel in posterum erigentur.

Summus Pontifex in audientia habita die 17 Decembris 1892 a Secretario S. Congregationis Indulgentiarum « benigne concessit extensionem omnium indulgentiarum in precibus recensitarum pro *Alumnis* omnium Collegiorum Seraphicorum modo existentium extra Italiam et Galliam, vel in posterum erigendorum. *Pro Benefactoribus* vero extensionem indulgentiae plenariae *tantum in mortis articulo,* servata in reliquis forma et tenore Litterarum Apostolicarum d. d. 14 Januarii 1879. Praesenti *in perpetuum* valituro... » (Vid. Acta Ord. Min. ann. XII, pag. 17).

1463. Extensio igitur indulgentiarum in Brevi anni 1879 recensitarum est *plena* pro *Alumnis* omnium Collegiorum Seraphicorum ubique locorum existentium vel in posterum erigendorum; non ita *pro Benefactoribus,* quibus conceditur tantum indulgentia plenaria *in articulo mortis,* firmis tamen remanentibus aliis indulgentiis per Breve *Exponendum* anni 1879 concessis *Benefactoribus Collegiorum in Italia et in Gallia existentium.*

1464. *Monitum.* Ex eo quod in festo *Praesentationis B. Mariae Virginis Immaculatae,* die 21 Novembris, indulgentia plenaria concessa est, adimpletis conditionibus, omnibus Postulantibus seu Probandis, qui ad Ordinem *praesentantur* eique offeruntur, congruum videtur, ut hujusmodi dies festus, ab ipso Summo Pontifice *fere ut principalis* pro iisdem Alumnis tacite designatus, *cum certa quadam solemnitate* in omnibus Collegiis Seraphicis celebretur. De hoc videant Superiores, Rectores ac Magistri Postulantium.

§ VIII.

INDULGENTIA PLENARIA ECCLESIIS ORDINUM MINORUM CONCESSA PRO CERTIS DIEBUS IN SUMMARIO NON ADNOTATIS.

1465. Indulgentia plenaria concessa omnibus Christifidelibus, ecclesias Franciscalis Ordinis visitantibus in festo Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis.

Benedictus PP. XIII, Brevi *Ad augendam,* die 12 Decembris 1729, omnibus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam Fratrum

Minorum S. Francisci de Observantia ac Reformatorum nuncupatorum, quam Monialium dicti Ordinis ubicumque existentium die festo Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae a primis Vesperis usque ad solis occasum diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, *plenariam indulgentiam* in perpetuum benigne concessit (Acta Ord. Min. ann. XII, pag. 17, ex Archivo Ordinis).

1466. Praefata indulgentia plenaria *in ecclesiis Minorum Conventualium* extensa est in perpetuum ad totam Octavam ejusdem Immaculatae Conceptionis, *semel tantum* lucranda spatio octidui ab omnibus Christifidelibus confessis ac sacra Communione refectis, aliquam ecclesiam ejusdem Ordinis visitantibus (Clemens XIII, Rescr. S. C. I. 30 Nov. 1762; apud *Rescr. auth.* N. 210).

1467. Indulgentia plenaria qualibet feria tertia (S. Antonio Patavino dicata) in ecclesiis Fratrum Minorum, exposito SS. Sacramento.

Summus Pontifex Leo XIII per Breve *Ad augendam* de die 3 Julii 1894, omnibus Christifidelibus *vere poenitentibus* et *confessis* ac *S. Communione* refectis, qui *expositioni SS. Sacramenti* in ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci cujusvis orbis provinciae, *singulis feriis tertiis* anni haberi solitae, *per aliquod temporis spatium* devote interfuerint, atque ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint; *qua feria* praedictarum id egerint, *plenariam indulgentiam,* defunctis quoque applicabilem, benigne *in perpetuum* concessit (Vid. Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 117).

Notandum est, ecclesias Fratrum Minorum de Observantia Recollectorum provinciarum Germaniae et Belgii jamdiu gaudere, per Breve Clementis XIII, de die 28 Martii 1763, praedicto privilegio sub iisdem conditionibus (Chronolog. Ord. P. Augustini a Neapoli, pag. 300).

Modo vero *omnes ecclesiae Ordinis,* dummodo die Martis SSmi Sacramenti per aliquod temporis spatium Expositio fiat, eadem gratia frui possunt.

Conditiones ad lucrandam plenariam indulgentiam, ut ex dictis patet, sunt *Confessio, Communio* et *preces* per aliquod temporis

spatium ante SS. Sacramentum expositum fundendae pro consuetis finibus.

1468. Indulgentia plenaria concessa omnibus Christifidelibus ecclesias Franciscales visitantibus in festo S. Agnetis Assisiensis. Novissimum Rescriptum in extensum damus.

Beatissime Pater,

Pater Raphaël ab Aureliaco Procurator Generalis Ordinis Minorum ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humillime gratiam implorat, qua omnes utriusque sexus Christifideles, qui peracta Confessione et sacra Comunione refecti qualemcumque Franciscalem ecclesiam a primis Vesperis visitaverint in festo sanctae Agnetis Assisiensis, die 16 Novembris, indulgentiam plenariam lucrari valeant.

Pro qua gratia etc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo Dno N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti a primis Vesperis diei ad occasum solis diei 16 Novembris in festo S. Agnetis Assis. aliquam ecclesiam Ordinis S. Francisci devote visitaverint et aliquandiu ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, plenariam indulgentiam benigne concessit. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque,

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. C. die 2 Septembris 1895.

L. Card. Bonaparte.
† A. Archiep. Nicopolitan., *Secret.*

§ IX.

INDULGENTIA PLENARIA CONCESSA OMNIBUS CHRISTIFIDELIBUS ECCLESIAS ORDINIS MINORUM VISITANTIBUS IN FESTIS EJUSDEM ORDINIS.

1469. 1. *Mense Januario.* Die 16, pro festo SS. Protomartyrum Ordinis Minorum Berardi, Petri et Sociorum, indulgentia

plenaria concessa a Benedicto XIV, Decreto *Sanctissimus* 18 Octobris 1741.

2. Die 30, S. Hyacinthae de Mariscottis Virg. 3. O., indulgentia plenaria concessa a Pio VII, Brevi *Ad augendam* 17 Novembris 1807.

3. Die 31, B. Ludovicae de Albertonibus Vid. 3. O. Haec indulgentia plenaria erat ad tempus, nempe ad quatuordecim annos concessa, quae proinde elapso tempore in concessione praefinito, confirmatione indigebat. Pius IX die 8 Augusti 1862 *in perpetuum* concessit.

4. *Mense Februario.* Die 5, SS. Petri-Baptistae et Sociorum Martyrum Japonensium, indulgentia plenaria concessa a Clemente XII, Brevi *Injunctae Nobis* 13 Julii 1739.

5. Die 22, S. Margaritae de Cortona 3. O., indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII, Brevi *Redemptoris* 26 Julii 1728.

6. *Mense Martio.* Die 5, S. Joannis-Josephi de Cruce, indulgentia plenaria concessa a Gregorio XVI, Brevi *Inclytum S. Francisci Ordinem* 21 Februarii 1841.

7. Die 6, S. Coletae Virg., indulgentia plenaria pro vivis et defunctis concessa a Pio VII, Brevi *Ad augendam* 13 Julii 1807.

8. Die 9, S. Catharinae de Bononia, indulgentia plenaria concessa a Clemente XI, Brevi *Redemptoris* 21 Martii 1714.

9. *Mense Aprili.* Die 3, S. Benedicti a S. Philadelpho (S. Fratello), indulgentia plenaria concessa a Pio VII, Brevi *Ad augendam* 17 Novembris 1807.

10. *Mense Majo.* Die 13, S. Petri Regalati, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV, Brevi *Redemptoris,* 23 Augusti 1746.

11. Die 17, S. Paschalis Baylon, indulgentia plenaria concessa ab Alexandro VIII, Brevi *Redemptoris,* 7 Decembris 1690.

12. Die 20, S. Bernardini Senensis, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum a primaeva institutione* 28 Septembris 1585.

13. *Mense Junio.* Die 13, S. Antonii a Padua, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum a primaeva institutione* 28 Septembris 1585.

14. Die 19, B. Michelinae a Pisauro, indulgentia plenaria concessa a Clemente XII, Brevi *Ad augendam* 27 Septembris 1737.

15. *Mense Julio.* Die 9, SS. Nicolai et Soc. Mm. Gorcomiensium, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII, Brevi *Ad augendam* 6 Decembris 1728.

16. Die 14, S. Bonaventurae Doct. Seraphici, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum a primaeva institutione* 28 Septembris 1585.

17. Die 24, S. Francisci Solani, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII, Brevi *Redemptoris* 14 Augusti 1727.

18. *Mense Augusto*. Die 2, Indulgentia Portiunculae, vulgo *del Perdono*, a D. N. Jesu Christo Seraphico P. N. S. Francisco concessa et ab Honorio PP. III anno 1223 in perpetuum confirmata.

19. Die 12, S. Clarae Virginis, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum a primaeva institutione* 28 Septembris 1585.

20. Die 19, S. Ludovici Episcopi, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum a primaeva institutione* 28 Septembris 1585.

21. Die 26 (*vel* 25), S. Ludovici Regis Francorum, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV, Brevi *Injunctae Nobis* 17 Maji 1755.

22. *Mense Septembri*. Die 4, S. Rosae de Viterbio 3. O., indulgentia plenaria concessa a Clemente XI, Brevi *Agni immaculati* 14 Januarii 1701.

23. Die 17, Sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci, indulgentia plenaria concessa a Clemente XII, Brevi *Coelestium munerum* 30 Augusti 1731.

24. Die 24, S. Pacifici a S. Severino, indulgentia plenaria concessa a Gregorio XVI, Brevi *Inclytum S. Francisci Ordinem* 21 Februarii 1841.

25. *Mense Octobri*. Die 4, S. P. N. Francisci, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum a primaeva institutione* 28 Septembris 1585.

26. Die 6, S. Mariae-Franciscae Virg. 3. O., indulgentia plenaria concessa a Pio IX 16 Januarii 1868.

27. Die 13, SS. Danielis et Socior. Mm., indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV, Brevi *Ad augendam* 20 Junii 1748.

28. Die 19, S. Petri de Alcantara, indulgentia plenaria concessa a Clemente IX, Brevi *Redemptoris* 2 Octobris 1669.

29. Die 23, S. Joannis a Capistrano, indulgentia plenaria concessa ab Alexandro VIII, Brevi *Redemptoris* 7 Decembris 1690.

30. *Mense Novembri*. Die 12, S. Didaci, indulgentia plenaria concessa a Clemente VIII, Brevi *Quae ad Sanctorum* 26 Maji 1598.

31. Die 16, S. Agnetis Assisiensis, indulgentia plenaria, concessa a Leone XIII per Rescriptum S. C. Indulg. die 2 Septembris 1895 (Vid. Rescriptum sub n. 1468).

32. Die 19, S. Elisabeth Reginae Hungariae, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV, Brevi *Injunctae Nobis,* 17 Maji 1755.

33. Die 26, S. Leonardi a Portu Mauritio, indulgentia plenaria concessa a Pio IX 16 Januarii 1868.

34. Die 28, S. Jacobi Piceni, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII, Brevi *Redemptoris* 14 Augusti 1727.

35. Die 29, Omnium Sanctorum Ordinis Minorum, indulgentia plenaria concessa a Clemente XIII, Brevi *Ad augendam* 21 Martii 1766.

36. *Mense Decembri.* Die 8, Festum Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII, Brevi *Ad augendam* 12 Decembris 1729 (Vid. Breve sub n. 1465 allatum).

1470. Elenchus indulgentiarum plenariarum *ecclesiis Franciscalibus* concessarum nunc descriptus, jacet in Summario Indulgentiarum Ordinis Seraphici apud *Rescripta authentica,* pag. 392, quod relatum habetur in fine hujus capitis. Inseruimus in eo indulgentiam plenariam, quae non reperiebatur adnotata, *pro festo Immaculatae Conceptionis.* Adjectae sunt insuper tres aliae indulgentiae plenariae, quarum concessiones factae sunt post editum praedictum Summarium authenticum, et sunt a) pro festo *S. Mariae-Franciscae a Quinque Vulneribus,* die 6 Octobris; b) pro festo *S. Agnetis Assisiensis,* die 16 Novembris; c) pro festo *S. Leonardi a Portu Mauritio,* die 26 Novembris.

Nonnullae *datae* parum accuratae, emendatae sunt, eas conferentes cum respectivis Brevibus Apostolicis, quorum aliqua reperiuntur sive in Chronologia Perusini, tom. II; sive apud Kazenberger in Supplemento Theologiae Moralis P. Sporer, *Appendix Alphabetica;* vel penes Ferraris, verb. *Indulgentia,* art. V. n. 44; vel apud Minderer, part. I, Conferentia sexta, n. 371, pag. 309, ubi citantur loca, in quibus Brevia Pontificia reperiuntur. Suppressimus ex hoc catalogo, alibi reponentes, indulgentiam plenariam *pro renovatione religiosae professionis,* cum ea non localis, sed *personalis* sit.

1471. Omnes praefatae indulgentiae plenariae, quae scilicet concessae sunt *pro festis Sanctorum Ordinis,* incipiunt *a primis Vesperis cujuslibet festi usque ad occasum solis diei sequentis.* Opera injuncta pro iis lucrandis sunt: *Confessio, Communio, et*

visitatio ecclesiae Ordinis Franciscalis cum precibus pro consuetis finibus, seu ad intentionem Summi Pontificis.

Eaedem indulgentiae *locales,* concessae scilicet *(in perpetuum)* ecclesiis Ordinis, ordinarie elargitae sunt *pro vivis tantum.* Sed advertendum, Religiosos et Moniales Clarissas posse per modum suffragii applicare animabus Purgatorii *omnes indulgentias* et bona opera ab ipsis facienda, ex concessione Gregorii XV, Brevi 10 Novembris 1622 (*Rescr. auth.* pag. 395, 35°; vid. etiam Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 12).

Hujusmodi tamen privilegium non extenditur, ut per se patet, *nisi ad indulgentias ante laudatum Pontificem concessas,* minime vero ad illas quae ab ejus Successoribus concessae sunt.

1472. Notandum est, indulgentiam plenariam a Benedicto XIV Brevi *Injunctae Nobis* concessam pro festis S. Ludovici Regis Francorum et S. Elisabeth Hungariae Regis filiae, in ecclesiis quidem Minorum de Observantia elargitam esse *pro fidelibus universis;* in ecclesiis autem Monialium praedicti Ordinis, *pro Monialibus ipsis, aliisque in monasteriis iisdem degentibus* (Vid. Breve in Chronolog. Ord. P. Augustini a Neapoli, pag. 156).

1473. *Favore Ordinis S. Francisci Capuccinorum.* Clemens PP. XIII, ad preces Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ex ecclesiis Fratrum ejusdem Ordinis ubicumque existentem die festo *Titulari* earumdem respective ecclesiarum a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi vere poenitentes confessi, sacraque Communione refecti devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, elargitus est in perpetuo *indulgentiam plenariam* (Rescriptum diei 17 Jan. 1769; Rescr. auth. n. 283, pag. 219).

§ X.

INDULGENTIAE CONCESSAE OMNIBUS CHRISTIFIDELIBUS ASSISTENTIBUS DIVINIS OFFICIIS IN QUIBUSDAM ANNI FESTIS.

1474. Jam sub n. 284 ex *Raccolta* pag. 83 vidimus et exposuimus, omnes Christifideles assistentes divinis Officiis in *quibuslibet ecclesiis* in Festo et Octava Corporis Christi lucrari indulgentias, quas hic breviter denuo subnectimus:

Indulgentiam 200 *dierum* in vigilia Corporis Domini, si contriti et confessi jejunaverint vel aliud pium opus juxta suorum consilia Confessariorum fecerint.

Indulgentiam 400 *dierum in festo,* si contriti et confessi devote interfuerint primis vel secundis Vesperis, Matutino et Missae, *pro qualibet ex his sacris functionibus.*

Indulgentiam 160 *dierum* consequuntur pro qualibet ex Horis minoribus, nempe Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorio.

Indulgentiam 200 *dierum* in omnibus Octavae diebus pro quolibet Vespere, Matutino et Missa, quibus ut supra devote astiterint.

Indulgentiam 80 *dierum* pro qualibet ex Horis minoribus et Completorio.

Indulgentiam 200 *dierum* lucrantur ii, qui processiones in quibus ipsum vivificum Sacramentum in dicto Festo et per Octavam defertur, secuti fuerint, et oraverint pro pace et tranquillitate Ecclesiae, dummodo si Sacerdotes Missam devote celebraverint, si laici, Eucharistiae Sacramentum devote sumpserint. Haec omnia ex concessione Urbani IV, Martini V, et Eugenii IV (Vid. Constit. apud Minderer, part. I, pag. 301, n. 340; et cf. Summ. Indulg. Ord. Seraphici apud Rescr. auth. pag. 394 tum de praedictis, tum de subsequentibus indulgentiis).

1475. Sixtus IV, Constit. *Cum praecelsa* anno 1476 tertio kalendas Martii, praefatas indulgentias concessas pro Festo et Octava Corporis Christi, extendit *ad Festum et Octavam Immaculatae Conceptionis B. Virginis Mariae.* « Hac in perpetuum valitura Constitutione, ait Pontifex, statuimus et ordinamus, quod omnes et singuli Christifideles utriusque sexus, qui *Missam et Officium Conceptionis* ejusdem Virginis gloriosae juxta piam, devotam et laudabilem ordinationem dilecti filii Magistri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronensis Notarii Nostri, et quae desuper a Nobis emanavit, Missae et Officii hujusmodi institutionem, *in die festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis Mariae et per Octavas ejus, devote celebraverint et dixerint, aut illis Horis canonicis interfuerint;* quoties id fecerint, eamdem prorsus indulgentiam et peccatorum remissionem exinde consequantur, quam juxta f. r. Urbani IV in Concilio Viennensi approbatas ac Martini V et aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones consequuntur illi, qui Missam, Officium et Horas canonicas

in festo Corporis et Sanguinis D. N. J. C. a primis Vesperis et per illius Octavam, juxta Romanae Ecclesiae institutionem celebrant, dicunt, aut Missae, Officio et Horis hujusmodi intersunt» (Cf. Rescr. auth. pag. 394, n. 31; et vid. Constit. apud Minderer, pag. 320-321).

Praefatae indulgentiae acquiri possunt a Christifidelibus *assistentibus divinis Officiis in quibuslibet ecclesiis,* ut patet ex citata Constitutione, in qua nullum continetur verbum, quod gratiam limitet ad ecclesias Franciscales, ut opinari videtur P. Lucius. Ferraris, verb. *Indulgentia,* art. V.

1476. Clemens VIII, Constit. *Sanctissimi Nominis Iesu,* die 2 Aprilis 1598, memoratas indulgentias extendit *ad festum sanctissimi Nominis Jesu.* «Nos igitur, ita Pontifex, ipsius sanctissimi Nominis venerationem, ut par est, augere sinceris desideriis affectantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero in toto Ordine Fratrum Minorum et Sororum S. Clarae singulis annis die 14 mensis Januarii Festum et Officium praedictum duplex majus et solemne de sanctissimo Nomine Jesu celebrari debeat, et Apostolica auctoritate tenore praesentium statuimus et ordinamus: et ut Christifideles libentius ad dicti Officii celebrationem accedant, quo ex hoc se majora dona spiritualia adipisci posse cognoverint, de ipsius Domini nostri Iesu Christi misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, *tam Officium ipsum celebrantibus, quam qui illius recitationi et decantationi interfuerint, ac quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam* pro felicitate Romani Pontificis et S. Romanae Ecclesiae adversus Mahumeticam et Lutheranam perfidiam, ac pro universis principum et aliorum fidelium pace devote recitaverint, similes indulgentias et remissiones peccatorum, quae praedictis Christifidelibus in Officio festi Corporis Christi et per illius Octavas in ecclesiis, in quibus celebratur, interessentibus concessa sunt, concedimus et elargimur etc. (Vid. Rescr. auth. loc. cit. et cf. Minderer, pag. 302, n. 342, et pag. 321).

Festum SS. Nominis Jesu apud Fratres Minores celebratur, uti dicitur in citata Constitutione, die 14 Januarii: ideo tali die praefatae indulgentiae acquiri possunt a fidelibus in ecclesiis Ordinis Minorum.

1477. Praedicta die 14 Januarii *ecclesiae Ordinis Capuccinorum* gaudent in favorem omnium fidelium *indulgentia plenaria* concessa a Cle-

mente PP. XIV per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum diei 7 Novembris 1769, lucranda a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, expletis conditionibus *Confessionis, Communionis,* et *visitationis* alicujus ecclesiae ejusdem Ordinis *cum precibus* ad mentem Summi Pontificis (Rescr. auth. N. 290).

1478. Callistus III anno 1457 easdem indulgentias, quae nempe concessae sunt pro festo et Octava Corporis Christi, concessit assistentibus divinis Officiis *in festo Transfigurationis D. N. Jesu Christi* (Rescr. auth. pag. 394, n. 33).

1479. Bonifacius IX anno 1390 praedictas indulgentias extendit ad festum *Visitationis B. Mariae Virginis* (Ibid. n. 32). Sed hic est observandum cum Minderer loc. cit. pag. 303, n. 343, quod illae solae indulgentiae a Bonifacio IX censentur extensae, quae fuerunt concessae ab Urbano IV, non vero illae quae concessae sunt a Martino V et Eugenio IV: hi enim duo Pontifices diu post Bonifacium IX ad Clavum Ecclesiae sederunt, adeoque eorum multiplicatio indulgentiarum ad hoc Festum ex mente Pontificis non censetur extensa. Actus enim non operantur ultra intentionem agentium (De descriptis indulgentiis cf. etiam Kazenberger, Supplem. Theol. P. Sporer, cap. III, n. 94; Ferraris, verb. *Indulg.* art. V. n. 45).

1480. Leo PP. XIII per Decretum Urbis et Orbis Sacrae Rituum Congregationis de die 28 Junii 1889 memoratas indulgentias elargitas pro octiduo Corporis Christi, concessit etiam pro festo *sacratissimi Cordis Jesu,* evecto per idem Decretum ad ritum *duplicis primae classis* sine Octava in universa Ecclesia, absque praecepto audiendi Sacrum et a servilibus operibus abstinendi.

« Ad fidelium pietatem, ita Decretum, erga sacratissimum Cor Jesu impensius fovendam, SSmus D. N. libens ultro concessit, ut in *cunctis ecclesiis et oratoriis,* in quibus die festo, sive proprio sive translato, ipsius sacri Cordis Jesu, coram sanctissima Eucharistia persolventur divina Officia; clerus et populus, qui hisce Officiis intererit, easdem lucretur indulgentias, quas fidelibus, divinis Officiis per octiduum Corporis Christi adsistentibus, Summi Pontifices elargiti sunt » (Vid. Acta Ord. Min. ann. VIII, pag. 98).

§ XI.

INDULGENTIA PLENARIA CONCESSA FRATRIBUS ET MONIALIBUS ORDINIS MINORUM PRO VARIIS SACRIS PEREGRINATIONIBUS, IN ALIUD PIUM EXERCITIUM COMMUTATIS.

1481. Rmus P. Clemens de Panormo, Minister Generalis Ordinis Minorum petiit a Summo Pontifice Benedicto XIV, quatenus Fratres et Moniales suae obedientiae subjecti lucrari possint indulgentias adnexas visitationi sacrorum locorum Romae, Laureti, Montis Varalli, Assisii et Alverniae, *mediante devota quadam peregrinatione per sua respective claustra et successiva propriarum ecclesiarum visitatione,* videlicet:

Pro septem ecclesiis Romae, eundo per claustrum septem vicibus, et visitando in fine sanctissimum Sacramentum.

Pro Sanctuario Laureti, eundo ter per claustrum, et semel visitando altare aut imaginem beatissimae Virginis.

Pro sacro Monte Varalli, eundo pariter ter per claustrum, et visitando altare aut imaginem Crucifixi.

Et demum *pro Sanctuario Assisii et Alverniae,* eundo similiter ter per claustrum, et visitando altare aut imaginem S. Patris Francisci, orando semper in dictis circuitibus aut peregrinationibus, et respective sacris visitationibus pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, extirpatione haeresum, conservatione Summi Pontificis et pro christianorum principum pace et concordia.

Ex audientia Sanctissimi die 28 Aprilis 1758,

« *Sanctissimus attentis expositis, Ministri Generalis oratoris precibus annuendo, omnibus et singulis Religiosis Viris atque Monialibus Ordinis Minorum S. Francisci, eidem Ministro Generali subjectis, unumquodque ex intro scriptis piis exercitiis devote peragentibus, semel in anno, eo nimirum respective die, quo praemissa sacramentali Confessione, sumptaque SS. Eucharistia, et pias ad Deum preces, ut in supplici libello enuntiatur, fundendo, hujusmodi exercitium peregerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam in forma Ecclesiae consueta benigne concessit* » (Vid. Ferraris, loc. cit. n. 82; Minderer, part. I, pag. 341; Chronolog. Ord. Min. tom. IV, pag. 297).

1482. Rmus P. Erhardus a Radkerspurgo, Minister Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum *eamdem gratiam* petiit *eamque in omnibus similem*

obtinuit a Summo Pontifice Pio VI per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum, die 25 Sept. 1779 (Vid. Rescr. auth. N. 317, pag. 243).

1483. *Ratio praedictae petitionis* ex supplici libello Summo Pontifici porrecto innotescit. Uterque Minister Generalis exponit, qualiter ipse a multis sui Ordinis Religiosis continuo et instantissime rogetur pro concedenda licentia visitandi loca sancta Romae, Laureti, Montis Varalli, Assisii et Alverniae, ita ut denegata licentia ad evitandum Fratrum evagationem, aut ob alia justa motiva, ipsi novas faciant instantias, interponendo etiam recommendationes, et Superiorem saepius in angustias reducendo. Idcirco Oratores similia inconvenientia, quantum fieri potest, impediri cupientes quadam cum recompensatione, qua et ex una parte Religiosi lucrarentur thesaurum indulgentiarum visitationi memoratorum Sanctuariorum annexarum, et ne ex altera parte se a propriis removeant Conventibus, Summo Pontifici supplicarunt, quatenus omnes utriusque sexus Religiosi respectivae obedientiae subjecti, lucrari possent praefatas indulgentias mediante quadam devota peregrinatione per sua respectiva claustra et successiva propriarum ecclesiarum visitatione, eo nempe modo, quo supra expositum est (Vid. loc. cit.).

§ XII.

CONCESSIONES ALTARIS PRIVILEGIATI ECCLESIIS ET IN FAVOREM FRATRUM ET MONIALIUM ORDINIS MINORUM (1).

1484. Omnes et singulae ecclesiae Fratrum Ministro Generali totius Ordinis Minorum subjectorum, gaudent *altari privilegiato quotidiano perpetuo* ex benigna concessione Benedicti XIV « *pro Missis tamen quae a Fratribus Minoribus S. Francisci in altaribus per Ordinarios respective designandis celebrabuntur* ». — « Voluit etiam Sanctitas Sua, gratiam hujusmodi per hoc praesens Rescriptum perinde valere, ac si per Apostolicas Litteras in forma Brevis solitis omnibus muniti clausulis expedita fuisset » (Rescriptum diei 17 Dec. 1748).

---

(1) Concessionum documenta, quae in hoc paragrapho citantur, videri possunt apud Ferraris, verb. *Altare Privilegiatum*, n. 32... verb. *Indulgentia*, art. V, n. 81 etc.; Minderer, part. II, Conferentia 2, pag. 243-244, Conferentia 7, pag. 339-340; Chronologia Ord. Min. tom. IV, pag. 192 et sqq.).

1485. In S. Congregatione Indulgentiarum die 31 Martii 1759 discussum fuit sequens dubium:

An privilegium quotidianum altaris concessum die 17 Decembris 1748, et confirmatum die 21 Januarii 1756 pro ecclesiis FF. Minorum Observ. S. Francisci, suffragetur pro ecclesiis et aliis Religiosis, qui, etsi Minores Obs. haud nuncupentur, subsunt tamen jurisdictioni P. Ministri Generalis Ordinis Minorum Observantium? S. Congregatio praefata die declaravit: *Gaudere;* quam resolutionem Sanctitas Sua die 6 Aprilis 1759 approbavit (Decr. auth. N. 213).

1486. Cum autem in citato indulto altaris privilegiati non videantur comprehensae *ecclesiae Sanctimonialium,* Ministri Generalis Ordinis Minorum jurisdictioni subjectae, laudato Pontifici Benedicto XIV supplicatum fuit, ut declarare dignaretur, etiam antedictas Monialium ecclesias in relato indulto esse comprehensas.

Summus Pontifex porrectis precibus benigne annuit, ac ideo *gratiam altaris privilegiati etiam ad ecclesias Monialium* Ministri Generalis Ordinis Minorum Observantium jurisdictioni subjectarum *extendit,* pro Missis tamen in praedictis ecclesiis *a Fratribus ejusdem Ordinis Minorum celebrandis* (Rescriptum 22 Sept. 1755).

1487. Idem privilegium altaribus *in oratoriis valitudinariorum* respective existentibus, *pro Religiosis senibus, infirmis atque imbecillibus inibi celebrantibus* clementissime concessit (Rescript. eodem).

1488. Doctissimus Pontifex supra laudatus dignatus est per Breve Apostolicum solemniter confirmare Rescripta citata, sequenti formula: *Tenore praesentium Apostolica Auctoritate confirmamus, et quatenus opus sit, omnia et singula in eisdem Rescriptis contenta et concessa iterum concedimus, et perpetuo Apostolicae firmitatis robore munimus* (Bened. XIV, Breve 21 Jan. 1756).

1489. *Concessio altaris privilegiati pro defunctis Fratribus et Monialibus.* Idem Pontifex Benedictus XIV per Breve *Cum sicut* die 24 Martii 1741 clementer indulsit, ut Missae quae *a Sacerdotibus Ordinis Minorum* celebrantur *pro Religiosis ejusdem Ordinis* ad nuntium eorum mortis, *vel in die obitus vel aliis diebus,* ad quodcumque altare ecclesiarum dicti Ordinis celebrentur, Missae hujusmodi, animae pro qua celebrabuntur, perinde suf-

fragentur, *ac si ad altare privilegiatum* celebratae fuissent (Ferraris, loc. cit. n. 78; Minderer, part. II, pag. 244; Acta Ord. Min. ann. VII, pag. 34).

1490. Eadem prorsus gratia gaudent *Moniales* sub jurisdictione Ministri Generalis totius Ordinis Minorum existentes, ita ut quandocumque in earum ecclesiis SACERDOS QUILIBET SIVE SAECULARIS SIVE ALTERIUS ORDINIS in die obitus vel alio die, *ad quodcumque altare* Missam celebrabit, talis Missa animae, pro qua celebrabitur, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum celebrata fuisset (Idem Pontifex, eodem Brevi).

1491. In documentis Apostolicis supra citatis, et in aliis etiam quae citari possent, cum agitur de *Monialibus,* habetur semper clausula restrictiva: *Moniales sub jurisdictione Ministri Generalis totius Ordinis Minorum existentes.* Ad hanc clausulam pro participatione privilegiorum et indulgentiarum non est amplius attendendum: Sacra enim Congregatio Indulg. pluries declaravit:

Monasteria omnia Monialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Episcoporum translata sunt, seu in posterum aliqua ratione transferri contigerit, *non ideo privilegia et indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse, seu amissura fore;* sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et indulgentiis uti et frui debere, ac si sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu existerent. Quam sententiam Summus Pontifex die 22 Aprilis 1711 approbavit (Decr. auth. N. 36; 59; 118; 143).

1492. *Missae quae celebrantur a Ministris Generalibus Ordinis Minorum pro tempore existentibus, gaudent Apostolico indulto altaris privilegiati.* Benedictus PP. XIV ad preces Rmi P. Cajetani a Laurino Ministri Generalis Ordinis Minorum, per Breve *Cum sicut* diei 26 Aprilis 1741, concessit Ministris Generalibus praefati Ordinis pro tempore existentibus, « ut ipsi quandocumque sacrosanctum Missae sacrificium pro genitorum, consanguineorum, affinium et propinquorum, nec non dicti Ordinis et benefactorum suorum animabus, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, ad altare *cujuscumque ecclesiae, vel capellae, seu oratorii publici vel privati celebraverint,* Sacrificium hujusmodi animae, pro qua celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum celebrassent » (Chronolog. Ord. Perusini, tom. II, pag. 256).

§ XIII.

GRATIAE MISSIONARIIS ORDINIS MINORUM CONCESSAE.

1493. Cum in nonnullis Indiarum orientalium Missionibus laudabilis vigeat consuetudo, ut in obitu Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum, Missionum Praefectorum, vel simplicium Missionariorum tam Cleri saecularis quam regularis, una vel plures Missae pro eorum expiatione a singulis Missionariis celebrentur; Clemens XIV declaravit Missas hujusmodi, vel alias quae in suffragium illorum, qui in imperiis Sinarum, Magni Mogoris, et Persidis, nec non in regnis Tunkini, Cocincinae, Siami, Ciampae, Cambodiae, Thibet, Avae, Pegu, et in Oris Malabaricis, sacris Missionibus, dum viverent, operam dederunt, et in actuali Missionum exercitio decedunt, a quocumque Sacerdote, quocumque titulo, loco, aut tempore, celebrabuntur, *esse et fore privilegiatas* (S. C. de Prop. Fid. 27 Jun. 1773, apud Collectanea S. Sedis, N. 653, edit. Parisiis typis Georges Chamerot 1880).

1494. Quoad indultum autem altaris privilegiati personalis, *generatim ter in hebdomada* Operariis evangelicis tribuitur. Attamen peculiariter ab Apostolica Sede *Seminario Parisiensi Missionum ad Exteros, ejusque Operariis,* ubivis commorantibus, *quotidianum ac perpetuum* ejusmodi indultum tributum est (Ibid. n. 667).

1495. Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Minister Generalis, supplicavit SSmo D. N. PP. Leoni XIII, ut Missionariis sui Ordinis, exercentibus ministerium apostolicum in Sinis, et Sacerdotibus saecularibus Sinensibus eorum coadjutoribus, *participare dignaretur favorem altaris privilegiati, personalis, quotidiani, perpetui,* jamdudum a saeculo et amplius concessum Presbyteris Seminarii Missionum exterarum Parisiensium, in Sinis Missionariis, a sa. me. Summi Pontificis Pii VI per Rescripta Apostolica S. Congregationis de Propaganda Fide die 28 Martii 1775, et 16 Febr. 1795. — SSmus Dominus *benigne annuit* pro gratia juxta petita (Ex Aud. SSmi, die 19 Jan. 1882; vid. Acta Ord. Min. ann. I, pag. 20).

1496. *Intuitu privilegii altaris,* sive localis sive personalis, severe vetitum est Missionariis, prout etiam ceteris omnibus Sa-

cerdotibus, pro Missae eleemosyna plus recipere, quam taxam synodalem, vel illam quam consuetudo regionum firmaverit; *alias ad restitutionem teneri.* Quinimo, si privilegium personale sit, in perpetuum amittere, nec gaudere locali, quatenus ad altare privilegiatum Sacrum faciant (S. C. de Prop. Fid. Decr. 13 Aug. 1774, Collect. N. 654).

1497. Cum ex parte R. P. D. Vicarii Apostolici provinciarum Xen-si et Xan-si, nec non Administratoris provinciae Hu-kuang in Sinis, exposita fuerint aliquot dubia circa indulgentias, quibus gaudent Patres Missionarii Ordinis Minorum S. Francisci iisdem in partibus commorantes, Summus Pontifex Pius VI, ad removendam in ejusmodi re quamlibet ambigendi occasionem, sequentia concessit et declaravit:

1° Praedicti Regulares Ordinis Minorum, quocumque in loco versentur, eas omnes et singulas indulgentias consequi valeant, quae *universo eorum Ordini concessae sunt,* dummodo tam in plenariis quam in partialibus injuncta opera fideliter adimpleant, et in plenariis sacramentalem peccatorum Confessionem, *saltem triduo ante praemittant.*

2° Fideles omnes, qui in praedictis degunt provinciis Xen-si, Xansi, et Hu-kuang, absque ulla proprii oratorii seu ecclesiae oblatione, *indulgentias omnes* lucrari possint, quas Ordo Minorum habet ex pia liberalitate Sedis Apostolicae, quatenus tamen praescriptis operibus pari modo satisfaciant.

3° Quia vero nonnunquam accidit, ut ob locorum longinquitatem, vel altera justa de causa impediti, tam Regulares quam reliqui fideles oratoria seu ecclesias pro indulgentiis designatas visitare nequeant, vel eas visitare plerumque contingat, in quibus sanctissimae Eucharistiae Sacramentum non asservatur; idcirco Sanctitas Sua benigne indulsit, ut in ejusmodi casibus, *commutata oratorii seu ecclesiae visitatione, et sanctissimae Eucharistiae Sacramenti adoratione, in orationem Dominicalem et in actus fidei, spei, charitatis et contritionis,* easdem indulgentias lucrari valeant.

4° Cum autem *plenariae indulgentiae* non semper ab iisdem Missionariis et fidelibus acquiri possint *ob Confessariorum defectum,* idem Summus Pontifex, ne idcirco Ecclesiae thesauris prorsus destituantur, christianis omnibus in praefatis provinciis existentibus benigne concessit, ut iis diebus in quibus plenaria

aliqua indulgentia recurrit, quam ob dictam causam lucrari nequeunt, *quatenus corde saltem contriti,* ferventes ad Deum pro S. Fidei propagatione preces effuderint, *partialem septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam,* applicabilem quoque per modum suffragii animabus in Purgatorio detentis, consequi valeant, perpetuis valituram temporibus (S. C. de Prop. Fid. 18 Jan. 1778, apud Ferraris, verb. *Indulg.* art. V, n. 84).

1498. Summus Pontifex Pius PP. IX, ad preces Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Ministri Generalis, concedere dignatus est *Missionariis praefati Ordinis,* qui in locis Missionum publicas ecclesias non habent, aut propter exercitium proprii ministerii degunt extra Conventum seu Hospitia, ut lucrari possint indulgentias concessas ecclesiis Franciscalibus *sive visitando privatum oratorium, sive quamcumque sacramentalem ecclesiam Ordini extraneam* (Ex Aud. SSmi die 5 Nov. 1876, apud Acta Ord. Min. ann. I, pag. 21).

1499. Quia Missionarii tum Sacerdotes tum Laici primi et tertii Ordinis S. Francisci, *qui Missionibus Sinensibus inserviunt,* raro possunt lucrari indulgentias plenarias, Absolutiones et Benedictiones Ordinis recipere, quia propter locorum distantiam adimplere nequeunt conditionem praeviae Confessionis, SSmus D. N. Leo PP. XIII, ad preces Rmi P. Bernardini a Portu Romatino, Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, dignatus est eos *super praefata conditione praeviae Confessionis dispensare,* ipsis concedendo (praesenti *in perpetuum* valituro), ut ad lucrandas indulgentias, et Absolutiones ac Benedictiones Ordinis recipiendas, sufficiat prima Confessio, quam post diem in Ordinis kalendario statutam peragere poterunt (Ex Aud. SSmi die 7 Martii 1888; vid. Acta Ord. Min. ann. VII, pag. 66).

§ XIV.

GRATIAE CONCESSAE OCCASIONE CAPITULORUM GENERALIUM.

1500. Liceat hic subnectere, *ad notitiam tantummodo,* Rescriptum, quo Summus Pontifex Clemens XIII Patribus Vocalibus, qui in Capitulo Generali Ordinis Minorum Mantuae celebrato anno 1762 suffragati fuere, nonnullas spirituales gratias impertitus est. Et notandum elapsis saeculis, occasione Comitiorum Generalium,

ordinarie hujusmodi gratias fuisse concessas a Summis Pontificibus.

Absolutis ergo in praedicta civitate Mantuana Generalibus Comitiis, Rmus P. Minister Generalis Petrus Joannetius de Molina, *praedecessorum suorum vestigiis inhaerens; ut Patrum Vocalium ad Dei gloriam et Religionis augmentum,* sunt verba P. Ministri Generalis, *exantlatos labores spiritualibus donis compensare* possemus; SSmo D. N. PP. Clementi XIII supplicem libellum obtulimus tenoris sequentis (Chronolog. Ord. Min. tom. IV, pag. 492 et seq.):

Bme Pater: Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci, ad S. V. Pedes humiliter provolutus, Eamdem debita veneratione et obsequio exorat, quatenus concedere dignetur ipsi Oratori, P. Commissario Generali Cismontanae Familiae, P. Procuratori Generali Ordinis, Curiae Officialibus, Generalibus Definitoribus, Secretariis Generalibus, et tandem omnibus aliis Vocalibus, qui Generali Capitulo Mantuae novissime celebrato intervenerunt, gratiam et indultum personale Altaris privilegati pro tot vicibus in hebdomada, quae S. V. congruere videbuntur; ac praeterea facultatem benedicendi et distribuendi certum numismatum ac crucifixorum numerum, cum applicatione plenariae indulgentiae in mortis articulo, et distribuendi pariter similem coronarum numerum cum applicatione solitae indulgentiae S. Birgittae; et tandem indulgentiam plenariam in articulo mortis pro omnibus et singulis supradictis, et pro eorum consanguineis et affinibus usque ad tertium gradum inclusive, et pro quinquaginta aliis personis, prout S. V. magis in Domino expedire videbitur. Quam gratiam Deus etc.

Summus Pontifex precibus Ministri Generalis benigne annuens sequens tulit Decretum:

« *Ex Audientia SSmi die* 15 *Decembris* 1762. SSmus petitis benigne annuendo, concessit P. Ministro Generali facultatem benedicendi sexcenta sacra numismata, seu imagines SSmi D. N. Jesu Christi crucifixi, ex aere tamen, aliove metallo confecta, confectasque, cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis; totidemque coronas precatorias cum applicatione indulgentiae D. Birgittae nuncupatae; — Patri autem Commissario Generali Cismontanae Familiae quingenta sacra numismata, totidemque coronas precatorias, ut supra; — P. Procuratori Generali Ordinis trecenta sacra numismata, totidemque coronas precatorias, ut supra; — Of-

cialibus Curiae, Definitoribus Generalibus, Secretariis Generalibus, ceterisque omnibus Vocalibus ducenta utriusque speciei pro quolibet, ut supra, arbitrio uniuscujusque distribuenda, et ab unoquoque respective lucrandae in forma consueta, et ab Apostolica Sede praescripta. — Item annuit pro indulto personali Altaris privilegiati, nempe Ministro Generali ac Commissario Generali Cismontanae Familiae duabus vicibus in qualibet hebdomada; — Procuratori Generali vero aliisque omnibus et singulis, ut supra enuntiatis, una vice in qualibet hebdomada, dummodo intuitu indulti hujusmodi nihil percipiant praeter consuetam manualem eleemosynam.

« Denique praedictis omnibus indulgentiam plenariam ab ipsis, eorumque consanguineis et affinibus usque ad tertium inclusive gradum, et ab aliis quinquaginta personis ab unoquoque eorum designandis, in eorum mortis articulo lucrandam in forma consueta ab Apostolica Sede praescripta ».

C. Card. Rezzonico.

Adverte, Summos Pontifices non semper eodem modo concessisse indulgentias occasione Comitiorum Generalium. Benedictus XIII ex. gr. occasione Capituli Generalis Mediolani celebrati, concessit sub die 7 Decemb. 1728 *indulgentiam plenariam omnibus Christifidelibus,* qui susceptis Sacramentis, aliquam ex ecclesiis Ordinis Minorum ubique existentium, *vigilia Pentecostes* (die assignata pro celebratione Capituli) *et singulis actualis illius celebrationis diebus,* devote visitaverint, ibique pro consuetis finibus oraverint: quae tamen indulgentia *semel dumtaxat* lucrari poterat (Vid. Breve *Cum sicut* apud Chronolog. Ord. Perusini, tom. II, pag. 108).

§ XV.

SUMMARIUM INDULGENTIARUM ORDINI MINORUM CONCESSARUM.

1501. Quamvis praecipuae gratiae, quibus benignitate Apostolicae Sedis gaudet Ordo Minorum, in superioribus paragraphis recensitae habeantur, in commodum tamen nostrorum Fratrum expedire judicamus heic referre ipsum Catalogum a S. Congregatione Indulgentiarum approbatum, omissis ultimis numeris, qui nonnulla

privilegia respiciunt, propria Monialium monasterii S. Silvestri in Capite de Urbe. Hujusmodi Catalogus prostat in libro cui titulus *Rescripta authentica*, pag. 385-401, et nos eum ad verbum transcribimus *prout jacet*. At fatendum est, tale Summarium nec ordine, nec praecisione, neque integritate fulgere, et fortasse nonnulla etiam menda in ipsum irrepsisse, speciatim quoad nomina quorumdam Romanorum Pontificum, quibus concessio indulgentiarum tribuitur. Citat ex. gr. ut largitores indulgentiarum ecclesiis Franciscanis aliorumque Ordinum Mendicantium Joannem X, XI et XX, Urbanum III, Leonem IV, Benedictum X, Hadrianum III, Sergium IV etc. (vid. n. 14°, 16°, 51° ejusdem Summarii), qui omnes ante institutionem praedictorum Ordinum Mendicantium, ut cuique notum est, Ecclesiae Clavum tenuerunt. Hinc optandum, ut ab aliquo religioso viro Franciscani Ordinis cum debitis additionibus et correctionibus in meliorem formam redigatur. En interim Summarium authenticum.

SUMMARIUM INDULGENTIARUM,

quibus gaudet Ordo Seraphicus, approbatum a Sacra Congregatione ad instantiam Monialium Franciscanarum venerabilis monasterii S. Silvestri in Capite.

1. SSmus D. N. PP. Sixtus V, inhaerendo concessioni factae a Leone X, concedit et ipse, ut Religiosi Ordinis Minorum, et consequenter Moniales Clarissae, per communicationem privilegiorum possint lucrari omnes indulgentias a Summis Pontificibus concessas aliis Ordinibus regularibus, et esse participes omnium orationum, vigiliarum, jejuniorum, abstinentiarum, disciplinarum, sacrificiorum, quae fiunt in toto mundo a Religiosis Instituti Mendicantis. *Communis.*

2. Unde fit, ut Fratres, Moniales, aliique Religiosi quotiescumque visitabunt propriam suam ecclesiam, ibique orationem facient, et Deum precabuntur pro exaltatione S. Ecclesiae, pro extirpatione haeresum, et pro pace et concordia inter principes christianos, lucraturi sint omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, et S. Jacobi de Galitia; et hoc vi ipsiusmet Bullae Pauli V, qui revocavit multas indulgentias a suis Praedecessoribus concessas Regularibus, et hanc confirmavit.

3. Adde, Gregorium XV in Brevi 10 Decembris 1622 concedere eamdem indulgentiam Fratribus et Sororibus Confraternitatis funiculi S. Francisci, quando visitabunt ecclesiam Fratrum Minorum et orabunt ut supra.

4. Religiosi et Moniales infirmi et convalescentes in cubiculo aut infirmitorio, et etiam in lecto, si commode aliter facere non possint, dicendo quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria* et orando ut supra, lucrabuntur easdem indulgentias, quas lucrati fuissent visitando propriam suam ecclesiam *(Ita Ferraris)*.

5. Id concessit Innocentius VIII Fratribus Minoribus et Praedicatoribus, aliisque Religiosis Mendicantibus et per participationem omnibus Monialibus et Chordigeris S. Francisci. Ita dicit Rodericius, qui addit, hoc privilegium non fuisse revocatum a Paulo V, quia ipse revocavit indulgentias, sed non privilegia ad lucrandas illas quae non sunt revocatae; qualis est illa ab eodem Pontifice de novo concessa in Bulla, in qua revocavit omnes indulgentias a suis Praedecessoribus Regularibus concessas.

6. Idem Paulus V de novo concessit et confirmavit Ordini Fratrum Minorum Stationem sanctissimi Sacramenti, ut quilibet Religiosus istius Ordinis, qui recitabit ante altare sanctissimi Sacramenti sex *Pater noster,* sex *Ave Maria* et sex *Gloria Patri,* lucretur omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Jacobi Galitiae, et Portiunculae.

7. Hanc indulgentiam Stationum, de novo concessam a Paulo V, confirmavit et renovavit Urbanus VIII, dummodo tamen Statio fiat ante altare sanctissimi Sacramenti. *Ita dicit Rodericius, cum attestatione Rodriguez aliorumque.*

8. Haec Statio indulgentiae, dicendo supradicta *Pater noster* etc... ante altare sanctissimi Sacramenti, acquiri potest saepius in die, eodem prorsus modo, quo eam lucraretur quicumque Religiosus, qui personaliter visitaret ecclesias Romae, Hierosolymorum, Compostellae, et Portiunculae, perinde atque acquiruntur aliae indulgentiae perpetuae, quae non habent limitationem aut determinationem temporis, *ut affirmant Angelicus Doctor S. Thomas, Corduba, Toledo, Henriquez, aliique citati a Patre Michaëlangelo Bogliasco in suo Compendio indulgentiarum funiniculi impresso Liburni* 1620, pag. 109.

9. Hoc modo Religiosi manentes in suis Conventibus merentur plus quam dum vadunt per mundum peregrinantes ad lucran-

das indulgentias. S. Thomas citatus a Perino dicit: *Religiosi existentes in suis monasteriis promerentur amplius quam discurrendo et peregrinando ad lucrandas indulgentias.*

10. Et cum supradictae indulgentiae possint applicari animabus Purgatorii per modum suffragii, monentur omnes ad lucrandas illas saepius in die pro dictis animabus, quae non erunt ingratae facienti sibi tale beneficium.

11. Monetur insuper omnis fidelis Christianus ad sumendum funiculum Seraphici Patris nostri S. Francisci, nomen suum dando Confraternitati dictae funiculi, ut possit lucrari magnum hunc indulgentiarum thesaurum, aliaque bona spiritualia, ut dictum fuit supra.

Indulgentiae quotidie lucrandae in ecclesiis Ordinis S. Francisci et in ecclesiis omnium Ordinum religiosorum Mendicantium.

12. Omnibus anni diebus, qui visitabit unam ex ecclesiis Franciscanis, aut cujuscumque alterius Ordinis Fratrum Mendicantium, lucrabitur singulis vicibus, dicendo tria *Pater,* tria *Ave* et tria *Gloria* in honorem sanctissimae Trinitatis, indulgentiam concessam a multis Summis Pontificibus trecentorum dierum, et ducentarum et septem quadragenarum. Et singulis Dominicis et Sabbatis omnium mensium anni acquiritur pro singulis vicibus indulgentia centum nonaginta et octo annorum et totidem quadragenarum; et diebus Veneris totius anni acquiritur singulis vicibus indulgentia centum dierum. Et advertendum, si in aliquam ex his diebus incidat festivitas, in qua aliae habentur indulgentiae, has etiam insuper acquiri praeter supradictas. *Ita Ferraris.*

Indulgentiae, quae habentur in ecclesiis Franciscanis et in ecclesiis omnium Ordinum Mendicantium tempore Adventus.

13. In singulis quatuor Dominicis Adventus, qui visitabit aliquam ecclesiam supradictorum Religiosorum lucrabitur omnes illas indulgentias, quae habentur in omnibus Dominicis anni, ut in paragrapho praecedenti.

Indulgentiae in dictis ecclesiis in Quadragesima.

14. Prima die Quadragesimae usque ad diem Paschae visitanti ut supra, conceduntur pro quovis die a Joanne XX duo anni

et duae quadragenae, et ab Urbano III, Innocentio III et Gregorio IX pariter duo anni et duae quadragenae. Et Urbanus IV duplicavit dictas indulgentias et adjunxit unum annum et unam quadragenam; et a Clemente IV conceduntur centum anni et centum quadragenae. Et Alexander IV concessit duos annos et duas quadragenas. Similiter Nicolaus III, Innocentius IV et Benedictus XI concesserunt universim pro quovis die Quadragesimae centum viginti duos annos et quingentos sexaginta sex dies indulgentiae, quae faciunt in summa pro singulis diebus indulgentiam ducentorum quinquaginta duorum annorum, et centum triginta duarum quadragenarum, et quingentorum septuaginta sex dierum.

15. Insuper pro unaquaque feria secunda, quarta et sexta totius Quadragesimae ultra supradictas conceditur a Benedicto XI indulgentia octoginta octo annorum et octoginta quadragenarum.

Indulgentiae, quae habentur in dictis ecclesiis in solemnitate Paschatis.

16. In quolibet Paschate Resurrectionis conceditur a Martino V indulgentia quinquaginta annorum et octodecim quadragenarum ultra supradictas. A Leone IV septem anni et septem quadragenae; et a Clemente IV centum anni totidemque quadragenae; et a Nicolao IV septem anni et septem quadragenae.

17. Et a primis Vesperis, id est a Sabbato sancto usque ad occasum solis sequentis die Paschae, qui contritus, confessus aut cum proposito confitendi visitabit aliquam ex ecclesiis S. Francisci de Paula, aut aliam ecclesiam Ordinis Mendicantium, dicendo tria *Pater,* tria *Ave* et tria *Gloria* in honorem sanctissimae Trinitatis, ex concessione Leonis X lucrabitur indulgentiam plenariam.

Indulgentiae, quae habentur in festo Ascensionis Domini in ecclesiis Religiosorum Mendicantium.

18. In die Ascensionis Domini quicumque visitabit aliquam ex supradictis ecclesiis, lucrabitur ex concessione Joannis XXII indulgentiam duorum annorum et duarum quadragenarum, et ex concessione Clementis IV centum annorum et centum quadragenarum.

In festis Pentecostes.

19. In festis Pentecostes, qui visitabit aliquam ex supradictis ecclesiis Religiosorum Mendicantium, ex concessione Martini V lu-

crabitur indulgentiam quadraginta annorum et duodecim quadragenarum. Et ex concessione Leonis IV septem annorum et totidem quadragenarum. Et ex concessione Urbani IV, Clementis III et Gregorii IX unius anni et unius quadragenae, et ex concessione Clementis IV centum annorum et centum quadragenarum; et insuper a primis Vesperis, id est a Sabbato sancto Pentecostes per usque ad totum diem sequentem, qui contritus et confessus, aut cum proposito confitendi visitabit aliquam ex dictis ecclesiis, dicendo tria *Pater noster* et tria *Ave Maria* in honorem sanctissimae Trinitatis, ex concessione Leonis X lucratur indulgentiam plenariam.

In festo sanctissimae Trinitatis.

20. Visitanti unam ex supradictis ecclesiis in festo sanctissimae Trinitatis conceduntur omnes illae indulgentiae, quae habentur in omnibus Dominicis et festis per annum, quae sunt in summa ducentorum et novemdecim annorum et totidem quadragenarum. In eodem festo, qui contriti et confessi aut cum proposito confitendi, a primis Vesperis per totum diem sequentem visitabunt unam ex supradictis ecclesiis, lucrabuntur ex concessione ejusdem Leonis X indulgentiam plenariam, dicendo tria *Pater noster* et tria *Ave Maria.*

In solemnitate Corporis Domini.

21. Ex concessione Joannis XX, Urbani III, Benedicti X et Gregorii IX, in festo Corporis Christi visitando aliquam ex supradictis ecclesiis habetur indulgentia duorum annorum et duarum quadragenarum ab unoquoque Pontifice, quod facit octo annos et octo quadragenas. Ex concessione Urbani IV indulgentia unius anni et unius quadragenae; et ex concessione Clementis V centum annorum et centum quadragenarum. Ex concessione Alexandri IV unius anni et unius quadragenae. Ex concessione Gregorii IX et Nicolai V centum annorum et centum quadragenarum. *Ita legitur in Gemma sanctissimi Rosarii (Gioiello del santissimo Rosario).*

In Circumcisione Domini.

22. Qui visitabit aliquam ex ecclesiis Franciscanis, aut aliorum Religiosorum Mendicantium in die Circumcisionis Domini, lucrabitur ex concessione Martini V indulgentiam quinquaginta an-

norum et quinquaginta quadragenarum, et ex concessione Innocentii III duorum annorum et duarum quadragenarum, ex concessione Clementis IV centum annorum, et ex concessione Nicolai V ducentorum annorum et quinquaginta trium quadragenarum.

In festo Epiphaniae Domini.

23. Qui visitabit aliquam ex supradictis ecclesiis in die Epiphaniae Domini, ei conceduntur ab Innocentio III duo anni et duae quadragenae, et Urbanus IV duplicavit hanc indulgentiam et concessit insuper unum annum et unam quadragenam. Clemens IV concessit centum annos et centum quadragenas; et Nicolaus V duplicavit hanc indulgentiam. Innocentius IV deinde concessit indulgentiam quinquaginta annorum et totidem quadragenarum.

In die Purificationis B. M. V.

24. Qui visitabit aliquam ex ecclesiis supradictorum Ordinum Mendicantium in die Purificationis B. M. V. dictae de Candelario, ipsi conceduntur ultra indulgentias concessas in aliis festivitatibus Dominae nostrae indulgentiae infrascriptae. A Martino V quinquaginta anni et duodecim quadragenae. A Clemente IV centum anni et triginta quadragenae. Ab Honorio III quadraginta anni et quadraginta quadragenae, et totidem a Joanne XXII. Item Sixtus IV concessit indulgentiam triginta annorum et triginta quadragenarum.

In festo sanctissimae Annuntiationis.

25. In festo sanctissimae Annuntiationis, qui visitabit etc., lucrabitur ex concessione Martini V quinquaginta annos et duodecim quadragenas. Ex concessione Clementis IV decem annos et quadraginta dies. Ex concessione Gregorii IX viginti annos et quadraginta dies. Ex concessione Bonifacii VIII novem annos et quadraginta dies. Ex concessione Nicolai IV centum annos et centum octoginta dies. Ex concessione Leonis IV septem annos et septuaginta quadragenas. A Joanne XXII conceduntur quadraginta anni et quadraginta quadragenae, et ab Urbano V indulgentia septem annorum et septem quadragenarum.

26. Advertendum, Moniales claustrales posse lucrari in suis ecclesiis omnes indulgentias concessas Religiosis Mendicantibus, et omnibus saecularibus.

Indulgentiae in die qua fit festum Titulare in ecclesiis Franciscanis et aliorum Mendicantium.

27. In festo Sancti vel Sanctae, sub cujus nomine aedificata est quaecumque ecclesia supradictorum Ordinum, eas visitando acquiruntur ex concessione Leonis IV septem anni et septem quadragenae. Et Urbanus IV duplicavit istam indulgentiam. Ex concessione Clementis IV centum dies, et Honorii IV quadraginta anni et quadraginta quadragenae. Benedictus X duplicavit hanc indulgentiam. Nicolaus V dictis indulgentiis addidit septem annos et septem quadragenas. Sixtus IV addidit septem annos et triginta quadragenas.

Indulgentiae in omnibus festis Sanctorum Franciscanorum et aliorum Sanctorum ex Regularibus Mendicantibus.

28. In quocumque festo cujusque Sancti aut Sanctae Ordinis Minorum, S. Dominici, S. Augustini etc. visitanti aliquam ex eorum ecclesiis ab Innocentio IV quadraginta anni; a Clemente IV quadraginta sex anni; a Nicolao III quadraginta anni; a Nicolao IV alii quadraginta anni; totidem ab Urbano V; a Sixto IV quinquaginta anni et quinquaginta quadragenae indulgentiae.

Indulgentiae, quae recurrunt in festis Sanctorum Ordinis Seraphici per anni circulum.

29. *Mense Januario.* Die 16 illius mensis pro festo SS. Mart. Berardi, Petri etc. Protomartyrum Ordinis, indulgentia plenaria perpetua concessa a Benedicto XIV, Brevi *Sanctissimus* 18 Octobris 1745 (*lege* 1841) (1).

Die 30, S. Hyacinthae, indulgentia plenaria perpetua concessa a Pio VII, Brevi *Ad augendam* 17 Novembris 1807.

Die 31, beata Ludovica, indulgentia plenaria usque ad annum 1848 (2).

---

(1) Nonnullas hujus elenchi emendationes, etsi rei substantiam non attingant, intra parenthesim concludere putavimus, textu integro relicto.

(2) Concessa a Pio IX in perpetuum 8 Augusti 1862.

Mense Februario. Die 6 (*lege* 5) dicti mensis pro festo SS. Mart. Petri-Baptistae etc., indulgentia plenaria perpetua concessa a Clemente XII, Brevi *Injunctae nobis* 13 Julii 1739.

Die 22, S. Margaritae da Cortona, indulgentia plenaria perpetua concessa a Benedicto XIII, Brevi *Redemptoris* 26 Julii 1728.

Mense Martio. Die 5 dicti mensis S. Joannis-Josephi de Cruce, indulgentia plenaria concessa a Gregorio XVI, Brevi *Inclytum S. Francisci Ordinem* 21 Februarii 1841.

Die 6, S. Coletae, indulgentia plenaria pro vivis et defunctis perpetua concessa a Pio VII, Brevi *Ad augendam* 13 Julii 1807.

Die 9, S. Catharinae de Bononia, indulgentia plenaria perpetua concessa a Clemente XI, Brevi *Redemptoris* 21 Martii 1714.

Mense Aprili. Die 3, S. Benedicti a S. Fratello, indulgentia plenaria perpetua concessa a Pio VII, Brevi *Ad augendam* 17 Novembris 1807.

Die 16, in festo S. Raphaëlis Archangeli, indulgentia plenaria pro omnibus Religiosis et Monialibus, qui confessi et sacra Communione refecti renovabunt suam professionem, concessa a Clemente XII, Brevi *Cum sicut dilectus Filius* 30 Martii 1736.

Mense Majo. Die 13, S. Petri Regalati, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV, Brevi *Redemptoris* 23 Apr. 1748.

Die 17, S. Paschalis, indulgentia plenaria concessa ab Alexandro VII (*lege* VIII), Brevi *Redemptoris* 9 (*lege* 7) Septembris 1690.

Die 20, S. Bernardini Senensis, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum* (*adjunge* a) *primaeva,* 28 Septembris 1585.

Mense Junio. Die 13, S. Antonii a Padua, indulgentia plenaria perpetua concessa a Sixto V, Brevi *Cum* (*a*) *primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 19, beatae Michelinae, indulgentia plenaria concessa a Clemente XII, Brevi *Ad augendam* 27 Septembris 1737.

Mense Julio. Die 14, S. Bonaventurae, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum* (*a*) *primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 25 (*lege* 24), S. Francisci Solani, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII, Brevi *Redemptoris* 14 Augusti 1729 (*lege* 1727).

Mense Augusto. Die 2 illius, indulgentia, vulgo dicta de Portiuncula.

Die 12, S. Clarae Virginis, indulgentia plenaria etiam pro omnibus fidelibus christianis in ecclesiis Fratrum Minorum et Mo-

nialium Franciscanarum; ita declaravit Sacra Congregatio die 9 Octobris 1663.

Die 19, S. Ludovici Episcopi, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum (a) primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 26 (*vel* 25), S. Ludovici Regis Francorum, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV, Brevi *Injunctae nobis* 17 Martii (*lege* Maji) 1755.

Mense Septembri. Die 4, S. Rosae de Viterbo (Viterbio), indulgentia plenaria concessa a Clemente XI, Brevi *Agni immaculati* 14 Januarii 1701.

Die 11 (*lege* 9 Julii), festo SS. Mart. Nicolai et Soc., indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII, Brevi *Ad augendam* 5 (*lege* 6) Decembris 1728.

Die 17, festo sacrorum Stigmatum S. Francisci, indulgentia plenaria concessa a Clemente XII, Brevi *Coelest. muner.* 31 (*lege* 30) Augusti 1731.

Die 24, S. Pacifici a S. Severino, indulgentia plenaria concessa a Gregorio XVI, Brevi *Inclytum S. Francisci Ordinem* 21 Februarii 1841.

Mense Octobri. Die 4, festo Patriarchae nostri S. Francisci, indulgentia plenaria concessa a Sixto V, Brevi *Cum (a) primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 13, festo SS. Mart. Danielis etc., indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV, Brevi *Ad augendam* 22 (*lege* 20) Junii 1748.

Die 19, S. Petri de Alcantara, indulgentia plenaria concessa a Clemente IX, Brevi *Redemptoris* 8 (*lege* 2) Octobris 1669.

Die 23, S. Joannis de Capistrano, indulgentia plenaria concessa ab Alexandro VII (*lege* VIII), Brevi *Redemptoris* 7 Septembris (*lege* Decembris) 1690.

Mense Novembri. Die 12, S. Didaci, indulgentia plenaria concessa a Clemente VIII, Brevi *Quae ad Sanctorum* 26 Maji 1598.

Die 19, S. Elisabeth Reginae (1) Hungariae, indulgentia plenaria, Brevi Benedicti XIV *Injunctae nobis* 17 Martii (*lege* Maji) 1755.

Die 28, S. Jacobi de Marchia, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII, Brevi *Redemptoris* 14 Augusti 1727.

---

(1) Principissa.

Die 29, festum omnium Sanctorum Ordinis, indulgentia plenaria concessa a Clemente XIII, Brevi *Ad augendam* 22 (*lege* 21) Martii 1766.

Nota. Huic elencho addenda est indulgentia plenaria pro festo S. Mariae-Franciscae, die 6 Octobris; — S. Agnetis Assisiensis, die 16 Novembris; — S. Leonardi a Portu Mauritio, die 26 Novembris; — Immaculatae Conceptionis, die 8 Decembris (Vid. alium elenchum n. 1469).

30. Qui recitant et assistunt Officio divino et Missae in solemnitate Corporis Christi et per totam Octavam, lucrantur sequentes indulgentias (1), id est, pro Missa 400 dies, et 400 pro Matutino, et alios 400 pro Vesperis, et pro singulis Horis 160 dies. Diebus infra Octavam tam pro Matutino quam pro Missa et Vesperis 200 dies, pro aliis Horis 80 dies indulgentiae. Ad hunc finem anticipatur Matutinum.

31. A Sixto IV conceduntur eaedem indulgentiae recitanti aut assistenti ut supra in festo et per Octavam Immaculatae Conceptionis. Idem concedit Clemens VIII in festo sanctissimi Nominis Iesu.

32. Et Bonifacius IX in festo Visitationis B. M. V.

33. Et Callistus III in festo Transfigurationis D. J. N. C.

34. Fratres et Moniales Ordinis Minorum recitando coronam B. M. V. vulgo dictam Ordinis, quae constat 70 *Ave Maria* et septem *Pater noster* et insuper uno *Pater noster* et uno *Ave Maria* pro Summo Pontifice, lucrantur indulgentiam plenariam concessam a Leone X et Paulo V.

35. Religiosi Minores, Clarissae, et Tertiarii possunt per modum suffragii applicare animabus Purgatorii omnes indulgentias et bona opera ab ipsis facienda, ex concessione Gregorii XV, Brevi 10 Novembris 1622.

36. Religiosi et Moniales Ordinis Minorum, qui devote visitabunt stationes Viae Crucis, sive in ecclesia, sive in quocumque loco monasterii, lucrantur easdem indulgentias, quas lucrantur illi, qui eas visitant in Locis sanctis Hierosolymorum, quaeque sunt fere innumerabiles, cum liberatione unius animae e Purgatorio.

---

(1) Istiusmodi indulgentiae, quae sunt communes omnibus Christifidelibus, habentur descriptae sub n. 284.

Indulgentiae concessae Religiosis et Monialibus in assumptione habitus religiosi, in die qua professionem emittunt, et in aliis circumstantiis (1).

37. Religiosi cujuscumque Ordinis vel Instituti, sicut et Moniales, quae vivunt in perpetua clausura cum tribus votis solemnibus, tam illae quae sunt sub directione Regularium, quam quae sunt sub Ordinariorum regimine, si fuerint contriti, confessi, et sacra Communione refecti, tam in die vestitionis quam professionis lucrantur indulgentiam plenariam concessam a Paulo V.

38. Fratres et Moniales, qui in festo principali sui Ordinis confitebuntur et communicabunt aut Missam audient orando pro concordia inter principes christianos, pro extirpatione haeresum, Romani Pontificis incolumitate et exaltatione S. Matris Ecclesiae, lucrantur indulgentiam plenariam. *Communis.*

39. Illi, qui in articulo mortis vere contritus, confessus et sacra Communione refectus, aut si hoc facere non possit, saltem contritus devote invocabit ore sanctissimum Nomen Jesu, vel si non possit, corde, conceditur indulgentia plenaria.

40. Illi, qui legitime ordinatus celebrabit primam Missam, et iis, qui confessi, et sacra Communione refecti intererunt dictae Missae, conceditur indulgentia plenaria.

41. Omnibus Religiosis et Monialibus, qui cum licentia suorum Superiorum separantes se per decem dies a negotiis externis, secedent in cellam suam, aut, praeterquam in actibus communibus, separabunt se ab aliorum consortio, exercentes se in lectione librorum spiritualium, aut prolatione aliquorum verborum, quae ad devotionem inducunt et ad spiritualem compunctionem, et ultra meditationem communem saepe incumbent considerationi et meditationi mysteriorum Religionis catholicae, beneficiorum Dei, quatuor Novissimorum, Passionis D. N. J. C. et aliis orationibus vocalibus et jaculatoriis; facientes eodem tempore generalem aut annuam aut ordinariam Confessionem, et insuper sacram Communionem sumentes aut Missam celebrantes, conceditur indulgentia plenaria et remissio omnium peccatorum. Notandum tamen orationem men-

---

(1) Has indulgentias usque ad sequentem numerum 44, quae sunt omnibus Regularibus communes, habes descriptas sub n. 1271.

talem, ea quae fit in communi inclusa, debere esse, nocturno et diurno tempore simul sumpto, duarum horarum. Ita Paulus V in sua Constitutione, quae incipit *Romanus Pontifex* 23 Maji 1606.

42. Religiosis et Monialibus Ordinis Minorum, qui quotidie per mediae horae spatium per mensem integrum facient orationem mentalem, confitendo et communicando ultima Dominica dicti mensis, conceditur indulgentia 60 annorum et 60 quadragenarum.

43. Omnibus illis, qui corde contrito et dolentes accusabunt se de suis culpis, peccatis et imperfectionibus in capitulis culparum, aut spiritualiter communicabunt, indulgentia trium annorum et trium quadragenarum.

44. Fratres Minores et Moniales, quando sunt infirmi, possunt dicere septem *Ave Maria* et unum *Pater noster* loco Officii divini, aut quid aliud sibi assignatum a Confessario suo; et si infirmitas sit gravis, et medicus ita iudicaverit, ne ad hoc quidem erunt obligati, sed sufficiet sola intentio, qua velint illud recitare. *Ferraris.*

45. Leo X concessit omnibus Religiosis, sicut etiam saecularibus indulgentiam partialem quotiescumque dicent quindecim *Pater noster* et quindecim *Ave Maria* pro iis, qui sunt in peccato mortali, cum sit opus charitatis.

46. Idem Leo X concessit Monialibus S. Clarae omnes gratias et indulgentias, quibus gaudent Fratres Minores, et vicissim Fratribus illas quae a Romanis Pontificibus concessae sunt Monialibus.

47. Idem Pontifex concessit Fratribus Minoribus, ut in solemnitatibus Domini, B. M. V., SS. Petri et Pauli, S. Patris nostri Francisci et omnium Sanctorum, sicut etiam per totam Hebdomadam sanctam cum licentia Superiorum suorum possint accipere Absolutionem generalem.

48. Insuper idem Pontifex concessit Religiosis Minoribus, ut ultra indulgentias, quas habent a Sede Apostolica, possint accipere Absolutionem generalem cum indulgentia plenaria in festo S. Clarae Virginis; advertendum tamen in Absolutione excipi casus Superioribus reservatos.

49. Sixtus IV concessit, ut quilibet Frater Ordinis Praedicatorum et Minorum semel in vita et semel in morte possit accipere Absolutionem generalem, etiamsi moriatur ante professionem.

50. Moniales S. Clarae et per communicationem omnes Moniales tertii Ordinis, quae vivunt sub directione Fratrum Minorum, a

Leone X habent privilegium accipiendi quater in anno a Superioribus dicti Ordinis Fratrum Minorum, aut ab aliis Religiosis confessariis ejusdem Ordinis ad hoc a dictis Superioribus specialiter deputatis, absolutionem omnium suorum peccatorum quocumque modo commissorum. Insuper placuit Sanctitati Suae benigne et ex Apostolica bonitate concedere praedictis earum Confessariis facultatem, ut cum eadem plenitudine potestatis, de licentia tamen suorum Praelatorum, eas absolvant et illi innocentiae statui restituant, sicuti faceret Sua Sanctitas, si ipsamet earum Confessiones exciperet et peccata audiret; et postquam confessae et absolutae fuerint, possint concedere omnibus et singulis nomine Suae Sanctitatis sanctam Benedictionem (1).

Indulgentiae pro iis, qui relinquunt aliquam eleemosynam ecclesiis Religiosorum Mendicantium.

51. Illi, qui per testamentum relinquunt aliquid supradictis ecclesiis, lucrantur indulgentiam partialem ex concessione Hadriani III, Sergii IV, Joannis X et XI aliorumque Summorum Pontificum; similem indulgentiam lucrantur etiam illi, qui donant calices, tobaleas, aliave utensilia ad usum dictarum ecclesiarum.

52. Infirmi et decrepiti, qui non possunt adire ecclesiam, lucrantur indulgentias in cella sua ex concessione Sixti IV, Pauli V, et ex privilegio Clementis VIII ad instantiam Reverendissimi Patris Fr. Joannis-Baptistae de Molles, Commissarii Generalis, in infirmitorio; Fratres et Moniales, qui opem ferunt curandis infirmis, visitando capellam aut oratorium infirmitorii aut Conventus, lucrantur indulgentias sicut alii Religiosi assistentes in eodem Conventu.

53. Nota, Religiosos et Moniales aliorum Institutorum religiosorum gaudere omnibus praedictis indulgentiis per communicationem spiritualem concessam a Leone X, Julio II, aliisque Summis Pontificibus, ita ut visitando suam ecclesiam in die S. Francisci, S. Antonii a Padua, confessi et sacra Communione refecti, orando Dominum pro exaltatione S. Ecclesiae, extirpatione haeresum et pro pace et concordia inter principes christianos, lucrentur eamdem indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum. Ita pariter Religiosi et Moniales S. Francisci, visitando proprias suas

(1) In originali hic inserta est formula illius Benedictionis nuper abrogata.

ecclesias in festo S. Dominici, magni Patris S. Augustini, S. Francisci de Paula aliorumque pariter Patriarcharum et Fundatorum Ordinum a S. Sede approbatorum. Pariter diebus Jubilaeorum, et indulgentiarum eorum ecclesiis concessarum, confessi et sacra Communione refecti lucrantur easdem indulgentias, remissiones et Jubilaea, ac si personaliter visitassent eorum ecclesias. *Ita communiter docent Theologi.*

54. Similiter patres et matres Religiosorum et Monialium lucrantur idem Jubilaeum in articulo mortis, et post mortem eadem suffragia Fratrum Minorum. Pariter a Joanne XXII conceditur indulgentia quinquaginta dierum illi qui Sacerdotibus reverentiam exhibebit; quadraginta dierum illi qui recitat *Salve Regina,* aut Missam audit, et similiter quadraginta dierum praedicatoribus, quotiescumque praedicabunt, sicut et illis qui auscultant.

Indulgentiae concessae Advocatis.

55. Advocati ecclesiarum, Conventuum et monasteriorum dictorum Ordinum ex concessione Martini IV lucrantur indulgentiam centum annorum. *Ferraris.*

Indulgentiae concessae Procuratoribus.

56. Procuratores, qui adjuvant et defendunt monasteria et loca praefata, ex concessione Martini IV lucrantur indulgentiam centum annorum; insuper Innocentius VIII concedit, ut dicti Procuratores, et eorum substituti, filii, patres, matres, uxores, sorores, et fratres diebus Stationum Urbis Romae dicendo in ecclesia praefatorum Ordinum quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria,* Deum orando pro felici statu S. Ecclesiae, lucrentur easdem indulgentias, ac si visitarent ecclesias Urbis Romae, in quibus habentur dictae Stationes. *Ferraris.*

57. Patres et matres Fratrum Minorum et Monialium ejusdem Ordinis vi Bullae Callisti III, possunt in articulo mortis eligere sibi Confessarium approbatum, qui impertiatur ipsis Absolutionem generalem a culpa et poena in forma amplissimi Jubilaei. *Ita docet P. Hieronymus Rodericius et alii.*

Indulgentiae concessae Medicis dictorum Ordinum.

58. Medici Conventuum dictorum Ordinum cum eorum filiis, filiabus, uxoribus, sororibus, fratribus, patribus et matribus lu-

crantur singuli eorum ex concessione Alexandri VI indulgentiam centum annorum et insuper omnes indulgentias et stationes, quas lucrantur Religiosi Minores et Moniales, dicendo tamen quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria* pro felici statu S. Ecclesiae, et lucrantur dictas indulgentias vi particularis privilegii Innocentii VIII concessi Procuratoribus, et applicati dictis Medicis per supradictum Alexandrum VI.

59. Tandem illi et illae, qui facient orationem mentalem quotidie per mediam horam, aut saltem quartam horae partem, confessi et sacra Communione refecti, orantes juxta intentionem Summi Pontificis, lucrantur indulgentiam plenariam semel in mense, etiam applicabilem animabus Purgatorii, et lucrantur etiam indulgentias Viae Crucis.

60. Notandum quod, quando Romani Pontifices concedunt illis, qui visitabunt aliquam ecclesiam aut aliquod altare, etiam indulgentiam plenariam, si in concessione non sunt expressae preces aut opera pia, quae ad eas lucrandas fieri debent; orando pro exaltatione S. Ecclesiae, pro extirpatione haeresum, pro conversione peccatorum, pro pace et concordia inter principes christianos, dicendo eum in finem quinque *Pater* et *Ave* et unum *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, acquiruntur dictae indulgentiae. *(Eusebius Amort et alii).*

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad humillimas preces Monialis Sor. Mariae Annae Moroni, Abbatissae ven. asceterii Sancti Silvestri in Capite de Urbe, Ordinis S. Francisci, praesens indulgentiarum Summarium ex certis documentis desumptum, ac per ejusdem Sacrae Congregationis Consultores probatum, uti authenticum recognovit, typisque imprimi, ac publicari posse censuit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum, die 20 *Julii* 1841.

C. Card. CASTRACANE, *Praef.*
A. Canonicus PRINZIVALLI, *Substit.*

CAPUT III.

DE TERTIO ORDINE SAECULARI S. P. FRANCISCI.

ARTICULUS I.

ORIGO TERTII ORDINIS, EJUSQUE MULTIPLICATIO IN VARIOS STATUS.

1502. « Seraphicus Pater sanctus Franciscus Assisiensis, qui non de industria propria confidebat, sed oratione sancta omnia praeveniebat negotia, elegit non sibi soli vivere, sed ei, qui pro omnibus mortuus est, sciens se ad hoc missum, ut Deo animas lucraretur, quas diabolus conatur auferre. Circuibat proinde fortissimus miles Christi civitates et castra non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in doctrina et virtute spiritus, annuntians regnum Dei, praedicans pacem, docens salutem et poenitentiam in remissionem peccatorum. Erat in omnibus fiducialiter agens ex auctoritate Apostolica sibi concessa, nullis utens adulationibus, nullis seductoriis blandimentis.

« Veritatem fidelissime loquebatur ita, ut litteratissimi viri, gloria et dignitate pollentes, ejus mirarentur sermones, et timore utili ejus praesentia terrerentur.

« Currebant viri, currebant et foeminae, festinabant clerici, accelerabant religiosi, ut viderent et audirent Sanctum Dei, qui homo alterius saeculi omnibus videbatur. Radiabat beatissimus Pater velut stella fulgens in caligine noctis, et quasi mane expansum super terram...

« *Coeperunt multi de populo nobiles et ignobiles, clerici et laici, divina inspiratione compuncti, ad sanctum Franciscum accedere, cupientes sub ejus disciplina et magisterio perpetuo militare...* » (Ex Vita prima S. P. Francisci, auctore B. Thoma a Celano ejus discipulo, cap. XV).

1503. Coepit ex hoc, subjungit S. Bonaventura, Christi vinea germinare germen odoris Domini, et productis ex se floribus suavitatis, honoris et honestatis uberes fructus afferre. Nam praedicationis ipsius fervore succensi, quamplurimi utriusque sexus in conjugali pudicitia Domino famulantes, *secundum formam a Dei viro acceptam novis se poenitentiae legibus vinciebant, quorum vivendi modum idem Christi famulus Ordinem Fratrum de Poenitentia nominari decrevit* (In Vita S. Francisci, edit. ab Amoni, Romae 1880, cap. IV).

1504. Populi sanctitate et praedicatione beatissimi Patris abrepti, relictis omnibus, turmatim Dei Virum sequebantur (1). Plurimi homines, uxoribus salutatis, regularibus Institutis, foeminae sacris Claustris se addicere statuebant. Servus Dei *noluit depopulari regionem,* neque arcto matrimonii vinculo conjunctos optato consortio privari, suasitque omnibus, ut sub propriis tectis Deo christiane et placide deservirent, *pollicitus se modum praescripturum, quo facilius in virtute proficerent, et absque Regularium rigore, Regularibus assimilarentur* (Vid. Wadding. *Annales Minorum,* tom. II, pag. 7).

1505. Cum olim S. Franciscus ex Florentina civitate in villam Gagiani, non longe ab oppido Podii Bonitii se contulisset, occurrit ei quidam vir, nomine Luchesius, qui christianae perfectionis cupidus, a Seraphico Patre petiit amplius edoceri, sibi suaeque consorti *Bonae-Donnae,* ostendi viam bonam per quam ambularent secure. Cui beatissimus Pater respondit, *se paulo ante cogitasse de Tertio illo Ordine instituendo,* in quo conjugati Deo perfecte possent inservire. Luchesius et Bona-Donna, postquam rem serio perpendissent, beatum Franciscum rogarunt, ut se in hujusmodi Tertium Ordinem admitteret.

Tunc sanctus Pater *vestem modestam cinerei coloris et cingulum nodosum illis tradidit,* et oretenus aliqua pietatis exercitia praescripsit, donec Regulam quantocius componeret. Luchesius igitur cum conjuge sua Bona-Donna primus fuit, qui ab ipso sancto Institutore Francisco veste Tertii Ordinis indutus fuerit, quae quidem indumenti forma ad ceteros omnes Tertiarios transivit (Cf. Wad. loc. cit.; Chalippe, *Vita del Serafico Patriarca S. Francesco d'Assisi, lib. IV).*

---

(1) Hoc accidit primum in Umbria, deinde in Tuscia et alibi.

1506. Ita initium habuit Tertius Ordo S. P. Francisci, qui illico mirabiliter propagatus est, personas cujusvis status et conditionis complectens. De viris ac mulieribus tum nobilitate sanguinis, tum sanctitate vitae insignibus, in Tertium Ordinem Franciscalem cooptatis, agunt Scriptores fere innumeri et quamplurimi libri manuales, qui quovis tempore typis editi sunt. Meminisse sufficiat, Tertium Ordinem S. P. Francisci ita fuisse jam ab incunabilis propagatum, ut Petrus de Vineis Cancellarius Friderici II imperatoris, ita ad eum, saeculo decimo tertio mediante, scribere potuerit: *Vix unus et una remansit, cujus nomen in hac Fraternitate non sit scriptum.*

1507. Anno 1221 vel sequenti Pauperum Patriarcha S. Franciscus Regulam Tertii Ordinis, quem *Fratrum de Poenitentia* vocavit, composuit ac Sodalibus praescripsit observandam, quaeque ab Honorio III aliquam approbationem, saltem viva voce susceperat. At Summus Pontifex Nicolaus IV, ex Ordine Minorum, Constit. *Supra montem*, die 18 Augusti 1289, praefatam Regulam, quibusdam explicationibus pro temporum et personarum conditione additis, solemniter approbavit et confirmavit (Vid. Constit. in Bull.° edit. Rom. tom. III, part. 2).

1508. Dicitur *Tertius* Ordo respectu aliorum duorum, quos S. Patriarcha Franciscus antea fundaverat, nempe Ordinis *Fratrum Minorum,* qui primus est, et *pauperum Dominarum,* id est Monialium S. Clarae, qui secundus Ordo dicitur.

1509. *Finis* Tertii Ordinis, ut ex ipsa Regula apparet, in eo situs est, ut Christifideles in eum adscripti, per perfectam praeceptorum Dei et Ecclesiae observantiam, efficiantur et conserventur veri christiani fidelesque filii S. Matris Ecclesiae. Exinde patet utilitas maxima et praestantia hujus sanctae institutionis.

« In curandis Jesu Christi praeceptis, ita docet Leo PP. XIII, Instituta Franciscalia tota sunt posita. Neque enim quicquam spectavit aliud Auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, *diligentius vita christiana exerceretur.* Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur: sed paucorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singulari quadam alacritate contendere. Verum *Tertius Ordo natus aptus est multitudini: et quantum possit ad mores justos, integros, religiosos, supe-*

riorum temporum monumenta et res ipsa declarat» (Constit. *Misericors Dei Filius,* 30 Maji 1883, apud Acta Ord. Min. ann. II. pag. 89).

1510. Ferraris in sua *Bibliotheca,* verb. *Tertiarii,* n. 42, scribit: « S. Franciscus Assisiensis inter omnes Religionum regularium Fundatores *fuit primus, ne dicam unicus, qui Tertium Ordinem de Poenitentia instituit,* cujus exemplum deinde aliquae aliae, praesertim Mendicantes, secutae sunt Religiones ». Idipsum affirmat Thomassinus presbyter Oratorii, qui dicit, alios Tertios Ordines fuisse *similes* Tertio Ordini S. Francisci (Vid. Chalippe, *Vita di S. Francesco,* pag. 198 in nota; Liber Tertii Ord. part. I, pag. 60 in nota).

Etiam Lezana ita scribit: Praecedere etiam debet professionem Tertiariorum aliquod tempus probationis ad modum Novitiatus. Sic enim decernitur in praedicta Regula Nicolai IV pro Tertiariis Minorum: *post unius anni spatium cum aliquorum Fratrum consilio recipiatur* etc., et colligitur idem esse dicendum de Tertiariis aliorum Ordinum... *quia illi sunt ad instar Tertiariorum Ordinum Minorum* (Summa Quaest. vol. I, part. II, cap. XIV, n. 22).

1511. Ex hucusque relatis facili negotio colligitur, sanctum Patriarcham Franciscum instituisse Tertium Ordinem, *de Poenitentia* nuncupatum, pro fidelibus *saecularibus* utriusque sexus *dumtaxat.* Decursu vero temporis, quamplurimi Tertiarii et Tertiariae, ad perfectioris vitae rationem anhelantes, vel in congregationes se collegerunt, vel tertiae Regulae professioni votum aliquod, saltem simplex, addiderunt. Hinc sub Tertiariorum nomine plures fideles *status diversi* comprehendebantur, et nunc quoque, saltem in parte, comprehenduntur. Praeter enim Tertiarios et Tertiarias in saeculo et propriis domibus degentes, qui proinde Tertiarii *saeculares* vocantur, extant etiam Tertiarii et permultae Tertiariae *collegialiter* seu *in communitate viventes* sub regula Tertii Ordinis S. P. Francisci, emisso plerumque aliquo voto simplici. Sunt etiam Tertiarii et Tertiariae *cum votis solemnibus et clausura,* et hi pertinent ad veros Regulares. Tertiarii quoque reperiuntur *in Conventibus primi Ordinis,* eumdem habitum (ut plurimum sine caputio) ac Religiosi gestantes, et cum eis vitam communem ducentes. Erant olim, et in nonnullis locis hodie quoque inveniuntur, *Tertiariae veste ad instar Monialium indutae,*

in propriis domibus degentes, quae proinde vulgo *Monache di casa* vocari solent.

1512. Sunt insuper obiter commemorandi:

a) *Tertiarii virgines in conjugio,* ut S. Elzearius et B. Delphina, qui sanctam et immaculatam virginitatem non solum animo, sed etiam corpore conservarunt, perpetuum ducentes coelibatum, non aspernantes jura conjugii, nec virginitatem in aliquo violantes.

b) *Tertiariae viduae coelibes,* ut S. Elisabeth Thuringiae ducissa, B. Ludovica de Albertonibus, B. Michelina a Pisauro etc., quae vanas et umbratiles pertaesae delicias, maluerunt potius sub regula et habitu Tertii Ordinis S. P. Francisci humiliter degere, quam ad alias cum nobilibus ac divitibus viris transire nuptias, interdum nuncupatis votis, voto ut plurimum castitatis.

c) *Tertiariae Virgines,* ut inclyta S. Rosa Viterbiensis, quae B. M. Virginis apparitione recreata, habitum Tertii Ordinis Franciscalis induere jussa est, et adhuc puella, mirabilia operata est; S. Maria-Francisca a quinque vulneribus Jesu Christi, quae, assentiente patre, domi suae Tertii Ordinis S. Francisci habitum induit, ac religiosa vota nuncupavit, quaeque virginitatem ita coluit, ut ab impudentium insidiis atque aperta vi intactam servaverit, et jucundum saepe spiraret odorem.

d) *Tertiariae reclusae,* quae, assumpto habitu Tertii Ordinis S. P. Francisci, in eremiticam cellam se incluserunt, ubi jejuniis et afflictationibus carnem suam castigabant, et orationibus, contemplationi, aliisque spiritualibus exercitiis jugiter vacabant, ut B. Viridiana et B. Joanna a Signa.

e) *Tertiarii peregrini,* ut S. Rochus, qui, Gallia patria sua relicta, per Italiam peregrinationem suscepit, urbesque et oppida peragrans, seipsum in aegrotantium obsequium impendere, animamque suam pro fratribus ponere non dubitavit. — B. Nevolonus sutor, qui ob mortem uxoris a conjugii vinculo solutus, Tertio Ordini S. Francisci nomen dedit, et mortificationis ac pietatis cultor peregrinationes non semel nudato pede Compostellam et Romam obivit.

f) *Tertiarii poenitentes.* Sufficiat commemorare S. Margaritam Cortonensem, ubique locorum celeberrimam, super quam facta manu Domini, exiit foras, et anteactae vitae suae culpas flevit amare, quaeque ad tam sublimem pervenit sanctitatem, ut digna facta fuerit, quae saepe Domini consuetudine frueretur.

g) *Tertiarii martyres,* quorum praeclara habes exempla in inclytis Sociis Japonensibus S. Petri-Baptistae et in B. Raymundo Lullo.

h) *Tertiarii in throno,* qui licet in fastigio collocati, innumera dederunt abstinentiae, humilitatis, patientiae, religionis, aliarumque virtutum exempla, ut sancti Ludovicus Galliarum rex, Ferdinandus rex Castiliae, Elisabeth Regina Portugalliae, et Elisabeth Thuringiae principissa, Tertiariarum Patrona praeclarissima.

i) *Tertiarii in Summo Pontificatu.* Satis sit nominare Pium IX et Leonem XIII, quorum laus est in Ecclesia Dei.

1513. Ceterum gloriam Tertii Ordinis Franciscalis hic enarrare minime intendimus: id enim longa res esset et ad nostrum propositum minus pertinens. Tertius Ordo a Pauperum Patriarcha institutus assimilari jure potest arbori magnae, amplissimis decoratae ramis, qui varios et innumeros dederunt in Ecclesia Dei fructus honoris et honestatis; et hos fructus nos voluimus summis labiis delibare et indicare, ut exinde de eodem Tertio Ordine generalis habeatur notitia.

1514. His breviter adnotatis, advertimus lectores, nos hic non agere nisi de Tertio Ordine *saeculari* S. P. Francisci Assisiensis, cujus Regula a Summo Pontifice Leone XIII temperata est, magisque recentibus vivendi moribus et consuetudinibus accommodata. Ubi de aliquo alio statu Tertii Ordinis, qui non sit *saecularis,* commemorationem fieri contingat, id obiter et per deductionem peragetur.

ARTICULUS II.

MODERATIO REGULAE TERTII ORDINIS SAECULARIS S. P. FRANCISCI.

1515. Summus Pontifex Leo XIII binas edidit Constitutiones de Tertio Ordine S. P. Francisci, quarum prima incipit *Auspicato concessum est,* de die 17 Septembris 1882; altera *Misericors Dei Filius,* de die 30 Maji 1883. Prima, quae *de sancto Francisco Assisiensi et de Tertio Franciscalium Ordine propagando* inscribitur, perpulchrum compendium historicum continet tum de Seraphico Patriarcha, tum de Ordinibus ab eo institutis, tum demum, sed speciatim, de Tertio Ordine, in eoque Pontifex summis laudibus hunc Ordinem extollit, fideles omnes ad eum amplectendum hor-

tatur, et Episcopis summopere commendat ut, *ipsis adnitentibus,* Tertius Ordo Franciscalis magis ac magis augeatur, et ad plures propagetur. *Date operam,* inquit Leo XIII, *ut Tertium Ordinem vulgo cognoscant atque ex veritate aestiment: providete, ut qui curam gerunt animarum, doceant sedulo qualis ille sit, quam facile unicuique pateat, quam magnis in animorum salutem privilegiis abundet, quantum utilitatis privatim et publice polliceatur... Utinam etiam christianae gentes ad disciplinam Tertii Ordinis confluant, ita alacres itaque frequentes, uti olim undique ad Franciscum ipsum sese certatim effundebant* (Vid. Constit. *Auspicato* apud *Acta Ord. Min.* ann. I, pag. 147).

Similem commendationem de Tertio Ordine propagando fecit Summus Pontifex Superioribus Generalibus in Audientia ipsis concessa die 7 Junii 1883, sequentibus verbis:

Ad vos pertinet, Patres Observantes, Conventuales, Capuccini et Tertiarii Regulares, hunc Ordinem Poenitentiae per Sacerdotes Ordinis ac Visitatores, et ubi non sint Religiosi vestri, per delegatos Directores promovere, ut scopum a S. Francisco et a Nobis intentum, ad societatis bonum et pietatis christianae incrementum attingere valeatis (Acta Ord. Min. ann. II, p. 110 et 111).

In altera Constitutione incipiente *Misericors Dei Filius,* quae inferius ex integro refertur, Leo PP. XIII Regulam Tertii Ordinis in aliquibus punctis temperat, indulgentias et privilegia determinat, revocatis penitus ceteris omnibus antea eidem Tertio Ordini a S. Sede concessis.

1516. Ratio moderationis Regulae Tertii Ordinis saecularis S. P. Francisci. Probe noverat Pontifex, post a se datas cohortationes per Bullam *Auspicato,* auctum fuisse numerum fidelium Sodalitatem Tertii Ordinis expetentium. Ideo velut incitamenta currentibus praebiturus, decrevit illuc cogitationem suam intendere, unde impediri aut retardari aliquatenus posse animorum salutaris iste cursus videbatur. Et vidit ac perspexit, Regulam Tertii Ordinis, quam Nicolaus IV probavit confirmavitque Constitutione Apostolica *Supra montem* die 18 Augusti 1289, *non omnino iis, quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus respondere. Hinc cum expleri suscepta officia sine molestia et labore nimio non possint, pleraque legum capita condonare sodalium precibus hactenus necesse fuit: quod quidem sine disciplinae communis detrimento fieri non posse, facile intelligitur.*

1517. Ratio revocationis indulgentiarum Tertio Ordini saeculari S. P. Francisci a S. Sede concessarum. Declarat Leo PP. XIII, Romanos Pontifices Tertium Ordinem jam inde a natali suo summa benevolentia complexos, indulgentias complures et satis amplas Sodalibus concessisse. Indoles autem et ratio harum indulgentiarum effecta est annorum decursu *ambigua* et *perplexior*. Unde saepe in contentionem veniebat, num in certis casibus de Apostolico indulto constaret, et quo tempore, quo modo, quove genere eodem uti liceret. Certe Apostolica Sedes hac super re providit, ac nominatim Benedictus XIV Constitutione *Ad Romanum Pontificem* die 15 Martii 1751 priores dubitationes abstulit; sed in posterum, ut contingere solet, aliae obortae sunt.

Hinc Summus Pontifex, ad removenda hujusmodi incommoda, nonnullos destinavit S. R. E. Cardinales, qui pristinas Tertiariorum leges cum cura recognoscerent; item indulgentias et privilegia omnia in elenchum redacta examinarent; et post maturum judicium, ad se referrent, quid retinendum, quidve novandum pro temporum conditione censuissent. Ordinationibus his adimpletis, praefati Cardinales proposuerunt, *leges veteres Tertii Ordinis flecti atque accommodari oportere ad recentes vivendi consuetudines, aliquibus capitibus moderatis*. Quoad vero indulgentias, ad removendam quamcumque dubitationem et periculum cavendum, ne aliquid non jure fiat, arbitrati sunt, Summum Pontificem ad exemplum Benedicti XIV sapienter utiliterque facturum, *si revocatis abrogatisque indulgentiis omnibus, quae hactenus viguerunt, alias quasdam ex integro eidem Sodalitio concederet.*

1518. His praehabitis, Summus Pontifex Auctoritate Apostolica Legem Franciscalium Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur, eo modo quo infra in ipsa sua Constitutione *Misericors Dei Filius,* descripta est, novavit et sancivit. Quo tamen facto, ita declarat Pontifex, *nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur; quam omnino volumus immutatam atque integram permanere.*

Praeterea, prosequitur Leo XIII, poenarum remissionibus, seu indulgentiis, privilegiisque, quae infra in indice recensentur, eosdem Sodales uti posse volumus et jubemus, *sublatis penitus indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem Sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem concesserat.*

En integra Constitutio Apostolica.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

CONSTITUTIO

DE LEGE FRANCISCALIUM TERTII ORDINIS SAECULARIS

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Misericors Dei Filius, qui suavi jugo et levi onere hominibus imposito, omnium vitae et saluti consuluit, Ecclesiam a se conditam non potestatis solum sed etiam misericordiae suae reliquit heredem, ut parta per ipsum beneficia ad omnes saeculorum aetates eodem semper caritatis tenore propagarentur. Propterea quemadmodum in iis, quae Jesus Christus in omni vita vel gessit vel praecepit, mitis illa sapientia et invictae magnitudo benignitatis eluxit, sic pariter in singulis christianae reipublicae institutis mira quaedam eminet indulgentia et lenitas, ut plane vel in hac ipsa re similitudinem Dei, qui *caritas est* (1), gerere Ecclesia videatur. Illud est autem munus pietatis hujus maternae maxime proprium, accommodare sapienter leges, quoad fieri potest, ad tempora, ad mores et in praecipiendo exigendoque summa semper aequitate uti. Atque hujusmodi consuetudine caritatis simul et sapientiae efficitur, ut immutabilitatem doctrinae absolutam et sempiternam cum prudenti disciplinae varietate Ecclesia conjungat.

Hac Nos ratione animum et mentem Nostram in gerendo Pontificatu conformantes, officii Nostri ducimus eo, quo aequum est, judicio aestimare naturam temporum, et omnia circumspicere, ne quem difficultas deterreat ab utilium exercitatione virtutum. Et

---

(1) I. Joan. IV, 16.

nunc quidem perpendere ad hanc normam placuit sodalitatem Franciscalium *Ordinis Tertii,* qui *saecularis* dicitur, diligenterque statuere num leges ejus modice temperari ob mutata tempora oporteret.

Praeclarum istud Francisci patris Institutum vehementer pietati christianorum commendavimus per litteras Encyclicas *Auspicato,* quas die 17 Septembris anno superiore dedimus. Dedimus autem hac voluntate atque hoc unice proposito, ut quanto plures possent ad sanctitatis christianae laudem invitatione Nostra tempestive revocarentur. Origo quippe est maxima et malorum quae premunt, et periculorum quae metuuntur, neglecta christiana virtus: alteris vero mederi, atque altera deprecari non alia homines ratione possunt, quam maturando privatim et publice ad Jesum Christum reditu, *qui salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum* (1). Jamvero in curandis Jesu Christi praeceptis instituta Franciscalia tota sunt posita: neque enim quicquam spectavit aliud auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceretur. Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur: sed paucorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singulari quadam alacritate contendere. Verum Tertius Ordo natus aptus est multitudini: et quantum possit ad mores justos, integros, religiosos, superiorum temporum monumenta et res ipsa declarat.

Auctori autem et adjutori bonorum consiliorum Deo acceptum referre debemus, quod illis cohortationibus Nostris clausae aures populi christiani non fuerunt. Imo vero plurimis ex locis perfertur excitata erga Franciscum Assisiensem pietas, auctusque passim numerus sodalitatem Tertii Ordinis expetentium. Quapropter velut incitamenta currentibus praebituri, illuc decrevimus cogitationem intendere, unde impediri aut retardari aliquatenus posse animorum salutaris iste cursus videbatur. Et primum quidem perspeximus, Regulam Tertii Ordinis, quam Nicolaus IV Decessor Noster probavit confirmavitque Constitutione Apostolica *Supra Montem* die 18 Augusti 1289, non omnino iis, quibus nunc vivitur, temporibus atque moribus respondere. Hinc cum expleri suscepta of-

---

(1) Hebr. VII, 25.

ficia sine molestia et labore nimio non possint, pleraque legum capita condonare sodalium precibus hactenus necesse fuit: quod quidem sine disciplinae communis detrimento fieri non posse, facile intelligitur.

Deinde alia quoque in eadem sodalitate erat caussa, quae Nostras sibi curas vindicaret. Nimirum Romani Pontifices Decessores Nostri Tertium Ordinem jam inde a natali suo summa benevolentia complexi, Indulgentias complures et satis amplas in expiationem admissorum sodalibus concessere. Quarum ratio effecta est annorum decursu perplexior: atque illud in contentionem saepe veniebat, num de pontificali indulgentia certis in caussis constaret, et quo tempore, quove genere eadem uti fas esset. Certe desiderata non est Apostolicae Sedis hac in re providentia: ac nominatim Benedictus XIV P. M. Constitutione *Ad Romanum Pontificem* die 15 Martii anno 1751 tollendas priores dubitationes curavit: non paucas tamen, ut fere fit, denuo attulit dies.

Quamobrem hujusmodi incommodorum cogitatione adducti, ex sacro Consilio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praeposito aliquot S. E. R. Cardinales destinavimus, qui leges Tertiariorum pristinas cum cura recognoscerent; item Indulgentias et privilegia omnia in commentarium relata examinarent: adhibitoque intelligenti judicio, hac de re ad Nos referrent, quid retinendum quidve novandum pro temporum conditione censuissent. Transacto, uti imperatum erat, negotio, ii quidem Nobis auctores fuerunt, leges veteres flecti atque accommodari ad has recentes vivendi consuetudines oportere, cum quorumdam capitum immutatione nonnulla. De Indulgentiis vero, ne qui relinquatur haesitandi locus, prohibendique caussa periculi ne quid non jure fiat, arbitrati sunt, Nos ad exemplum Benedicti XIV sapienter utiliterque facturos, si revocatis abrogatisque Indulgentiis omnibus, quae hactenus valuerant, alias quasdam ex integro eidem sodalitio decreverimus.

Ergo quod bonum felixque sit, Dei gloriam amplificet, et pietatis virtutumque ceterarum studia magis accendat, Nos his Litteris auctoritate Nostra apostolica Legem Franciscalium Ordinis Tertii, qui *saecularis* dicitur, eo modo quo infra descripta est, novamus et sancimus. Quo tamen facto nihil demptum de ipsa Ordinis natura putetur; quam omnino volumus immutatam atque integram permanere. Praeterea poenarum remissionibus, seu Indulgentiis, privilegiisque, quae infra in indice recensentur, eosdem

sodales uti posse volumus et jubemus, sublatis penitus Indulgentiis (1) privilegiisque universis, quae eidem sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem concesserat.

LEX
SODALIUM FRANCISCALIUM TERTII ORDINIS QUI SAECULARIS DICITUR.

CAP. I.

DE COOPTATIONE, TIROCINIO, PROFESSIONE.

§ I. Ne quos cooptari liceat, nisi majores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes concordiae, atque in primis sanctitate professionis catholicae probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

§ II. Nuptae, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum, auctore sacerdote conscientiae ipsarum judice.

§ III. Adlecti in sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant: ni gesserint, statis privilegiis juribusque careant.

§ IV. Qui quaeve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant: mox, Ordinem rite professi, servaturos sese jura Dei, obedientes Ecclesiae dicto futuros; si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant.

CAP. II.

DE DISCIPLINA VIVENDI.

§ I. Sodales Tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elegantia posthabita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

---

(1) Haec nostra elucubratio de Tertio Ordine saeculari Franciscali jam erat absoluta, quando ad nostras pervenit manus Breve Apostolicum, cujus initium *Cum dilectus filius* de die 7 Julii 1896, quo Summus Pontifex Leo XIII Tertiarios Franciscales fecit ac declaravit participes, *ad quinquennium*, indulgentiarum ac piorum operum, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet.

§ II. Choreis ludisve scenicis procacioribus, item comissationibus perquam caute abstineant.

§ III. Pastu atque potu utantur frugaliter: neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

§ IV. Jejunium Mariae Virgini Immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli servanto: admodum laudabiles, si qui praeterea vel jejunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

§ V. Admissa rite expianto per menses singulos: item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

§ VI. Tertiarios ex ordine Clericorum, quod Psalmis quotidie dant operam, nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vulgo *Officium parvum B. M. V.*, persolvunt, precationem Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valetudinem non liceat.

§ VII. Quibus est testamenti factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

§ VIII. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere: pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

§ IX. Caritatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

§ X. Jusjurandum ne jurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scurriles jocos fando fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint: si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

§ XI. Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos Praefectus indixerit, conveniant.

§ XII. Conferant in commune pro facultate quisque sua nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

Cum hujusmodi concessio sit *temporanea*, textus jam paratus ad tenorem Constitutionis *Misericors Dei Filius* et declarationum S. Congregationis Indulgentiarum, mutatione non indiget. Aliquod monitum, ubi opportunum vel necessarium duximus, posuimus in respectivis locis. Praefatum Breve Apostolicum ad calcem hujus tractationis prostat.

§ XIII. Ad sodalem aegrotantem Praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui caritatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant, suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet.

§ XIV. Ad exequias sodalis demortui sodales municipes hospitesve conveniant, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *Rosarium*, tertiam partem ad caeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Eucharistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

CAP. III.

DE OFFICIIS, DE VISITATIONE, DEQUE IPSA LEGE.

§ I. Officia, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem triennalia sunto. Oblata ne qui sine caussa justa recuset, neu oscitanter gerat.

§ II. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat, satisne salvae leges. Ejus rei ergo, sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius, si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat, Praefectis sodalibusque universis adesse jussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo jubendo revocarit, sive quid, salutaris poenae nomine, in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

§ III. *Visitatores* ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos Custodes seu *Guardiani*, si id rogati fuerint, designabunt. *Visitatoris* munere laicis viris interdictum esto.

§ IV. Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertium admoneantur officii sui : ni pareant, excedere Ordine jubeantur.

§ V. In his legibus si qui forte quid deliquerint, hoc se nomine culpam suscepturos nullam sciant, exceptis iis quae jure divino Ecclesiaeve legibus alioqui praecipiuntur.

§ VI. Si quae hujus capita legis quemquam servare caussa gravis et justa prohibeat, eum ex ea parte lege solvi, eademve capita commutari prudenter liceat. Cujus rei Praefectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii, item *Visitatoribus* supra dictis facultas potestasque sit.

INDEX INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM.

CAP. I.

DE INDULGENTIIS PLENARIIS.

Tertiariis ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, Indulgentiam plenariam consequendi jus sit, diebus et caussis quae infra scriptae sunt:

I. Die aditiali:

II. Quo die singuli Ordinem primitus profitentur:

III. Quo die ad concionem menstruam seu *Conferentiam* conveniunt, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, remque christianam Deo de more commendaverint:

IV. Die 4 Octobris, natali Francisci Patris legiferi: die 12 Augusti, natali Clarae Virginis legiferae: die 2 Augusti, festo Mariae Angelorum reginae ob Basilicam ejus dedicatam: item quo die solemnia anniversaria aguntur Sancti caelitis, in cujus templo sedes est sodalitii constituta, si modo ipsum templum pietatis caussa celebraverint, remque christianam Deo de more commendaverint:

V. Semel per menses singulos, quo die cuique placuerit, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis caussa adierint, et aliquandiu ad mentem Pontificis maximi obsecrando perstiterint:

VI. Quoties, potioris vitae studio, per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi secesserint:

VII. Item morituris, si sanctum salutare nomen Jesu aut voce, aut, si loqui posse desierint, voluntate imploraverint. Iidem eodem jure fruantur, si nec compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint.

VIII. Bis in anno *Benedictionem summi Pontificis nomine* accepturis, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint: itemque, hac ipsa supplicandi lege, accepturis quam appellant *Absolutionem,* hoc est *Benedictionem,* per hos dies qui infra scripti sunt: I. Natali Domini Nostri Iesu Christi: II. die solemni

Paschalis Resurrectionis: III. die solemni Pentecostes: IV. in festo Sanctissimi Cordis Jesu: V. item Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis: VI. Josephi sponsi ejus die 19 Martii: VII. Impressionis SS. Stigmatum Francisci Patris die 17 Septembris: VIII. Ludovici regis Galliarum, Patroni caelestis salutaris sodalium ex Tertio Ordine die 25 Augusti: IX. Elisabeth Hungaricae die 19 Novembris.

IX. Item semel in mense, si qui *Pater, Ave* et *Gloria Patri* quinquies pro incolumitate rei christianae, semel ad mentem Pontificis maximi recitaverint, ii jure omni ad expiandas animi labes fruantur, quo fruuntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitana loca sanctissima, aedem Jacobi Apostoli Compostellensem, religionis caussa, celebrant.

X. Quibus diebus stativae supplicationes in Missali Romano designantur, si templum sacrariumve, in quo sedes est sodalitii constituta, adierint, remque christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo sacrariove per eos ipsos dies amplissimo jure fruantur, quo in Urbe cives hospitesve fruuntur.

CAP. II.

DE INDULGENTIIS PARTIALIBUS.

I. Tertiariis ex utroque sexu singulis, si templum sacrariumve, in quo est sedes sodalitii constituta, celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint quo die sacra Stigmata Francisco Patri divinitus impressa sunt, item festo sanctorum Ludovici regis, Elisabeth reginae Lusitaniae, Elisabeth Hungaricae, Margaritae Cortonensis, itemque aliis duodecim diebus, quos singuli maluerint et Praefectus Ordinis probarit, ea supplicatio septennis septiesque quadragenae satisfactionis instar sit.

II. Quoties Missae aliisve divinis officiis, vel sodalium conventibus publicis privatisve interfuerint: inopes hospitio acceperint: dissidia composuerint, componendave curarint: in pompam rite ductam prodierint: Sacramentum Augustum, cum circumfertur, vel comitati sint, vel, si comitari nequiverint, ad campani aeris signum precationem Dominicam cum Salutatione Angelica semel recitaverint: quinquies precationem et salutationem eamdem recitaverint rei christianae, vel animabus sodalium defunctorum Deo commen-

dandis: hominem mortuum extulerint: devium quemquam ad officium reduxerint: Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint: aut aliud quippiam ex hoc genere caritatis egerint, toties singulis eorum, harum rerum singularum caussa, tercentos de poenalium dierum numero expungere liceat.

Tertiariis, si malint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis, sive *plenariis* sive *partialibus,* labes poenasque defunctorum expiare liceat.

CAP. III.

DE PRIVILEGIIS.

I. Sacerdotibus ex ordine Tertiariorum ad quodlibet altare facientibus, tribus ex qualibet hebdomade diebus, perlitare fas sit, modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

II. Qui sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque veniae defuncto impetrandae perlitato.

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus: non obstantibus Constitutionibus, Litteris Apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, et contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras ullo modo, ullave ex parte violare. Si quis autem adversus eas tale quicquam ausit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octogesimo tertio, III Kalendas Junias, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

C. Card. SACCONI, *Pro-Datarius.*
TH. Card. MERTEL.

VISA
DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Loco ✠ *Plumbi*
Reg. in Secret. Brevium

I. CUGNONIUS.

1519. In relata Constitutione *Misericors Dei Filius* sunt quaedam attente perpendenda:

1. Summus Pontifex ibi non loquitur, prout jam supra praemonuimus, nisi de Tertio Ordine *Saeculari* S. Francisci. Hanc declarationem ipse urget clarissimis verbis, dum dicit: perpendere ad hanc normam placuit *sodalitatem Franciscalium Ordinis Tertii,* qui SAECULARIS dicitur... Nos his litteris auctoritate Nostra apostolica *Legem* Franciscalium *Ordinis Tertii,* qui SAECULARIS dicitur... novamus et sancimus. Id etiam patet ex pluribus responsis Sacrarum Congregationum Romanarum ad plurima dubia, quae post editam praedictam Constitutionem eis proposita sunt solvenda ex variis regionibus.

Ex declaratione autem Sacrae Congregationis Indulgentiarum scimus, Tertium Ordinem S. Francisci *tres status* comprehendere. Primus dicitur *Regularis,* et est ille, qui profitetur Regulam Tertii Ordinis cum votis solemnibus, et gaudet omnibus indulgentiis FF. Minorum. Secundus status dicitur *Saecularis,* et est eorum, qui habitant in propriis domibus... Tertius status est eorum, qui habitant in monasteriis, secessibus, conservatoriis, collegiis etc. unam efformantes familiam sub jurisdictione Ordinariorum... absque votis substantialibus status religiosi, quamvis recitent Officium Ordinis; hic status ut plurimum tantum mulieres complectitur (Decr. auth. N. 391).

Cum igitur ex dictis Leo PP. XIII sua Bulla *Misericors Dei Filius* alios Tertiarios non attingat, *nisi qui in saeculo propriisque domibus degunt,* consequitur in eadem Bulla minime comprehendi Tertiarios Regulares, de quibus nulla quaestio, sed nec etiam illos vel illas, quae tertium statum constituunt, quae scilicet in communitate vivunt sub Regula Tertii Ordinis S. Francisci *absque votis solemnibus.* Quapropter hujusmodi Tertiariae collegialiter seu in communitate viventes, iisdem prorsus indulgentiis et privilegiis, si quae habebant, potiuntur, quibus ante praefatam Constitutionem *Misericors Dei Filius* gaudebant.

2. Quamvis Summus Pontifex Regulam Tertii Ordinis saecularis S. P. Francisci innovaverit, nihil tamen, ut jam innuimus, demptum est *de ipsa Ordinis natura,* quam Pontifex vult omnino immutatam atque integram permanere: quod quidem cuique patebit, si inter se conferat Regulam a Nicolao IV approbatam cum eadem Regula a Leone XIII temperata. Praestat hic referre verba,

quae super re prolata sunt a laudato Pontifice in Audientia Ministris Generalibus Ordinis Seraphici concessa die 7 Junii 1883:

« Tempus, inquit, jam opportunum advenerat, sollicitantibus non paucis Orbis Praesulibus, Regulam Tertii Ordinis aliquantulum temperare juxta praesentes societatis circumstantias. Ideo jejunia moderati sumus, et pro iis qui Officium divinum recitare nequeunt, *duodecim Pater, Ave* et *Gloria* praefinivimus... In praesentibus certe temporum adjunctis, crescente labore et humanae vitae sollicitudinibus, refrigescente vero fervore christiano, necesse fuit antiquam Tertii Ordinis disciplinam flectere, ut plures ad evangelicum S. Francisci spiritum allicerentur » (Acta Ord. Min. ann. II, pag. 110-111).

ARTICULUS III.

HABITUS TERTII ORDINIS SAECULARIS S. P. FRANCISCI.

1520. S. P. Franciscus filiis suis de Tertio Ordine praescripsit (vid. n. 1505) vestem cineream, modestam, et cingulum nodosum. Unde in capite tertio Regulae a Nicolao IV approbatae habetur: Fratres ipsius Fraternitatis de humili panno in pretio et colore, non prorsus albo vel nigro communiter vestiantur, nisi fuerit ad tempus in pretio per Visitatores de consilio Ministri ob causam legitimam et apertam cum aliquo dispensatum... Sorores etiam chlamyde induantur, et tunica de hujusmodi humili panno factis... Circa humilitatem vero panni... Sororum ipsarum, juxta conditionem cujuslibet earumdem ac loci consuetudinem, poterit dispensari (Vid. textum Regulae apud Casarubios in Compend. Privileg. Prima Reg. III Ord.; *Liber III Ord.* tom. II, pag, 1-21).

1521. Julius II statuit, quod Tertiarii portent ubique habitum talem, quo distinguantur a Fratribus primi Ordinis S. Francisci, et ubicumque sint per universum orbem habitus sit uniformis. *In forma autem, quod ad minus habeant caparonem latum, ut desuper scapulas descendat ab utraque parte per quatuor digitos. In longitudine vero, tam a parte anteriori quam posteriori attingat infra cingulum, ut super illud possit cingi. Color quoque sit magis ad nigredinem tendens, quam ad albedinem* (Loc. cit. verb. *Tertiarii,* n. 18).

1522. Antiquitus, ut ex modo dictis facile colligitur, omnes Tertiarii, etiam in saeculo viventes, publice Tertii Ordinis habitum

deferebant, et tamquam Religiosi in praedicto habitu incedebant, propriamque Regulam exacte observabant; ita ut non pro saecularibus, sed pro Religiosis et ecclesiasticis proinde personis haberentur (Cf. Liber Tertii Ord. tom. I, p. 231).

1523. Verum, ut Tertiarii saeculares indulgentiis et privilegiis gaudeant, minime necessarium est ut vel integrum habitum vel amplum scapulare a Julio II determinatum deferant, sed sufficit parvum scapulare, prout statutum est a Summo Pontifice Leone XIII in sua Constitutione *Misericors Dei Filius.* Ibi § III capitis I de lege Sodalium Franciscalium Tertii Ordinis edicitur: *Adlecti in sodalitatem scapulare parvum unaque cingulum de more gerant: ni gesserint, statis privilegiis juribusque careant.*

De hoc scapulari Episcopus Ruthenensis (Rodez) dubium exposuit S. Congregationi Indulgentiarum, quaerens nempe quid veniat nomine *scapularis parvi.* Alii enim, ajebat, exigunt scapulare a Julio II determinatum satis amplum, ut cingulo hinc et hinc ligetur, constansque duabus partibus ope corrigiarum item lanearum conjunctis. Econtra alii contendunt sufficere scapulare ejusdem formae et magnitudinis ac sunt cetera scapularia piarum Confraternitatum, quae passim induunt Christifideles. Hinc quaerebat:

An pro Tertiariis Franciscalibus, ut statis privilegiis et juribus ipsi gaudeant, sufficiat induere scapulare ejusdem formae et amplitudinis ac sunt cetera scapularia piarum Confraternitatum?

S. Congregatio respondit: *Sufficere* (Decr. 30 Apr. 1885; Acta Ord. Min. ann. V. pag, 171).

1524. Ex hujusmodi responso quisque videt, *scapulare parvum* cum cingulo sufficere quidem pro indumento seu veste Sodalium Tertii Ordinis S. Francisci, ut privilegiis et indulgentiis gaudere possint, sed minime improbari laudabilem consuetudinem in variis provinciis vigentem deferendi scapulare a Julio II determinatum, vel etiam parvam tunicam sub vestibus propriis absconditam, sicut nonnulli Tertiarii ex devotione deferre solent.

De hac materia S. Congregatio Episcoporum et Regularium, die 20 Sept. 1748 jam declaravit: *Esse habitum proprium Fratrum Tertii Ordinis de Poenitentia sancti Francisci, non solum vestem totalem, sed etiam particularem, scilicet scapulare et cingulum exterius delatum* (Chronol. Ord. Min. tom. III, pag. 418; cf. etiam Acta Ord. Min. ann. V. pag. 150 et 172 in notis).

Quare dicimus, specialem laudem mereri illos Tertiarios, qui *saltem occasione processionis,* totalem vestem deferunt, ut mos est in pluribus locis. Vestis enim totalis est primitiva forma habitus, quem S. Franciscus B. Luchesio tradidit.

In Caeremoniali Tertii Ordinis a S. Rituum Congregatione approbato, art. III, consulitur, *ut die Professionis Novitius Tertiarius habitu integro Ordinis, si fieri potest, sit indutus.*

1525. Scapulare parvum debet esse ex lana cinerei vel fusci coloris, et ita confectum ac dispositum, ut una pars ab humeris, altera a pectore pendeat.

Cingulum debet esse ex cannabe vel ex lana, cum tribus vel etiam quinque modis in honorem SS. Trinitatis vel quinque Plagarum D. N. J. C.

1526. Tum scapulare tum cingulum debent prima vice, dum nempe quis Tertium Ordinem ingreditur, benedici a Superiore Primi vel Tertii Ordinis regularis, vel etiam ab alio Sacerdote debita facultate munito. Cetera scapularia, quae deinceps Tertiarius recipit, non sunt necessario benedicenda.

1527. Tum scapulare tum cingulum continuo, die noctuque, deferri debent. Si quis ea deferre negligeret, *tempore omissionis* privilegiis ac indulgentiis Tertii Ordinis perfrui non posset. Excipe, si id justa gravique causa fiat, aut a Visitatore sive a Superiore Primi vel Tertii Ordinis regularis legitima dispensatio obtenta fuerit. Facile intelligitur, quod is qui scapulare et funem deferre negligit, non ideo cessat esse Tertiarius.

1528. Qui piae Confraternitati B. V. de Monte Carmelo nomen dedit, atque eodem tempore inter Sodales Tertii Ordinis saecularis S. Francisci cooptatus sit, tenetur e collo pendentia gestare, ut sacras indulgentias lucretur, *ambo scapularia, quamvis utrumque ejusdem coloris sit et panni* (Decr. 10 Junii 1886 ad 1^m, apud Acta Ord. Min. ann. V. pag. 183).

In eodem Decreto ad II^m dubium, quaesitum est etiam: *Si ambo* (scapularia) *gestare necesse sit, poteritne id fieri neglectis utriusque dimensionibus, si quidem invicem conjuncta sint?*

Responsum fuit: *Servetur consuetudo vigens tum penes Confratres B. M. V. a Monte Carmelo, tum penes Tertiarios S. Francisci Assisiensis.*

ARTICULUS IV.

TERTIUS ORDO SAECULARIS S. P. FRANCISCI EST VERUS ET PROPRIUS ORDO.

1529. Habet enim ea omnia, quae verum Ordinem constituunt, nempe *Regulam a S. Sede approbatam, Novitiatum, Professionem et Habitum,* prout ceteri Ordines regulares. Unde Summus Pontifex Benedictus XIII, ut detractorum calumniis adversus hunc Ordinem occurreret, sequentia docet et declarat: Antecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, qui hunc vivendi modum et formam approbarunt vel confirmarunt, aut etiam summis laudibus extulerunt, Nos *eumdem sanctum, meritorium et christianae perfectioni conformem, nec non verum et proprium Ordinem... a quacumque Confraternitate ex comprehensis in Bulla recolend. mem. Clementis PP. VIII omnimode distinctum, utpote qui sub propria Regula, ab hac Romana Sede approbata, cum Novitiatu, Professione, et Habitu sub certis modo et forma, prout ceteri Ordines tum Regulares, tum Militares, et alii hujusmodi consueverunt, dispositus reperitur, fuisse semper et esse decernimus et declaramus* (Const. *Paterna Sedis Apostolicae* (1) 10 Dec. 1725. Bullarium edit. Rom. tom. XII, pag. 49).

---

(1) Cum agitur de Tertio Ordine saeculari S. P. Francisci, citari solet pro tuendis quibusdam ejusdem Ordinis praerogativis Constitutio *Paterna Sedis* Benedicti XIII, et cum agitur de quibusdam privilegiis et indulgentiis Confraternitati et coronae SS. Rosarii concessis, auctoritas Constitutionis *Pretiosus* ejusdem Pontificis invocari pariter solet. Ex eo quod hae duae Bullae simul cum aliis decem a Clemente PP. XII Constitutione *Romanus Pontifex,* 30 Martii 1732, fuerunt revocatae seu ad terminos juris reductae, nonnulli non intelligentes sensum hujusmodi reductionis, putant, omnia quae continentur in eisdem Constitutionibus omni prorsus vi ac virtute carere. At non ita res est, sed ea tantum privilegia censentur revocata, quae sunt *contentiosa ac Episcoporum jurisdictionem impediunt.* Hic modus interpretandi revocationem Clementis XII ad hodierna usque tempora in Curia Romana apud Sacras Congregationes semper retentus ac servatus fuit. Hinc est, quod Bulla *Paterna Sedis* adducitur, dum sermo est de natura Tertii Ordinis Franciscalis, deque ejus jure interveniendi et praecedendi in processionibus super laicas Confraternitates, dummodo Sodales *sub propria cruce vel sub cruce Fratrum Minorum* incedant. Hinc etiam auctoritas Bullae *Pretiosus* invocatur, ut jam diximus, dum agitur de nonnullis privilegiis et indulgentiis Confraternitati

Et Summus Pontifex Leo XIII in Audientia, ad quam sub die 7 Julii 1883 admissi fuerunt Superiores Generales Ordinis Seraphici, inter alia, haec verba protulit:

Aliqui existimarunt, post recentem Constitutionem *Misericors Dei Filius,* Tertium Ordinem ad simplicem Confraternitatem et Sodalitium fuisse revocatum. *Talis non est nostra mens, sed, uti declaravimus, ejusdem instituti natura ac essentia perseverant, et non simplex Congregatio,* SED VERUS ORDO REMANET (Acta Ord. Min. ann. II, pag. 110).

1530. NATURA HUJUS ORDINIS. Tertius Ordo *(saecularis)* S. Francisci est quidem Ordo, non tamen Ordo *regularis* seu *Religio,* ac ideo Sodales Tertiarii non sunt nec dici possunt *Regulares* seu *Religiosi.* Tertius Ordo est modus seu ordo vivendi melior ac perfectior ceterorum saecularium statu, et medium tenet inter statum Regularium et saecularium. Quocirca, ut talis, quaedam habet cum utroque communia: nam dispositus reperitur, ut docet Benedictus XIII, sub propria Regula a Romana Sede adprobata, cum Novitiatu, Professione et Habitu sub certis modo et forma, prout ceteri Ordines, tum *regulares* tum *militares:* in his ergo Tertiarii sunt similes Regularibus, a quibus tamen discriminantur ob vitam communem ac solemnia vota, quae Regulares profitentur. In quibusdam aliis, praedictus Tertius Ordo cum saecularibus et laicorum Confraternitatibus comparatur, ut ex. gr. in dependentia ab Episcopali jurisdictione et visitatione quoad ea quae ad disciplinam et directionem internam non spectant, ut inferius melius videbimus.

1531. Advertendum, in documentis etiam S. Sedis haud raro Tertium Ordinem designari vocibus *Fraternitatis, Confraternitatis, Sodalitatis* etc. His nominibus non significatur, quod Tertius Ordo sit Confraternitas vel Sodalitas *vulgari sensu,* sed quod fideles Tertio Ordini adscripti evadunt inter se conjuncti in Fraternitate per vinculum sanctae Regulae. Hoc sensu, etiam Ordo religiosus seu regularis dici potest, et aliquando dicitur *Fraternitas* vel *Confraternitas:* hinc verbum *Frater,* vel *Fratres,* ad designandos tum Tertiarios saeculares, tum Religiosos.

---

et coronae SS. Rosarii concessis, ut constat ex *Raccolta* pag. 205 et ex Summario Indulgentiarum SS. Rosarii a S. C. Indulg. anno 1862 confecto et a Pio IX 18 Septembris ejusdem anni confirmato, ubi § IV, n. 3, recensentur indulgentiae a Benedicto XIII in dicta Bulla *Pretiosus* concessae (Cf. Acta S. Sed. pro Societate SS. Rosarii vol. II, pag. 398-401 in nota).

1532. Lezana sequenti modo probat discrimen inter Confraternitates et quemlibet Tertium Ordinem: Infertur, ait, valde multumque differre hoc Institutum Tertiariorum a Congregationibus seu Confraternitatibus. Nam Tertiariorum Institutum est *Ordo sub certis Regula et caeremoniis ab Ecclesia approbatis,* Confraternitatum autem seu Congregationum Institutum Ordo non est, cum non sit sub certa Regula aut caeremoniis ab Ecclesia approbatis. Licet enim ex facultate a Pontificibus emanante instituantur, et aliquae conditiones pro earum institutione et conservatione a Pontificibus etiam assignentur, illae tamen non sunt Regula aliqua ex approbatis ab Ecclesia, sed mera statuta.

Differunt etiam *in professione:* nam Tertiarii veram professionem, vel aliquorum votorum, vel saltem servandi communia praecepta emittunt, non sic confratres.

Tertio differunt *ex parte habitus:* nam regulariter loquendo... habitus Tertiariorum est quasi ipsemet habitus illius Ordinis, cujus sunt Tertiarii, accommodatus et aptatus modo saeculari; habitus vero confratrum non est tam habitus, quam signum habitus illius Ordinis... Unde de Tertiariis ac Confratribus loquuntur Pontifices, ac de hominibus *diversorum Institutorum...* (Summa Quaest. tom. I, part. 2, cap. XIV, n. 24).

Ex quibus laudatus Auctor cum Rodriguez (tom. II, quaest. 65, art. 5) infert quod Tertiarii, etsi simpliciter et absolute dicendi sint personae *saeculares,* non ecclesiasticae, tamen aliquo modo et secundum quid etiam *ecclesiasticae* vocari possunt; tum quia adnexae sunt Ordinibus a Sede Apostolica approbatis, tum quia eorum Institutum est Ordo ab eadem S. Sede approbatus, tum quia... traditam sibi Regulam approbatam observant, ac aliqua et multa participant de statu religioso.

Collige, Tertium Ordinem non esse confundendum cum *Confraternitate Chordigerorum,* prout nonnulli faciunt propter chordam quae alterutri communis est; differunt in pluribus:

1° *Institutione:* nam Tertius Ordo Seraphicum P. S. Franciscum, Confraternitas vero Chordigerorum Summum Pontificem Sixtum V auctorem habet.

2° *Natura:* quia ille est verus Ordo, haec autem simplex Confraternitas.

3° *Legibus:* siquidem Tertius Ordo habet Regulam proprie dictam a S. Sede approbatam; Confraternitas autem Chordigerorum regitur statutis ab Ordinario approbatis.

4° *Habitu:* Tertiarii enim, praeter chordam, vestem propriam vel ejus loco parvum scapulare deferre debent; Chordigeri vero chorda tantum cinguntur.

ARTICULUS V.

JURA ET PRIVILEGIA TERTIARIORUM.

§ I.

PRAECEDENTIA TERTIARIORUM SUPER QUASCUMQUE LAICAS SODALITATES.

1533. Ex quo Tertius Ordo Franciscalis juxta Summorum Pontificum declarationes est *verus et proprius Ordo,* omnino distinctus a quacumque Confraternitate ex comprehensis in Bulla *Quaecumque* Clementis VIII, ac ideo his *natura nobilior,* consequitur praedicto Tertio Ordini merito a S. Sede adscribi *praecedentiam super quascumque laicales Confraternitates et Archiconfraternitates.* Pluries Summi Pontifices et Sacrae Congregationes Romanae rem definierunt favore Tertiariorum. Et quia de hujusmodi praecedentia inter Tertium Ordinem et Confraternitates laicales non paucae controversiae exortae sunt et in dies oriuntur, non erit forte supervacaneum hic referre plures ex ordinationibus et declarationibus S. Sedis, ut exinde appareat ejus firmitas in tuendo principio, et contentionum inutilitas ex parte rècurrentium.

I. Benedictus XIII in Constitutione, quae incipit *Ad Nostram audientiam* XI kalendas Augustas 1728 docet: « Hujusmodi Tertiarii, licet Saeculares, *instar Regularium habendi sunt,* cum illorum Institutum sub titulo Tertii Ordinis a sancto Francisco fuerit, atque ab hac Sede Apostolica approbatum, plurimisque gratiis et privilegiis ornatum, quae nuper a Nobis ipsis confirmata fuerunt Constitutione incipiente: *Paterna Sedis Apostolicae providentia,* Romae vulgata 4 idus Decembris anno 1725, Pontificatus Nostri anno secundo. Unde consequitur, in omnibus functionibus ecclesiasticis eum Tertium Ordinem uti talem, *quibuscumque Confraternitatibus laicalibus praeferendum,* ubi scilicet memorati Tertiarii SUB CRUCE PROPRIA, *vel etiam Fratrum Minorum,* ad publicas supplicationes, ad socianda cadavera defunctorum, aliasve

ecclesiasticas functiones *sub proprio habitu* per dicti Ordinis Constitutiones designato, processerint.

« His ergo ita se habentibus, praesentium tenore statuimus et declaramus, ut imposterum hujusmodi Tertiarii *sub propria cruce distincti,* et separati a quibuscumque aliis Confraternitatibus Laicalibus, *instar aliorum Ordinum,* et juxta regionis morem, in qua degere noscuntur, *vel sub cruce Fratrum Minorum* procedentes, *omnibus et singulis Confraternitatibus laicalibus* hujusmodi, *etiam speciali nota* dignis, in quibuscumque ecclesiasticis functionibus *omnino praecedant,* non obstantibus *quibuslibet judicatis, et consuetudine, etiam immemorabili,* in contrarium adductis vel adducendis. Volumus autem » etc. (Vide Chronolog. historico-legal. Perusini, tom. II, pag. 103, col. 1).

II. S. Congregatio Episcoporum et Regularium die 20 Septembris 1748 declaravit, Fratres Tertii Ordinis de Poenitentia S. Francisci propria veste indutos, *sive incedant sub cruce Fratrum Minorum S. Francisci, sive sub propria cruce,* gaudere debere praecedentia super omnes alias Confraternitates laicales ad formam Constitutionis Benedicti XIII, quae incipit *Ad Nostram audientiam.*

Benedictus XIV sub die 2 Octobris ejusdem anni *hanc resolutionem approbavit.* Quinimo, ut hujusmodi Decretum *firmius subsistat et servetur exactius,* idem Pontifex ad preces Tertiariorum civitatis Cadicensis, die 7 Januarii 1749 praefatum Decretum *auctoritate Apostolica,* datis Litteris Apostolicis, non solum iterum approbavit et confirmavit, sed etiam *inviolabilis Apostolicae firmitatis robur* ei adjecit, salva tamen semper in praemissis auctoritate ejusdem Congregationis Cardinalium (Chronolog. histor. legal. Ord. Seraph. Caroli Perusini, tom. II, pag. 418).

III. Sacra Rituum Congregatio recentioribus temporibus quaestiones de re ei propositas semper resolvit ad tramitem praedictarum S. Sedis declarationum. Et revera proposito dubio: *An Tertiarii Franciscales jure gaudeant praecedentiae super quascumque laicas Sodalitates?* Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, ita rescribere rata est:

IV. *Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum, nec non declarationis Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 20 Septembris 1748, Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub cruce incedentibus, jus inest praecedentiae super quascumque laicales So-*

dalitates (Decr. 28 Maji 1886; apud Acta Ord. Min. ann. V, pag. 150).

V. Similem responsionem dedit eadem S. Rit. Congregatio ad Vicarium Capitularem dioeceseos Novariensis, qui similia dubia pro opportuna declaratione proposuerat: siquidem laudata S. Congregatio propositis dubiis rescripsit: *Detur Decretum diei* 28 *Maji vertentis anni* (Decr. 1 Junii 1886; apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XIX, pag. 264).

VI. His repetitis declarationibus non obstantibus, alterum dubium praefatae S. R. C. propositum fuit *ab Archiconfraternitate* a SS. Sacramento et Immaculata Deiparae Conceptione nuncupata, existente in loco vulgo dicto *S. Bartolomeo in Galdo* dioecesis Lucerinae, ubi etiam extat Sodalitas Tertii Ordinis S. Francisci; scilicet:

Num praefatum Sodalitium Tertii Ordinis praecedentia gaudeat in dicto loco super ceteras Archiconfraternitates et Sodalitates laicas, necne?

S. Congregatio, die 2 Junii 1887, respondit: *Praecedentiam spectare privative ad Confratres Tertii Ordinis* (Loc. cit. pag. 569; Acta Ord. Min. anno VI, pag. 161).

VII. Item S. Congregatio Episcoporum et Regularium, die 10 Martii 1893 in quadam controversia Syponti seu Manfredoniae exorta, proposito dubio:

Utrum Confraternitas (seu Sodalitas Tertii Ordinis S. Francisci) *habere possit praecedentiam prae ceteris Confraternitatibus jam existentibus in casu?* Respondit: *Affirmative* (Acta Ord. Min. ann. XII, pag. 118).

1534. Facile intelligitur, non solum Tertium Ordinem Franciscalem, sed etiam *ceteros Tertios Ordines* gaudere praecedentia supra quascumque Confraternitates. Quilibet enim Tertius Ordo a S. Ecclesia approbatus, *natura instituti inspecta,* cuilibet proprie dictae Confraternitati et Archiconfraternitati praecellit: nam dispositus reperitur, ut docet Benedictus XIII in citata Bulla *Paterna* de Tertio Ordine S. Francisci, prouti ceteri Ordines regulares, nempe *sub propria regula a Romana Sede approbata cum novitiatu, professione et habitu sub certis modo et forma.*

1535. De Tertio Ordine S. Dominici habetur explicita declaratio a S. Rituum Congregatione facta in una *Monopolitana* die 27 Martii 1893. Quaesitum fuit:

An in processionibus, etiam in solemnitate Corporis Christi, Sodalitati Tertii Ordinis S. Dominici jus praecedentiae competat supra quascumque laicas Confraternitates, etiam a SSmo Sacramento nuncupatas?

S. Congregatio respondit: *Affirmative, dummodo ea Sodalitas gaudeat privilegiis Tertii Ordinis et collegialiter proprio habitu incedat* (*Nouv. Rev. Théol.* tom. XXV, pag. 299).

1536. Pro Sodalibus etiam Tertii Ordinis Carmelitici expresse declarata est praecedentia supra quascumque Archisodalitates et Confraternitates, prout ex his, quae subnectimus, manifeste apparet.

Rmus Dnus Aloysius Delforno, Episcopus Nucerinus Paganorum, Sacrae Rituum Congregationi haec exposuit:

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis in *Monopolitana,* die 27 Martii 1893, statutum est, Sodalitatem Tertii Ordinis S. Dominici jure pollere praecedentiae in processionibus, etiam SS. Sacramenti, supra Archisodalitates et Confraternitates laicas, etiam a SS. Sacramento nuncupatas. Intuitu hujus Decreti, quaeritur:

Dubium I. Pervetusta Sodalitas S. Mariae a Monte Carmelo, vulgo *Delle Galline,* in terra Paganorum Nucerinae dioeceseos, ad Archisodalitatis dignitatem anno 1883 erecta, et in Consodalitatem Tertii Ordinis Carmelitarum anno 1887 canonice erecta, potestne frui eodem privilegio?

Eadem Sacra Rituum Congregatio die 1 Martii 1894 respondit: *Affirmative; dummodo incedant proprio habitu et sub cruce* (*Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVI, pag. 393).

1537. Tandem de saepedicta praecedentiae quaestione habetur novissima resolutio a S. Congregatione Concilii data sub die 20 Februarii 1895. Episcopus Monopolitanus, ad vitandas controversias inter Tertium Ordinem S. Dominici et Confraternitatem SS. Sacramenti in oppido vulgo *Fasano* exortas quoad praecedentiam in processionibus, Decretum edidit, quo Tertiariis tum S. Dominici tum S. Francisci in dicto oppido *Fasano* existentibus, interdicebatur interventus quibuslibet ecclesiasticis processionibus, ea motus ratione, quia in dioecesi Monopolitana ex immemorabili consuetudine Tertiarii non interveniunt processionibus. Quaestione ad S. Congregationem Concilii delata et ab eadem mature perpensa, sequens dubium propositum fuit:

An sustineatur Decretum editum a Rmo Episcopo Mono-

politano die 28 Novembris 1893, de Fratribus Tertii Ordinis S. Dominici a processionibus inhibendis in casu.

Emi Patres rescripserunt: « *Decretum Episcopi non sustineri, et jus esse Tertio Ordini S. Dominici interveniendi et praecedendi in processionibus quoties cum proprio habitu et collegialiter interveniant; seclusis omnino qui regulariter eidem Tertio Ordini non sunt adscripti* ».

1538. Advertendum est, jus praecedentiae quoad Tertiarios competere *non personis*, sed *congregationi* seu *sodalitio*, prout est *corpus morale*, ac proinde Tertiarii eo jure non gaudent, nisi *collegialiter, proprio habitu induti ac sub cruce incedant.* Sodales igitur alicujus Confraternitatis, puta SS. Rosarii, etiamsi omnes Tertio Ordini S. Dominici sint adscripti, jure praecedentiae supra alias Confraternitates minime gaudent, *si cum saccis et sub cruce Confraternitatis SS. Rosarii incedant; secus vero, si incedant cum habitu Tertii Ordinis proprio et sub cruce congregationis Tertiariorum.*

In loco *Fasano* supra memorato, dioecesis Monopolitanae, exorta quaestione de praecedentia inter Confraternitatem SS. Sacramenti et Confraternitatem SS. Rosarii, cujus membra Tertio Ordini S. Dominici nomen dederant, Sacra Congregatio Concilii de re interrogata, ita rescripsit ad Rmum Episcopum sub die 13 Junii 1892:

Relatis in S. Congregatione Concilii Litteris tum Amplitudinis tuae, tum Procuratoris Generalis Ordinis Praedicatorum circa preces Sodalitatis SS. Sacramenti loci vulgo *Fasano,* Emi Patres rescripserunt:

Ex adscriptione confratrum SS. Rosarii ad Tertium Ordinem S. Dominici non sequitur sodalitium jus praecedentiae acquisivisse super aliis Confraternitatibus (Vide Analecta Sacr. Ord. Praed. ann. I, pag. 156).

Ex adductis decisionibus satis superque constat, Tertiariis *proprio habitu* indutis et *sub cruce* incedentibus jus praecedendi inesse super quascumque laicas Confraternitates.

1539. Jam alibi diximus, valde expedire ut Tertiarii Franciscales in processionibus *integram* vestem deferant. — Incedere vero debent, ut praecedentia gaudere possint, sub *propria cruce,* nempe sub cruce Congregationis Tertiariorum, *vel etiam sub cruce Fratrum Minorum.* Ita statuit Benedictus XIII tum Constitutione *Ad Nostram audientiam,* quam sub n. 1533, I adduximus, tum

Constitutione *Paterna Sedis Apostolicae providentia* 10 Decembris 1725 hisce verbis: Concedimus et largimur « ut Tertiarii ipsi SUB PROPRIA CRUCE, *vel etiam sub cruce Fratrum Minorum,* ad publicas processiones, et ad associanda cadavera, aliasque ecclesiasticas functiones se conferre, et sub proprio habitu, per Ordinis Constitutiones designato, incedere valeant ac possint (1) ».

---

(1) Haec ideo denuo adnotavimus, quia in Bullario Romano, tam editionis Romanae, quam editionis Taurinensis, sequens lectio imperfecta habetur:

« Volumus proinde, ut Tertiarii ipsi sub proprio tecto viventes in omnibus se praebeant hujus saeculi contemptores, atque eorum exemplo ceteri alliciantur et ad humilitatem incitentur, *ut sub propria cruce Fratrum Minorum* ad publicas processiones... se conferre, et sub proprio habitu... incedere valeant ac possint, tenore praesentium concedimus et largimur ». Si haec lectio accurata ac absoluta foret, videretur consequi, Tertiarios non posse incedere in publicis processionibus, nisi sub cruce Fratrum Minorum.

Porro, si integra propositio praefatae Bullae Benedicti XIII fuisset ob oculos auctoris disceptationis, quae inserta legitur in egregia Ephemeride *Acta S. Sedis* vol. XXVI, pag. 485-498, quaestio forsan alio sensu tractata et soluta fuisset quoad partem, quae *respicit Tertiariorum jus incedendi in publicis processionibus sub cruce Fratrum Minorum.* Hinc aequa forsan apparuisset assertio P. Procuratoris Generalis Ordinis, quod nempe Tertiarii Franciscales in publicis processionibus admitti possunt sub cruce Fratrum Minorum *dependenter ab eorum voluntate.* Hinc etiam recte, ut nos putamus, ad normam verae lectionis Bullae Benedicti XIII, in illa acri controversia inter Primum et Tertium Ordinem illius loci, Commissarius Visitator Generalis declarare potuit, nullam esse legem, quae *cogat* Primum et Tertium Ordinem incedere *sub eadem cruce,* nec non statuere, quod in publicis processionibus Religiosi et Tertiarii separatim incedere deberent *(ob peculiaria loci et personarum adjuncta)* sub proprio distincto vexillo ». Et revera privilegium Tertiariorum non debet urgeri ita, ut in detrimentum Primi Ordinis convertatur.

Impugnare vero vim Decreti a praedicto P. Visitatore lati, *quia emanatum lite pendente* apud S. Congregationem EE. et RR., justum est: at bona fides illorum Tertiariorum, qui ad ipsum Visitatorem accesserunt, ut rem componeret, nullatenus eminet: siquidem, pendente lite apud supremum tribunal, recursus ad P. Visitatorem, ut controversiam pacifice componeret, fieri non debebat; vel si nihilominus eumdem P. Visitatorem audire sibi placuisset, de recursu ad S. Sedem praemonendus erat Visitator, qui proculdubio, ut par erat, se a quocumque actu quoad Tertium Ordinem abstinuisset.

Iterum dicimus, nos hanc adnotationem ideo hic posuisse, ut sciatur, in Constitutione Benedicti XIII, quae incipit *Paterna Sedis Apostolicae,* prout legitur in Bullario tum Romae edito § X, tum Taurini § 9, deesse verba, quae partem disjunctivae propositionis componunt, ex quo fit ut verus sensus Bullae in eo loco mutetur. Lectio vera praefatae propositionis Bullae *Paterna,* habetur tum in Bullario Ord. Minorum edito Matriti anno 1745 tom. III, pag. 307; tum

Juxta tenorem harum Apostolicarum Constitutionum emanavit a S. Congr. Episcop. et Regul. Decretum de die 20 Septembris 1748, postea a Benedicto XIV approbatum, quod nos sub n. 1533, II retulimus: videlicet, quod Tertiarii Franciscales propria veste induti sive *incedant sub cruce Fratrum Minorum S. Francisci, sive sub propria cruce,* gaudere debent praecedentia super omnes alias Confraternitates laicales ad formam Constitutionis Benedicti XIII, quae incipit *Ad Nostram audientiam.*

§ II.

PRAECEDENTIA INTER DIVERSOS ORDINES TERTIOS.

1540. In eadem civitate, oppido sive loco existere possunt plures Tertii Ordines. Cuinam ex ipsis in casu competit praecedentia super alios Ordines Tertios? Quaestio jam resoluta habetur in adducto Decreto *Nucerina Paganorum* (n. 1536). Rmus Episcopus Delforno alterum dubium eodem tempore proposuerat solvendum Sacrae Rituum Congregationi, et est sequentis tenoris:

Dubium II. *An inter varias Tertii Ordinis Sodalitates jus praecedentiae ab antiquitate respectivi Ordinis desumi debeat, vel a die qua canonice unaquaeque Sodalitas vel Archisodalitas laica in Tertium Ordinem commutata fuit?*

S. Congregatio die 1 Martii 1894 respondit: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam* (Loc. cit.)

Praecedentia igitur inter varias Tertii Ordinis Sodalitates, *de jure communi,* non desumitur ab antiquitate respectivi Ordinis, *sed a die canonicae erectionis Sodalitii.*

1541. Eodem modo praefata Sacra Rituum Congregatio novissime rem resolvit in sequenti casu:

In oppido vulgo *Fasano* dioecesis Monopolitanae rite erecta fuit anno 1878 Congregatio Tertii Ordinis Franciscalis, cui Ordinarius loci jus recognovit interveniendi processionibus. Anno 1889 in eodem loco etiam Tertius Ordo S. Dominici canonice institutus

---

in Chronologia historico-legali Ordinis Minorum Caroli Perusini, tom. II, pag. 58; tum in Libro Tertii Ordinis S. P. Francisci Assisiensis edito Romae 1882, typis Guerra et Mirri, tom. III, pag. 22; tum demum legitime eruitur ex Constitutione ejusdem Pontificis *Ad Nostram audientiam* pluries citata.

fuit, qui, certis privilegiis allegatis, putabat sibi competere praecedentiam in processionibus supra Tertiarios Franciscales. Controversia ad S. Rituum Congregationem delata, resoluta est ut sequitur (Acta S. Sed. vol. XXVIII, pag. 509):

MONOPOLITANA. *Praecedentiae:* in oppido Fasano jus praecedendi competit Tertiariis S. Francisci.

Ad instantiam Prioris Tertii Ordinis S. Dominici in oppido Fasano, dioecesis Monopolitanae, canonice erecti, Sacra Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis Rotalibus, subsignata die ad Vaticanum habitis coram infrascripto Cardinali, eidem Sacrae Congregationi Praefecto, ad dubium:

An jus praecedendi competat Tertiariis S. Dominici, vel Tertiariis S. Francisci in casu et in praedicto oppido? respondendum censuit: *Attentis Constitutionibus Gregorii XIII et Urbani VIII, nec non Decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 4 Septembris* 1733: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.*

Atque ita rescripsit. Die 6 Februarii 1896.

CAJ. Card. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*
A. TRIPEPI, *Secretarius.*

1542. Gregorius XIII in sua Constitutione *Exposcit pastoralis officii* de die 25 Julii 1583, quam S. Rituum Congregatio in relata decisione commemorat, *ob sedandas lites et controversias,* quae in dies oriebantur occasione praecedentiae vel jure praecedendi in processionibus sive inter Fratres Mendicantes, sive inter confratres Confraternitatum, decrevit, quod « *qui in quasi possessione praecedentiae ac juris praecedendi sunt positi, quibuscumque reclamationibus, appellationibus et aliis subterfugiis prorsus remotis et cessantibus et postpositis, in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae... ii qui antiquiores sunt in loco controversiae, in processionibus tam publicis quam privatis praecedere debeant.*

Per hanc Pontificiam Constitutionem universalis lex de praecedentia sancita ac statuta est, quam Sacrae Romanae Congregationes, quibusdam specialissimis casibus exceptis, constanter secutae sunt in suis decisionibus (Cf. Ferraris, verb. *Praecedentia,* n. 44 et sqq.).

§ III.

JURA TERTII ORDINIS FRANCISCALIS QUOAD FUNERA.

1543. S. Congregatio Ep. et Regul. die 11 Decembris 1615 decidit: Cadavera Tertiariorum (qui sepulturam in ecclesiis primi Ordinis sibi elegerint) ad Fratrum Minorum ecclesias recto tramite deferri posse, ab iisdem tamen Fratribus monendum esse prius et requirendum ac expectandum proprium defunctorum Parochum, quo requisito, expresse venire recusante, licere iisdem Fratribus, etiam ipso invito, supradicta cadavera ad easdem ecclesias transportare (In una Nepesina apud Bizzarri, pag. 273 ad 4^{m}).

Ex Decreto ejusdem S. Congregationis sub die 18 Martii 1887, Sodalitates Tertii Ordinis S. Francisci jus habent confratres defunctos associare, divinum Officium recitare, et cadavera ad coemeterium efferre absque cleri et Parochi interventu (Vid. Decr. apud Acta Ord. Min. ann. VII, pag. 6).

Novissime eadem S. Congregatio anno 1893 jus Tertiariorum confirmavit responsione ad sequens dubium:

Utrum et *quomodo* Confraternitas Tertii Ordinis saecularis S. Francisci erecta in civitate Manfredoniensi possit egredi extra ecclesiam ad associanda cadavera confratrum, et crucem propriam praeseferre, in casu?

Resp. *Affirmative, cum proprio vexillo, id est cruce, brachiis cancellatis et habitu Tertii Ordinis, pro adscriptis tantum, dummodo Societas vocata fuerit ex dispositione defuncti, vel ab ejus haerede, associationem ducente Parocho, e domo defuncti ad ecclesiam regularem, vel ad coemeterium, quatenus in ecclesia regulari defunctus deponi non debeat* (Acta Ord. Min. ann. XII, pag. 118; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXV, pag. 370).

1544. Generatim dici potest, Tertium Ordinem Franciscalem, quoad funera, Ordinibus regularibus aequiparari posse, ac ideo juribus et privilegiis Regularium gaudere. Id constat ex variis decisionibus S. Sedis, quae consuli possunt apud clarissimam Collectionem, cui titulus *Acta S. Sedis,* praesertim vol. XIII pag. 416 et sqq. et vol. XX, pag. 100 et sqq. Jura autem et privilegia Regularium circa funera, sunt: cadavera associare et *a propriis ecclesiis, absque Parochi interventu, ad coemeterium deferre;* cum

stola et cruce propria ad sepulcrum procedere, etiam dum per parochias transeunt, dummodo *sine pompa et recto tramite* id agant.

Vicissim Parochorum circa suos defunctos jura, juxta Rituale Romanum, *Exequiarum ordo,* haec sunt: stolam deferre, cadavera e domo levare, illa aqua benedicta aspergere, intonare antiphonam *Exultabunt,* et processioni funerali praeesse *usque ad januam ecclesiae tumulantis,* sive haec sit saecularis, sive regularis.

1545. Ex eo quod modo lex jubeat, cadavera esse tumulanda in publicis coemeteriis, minime derogatum est juribus, quibus ecclesiae potiuntur tum funera peragendi, tum emolumenta percipiendi. Ex erectione coemeteriorum, locus tantum sepulturae materialiter immutatus fuit: *jura vero omnia sarta tectaque manserunt.*

Quare, deposito feretro ad limina ecclesiae Regularium, dictoque ultimo vale, Parochus minime se ingerere potest in iis ministeriis et functionibus, quae postea super cadaveribus peragenda sunt. Delatio igitur cadaveris ad publicum coemeterium in casu ad Sacerdotem regularem pertinet, et si defunctus fuerit Tertii Ordinis confrater, ceteris Sodalibus ad id vocatis jus est ad publicum coemeterium eum comitandi, proprio habitu indutis, et sub propria vel Fratrum Minorum cruce incedentibus, sine pompa et recto tramite (Cf. Acta S. Sed. loc. cit.).

§ IV.

PRIVILEGIA TERTIARIORUM.

1546. Utile putamus, relate ad privilegia, referre ad litteram textum Bullae cum versione authentica in lingua vulgari.

I. Sacerdotibus ex Ordine Tertiariorum ad quodlibet altare facientibus, tribus ex qualibet hebdomadae diebus, perlitare fas sit, modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

I Sacerdoti ascritti al Terz' Ordine, dovunque celebrino, godano personalmente dell' altare privilegiato, tre giorni di ciascuna settimana, purchè non abbiano ottenuto simile privilegio per altro giorno.

II. Qui Sacrum fecerit animabus Sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque veniae defuncto impetrandae perlitato.

Quando i medesimi Sacerdoti celebreranno in suffragio delle anime dei Terziarii defunti, l' altare sia per essi sempre e dovunque privilegiato.

In numero II observa discrimen inter textum latinum et italicum. In textu latino dicitur: *Qui Sacrum fecerit animabus* etc. In textu italico autem: *Quando* I MEDESIMI *Sacerdoti* celebreranno in suffragio etc. Quare juxta textum latinum Bullae habetur, quod *quicumque* Sacerdos (sive Tertiarius sive non) Sacrum fecerit pro animabus Sodalium defunctorum, is semper et ubique gaudeat pro dictis defunctis altari privilegiato. Juxta textum italicum praefatum privilegium *ad solos Sacerdotes Tertiarios* limitatur, seu ad eas tantum Missas, quae a Sacerdotibus *Tertiariis* celebrantur.

Jamvero textus Apostolicae Constitutionis praeferendus est sine dubio textui versionis, et ideo quousque non habeatur super re declaratio in contrarium, *verbis originalis Constitutionis Apostolicae standum esse* arbitramur. In hac sententia eo magis confirmamur, in quantum in Summario Indulgentiarum et privilegiorum Tertiariis Ordinis Servorum B. M. V. a Summo Pontifice Leone XIII per Rescriptum S. C. Indulg. sub die 15 Decembris 1883 concessorum, cum agitur de privilegiis, dicitur: *Missae quae ubivis celebrabuntur in suffragium Fratrum et Sororum, erunt privilegiatae* (Rescr. auth. pag. 646-647).

Ubi, ut vides, *omnes Missae,* quae ubivis a *quocumque* Sacerdote (sive Tertiario sive non Tertiario) celebrabuntur in suffragium Sodalium Tertiariorum, privilegio altaris gaudent. Quod si id certum est de Tertio Ordine Servorum B. M. V., etiam de Tertio Ordine Franciscali affirmandum videtur, maxime quia mens S. Sedis ea esse videatur, ut omnes Tertii Ordines, quoad fieri potest, aequiparentur in gratiis et privilegiis.

1547. SACERDOTES SAECULARES TERTIO ORDINI FRANCISCALI ADSCRIPTI UTI POSSUNT BREVIARIO ET MISSALI FRATRUM MINORUM. Duo dubia proposita sunt solvenda Sacrae Rituum Congregationi:

I. An Sacerdos saecularis adscriptus Tertio Ordini S. Francisci, etiam curam animarum habens, sed choro nullo obligatus, possit in quacumque die, ac pro libito suo, se conformare kalendario edito in usum Fratrum Minorum Ordinis Observantiae S. Francisci, sive quoad Officium et Missam, sive quoad alterutrum tantum ex ipsis, semper vero exceptis obligationibus particularibus, quae eis incumbere possint ratione occurrentiae Patroni principalis dioeceseos, vel Titularis, aut Dedicationis propriae ecclesiae?

II. Et quatenus affirmative, an recurrente ex. gr. in kalendario Ordinis S. Francisci aliquo Officio jam recitato juxta kalendarium dioecesanum, possit in hoc casu se conformare kalendario Minoritico, ac denuo recitare Officium translatum ibidem occurrens?

S. Rituum Congregatio respondit:

Ad I. *Affirmative quoad Officium et Missam.*

Ad II. *Affirmative* (Decr. 2 Maji 1880; apud Acta Ord. Min. ann. II, pag. 23).

1548. Cum hujusmodi facultas sit privilegium *speciale* pro solis viris Ecclesiasticis, non comprehenditur in revocatione privilegiorum. Id ab ipso Summo Pontifice declaratum est die 7 Junii 1883 in supradicta Audientia Ministris Generalibus Franciscanis concessa. Praedicti Rmi Generales humiliter a Sanctitate Sua petierunt, an sublata sit pro Tertiariis Clericis facultas utendi Breviario Seraphico: *Nequaquam,* respondit Pontifex, *semper viget haec facultas, quae tamen nemini imponitur* (Apud Acta Ord. Min. loc. cit.).

Sacerdotes ergo saeculares Tertio Ordini Franciscali adscripti possunt, etsi non teneantur, se conformare kalendario Ordinis Minorum, ita tamen ut haec conformatio habeatur simul tum quoad Officium, tum quoad Missam; non autem vel quoad Officium tantum, vel quoad Missam.

1549. Indulta pro Sodalibus infirmis, vel in carcerem inclusis, aut alio legitimo impedimento detentis.

Per Decretum Urbis et Orbis die 2 Augusti 1760 Clemens PP. XIII concessit, ut confratres et consorores cujuscumque Confraternitatis, seu Sodalitii, aut Congregationis ubique locorum existentis, dummodo sit auctoritate Ordinaria erecta, *aliqua corporis infirmitate laborantes, vel carceribus detenti,* eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possint et valeant, ita tamen *ut omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera injuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter ac devote exequantur* (Decr. auth. N. 222).

1550. Leo PP. XIII per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 16 Julii 1887, praefatum Indultum Clementinum extendit *ad alia legitima impedimenta,* judicio discreti Confessarii dignoscenda, *commutato tamen ab eodem Confessario opere injuncto visitationis ecclesiae in aliud pium opus* (Apud Acta S. Sed. vol. XX, pag. 108 ad 4^m partem dubii II).

1551. Advertendum est, memoratam concessionem Clementis XIII nunc valere pro omnibus Sodalitiis *sine speciali recursu* ad S. Sedem, qui antea requirebatur ex parte cujuslibet Confraternitatis seu Sodalitii aut Congregationis (Decr. eod. ad 1m partem dubii II).

1552. At vero concessio supradicta valet tantum pro iis confratribus, qui impediti sunt quominus *praescriptam ecclesiae visitationem* peragere possint; non vero pro illis qui prohibentur quominus *aliquam aliam conditionem* ad lucrandas indulgentias praescriptam impleant (Ibid. ad 1m et 2m partem dubii III).

1553. Vigore igitur praedictarum concessionum, *ecclesiae visitatio dumtaxat* vel dispensari, vel judicio Confessarii commutari potest favore praefatorum sodalium. Dictum est, *vigore praedictarum concessionum,* quia *vi aliorum indultorum, Communio* quoque, *praeter ecclesiae visitationem,* in aliud pium opus commutari potest in favorem *eorum omnium Christifidelium,* qui sunt *habitualiter infirmi,* impotentes proinde e domo egredi. Nam Pius PP. IX benigne indulsit (vid. n. 164), ut quando ad lucrandas indulgentias plenarias praescripta est Communio et visitatio ecclesiae, *omnes Christifideles habitualiter infirmi* eas consequi possint, dummodo vere poenitentes, confessi, ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae injunctae fuerint, loco *S. Communionis et visitationis* alia pia opera a respectivo Confessario injungenda fideliter adimpleant (Decr. 18 Sept. 1862. N. 393).

1554. Verum quidem est, ab hujusmodi generali concessione fuisse exclusas personas quae *in communitate* degunt; sed Leo XIII per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum, die 16 Januarii 1886, talem exceptionem abstulit (vid. n. 165), indulgens: *Ut* infirmi aut senio confecti *in communitate* et *sub regula* viventes, qui ecclesias aut oratoria visitare, aliave pro indulgentiis praescripta exequi non possunt, indulgentias nihilominus lucrari valeant, adimplendo alia pia opera Confessarii arbitrio praescribenda.

ARTICULUS VI.

GUBERNIUM TERTII ORDINIS.

1555. Suprema directio *Tertii Ordinis saecularis S. P. Francisci* ad Praelatos seu Superiores Primi et Tertii Ordinis re-

gularis pertinet. Ipsis proinde jus *ordinarium* inest admittendi fideles in Tertium Ordinem, erigendi ac visitandi Tertiariorum Congregationes, ita tamen ut Guardianus id possit in suo districtu, Provincialis in sua provincia, Generalis in toto Ordine.

1556. Director. Cuilibet Sodalitio praeest Sacerdos a Superiore (si ipse per se nequeat vel nolit) delegatus, qui fideles ad Ordinem et professionem recipit, statis diebus congregationes celebrat, ad Tertiarios sermonem habet, Benedictionem papalem et Absolutionem generalem impertit, ceteraque peragit, quae in Regula praescribuntur: et vocatur *Director* vel *Commissarius,* cujus tamen facultas est Superioribus subordinata.

1557. Visitator. Quolibet anno vel saepius, si opus fuerit, Sacerdos electus erecta Tertiariorum Sodalitia visitat. *Visitatores* eligi debent ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio regulari. Jus designandi Visitatores ad Superiores spectat, nempe ad Guardianos pro visitatione Sodalitiorum sui districtus; ad Provinciales pro Sodalitiis totius provinciae; ad Ministrum Generalem pro visitatione Sodalitiorum totius orbis. Hinc Visitatores Congregationum Tertii Ordinis saecularis S. P. Francisci distingui possunt in Visitatores *districtuales, provinciales* et *generales.* Sed notandum, Visitatores non posse se ingerere in Tertiariorum Sodalitiis, quae sunt *alterius obedientiae.* Quare Visitator ex. gr. a Superiore Ordinis Minorum de Observantia electus, nequit sine speciali delegatione visitare Sodalitia obedientiae Ordinis Capuccinorum subjecta, et sic vicissim.

1558. In regionibus ubi Franciscani regulares non reperiuntur, Minister Generalis officium Visitatoris etiam Sacerdotibus saecularibus vel alterius Ordinis committere potest. Munus enim Visitatoris Sodalitiorum *laicis viris dumtaxat interdictum est* (Reg. cap. III. § III).

1559. Summus Pontifex in citato paragrapho utitur phrasi consideratione digna. Dicit: Visitatores ex Primo Franciscalium Ordine... legantur, *quos Custodes seu Guardiani,* si id rogati fuerint, *designabunt.* Ergo ad Superiores quidem pertinet designare et eligere Visitatores, sed ad Tertiarios et praecipue *ad Directores Sodalitiorum spectat rogare Superiores, ut Visitatorem mittant.* Unde consequitur, quod si visitatio omitteretur, et sic majus Tertiariorum bonum ex hac omissione impediretur, damni responsabilitas super ipsos Directores caderet.

1560. *Visitatoris officium* est, inquirere an Regula observetur, confratres charitative monere, corrigere, eosque in congregationem convocare. Ipsi tempore visitationis, juxta communicatam sibi a Superioribus facultatem, potestas est recipiendi fideles in Tertium Ordinem, nova Sodalitia erigendi, statutis diebus Benedictionem papalem et Absolutionem generalem impertiendi. Item praeter Superiores ordinarios Franciscalium Primi et Tertii Ordinis regularis praedictis Visitatoribus facultas est, vi Regulae, *gravi et justa causa interveniente,* sodalem dispensandi ab aliquo Regulae capite, vel prudenter illud commutandi.

1561. *Facultates quae a Superioribus Ordinis S. Francisci conceduntur Episcopis, aliisque Sacerdotibus Ordini extraneis.* Ut votis satisfiat Summi Pontificis Leonis XIII, qui singulari sollicitudine in sua Constitutione *Auspicato* hortatur christianos omnes, *ut nomen dare sanctae huic Jesu Christi militiae ne recusent,* et Episcopis summopere commendat ut, *ipsis praesertim adnitentibus,* Tertius Ordo Franciscalis propagetur, Rmus P. Minister Generalis Ordinis Minorum, prout ceteri Superiores Generales aliorum Ordinum Franciscalium, libenter quoad eumdem Tertium Ordinem amplas facultates concedit Episcopis petentibus et etiam Presbyteris, ceu constat ex Litteris patentalibus, quarum tenor est sequens:

LITTERAE PATENTALES PRO EPISCOPIS.

FR. N. N.

TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Rmo Dno Dno N. N.

Potestatem facit quatenus, intra limites suae dioeceseos, iis exceptis locis in quibus existunt Ordinis Nostri domus cujuscumque Familiae sive Observantium aut Reformatorum aut Recollectorum aut Alcantarinorum, sive Conventualium, sive Capuccinorum, Christifideles per se, vel per alios Sacerdotes praesertim Parochos, quoad respectivam dumtaxat paroeciam, ad habitum et ad professionem Tertii Ordinis S. P. N. Francisci admittere, admissisque Be-

nedictiones cum indulgentia plenaria statis diebus impertiri legitime possit et valeat. Praeterea, ut praefatos Tertiarios, sicubi eorum numerus sufficienter excreverit, in Congregationes coadunare valeat, et unicuique Congregationi ipsum Parochum loci, seu alium Sacerdotem sibi benevisum quà Directorem praeficere, cui facultates opportunas ex nunc conferre intendimus.

Placeat tamen eidem N. N. nomina singulorum Directorum Congregationis Tertii Ordinis ad proximiorem P. Ministrum Provincialem Ordinis nostri, ut supra, quotannis transmittere, et cuilibet praedictorum Directorum injungere ut, ad mentem Constitutionum Apostolicarum, de erecta Congregatione, deque ejus statu ac membrorum numero, eumdem P. Ministrum Provincialem certiorem faciat, et cum ipso ea, quae ad majorem Tertiariorum utilitatem conducere possunt, communicet.

Datum Romae, e Collegio S. Antonii, die etc.

LITTERAE PATENTALES PRO PRESBYTERIS.

FR. N. N.

TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTER GENERALIS
ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Praesentium vigore litterarum facultatem facimus N. N. dioecesis N. quatenus Christifideles utriusque sexus Tertio Ordini S. P. N. Francisci, ad ejusdem Regulae normam, adscribere, eorumdem professionem recipere, nec non Absolutionem generalem et Benedictionem papalem, statutis diebus, juxta Summorum Pontificum concessiones, eisdem impertiri possit et valeat. Praeterea, si in loco in quo habitualiter degit, Congregatio Tertii Ordinis non existat, neque alius adsit Sacerdos hac facultate antecedenter instructus, poterit etiam Fratrum et Sororum ejusdem Tertii Ordinis, praevia Rmi Ordinarii loci licentia, Congregationem erigere, et titulo Commissarii seu Directoris moderari. Servatis de jure servandis.

Quod quidem ut ad majorem Dei gloriam, et ad christianae plebis aedificationem et salutem cedat, enixe Deum exoramus.

Datum Romae, e Collegio S. Antonii, die etc.

ARTICULUS VII.

ADMISSIO IN TERTIUM ORDINEM, ANNUS NOVITIATUS, ET PROFESSIO.

1562. Nemo ad Tertium Ordinem admittatur *nisi quatuordecim vitae annos excesserit,* et sit probatae vitae. Mulieres nuptae, nisi sciente et consentiente viro, excepto casu quod Confessarius aliter faciendum judicet.

1563. Adscripti in Tertium Ordinem *unum annum Novitiatus seu tyrocinii peragere debent;* postea ad professionem admittantur juxta Caeremoniale Tertii Ordinis S. Francisci a Sacra Rituum Congregatione approbatum die 18 Junii 1883.

1564. *Novitius in mortis periculo constitutus, professionem praemature permittitur emittere, etiam coram Confessario quocumque, si Sacerdos facultate praeditus non possit commode vocari (in quo casu quemlibet Confessarium delegatum esse Ministri Generales declaraverunt): sed hujusmodi praematura professio non erit ante mortem in Registro scribenda: cum aegroto sanitatem recuperante professio rursus emittenda sit, et tunc scribenda* (Caeremoniale cit. art. III in fine).

1565. Ex relato textu infertur non esse in potestate Directorum, non expleto tyrocinii tempore, novitios Tertiarios ad professionem admittere. Exceptio siquidem fit tantummodo favore novitii in mortis periculo constituti, ita tamen ut si sanitatem recuperaverit, rursus professionem emittere debeat, anno probationis expleto. Porro, etiam in Constitutione *Misericors* cap. I, integer tyrocinii annus absolute praescribitur, quin ullum de dispensatione verbum fiat. Et revera Tertius Ordo saecularis ideo *Ordo* dicitur et est, quia, ut docet Benedictus XIII in Bulla *Paterna,* habet omnia quae verum Ordinem constituunt, nempe Regulam a S. Sede approbatam, *Novitiatum,* Professionem et Habitum. Sublato igitur Novitiatu per unius anni spatium a Summis Pontificibus determinato, aufertur insimul pars Ordinis ipsius constitutiva.

Ceterum habetur super re declaratio S. Congregationis Indulgentiarum de die 30 Januarii 1896. Propositum ei fuerat dubium (V) sequenti modo:

In quadam regione sunt qui docent, Sacerdotes Tertium Ordinem saecularem S. Francisci ingredi petentes, dispensari posse a Noviliatu, ita ut Tertiariorum habitu suscepto, statim *per modum unius* admitti possint ad professionem. Quaeritur:

An Superiores regulares Franciscales dispensare possint Sacerdotes ad habitum Tertii Ordinis admissos (exceptis iis qui in periculo mortis sunt constituti) super praescripto Novitiatu sive in toto sive in parte?

S. Congregatio respondit: *Negative.*

1566. Sacerdos qui a Superiore unius Ordinis Franciscalis, puta a Ministro Generali Ordinis Minorum, obtinuit facultatem recipiendi fideles ad habitum et professionem Tertii Ordinis, non potest vi ejusdem tantum facultatis eos admittere in eumdem Tertium Ordinem pro Fraternitate seu Congregatione Tertiariorum, quae *obedientiae alterius Ordinis,* ex. gr. Capuccinorum, subjacet. Ut hoc ei liceat, obtinere deberet aliam facultatem a Superiore ejusdem Ordinis Capuccinorum, prout constat ex responsione ad dubium sequens:

An Sacerdoti, v. gr. Parocho, a Superiore unius Ordinis Franciscalis debita facultate munito pro recipiendis fidelibus ad habitum et professionem Tertii Ordinis, sufficiat *eadem facultas* pro admittendis fidelibus ad habitum et professionem dicti Tertii Ordinis in aliquam Fraternitatem, *quae obedientiae et directioni alterius Ordinis Franciscalis subjacet?*

Sacra Congregatio respondit: *Negative* (Decr. cit. 30 Jan. 1896 ad IV).

1567. Responsum S. Congregationis Indulgentiarum quoad Tertiarios saeculares ad Tertium Ordinem sejunctim admissos, quin ad aliquam Congregationem pertineant.

Compendium facti. A saeculis, imo a tempore S. Francisci usus invaluit, ut Episcopi, Sacerdotes, nobiles et plebeji a Sacerdotibus Franciscanis vel aliis facultatem habentibus, privatim et sejunctim admittantur ad habitum et professionem Tertii Ordinis saecularis S. Francisci, quin ad aliquam Congregationem pertineant. Auctores hac de re tractantes, censent quidem praeferendum esse ut Tertiarii, qui possunt, alicui Congregationi adscribantur, eique statutis diebus interveniant propter commoda spiritualia quae inde consequuntur; simul tamen admittunt, vestitiones et professiones privatim factas, esse validas, et hanc sententiam Supe-

riores majores Ordinis S. Francisci etiamnum tuentur. Post Constitutionem *Misericors Dei Filius* nonnulli Sacerdotes archidioecesis Mechliniensis hac de re dubitare coeperunt, et subest periculum ut ex hac incertitudine zelus amplectendi Tertium Ordinem paulatim tepescat, praesertim apud Sacerdotes qui Ordini adscripti, Congregationi interesse raro possunt. Quapropter sequens dubium S. Congregationi enodandum proponitur:

Utrum valida sit vestitio et professio ejus, qui a Sacerdote habente facultatem sejunctim ad Tertium Ordinem saecularem S. Francisci admittitur, quin alicui Congregationi adscribatur?

S. Congregatio respondit: *Affirmative* (Decr. 14 Julii 1891; Acta Ord. Min. ann. X, pag. 141; Acta S. Sed. vol. XXIV, pag. 447).

Admissio igitur cujuslibet fidelis in Tertium Ordinem *sejunctim,* quin ad aliquam Congregationem pertineat, pro valida habenda est, quamvis praeferendum sit, *propter majora commoda spiritualia,* ut alicui Congregationi adscribatur.

1568. Preces Tertiariis praescriptae. Tertiariis *Ecclesiasticis,* qui quotidie Horas canonicas recitare tenentur, nihil aliud quoad hoc eis praescribitur: satis est pro eis recitatio Breviarii. — *Laicis* liberum est recitare *Breviarium* seu *Officium divinum,* vel *Officium parvum* B. Mariae Virginis. — Iis autem qui nec primum nec secundum persolvunt, praescribitur recitatio quotidiana duodecim *Pater noster, Ave Maria* et *Gloria Patri,* dummodo infirmitate non impediantur.

Pro iis qui Officium divinum recitare nequeunt (ita Leo XIII in Audientia Superioribus Generalibus Seraphici Ordinis concessa die 7 Junii 1883) duodecim *Pater, Ave* et *Gloria* tantum praefinivimus, *quinque* scilicet pro Matutino, *unum* pro Laudibus, *unum* pro singulis ex quatuor Horis, Prima, Tertia, Sexta et Nona, et *duo* tandem pro Vesperis et Completorio (Apud Acta Ord. Min. ann. II, pag. 110).

ARTICULUS VIII.

BENEDICTIO PAPALIS ET BENEDICTIO CUM INDULGENTIA PLENARIA.

1569. Benedictio papalis. Summus Pontifex Leo XIII per suam Constitutionem *Misericors Dei Filius* concessit Tertiariis, ut re-

cipere possint *Benedictionem nomine Summi Pontificis* bis in anno.

In Brevi Apostolico 7 Julii 1882, quod incipit *Quo universi,* laudatus Pontifex ita mandat: « Benedictio Summi Pontificis nomine impertienda detur cum formula approbata in Constitutione s. m. Benedicti Papae XIV *Exemplis praedecessorum,* sed nonnisi bis in anno, et sub conditione quod haec Benedictio nunquam detur eodem die et in eodem loco, ubi Episcopus eam impertiat ». Insuper Benedictio papalis non singulis seorsim Tertiariis, sed adunatae Congregationi danda est.

1570. Benedictio cum indulgentia plenaria. Praeter Benedictionem papalem, seu nomine Summi Pontificis impertiendam, aliae quoque *Benedictiones* (quas etiam vocant *Absolutiones generales)* cum adnexa plenaria indulgentia Tertiariis Franciscalibus concessae sunt statutis anni diebus, qui in praefata Bulla *Misericors Dei Filius* n. 1518 recensentur in Indice Indulgentiarum cap. I. n. VIII, videlicet *novies* intra annum (Vid. Caeremoniale Tertii Ord. S. Francisci a S. Rit. Congregatione anno 1883 approbatum, art. IX).

Praeterea, ex quo Tertiarii Franciscales a Summo Pontifice Leone XIII participes facti sunt *ad quinquennium indulgentiarum ac piorum operum quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet,* consequitur eosdem Tertiarios posse recipere Absolutionem generalem diebus etiam in quibus Fratres et Moniales Ordinis Minorum (vid. n. 1417 et sqq.) jus habent ex gratia S. Sedis eam recipiendi (Vid. Breve in fine hujus tractat.).

Tertiariis saecularibus S. Francisci degentibus in locis, *ubi nulla adest eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio,* per Decretum 31 Januarii 1893 concessa est facultas recipiendi bis in anno, loco Benedictionis papalis, duas alias Benedictiones cum indulgentia plenaria.

1571. Ab eodem Pontifice Leone XIII per citatum Breve *Quo universi* constituta est « *Formula Benedictionis cum indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus, ceterisque omnibus communicationem privilegiorum et gratiarum cum iisdem, vel cum Regularibus cujuscumque Ordinis habentibus* ». Initium hujus formulae est: *Intret oratio mea in conspectu tuo* etc.

1572. Non solum in praefato Brevi statuta est formula Benedictionis cum indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus etc., sed etiam « *Formula Absolutionis generalis pro Regularibus cu-*

juscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus », cujus initium: *Ne reminiscaris Domine* etc. (Vid. Decr. auth. pag. 411-414, et 491-492).

1573. Congregationibus *votorum simplicium,* si quae jus habent ad Absolutionem generalem, haec impertiri debet cum formula *pro Tertiariis saecularibus* statuta, quae incipit: *Intret oratio mea* etc. Patet ex sequenti responsione:

Vicarius Generalis Oranensis dioecesis S. Congregationi Indulgentiarum exponebat: piam Sororum Societatem a SS. Trinitate nuncupatam, et uti *Congregationem votorum simplicium* a S. Sede approbatam, plurimas habere domos in Oranensi dioecesi: eamdem Societatem aggregatam fuisse Ordini Fratrum Discalceatorum SS. Trinitatis: hujus aggregationis vi Sororibus dandam esse novies in anno aut Absolutionem generalem, aut Benedictionem cum indulgentia plenaria; sed disceptationem haberi de formula, quae in iisdem impertiendis adhiberi debeat post editas Apostolicas Litteras in forma Brevis die 7 Julii 1882, quae incipiunt: *Quo universi.* Hinc a S. Congregatione quaerebat:

Quae formula adhibenda sit in casu?

Et S. Congregatio die 18 Decembris 1885 respondit: *Adhibendam esse formulam secundam,* cujus videlicet initium: *Intret oratio mea in conspectu tuo* etc. — Quam responsionem die sequenti approbavit Summus Pontifex Leo XIII (Acta S. Sed. vol. XVIII, pag. 413; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XVIII, pag. 259).

Ideo dicitur *secunda* formula, quia in Brevi *Quo universi* ea jacet *secundo* loco, post formulam nempe pro Regularibus praescripta.

1574. Ex iis quae exposuimus, ubi de Monialibus et Sororibus (n. 1269-1296 et sqq.), apparet ratio supradictae responsionis. Prima formula praescribitur pro *Regularibus cujuscumque Ordinis.* Congregatio autem *votorum simplicium* non est *Ordo proprie* dictus, nec ejus membra dici possunt stricto sensu *Regulares.* Ergo pro impertienda hujusmodi Sororibus Absolutione generali, non prima sed secunda formula est adhibenda.

1575. Tres Ministri Generales Ordinis Franciscani Summo Pontifici Pio IX supplicarunt, ut Sacerdos a Superiore vel ab Ordinario pro Monialibus respective subjectis facultatem habens, dum publice Absolutionem generalem vel papalem Benedictionem impertitur; si Frater Minor vel Tertiarius sit, eo ipso quo ceteris impertitur, omnes adnexas gratias ipse quoque consequatur.

Summus Pontifex die 18 Junii 1876 petitam gratiam benigne concessit (Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 44; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XV, pag. 562; et XXIII, pag. 227).

1576. Pro recta intelligentia hujus concessionis, quaedam adnotanda veniunt:

1. Hujusmodi gratia non est revocata per Constitutionem *Misericors Dei Filius*. Non est enim privilegium concessum *Tertio Ordini saeculari*, sed specialis favor Sacerdotibus Tertiariis tributus, et ideo adhuc viget, eodem modo quo viget facultas pro iisdem Sacerdotibus Tertiariis Franciscalibus utendi Breviario Franciscano.

2. Cum post praedictam Constitutionem dies, quibus Absolutio generalis pro Tertiariis fuit adnexa, *non omnes sint iidem ac illi, qui habentur assignati pro eadem Absolutione impertienda tum Fratribus primi Ordinis, tum Monialibus secundi Ordinis* S. Francisci, consequitur quod Frater Minor, impertiens Tertiariis dictam Absolutionem generalem *die pro Tertiariis quidem statuta, non autem pro Religiosis* primi et secundi Ordinis, ipse indulgentiam non consequitur. — Item Sacerdos Tertiarius Franciscalis debita facultate munitus, dans Benedictionem cum indulgentia plenaria ex. gr. Monialibus S. Clarae, quarum est Confessarius, indulgentiam non lucratur, nisi *ea ipsa die* etiam pro Tertiariis concessa sit, tamquam in die assignata, Absolutio generalis.

Verum cum Tertiarii Franciscales participes facti sint *per quinquennium* indulgentiarum ac piorum operum quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet, ideo, *tempore hoc perdurante,* Sacerdos Tertiarius Franciscalis, dans Absolutionem generalem Monialibus S. Clarae, quarum est Confessarius, consequitur ipse quoque indulgentiam plenariam ei adnexam, licet dies, qua eam impertitur, non sit assignata pro Tertiariis in Constitutione *Misericors Dei Filius.*

1577. Quoad praedictas *Benedictiones,* sequens quaestio proposita fuit exsolvenda S. Congregationi Indulgentiarum:

Benedictiones cum plenaria indulgentia (Absolutiones generales nuncupatae), quae novies infra annum dari solent (ut ex. gr. die festo S. Joseph); itemque *duae Benedictiones papales, possuntne a quolibet Confessario impertiri;* an vero ab eo tantum, cui haec facultas facta sit?

S. Congregatio respondit: Benedictiones nomine Summi Pontificis, et Benedictiones cum indulgentia plenaria *publice* impertiendae

dari debent ab ecclesiastico viro, qui Tertiariis in id coadunatis praeest (Caeremoniale Tertii Ordinis S. Francisci a S. Rituum Congregatione approbatum die 18 Junii 1883, art. 8 et 9). Benedictiones vero cum indulgentia plenaria *privatim et immediate* post sacramentalem absolutionem dari possunt *ab uniuscujusque Tertiarii Confessario* (Decr. 10 Junii 1886 ad III^{m}; Acta Ord. Min. ann. V. pag. 183).

1578. In eodem Decreto, quinto loco, postulatum est:

Poenitens in sacramentali Confessione suscipitne *illico* indulgentiam pronuntiato verbo « *impertior* », an vero haec suspensa manet, donec ipse ad sacram Synaxim accesserit?

Eadem S. Congregatio respondit: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam, si Communio est postremum opus ex injunctis, quod expletur* (Loc. cit.).

Et sane, vidimus sub n. 120, indulgentias, excepta illa *pro articulo mortis,* eo temporis momento acquiri, quo *ultimum opus praescriptum* impletur. Atqui in dubio proposito ultimum opus est susceptio SS. Eucharistiae. Ergo tunc et non prius indulgentia lucrifit.

1579. Ex eo quod Benedictio papalis et Absolutiones generales *publice* impertiendae dari debeant ab ecclesiastico viro, qui Tertiariis in id coadunatis praeest, quaeri potest, an *ex facto tantum praesidentiae* quilibet ecclesiasticus vir easdem Benedictiones et Absolutiones impertiri possit? Et respondetur *negative.* Requiritur enim ulterius, ut *legitime* praesideat, et *facultatem obtinuerit eas impertiendi.* Id colligitur ex citato Caeremoniali Tertii Ordinis. Ibi in Articulo VIII, in quo agitur de ritu impertiendi Tertiariis papalem Benedictionem, et quidem juxta formulam Benedicti XIV, habetur: Cum igitur secundum praedictam formulam talis Benedictio super populum effundatur, ideo non singulis seorsim Tertiariis, sed *adunatae Congregationi* danda est, ab ipso ejus Praeside, cui commissa intelligitur impertitio illius Benedictionis. *Director vel quicumque Sacerdos facultatem habens* accedet ad altare, superpelliceo et stola alba indutus, nullisque circumadstantibus ministris; et genuflexus dicet etc.

Ergo *non ex facto praesidentiae dumtaxat, non quilibet Presbyter,* sed qui *legitime* Congregationi praeest, nempe vel *ipse Director,* vel *quicumque Sacerdos facultatem habens.* Quod dicitur de Benedictione papali applicandum est etiam, ut per se pa-

tet, Absolutionibus generalibus *publice* impertiendis; siquidem allatum S. Congregationis responsum aeque loquitur tam de Benedictionibus nomine Summi Pontificis, quam de Benedictionibus (seu Absolutionibus) cum indulgentia plenaria *publice* impertiendis.

Expositae doctrinae robur accedit ex dubio XIII S. Congregationi Indulgentiarum proposito et ab ea soluto in Decreto diei 31 Januarii 1893. Ibi quaeritur:

An Tertiarii saeculares S. Francisci degentes in locis, ubi nulla adsit eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio, recipere valeant Benedictionem papalem bis in anno eisdem concessam, eo quod vel nequeant accedere, aut saltem difficilis sit accessus ad locum, in quo *a' Sacerdotibus debita facultate munitis* praefatae Benedictiones impertiuntur etc. In quo, ut vides, supponitur quod Sacerdos, qui papalem Benedictionem impertit, *sit debita facultate munitus.*

1580. Jus autem conferendi Sacerdotibus facultatem impertiendi Benedictionem papalem et publicam Absolutionem generalem residet in Superioribus Generalibus, Provincialibus et Localibus primi et tertii Ordinis regularis S. Patris Francisci, qui in locis respectivae suae jurisdictionis nominant Directores et Visitatores Congregationum Tertii Ordinis ibidem erectarum.

1581. Directores et Visitatores nequeunt *per se* ad praefatas Benedictiones impertiendas alios Sacerdotes subdelegare, nisi eis subdelegandi facultas concessa fuerit, vel nisi agatur de Sacerdote jam debita facultate munito eas impertiendi.

Hinc si Director, ob quodcumque motivum, puta quia est absens aut infirmus, non possit vel nolit dictas Benedictiones statis diebus Tertiariis coadunatis dare, potest sibi substituere alium Sacerdotem debita facultate praeditum eam impertiendi, non vero Sacerdotem, cui talis facultas non sit legitime commissa. Excipitur casus, ut diximus, quo Director potestate gaudeat alios Sacerdotes ad id subdelegandi.

1582. *Tertiarii legitime impediti ecclesias adire ad recipiendam Absolutionem generalem diebus adsignatis, qui profesti sunt, accipere eam possunt aliquo die festo de praecepto qui intra octiduum occurret.*

Ut patet ex Indulgentiarum elencho supra relato, Summus Pontifex Leo XIII Sodalibus Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis concessit, ut *novies* intra annum recipere possint *Abso-*

lutionem, hoc est *Benedictionem cum indulgentia plenaria.* At quoniam dies, quibus haec *Absolutio* seu *Benedictio* fuit adnexa, *non omnes festi de praecepto sunt,* sed nonnulli alicubi, nonnulli ubique locorum *profesti tantum sunt,* quibus Tertiarii saeculares haud facile in ecclesias convenire possunt, ceteraque praestare quae ad *Absolutionem* seu *Benedictionem* rite accipiendam fuerunt constituta, hinc eorum quamplurimi hoc spirituali beneficio omnino careant necesse est. Quamobrem plures Episcopi aliique ecclesiastici viri, quibus eorumdem Sodalium Franciscalium cura est demandata, Summo Pontifici Leoni XIII supplicarunt, quatenus super hoc providere dignaretur.

Pontifex hujusmodi precibus annuit, et die 16 Januarii 1886 clementer indulsit, ut praefati Tertiarii, *si forte legitima causa impediantur, quominus ecclesias adeant Absolutionem seu Benedictionem diebus adsignatis, qui profesti sunt, accepturi, eamdem Absolutionem* seu *Benedictionem accipere valeant aliquo die festo de praecepto, qui intra octidua eorumdem profestorum dierum occurret,* dummodo cetera exequantur, quae in Indice Indulgentiarum Constitutio *Misericors Dei Filius* pro rite accipienda *Absolutione* seu *Benedictione cum indulgentia plenaria* praescribit (Apud Acta Ord. Min. ann. V. pag. 23).

1583. Obiter notamus, etiam Monialibus Ordinis Minorum in clausura degentibus, ac infirmitate detentis quominus ad chorum vel confessionale accedant, concessam esse a Leone PP. XIII die 21 Maji 1892 facultatem recipiendi Absolutionem generalem in die infra Octavam festi, cui tale privilegium est adnexum, videlicet, quando proprius Confessarius clausuram ingreditur ad audiendam aegrotantium Sororum Confessionem (Act. Ord. Min. ann. XI, pag. 101).

1584. *Tertiarii Absolutionem generalem accipere etiam possunt in Vigilia, sed privatim, nempe post expletam sacramentalem Confessionem.*

Per aliud Decretum de die 21 Julii 1888 laudatus Pontifex indulgere dignatus est, ut *quisque ex Sodalibus* Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis perfrui possit gratia *Absolutionis* seu *Benedictionis die eas festivitates praecedente,* quibus illa est concessa, quod idem est ac dicere, pridie diei, quo ipsa in Indice Indulgentiarum ejusdem Tertii Ordinis elargienda recensetur, *non tamen publice, sed privatim tantummodo, nempe post expletam*

sacramentalem Confessionem, ceteris tamen servatis de jure servandis (Acta Ord. Min. ann. VII, pag. 145; et cf. etiam ibid. pag. 81 Rescriptum diei 11 Maji 1888).

Quando dicitur: *die eas festivitates praecedente,* intelligi debet de *integra die praecedente* seu Vigilia, scilicet praefata Absolutio impertiri potest die Vigiliae tam ante meridiem, quam post meridiem.

1585. Per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum die 6 Martii 1893, praefatum Decretum diei 21 Julii 1888 extensum quoque fuit *ad Tertiarios saeculares Ordinis Carmelitici,* ita ut horum quilibet praedictam Benedictionem cum indulgentia plenaria in pervigilio dierum, quibus ipsa pro Tertio Ordine Carmelitico est affixa, privatim, hoc est post expletam sacramentalem Confessionem, accipere possint et valeant (*Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVI, pag. 149).

1586. Quoad clausulam « *privatim, nempe post expletam sacramentalem Confessionem* » advertendum est, eam intelligi debere, ut Absolutio generalis, nonnisi in loco, in quo auditur Confessio sacramentalis, impertiri possit, et hoc valet etiam pro illis Tertiariis, qui Confessionem qualibet hebdomada peragere solent, nec indigent. Confessione pro acquirenda indulgentia plenaria. Ita declaratum est a S. Congregatione Indulgentiarum die 30 Januarii 1896 in responsis ad dubia, quae sequuntur:

Cum per Decretum S. Congregationis indulgentiarum die 21 Julii 1888 Leo PP. XIII benigne concessisset, ut Tertiarii Franciscales saeculares perfrui possint gratia *Absolutionis* seu *Benedictionis cum indulgentia plenaria* die eas festivitates praecedente, quibus illa est concessa, *non tamen publice, sed privatim tantummodo, nempe post expletam sacramentalem Confessionem,* ex his sequentia dubia suboriuntur:

I. Utrum clausula *privatim, nempe post expletam sacramentalem Confessionem,* ita intelligi debeat, ut Absolutio generalis nonnisi in loco, in quo auditur Confessio sacramentalis, dari debeat, vel etiam extra praedictum locum impertiri possit?

Et in casu quo praedicta Absolutio in loco tantum ubi auditur Confessio impertiri possit, quaeritur:

II. An saltem Tertiarii illi, qui Confessionem qualibet hebdomada peragere solent, nec indigent Confessione pro acquirenda indulgentia plenaria, recipere possint Absolutionem generalem extra locum in quo audiuntur Confessiones, praesertim si poenitentium

multitudo impediat, quominus praedicti Tertiarii, qui justis de causis expectare nequeunt, ad Confessarium accedere possint?

Sacra Congregatio respondit:

Ad I. Ad 1^m part.: *Affirmative;* ad 2^m part.: *Negative.*

Ad II. *Negative.*

1587. Ad praecavendos abusus et vitandas confusiones Tertiarii diebus statutis recipere debent tum Benedictionem papalem, tum Benedictionem cum indulgentia plenaria quae publice datur, a Directore propriae respectivae Congregationis. Nihilominus si quis praedictas Benedictiones reciperet a Directore alterius Congregationis Tertiariorum, quae insuper obedientiae *alterius Familiae* Franciscani Ordinis subest, indulgentiam plenariam aeque consequeretur, ceu declaravit S. Congregatio Indulgentiarum in supra memorato die 30 Januarii 1896 in responsione ad dubium III, quod sic se habet:

An beneficio Benedictionis papalis et Benedictionis cum indulgentia plenaria gaudeant Tertiarii illi, qui diebus statutis eas publice recipiunt non a Directore propriae Congregationis, sed a Directore alterius Congregationis Tertiariorum, quae obedientiae *alterius Familiae* Franciscani Ordinis subest?

Sacra Congregatio respondit: *Affirmative.*

1588. Per Constitutionem *Misericors Dei Filius* Tertiariis Franciscalibus concessa est, praeter alias, indulgentia plenaria « *quo die ad concionem menstruam seu conferentiam conveniunt.* Quoad hoc eidem S. Congregationi propositum fuit solvendum dubium sequens:

In nonnullis, praesertim ruralibus, paroeciis non raro accidit quod Tertiarii singulis mensibus coadunentur absque Sacerdote Directore, aliis ministerii pastoralis laboribus impedito, atque orationes de more faciendas recitent, et loco habendae conferentiae spiritualem audiant lectionem. Quaeritur, an Tertiarii ita coadunati lucrari valeant indulgentiam plenariam mensili conferentiae assistentibus concessam?

Sacra Congregatio Indulgentiarum respondit: *Affirmative, si legitime convenerunt, de auctoritate videlicet Directoris* (Decr. cit. 30 Jan. 1896 ad VI).

1589. *Alia dubia quoad Tertium Ordinem a quibusdam pro opportuna* (privata tamen) *solutione proposita.*

I. Tertiariis saecularibus S. Francisci degentibus in locis, *ubi nulla adest eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio,* con-

cessa est facultas recipiendi bis in anno, loco Benedictionis papalis, duas alias Absolutiones seu Benedictiones cum indulgentia plenaria. — Modo quaeritur, an praedicti Tertiarii, si plures sint in loco, *ubi Sodalitium non reperitur erectum,* recipere possint bis in anno Benedictionem papalem a Sacerdote debita facultate praedito?

Resp. *Affirmative.* Nulla ratio apparet cur in proposito casu dari nequeat Benedictio papalis. Tertiarii enim, ut supponitur, sunt plures, et ideo praedicta Benedictio impertitur multitudini, et impertitur a Sacerdote *debita facultate munito.* Porro, non est putandum, Benedictionem papalem dari posse tantum in locis, ubi erecta reperitur Congregatio Tertii Ordinis; ea siquidem impertiri potest in quocumque loco, ubi *plures degant Tertiarii et adsit Sacerdos rite delegatus* ad praedictam Benedictionem papalem impertiendam. Vide Litteras patentes, quas Minister Generalis tradere solet Sacerdotibus facultatem hujusmodi postulantibus (n. 1561).

II. Eisdem Tertiariis Franciscalibus concessum est, ut si forte legitima causa impediantur, quominus ecclesias adeant Absolutionem generalem diebus adsignatis, qui profesti sunt, accepturi; eamdem Absolutionem seu Benedictionem cum indulgentia plenaria accipere valeant aliquo die festo de praecepto, qui intra octidua eorumdem profestorum dierum occurret. — Quaeritur:

An in hujusmodi die festo de praecepto, qui intra octavam profestorum occurrit, Absolutio dari possit *publice* vel *privatim* tantum, nempe post expletam sacramentalem Confessionem?

Resp. Absolutio dari potest si plures sint Tertiarii tum *publice,* tum *privatim.* Concessio enim a Leone XIII indulta non distinguit, sed generalis est sine *determinatione modi.* Modus eam impertiendi clare determinatur et exprimitur, quando agitur de ea conferenda sive recipienda *in pervigilio festi:* tum quidem praescribitur, ut *non publice, sed privatim tantummodo, nempe post expletam sacramentalem Confessionem* elargiatur.

III. Utrum cum privatim, nempe post expletam sacramentalem Confessionem, impertitur Absolutio generalis, Confessarius uti semper possit formula breviori, maxime quia longiorem memoriter nescit, vel saltem id possit in magno concursu populi?

Resp. *Affirmative.* Haec assertio ex Caeremoniali Tertii Ordinis sancti Francisci a S. Rituum Congregatione approbato die

18 Junii 1883 evinci posse videtur. In articulo IX circa finem hoc monitum habetur: « Si haec indulgentia immediate post sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis: *Dominus noster Jesus Christus* etc., et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato ». Postea subjungit:

Si adjuncta vetent integram adhibere formulam, Sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit: Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris, et Filii ✠, et Spiritus sancti. ℟. Amen.

Jamvero, respectu Confessarii tum multitudo poenitentium pro sacramentali Confessione peragenda expectantium, tum difficultas recitandi memoriter integram formulam satis longam, haberi possunt tamquam adjuncta, quae vetant eamdem integram formulam adhibere. — Insuper notetur, *longiorem* formulam pro conferenda dicta indulgentia plenaria immediate post sacramentalem absolutionem, non praescribi sub poena nullitatis pro casu quo adjuncta sinant eam adhibere. Si ergo Confessarius utatur semper *breviori* formula, certe saltem valide Absolutionem generalem impertit.

Non est tamen ex hoc inferendum, Confessarium nunquam uti debere formula longiori. Quod diximus de usu brevioris formulae, respicit jus stricto et rigoroso sensu sumptum. Ast, ubi possibile erit, Confessarius utiliter optimeque operabitur, si pro impertienda Benedictione cum indulgentia plenaria integram formulam adhibeat. In hac enim continentur devotae quaedam invocationes, proculdubio efficaces, quae desunt in breviori formula.

ARTICULUS IX.

DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM EDITUM DIE 31 JANUARII 1893.

1590. Plurima de Tertio Ordine scitu necessaria declarantur per hoc Decretum, ideo integrum damus.

DECRETUM

Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis.

Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia, quae Tertiarios saeculares S. Francisci Assisiensis aliorumque Ordinum respiciunt, dirimenda sunt proposita:

I. An Tertius Ordo saecularis S. Francisci teneatur lege illa a Clemente Papa VIII in Constitutione *Quaecumque* d. d. 7 Decembris 1604 statuta, qua praecipitur unam tantum Confraternitatem et Congregationem ejusdem nominis et instituti erigi posse in singulis civitatibus et oppidis?

II. Utrum ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiratur consensus Ordinarii loci?

III. Utrum Episcopus loci visitare possit Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium ecclesiis?

IV. An Religiosi, qui sua jam vota nuncupaverunt in proprio Instituto approbato vel ab Apostolica Sede, vel ab Ordinario loci, ante Decretum in una Veronensi editum sub die 16 Julii 1886 et jam Tertio Ordini S. Francisci adscripti reperiebantur, post praefatum Decretum adhuc pergant ad eumdem Tertium Ordinem pertinere ejusque gratiis et privilegiis gaudere?

V. An saeculares Tertiarii Franciscales ingredientes religiosum aliquod Institutum, etiam ante religiosam professionem teneantur dimittere habitum Tertii Ordinis, et hoc ipso non amplius perfruantur ejusdem gratiis et privilegiis?

VI. An idem Veronense Decretum vim legis habeat etiam pro Tertiariis ceterorum Ordinum, puta Ordinis S. Dominici, SSmae Trinitatis, etc.?

VII. Possuntne fideles, qui ad unam Congregationem Tertiariorum pertinent, transire ad aliam pariter erectam in eodem vel alio loco, quin indulgentias et privilegia amittant?

VIII. An Tertiarius Franciscalis possit transire ad alium Tertium Ordinem alterius Regulae, ex. gr. ad illum S. Dominici, etc. et vicissim?

IX. An fideles, qui inter Tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, cooptari etiam valeant inter Tertiarios alterius Ordinis,

puta S. Dominici, vel SSmae Trinitatis etc., ita ut aliquis Christifidelis evadere simul possit Tertiarius Franciscalis, S. Dominici, SSmae Trinitatis, Ordinis Carmelitici, et ita porro?

X. An expediat concedere omnia privilegia, gratias et indulgentias a Summis Pontificibus directe et speciatim primo et secundo Ordini S. Francisci concessa, extendi etiam ad omnes qui Tertio Ordini saeculari nomen dederunt?

XI. An expediat concedere indulgentiam *Portiunculae* nuncupatam, ab omnibus fidelibus toties die 2 Augusti lucrandam, quoties quamcumque visitant ecclesiam, in qua legitime erecta est Congregatio Tertii Ordinis saecularis S. Francisci?

XII. An expediat concedere Tertiariis saecularibus S. Francisci, ut lucrari valeant indulgentias tam omnibus fidelibus ecclesias Franciscales visitantibus concessas, quam illas quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae, ea conditione, ut ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi neque ecclesiae Franciscales primi, secundi aut Tertii Ordinis regularis, neque oratoria publica Tertii Ordinis saecularis aut alia ecclesia, in qua canonice erecta sit Congregatio Tertii Ordinis saecularis, existant?

XIII. An Tertiarii saeculares S. Francisci degentes in locis, ubi nulla adsit eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio, recipere valeant Benedictionem papalem bis in anno eisdem concessam a quocumque Sacerdote, eo quod vel nequeant accedere, aut saltem difficilis sit accessus ad locum in quo a Sacerdotibus debita facultate munitis praefatae Benedictiones impertiuntur?

XIV. An saltem expediat praedictis Tertiariis Franciscalibus saecularibus, bis in anno, loco Benedictionis nomine Summi Pontificis recipiendae, duas alias Absolutiones seu Benedictiones concedere cum adnexa plenaria indulgentia?

XV. Ex Constitutione *Misericors Dei Filius* Tertiarii Franciscales gaudent indulgentiis Stationum Urbis. Jamvero ex opere cui titulus « *Raccolta di orazioni e pie opere ecc.* », ad acquirendas indulgentias stationales praeter conditiones consuetas sincerae contritionis, Confessionis et Communionis « a seconda della indulgenza da lucrarsi », sufficit visitatio solius ecclesiae ubi est, vel supponitur esse Statio. Quaeritur utrum hoc etiam valeat pro indulgentiis Stationum, quae in supradicta Constitutione Tertiariis conceduntur, ita ut a Tertiariis sit peragenda Confessio et Communio suscipienda eo tantum in casu, quo concessa est indulgentia plenaria, non vero quando concessa est partialis?

XVI. Utrum, demptis Tertiariis saecularibus S. Francisci et Servorum B. Mariae Virginis, quibus per Constitutionem *Misericors Dei Filius* et Rescriptum diei 15 Decembris 1883 respective provisum est, Tertiarii saeculares aliorum Ordinum gaudeant communicatione indulgentiarum sive cum respectivo Ordine, ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus?

XVII. Utrum tuta sit opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis, ceteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur?

XVIII. Utrum Tertiarii saeculares cujusvis Ordinis indulgentiis tantum gaudeant, quae sibi directe concessae fuerunt, vel aeque principaliter cum aliis concessae fuerunt, dummodo non sint revocatae?

Et Emi ac Rmi Patres in Generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis rescripserunt die 10 Januarii 1893:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. In iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant, *negative;* in reliquis, *affirmative.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Negative* ante professionem.

Ad VI. *Affirmative.*

Ad VII. *Affirmative* ex rationabili causa.

Ad VIII. Generatim *negative.*

Ad IX. *Negative.*

Ad X. *Negative.*

Ad XI. *Negative.*

Ad XII. Supplicandum SSmo pro gratia.

Ad XIII. *Negative.*

Ad XIV. Supplicandum SSmo pro gratia.

Ad XV. *Affirmative.*

Ad XVI. *Negative,* nisi constet de speciali Indulto.

Ad XVII. *Negative,* imo falsa.

Ad XVIII. *Affirmative.*

Factaque de iis omnibus SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione in Audientia habita die 31 Januarii 1893 a me infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto, Sanctitas Sua re-

solutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, et petitas gratias in perpetuum benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 31 Januarii 1893.

Fr. A. Card. SEPIACCI, *Praef.*
ALEX. Archiep. Nicopolitanus., *Secret.*

Quia circa aliquod ex his responsis dubitationes obortae sunt, utile putamus dubia ipsa reassumere, et ad quodlibet responsum breves explanationes seu commentaria adjicere.

ARTICULUS X.

COMMENTARIA SUPER RESPONSIS IN RELATO DECRETO CONTENTIS.

1591. I. *An Tertius Ordo saecularis S. Francisci teneatur lege illa a Clemente Papa VIII in Constitutione* QUAECUMQUE *d. d. 7 Decembris 1604 statuta, qua praecipitur unam tantum Confraternitatem et Congregationem ejusdem nominis et instituti erigi posse in singulis civitatibus et oppidis?* Resp. *Negative.*

Explanatio. Clemens VIII Constitutione, quae incipit *Quaecumque,* jussit ut una tantum Confraternitas ejusdem tituli seu invocationis erigi possit in singulis civitatibus et oppidis. Nonnulli dubitarunt, an etiam Tertius Ordo saecularis S. Francisci lege hujusmodi teneatur, dubitarunt scilicet an plures Congregationes ejusdem Tertii Ordinis erigi possint in eadem civitate vel oppido. A S. Congregatione responsum fuit, Tertium Ordinem *non comprehendi* in illa lege, ac ideo in eadem civitate vel oppido institui posse plures ejusdem Tertii Ordinis Sodalitates. Ratio est, quia Clemens VIII in illa Constitutione loquitur tantum de *simplicibus Confraternitatibus* et *Congregationibus,* non vero de Tertio Ordine S. Francisci, qui cum non sit simplex Confraternitas, sed verus *Ordo,* in lege Clementina non comprehenditur. Unde sequitur, quod si in eadem civitate vel oppido plures existant Conventus Primi vel Tertii Ordinis regularis S. P. Francisci, in eorum quolibet erigi potest Congregatio Tertii Ordinis, nisi Superioribus Conventuum, ob majus fidelium bonum, aliter faciendum videatur, praesertim in parvis

locis. Imo non solum ubi adsunt Conventus Ordinis, sed etiam in aliis civitatibus, in quibus nullus Conventus foret, plures erigi possunt Tertii Ordinis Congregationes.

1592. II. *Utrum ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiratur consensus Ordinarii loci?* Resp. *Affirmative.*

Explanatio. Quod hic a S. Congregatione affirmatur est tam clarum, ut nulla explicatione indigeat: apertissime enim declaratur, pro erectione novae Congregationis Tertii Ordinis *necessario* requiri consensum Ordinarii loci, et id non solum si erectio fiat in ecclesiis non Regularium, quae ab Episcopo immediate pendent, sed etiam si ea fiat *in ecclesiis Regularium,* quae ab ejusdem jurisdictione sunt exemptae. Imo, etiam in casu, quo Sodalitas Tertii Ordinis erigenda sit *in ipsa ecclesia Primi vel Tertii Ordinis regularis S. P. Francisci,* Ordinarii loci licentia requiritur. Id deducitur ex allata responsione S. Congregationis, quae *generaliter et absque ulla restrictione* declarat, ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis *sive in ecclesiis Regularium sive non Regularium* necessario requiri consensum Ordinarii loci.

Hujusmodi jus Episcopi recognitum etiam fuit a S. Congregatione Episc. et Reg. die 13 Martii 1744 in causa Vulturarien. vertente inter Patres Minores Observantes Reformatos S. Bartholomaei in Galdo et Capitulum ac Clerum ejusdem loci. Postulatum fuit:

An praedictis Patribus Reformatis liceat erigere in eorum ecclesia dictum Ordinem (Tertium) *absque licentia Ordinarii loci in casu?* Resp. *Negative* (Bizzarri, Collectanea, pag. 404 ad 6^{m}).

1593. Verum hoc responsum S. Congregationis Episc. et Reg. ad casum particularem refertur, et non videtur legem generalem induxisse. Ex praxi enim fere usque hodie servata constat, Ordines religiosos in erectione Sodalitiorum respectivi Tertii Ordinis non consuevisse consensum Ordinariorum expostulare, praesertim si erectio fieret in propriis ecclesiis. Unde in « *Analecta sacri Ordinis Praedicatorum* » ann. I. (1893) pag. 165, legitur: « Obligatio impetrandi consensum Ordinarii loci ad erigendam novam Congregationem seu Fraternitatem Tertiariorum vel Tertiariarum saecularium, *hactenus Pontificia lege non adhuc praescripta, hodie dumtaxat vi Decreti ut supra sancita est.* At vero cum

leges Ecclesiae juxta juris axioma effectum retroactivum non habeant, nisi ipsa Ecclesia expresse declaraverit, inde Congregationes Tertiariorum vel Tertiariarum sive in ecclesiis Ordinis, sive in ecclesiis extra Ordinem usque ad diem 31 Januarii 1893 jam olim existentes, praedicto Ordinarii consensu non indigent».

Advertendum est, consensum Ordinarii loci requiri non solum pro erectione Tertii Ordinis Franciscalis, sed etiam pro quolibet alio Tertio Ordine, ut ex dicendis melius apparebit.

Consensus Episcopi quocumque modo expressus, sive ore tantum sive scripto, vi Decreti allati sufficit; sed consulitur ut in scriptis habeatur et in archivo servetur ad vitandas incertitudines de legitimitate erectionis.

Interim observa, Episcopi loci consensum semper requiri pro quavis nova fundatione sive Conventus Religiosorum, sive monasterii vel domûs Monialium aut Sororum, sive erectionis cujuscumque Confraternitatis vel piae Unionis.

Quaeri tamen potest, an Congregatio Tertii Ordinis sine consensu Episcopi fundata, habenda sit ut valide erecta? Nobis videtur affirmative respondendum: nam ex una parte jus erigendi hujusmodi Congregationes, ex concessione Summorum Pontificum spectat ad Superiores regulares Ordinis S. Francisci; ex altera parte consensus Episcopi requiritur quidem ut erectio licite fiat: siquidem praescribitur lege sive Decreto ab ipso Summo Pontifice approbato; at in tali praescriptione non invenitur formula irritans, prout id contingit de simplicibus Confraternitatibus, ut videre est in Constitutione *Quaecumque* Clementis VIII. Quod si in exposito dubio habetur vox *necessario,* haec particula indicat quidem, legislatorem velle observantiam legis, quae non debet violari, sed ex ea non videtur sequi Congregationem Tertii Ordinis sine consensu Episcopi erectam, esse eo ipso invalide institutam, nisi hoc a suprema auctoritate explicite declaretur. Hinc si Congregatio aliqua sine praedicto Episcopi consensu, sive per inadvertentiam sive per ignorantiam aut per aliam causam fuerit constituta, fideles eidem adscripti gaudent indulgentiis, quamvis non videatur cessare obligatio expetendi praefatum consensum, nisi in casu, quo ex adjunctis prudenter judicetur fuisse jam, saltem tacite, concessum.

1594. III. *Utrum Episcopus loci visitare possit Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium ecclesiis?* Resp. *In iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant, Negative; in reliquis, Affirmative.*

Explanatio. In responsis S. Congregationis Indulgentiarum ad II et III dubium determinantur, ut attendenti patet, *jura Episcopi relate ad Congregationes cujuslibet Tertii Ordinis saecularis.* Jura proinde Episcopi quoad has Sodalitates sunt:

a) Praebere consensum pro earumdem erectione, ita ut nulla Congregatio Tertii Ordinis institui ac erigi possit sine licentia Episcopi, ut dictum est in superiori responsione.

b) Visitare, si ei libuerit, Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium ecclesiis, cum limitatione tamen, scilicet: exclusis iis, *quae ad disciplinam et directionem internam spectant.*

1595. Praefatum jus Episcopi visitandi cum dicta limitatione Sodalitates Tertiariorum in propria dioecesi existentes, confirmatum est a S. Congregatione Episc. et Reg. die 10 Martii 1893 in responsione ad hoc dubium:

Utrum et quomodo eadem Confraternitas (nempe Sodalitas Tertii Ordinis Franciscalis in civitate Manfredoniensi) *dependere debeat a jurisdictione Archiepiscopi in casu?*

Resp. *Affirmative, exceptis iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant, juxta Decretum S. C. Indulg. diei* 31 *Januarii* 1893 (Apud Acta S. Sed. vol. XXVI, pag. 238).

Eadem S. Congregatio Episc. et Regularium similem vel saltem aequivalentem decisionem jam dederat die 18 Junii 1717 in una Faventina pro PP. Reformatis S. Francisci. Quaesitum ab ea fuerat:

An Tertiarii sint subjecti *gubernio spirituali* PP. Reformatorum in casu?

Resp. *Affirmative in concernentibus spiritualia* in ecclesia S. Antonii (Bizzarri, Collectanea, pag. 375 ad 2^{m}).

Quoad ergo reliqua Episcopus potest Tertiariorum Congregationes etiam in ecclesiis Regularium existentes, visitare, sive hae ante sive post diem 31 Januarii 1893 institutae fuerint. Potest proinde, si ei libuerit, visitare ea omnia quae concernunt administrationem bonorum (si aliquod Sodalitium bona propria possideat), manutentionem altaris vel capellae sive oratorii, si haec omnia *in proprietate* habeat, onera Missarum et alia hujusmodi.

Non autem jus Episcopi extenditur ad ea, quae spectant ad interpretationem et observantiam Regulae, admissionem ad Ordinem, ad Novitiatum, ad professionem, ad officia distribuenda, ad Absolutiones generales et Benedictiones papales Tertiariis imper-

tiendas, ad nominationem Directorum, Visitatorum et cetera hujusmodi. Haec enim omnia ad disciplinam et directionem internam pertinent, in quibus Episcopus non potest se intromittere.

Ceterum ad SS. Congregationes Concilii vel Episcoporum et Regularium pertinet in casibus controversis decidere, ac definire limites jurisdictionis Episcoporum et Superiorum ac Visitatorum regularium.

Facili negotio intelligitur, per dictam limitationem nullo modo praejudicari jurisdictioni episcopali. Tertiarii enim in praesens considerantur non ut *simplices fideles saeculares,* sed quatenus sunt *peculiaris Regulae professores,* nec non *Fratres* suo modo *conjuncti cum Ordinibus regularibus respective,* a quibus eorum institutio repetit originem. Sub hoc respectu Tertiarii pendent a Praelatis regularibus sui proprii Ordinis, siquidem, *qua tales,* ipsi habent propriam disciplinam et directionem internam non communem ceteris fidelibus, in quibus proinde a visitatione Episcopi eximuntur.

Quod si Tertiarii considerentur *ut simplices fideles saeculares,* tunc ipsi, prout ceteri fideles, omnino subjacent jurisdictioni Ordinarii loci, qui proinde, *ut pastor,* auctoritative invigilat super eorum externo vitae regimine, eosque jure corripit, si eorum mores legi Dei et Ecclesiae adversentur.

1596. IV. *An Religiosi, qui sua jam vota nuncupaverunt in proprio Instituto approbato vel ab Apostolica Sede vel ab Ordinario loci, ante Decretum in una Veronensi editum sub die* 16 *Julii* 1886 *et jam Tertio Ordini S. Francisci adscripti reperiebantur, post praefatum Decretum adhuc pergant ad eumdem Tertium Ordinem pertinere, ejusque gratiis et privilegiis gaudere?* Resp. *Negative.*

Explanatio. Quia in praesenti dubio provocatur ad Decretum Veronense, et etiam in subsequentibus duobus dubiis illud vel commemoratur vel supponitur, necessarium est pro recta intelligentia praefati responsi S. Congregationis idem Veronense Decretum in medium afferre (Vid. Acta S. Sedis, vol. XX, pag. III; Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 129).

Decretum. Veronensis. *De adscriptione sodalium Institutorum religiosorum Tertio Ordini saeculari S. Francisci Assisiensis.*

Divina charitate ac animarum zelo succensus S. Franciscus Assisiensis, praeter primum et secundum Ordinem Minorum claustralium, tertium quoque Ordinem instituit pro personis in saeculo

degentibus, ut et ipsae pro sui status conditione ad tramitem consiliorum evangelicorum vitam componerent.

Innumera vero virtutum ac pietatis monumenta, quae per tot saecula Christifideles in Tertium Ordinem adsciti reliquerunt, nec non recentius aucta erga Seraphicum Patrem devotio causa fuere, cur etiam *religiosorum Institutorum sodales* eidem Tertio Ordini adscribi expetiverint; et jam inde ab anno 1869 sub die 3 Maji, Ministro Generali totius Ordinis Minorum tributa est facultas recipiendi in Tertium Ordinem Franciscalem alumnos supradictorum Institutorum, *eisdem quoque concesso ex Brevi 7 Aprilis* 1876 *speciali privilegio visitandi ecclesiam vel sacellum proprii Instituti, quoties ad lucrandas indulgentias visitanda foret ecclesia primi vel secundi Ordinis Seraphici.*

Quamvis autem SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII, edita Constitutione Apostolica *Misericors Dei Filius,* die 30 Maji 1883, ejusdem Tertii Ordinis legem novaverit, attamen cum nihil omnino mutatum, immo integrum permanere voluerit, quod attinet ad praefati Tertii Ordinis, qui *saecularis* dicitur, naturam, dubium oriebatur, an alumni religiosorum Institutorum, quibus singulari Dei munere datum est nuncupatis votis ad perfectiorem vitam contendere, amplecti quoque valerent Institutum Tertii Ordinis saecularis S. Francisci.

Quare Emus et Rmus Episcopus Veronensis, instantibus nonnullis e sua dioecesi Confessariis, ad omnem in hac re haesitationem e medio tollendam, S. Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia dirimenda proposuit:

I. *Utrum omnes utriusque sexus, qui sunt membra alicujus religiosi Instituti vel Congregationis, aut a Summo Pontifice aut ab Episcopo approbatae, in qua vota emittuntur sive perpetua sive ad tempus, possint adscribi in Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis?*

Et quatenus Affirmative,

II. *Quibus conditionibus id illis liceat?*

Emi et Rmi Patres responderunt in Generalibus Comitiis apud Vaticanum habitis die 25 Junii 1887:

Ad I^{m} *Negative, facto verbo cum Sanctissimo.*

Ad II^{m} *Provisum in primo.*

Facta vero de iis omnibus relatione in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 16 Julii 1887, Sanctissimus Dominus

Noster Leo Papa XIII Patrum Cardinalium responsiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 16 Julii 1887.

Fr. THOMAS M. Card. ZIGLIARA, *Praef.*
ALEXANDER Episc. Oensis, *Secret.*

Vigore igitur relatae decisionis nequeunt amplius in Tertium Ordinem adscribi illi, qui *in aliquo religioso Instituto* vel a S. Sede vel ab Episcopo approbato, vota sive perpetua sive temporanea emiserint.

Sed quid dicendum *de Religiosis illis, qui ante praefatum Veronense Decretum Tertio Ordini Franciscali jam adscripti reperiebantur:* perguntne post hujusmodi declarationem ad eumdem Tertium Ordinem pertinere, ejusque gratiis gaudere? En dubium IV supra propositum, cui responsum est *Negative:* videlicet hujusmodi Religiosos *non amplius ad Tertium Ordinem pertinere,* nec ejus indulgentiis et privilegiis perfrui. Decretum igitur Veronense *vim retroactivam* habet, et derogat concessionibus Ministro Generali Ordinis Minorum antea super re factis.

1597. Motivum praedictae decisionis satis clare apparet *ex compendio facti* ejusdem Decreti. Ibi dicitur quod S. Franciscus, praeter primum et secundum Ordinem Minorum *claustralium,* tertium quoque Ordinem instituit *pro personis in saeculo degentibus,* et quod Summus Pontifex Leo XIII, quamvis ejusdem Tertii Ordinis legem novaverit, *tamen nihil omnino mutatum, immo integrum permanere voluit, quod attinet ad naturam praefati Tertii Ordinis, qui saecularis dicitur.* Quia igitur S. Franciscus Tertium Ordinem instituit pro *personis in saeculo viventibus,* ut etiam ipsae aliquo modo participarent de bonis status religiosi, et *natura ejusdem Tertii Ordinis eadem permanet,* consequitur, intentioni S. Fundatoris et scopo Tertii Ordinis minus congruere cooptationem tum virorum tum mulierum, *qui nuncupatis votis religiosam vitam professi sunt in aliquo Instituto* vel a Summo Pontifice vel ab Episcopo approbato. Seraphicus enim Pater personis utriusque sexus, quae vitam *claustralem* ducere cupiunt, jam providit per institutionem primi et secundi Ordinis, et illi qui in alio quocumque religioso Instituto professionem emiserunt, in

eo jam habent, perfectiori quoque modo, id omne quod in regula Tertii Ordinis praescribitur pro personis saecularibus.

1598. Breve diei 7 Aprilis 1876 a Summo Pontifice Pio IX ad Rmum Ministrum Generalem Ordinis Minorum datum, de quo in relato Decreto Veronensi fit mentio, habetur in extensum apud opus, cui titulus: *Liber Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis,* tom. III, pag. 80; apud Acta Ord. Min. ann. II, pag. 23, et est tenoris sequentis:

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae ad spirituale Christifidelium bonum facilius consequendum facere possunt, ea cum a Nobis postulantur, libenti animo concedere solemus. Quare cum dilectus filius, hodiernus Minister Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Nobis exponendum curaverit, praescriptum esse ad consequendas indulgentias Tertiariis Franciscalibus concessas, ut ecclesia Primi vel Secundi Ordinis visitetur (1), idque non sine magno eorum Tertiariorum incommodo fieri, qui vitae communitatem habent, ac propterea supplices Nobis preces adhibuerit, ut in hac re opportune providere dignaremur; Nos hujusmodi precibus, quantum in Domino possumus, benigne annuendum esse censuimus.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, atque beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus ac singulis utriusque sexus Christifidelibus *e Congregationibus Tertii Ordinis S. Francisci Regulam observantibus,* et ab Ordinariis locorum aut a Superioribus Ordinis Franciscalis approbatis, *itemque omnibus et singulis utriusque sexus ex aliis Regularium Ordinibus Christifidelibus Tertio Ordini S. Francisci rite aggregatis,* ut omnes et singulas tam plenarias quam partiales indulgentias, Tertiariis Franciscalibus concessas ab hac S. Sede, *ecclesiam vel sacellum respectivae Congregationis, aut ecclesiam respectivi Ordinis visitando,* cum ecclesia Primi vel Secundi Ordinis visitanda esset, licite et libere consequi possint, dummodo cetera, quae

(1) Hic sermo est de indulgentiis quae ecclesiis Franciscalibus concessae sunt in festis nonnullorum Sanctorum Ordinis.

ad illas indulgentias lucrandas injuncta sunt, pietatis opera, pie in Domino praestiterint, tenore praesentium concedimus et elargimur.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 7 Aprilis 1876, Pontificatus Nostri anno trigesimo.

F. Card. Asquinius.

1599. Super descripto Brevi quaedam sunt attente perpendenda:

1° Ibi agitur de duabus personarum classibus, videlicet a) de personis, quae sub regula Tertii Ordinis S. P. Francisci *in communitate* vivunt absque votis solemnibus, ut sunt plures Tertiariarum Congregationes ab Ordinariis tamen locorum aut a Superioribus Ordinis Franciscalis approbatae; b) de personis, quae sunt membra *alicujus religiosi Ordinis* seu *Instituti*, quae praeterea etiam Tertio Ordini Franciscali adscriptae sunt.

2° Utrique personarum classi a Summo Pontifice Pio IX indultum fuit, ut lucrari possint indulgentias ecclesiis Franciscalibus concessas, visitando *ecclesiam vel sacellum respectivae Congregationis, aut ecclesiam respectivi Ordinis seu Instituti.*

3° Quoad personas quae sunt membra alicujus Ordinis vel alterius Instituti religiosi, hujusmodi privilegium sublatum est; nam ipsae non amplius pertinent ad Tertium Ordinem, et consequenter gratiis et privilegiis ejusdem Tertii Ordinis non amplius gaudent. Non ita est de personis, quae sub regula Tertii Ordinis Franciscalis *in communitate* vivunt. Hae siquidem Tertiariorum vel Tertiariarum Congregationes, quae regulam Tertii Ordinis sibi accommodatam profitentur, non comprehenduntur nec in Constitutione *Misericors Dei Filius,* quae loquitur tantum de Tertio Ordine, qui *saecularis* dicitur, nec in Decreto Veronensi, quod de aliis Institutis religiosis loquitur. Ergo concludendum videtur, Tertiariarum Congregationes ab Ordinariis locorum approbatas, adhuc frui memorato

privilegio, *lucrandi scilicet indulgentias ecclesiis Ordinis S. P. Francisci concessas, visitando propriam ecclesiam* (Cf. n. 1340-1345).

1600. V. *An saeculares Tertiarii Franciscales ingredientes religiosum aliquod Institutum, etiam ante religiosam professionem teneantur dimittere habitum Tertii Ordinis, et hoc ipso non amplius perfruantur ejusdem gratiis et privilegiis?* Resp. *Negative ante professionem.*

Explanatio. Praesens resolutio fluit ex praecedenti responsione ad dubium IV. Ibi enim dictum est, *non Novitios, sed professos* in aliquo Instituto approbato non amplius posse ad Tertium Ordinem pertinere. Quare si quis Tertiarius saecularis religiosum aliquod Institutum ingrediatur, tenetur quidem habitum Tertii Ordinis *post professionem religiosam* dimittere, non autem *ante professionem,* cum, votis nondum emissis, ad Institutum absolute non pertineat. Quocirca toto tempore Novitiatus, poterit ipse gratiis et privilegiis Tertii Ordinis gaudere.

Sed quid dicendum de illo, qui, *ob peculiarem erga Seraphicum Patrem S. Franciscum devotionem,* deferre pergat habitum seu parvum scapulare Tertii Ordinis etiam post professionem in aliquo Instituto approbato? Respondemus, talem religiosum virum minime contraire praefatae declarationi, imo per delationem dicti parvi scapularis posse protectionem Seraphici Patris sibi demereri. Eo semper salvo, *quod idem religiosus vir non amplius ad Tertium Ordinem pertinet, nec amplius gaudere potest indulgentiis et privilegiis Tertii Ordinis.* Hoc sensu videntur accipienda verba in praesenti dubio adhibita, *an... teneantur dimittere habitum;* quatenus nempe delatio habitus Tertii Ordinis Franciscalis nihil in casu confert ad participationem indulgentiarum confratribus ejusdem Tertii Ordinis concessarum.

1601. VI. *An idem Veronense Decretum vim legis habeat etiam pro Tertiariis ceterorum Ordinum, puta Ordinis S. Dominici, SS. Trinitatis,* etc.? Resp. *Affirmative.*

Explanatio. Responsum hoc tam clarum est, ut nullo prorsus commentario, nullaque explicatione indigeat. Declaratur, Veronense Decretum supra relatum vim legis habere etiam *pro Tertiariis ceterorum Ordinum,* ut Ordinis S. Dominici, SS. Trinitatis, Carmelitarum, Servitarum etc. Quoad hoc igitur omnes Tertiarii cujuslibet Ordinis pares sunt, ac proinde quod dictum est de Tertio

Ordine S. Francisci, ceteris Tertiariis aliorum Ordinum applicari debet.

1602. VII. *Possuntne fideles, qui ad unam Congregationem Tertiariorum pertinent, transire ad aliam pariter erectam in eodem vel alio loco, quin indulgentias et privilegia amittant?* Resp. *Affirmative ex rationabili causa.*

Explanatio. Sacra Congregatio declarat, licere fideli, uni Tertiariorum Congregationi jam adscripto, transire ad aliam in eodem vel alio loco erectam, quin indulgentias et privilegia amittat. Et sane Tertius Ordo unus idemque est, ac iisdem indulgentiis et privilegiis fruitur in quocumque ejusdem Sodalitio canonice erecto, et sub quavis directione seu obedientia variorum Ordinum regularium S. Francisci existente. At S. Congregatio adjungit: *ex rationabili causa,* uti esset ex. gr. major commoditas interveniendi conferentiis et functionibus Tertiariorum, ad quas ob distantiam aut viarum asperitatem difficulter atque raro possit quis accedere. Non autem liceret id agere ob animi levitatem, instabilitatem et similia, quin saltem periculo se exponat amittendi indulgentias. Ceterum hujusmodi transitus fieri non debent, ut per se patet, sine consilio et intelligentia Superiorum Ordinis vel Directorum Congregationum.

1603. VIII. *An Tertiarius Franciscalis possit transire ad alium Tertium Ordinem alterius Regulae, ex. gr. ad illum S. Dominici etc. et vicissim?* Resp. *Generatim Negative.*

Explanatio. Hic *generatim* improbatur transitus de uno ad alium Tertium Ordinem alterius Regulae. Hinc Tertiarius Franciscalis non potest, *generatim loquendo,* proprio Ordini valedicere, ut se adscribat in alium Tertium Ordinem, puta S. Dominici, SS. Trinitatis, Carmelitarum etc., et vicissim. Et id quidem valde sapienter statutum est, ut sic facilius vitentur desertiones, quae confratres turbant, quaeque difficulter vel raro admodum justam excusationem habere possunt. Et nota discrimen inter responsionem ad VII et responsionem ad VIII dubium. In responsione ad VII agitur de transitu de una Congregatione ad aliam *ejusdem Tertii Ordinis,* et declaratur, talem transitum fieri posse *ex rationabili causa.* In responsione ad VIII, quia agitur de transitu *ad alium Tertium Ordinem* alterius Regulae, hic transitus *generatim* negatur, qui proinde fieri non potest, nisi ob justam gravemque causam, debita licentia prius obtenta. Et quia jus concedendi hanc licentiam Apostolica Sedes sibi hactenus non reservavit, in facultate

Superiorum Ordinum est respective, praedictum transitum permittere.

1604. IX. *An fideles, qui inter Tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, cooptari etiam valeant inter Tertiarios alterius Ordinis, puta S. Dominici, vel SS. Trinitatis etc., ita ut aliquis Christifidelis evadere simul possit Tertiarius Franciscalis, S. Dominici, SS. Trinitatis, Ordinis Carmelitici, et ita porro?* Resp. *Negative.*

Explanatio. Hac decisione per se clarissima, decernitur neminem posse ad plures Tertios Ordines simul pertinere. Hinc Tertiarius Franciscalis nequit eodem tempore esse Tertiarius alterius Regulae, puta Tertii Ordinis S. Dominici, SS. Trinitatis etc. et vicissim.

Istam legem confirmavit eadem S. Congregatio Indulgentiarum die 15 Januarii 1895, in responso dato ad Rmum D. Godehardum M. Heigl, Ordinis S. Benedicti, Abbatem Affligeniensem et Visitatorem provinciae Belgicae, qui petebat: *Possuntne Oblati saeculares* (qui ex authentica declaratione considerandi sunt sicut Tertiarii aliorum Ordinum) *fieri Tertiarii alterius Ordinis, et vice versa?* S. Congregatio respondit: *Negative, juxta Decretum hujus S. Congregationis d. d. 31 Januarii 1893* (*Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVII, pag. 126).

1605. Advertendum maxime est, hujusmodi Decretum *vim habere retroactivam,* ita ut qui ante idem Decretum pluribus Tertiis Ordinibus adscripti reperiebantur, non amplius possint ad eos simul pertinere, sed *eligere debent unum juxta cujusvis devotionem.* Ita a S. Congregatione Indulgentiarum declaratum est sub die 21 Junii 1893 in responsis ad sequentia dubia:

I. An vim habeat retroactivam Decretum ab hac S. Congregatione editum sub die 31 Januarii hujus decurrentis anni 1893, quoad dubium *nonum,* in quo quaerebatur: *An fideles, qui inter Tertiarios* etc. (ut supra, IX).

II. An vi praefati Decreti Christifideles, qui ante idem Decretum pluribus Tertiis Ordinibus adscripti reperiebantur, gaudeant nunc libertate eligendi unum prae altero ex Tertiis Ordinibus, quibus jam sese mancipaverant?

Et S. Congregatio propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative, juxta cujusvis Christifidelis devotionem* (Acta Ord. Min. ann. XII, pag. 141; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXV, pag. 508).

1606. Circa descriptam prohibitionem dandi nomen diversis Tertiis Ordinibus, Sacrae Congregationi propositum fuit dubium, quod hic afferimus (*Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVI, pag. 20; Acta Ord. Min. ann. XIII, pag. 10):

Sacerdos N. N. huic S. Congregationi Indulgentiarum exponit se Tertio jam Ordini saeculari S. Francisci Assisiensis adscriptum, cooptari etiam voluisse inter Sodales Tertiarios Servorum beatae Mariae Virginis; imo petiit, eamque obtinuit facultatem admittendi Christifideles in eumdem Tertium Ordinem Servorum B. M. V., antequam ab hac S. Congregatione ederetur Decretum datum sub die 31 Januarii hujus decurrentis anni. Verum, cum sub die 21 Junii nuper elapsi eadem S. Congregatio Decretum supramemoratum vim habere retroactivam edixerit, simulque certum sit ideo Oratori collatam fuisse facultatem cooptandi fideles in Tertium Ordinem Servorum B. M. V. eo quod hujus Tertii Ordinis Sodalis evaserat, hinc sequentium dubiorum solutionem ab hac S. Congregatione humiliter expostulat:

I. An legitime admiserit Christifideles in praefatum Tertium Ordinem Servorum B. M. V., eorumque professionem valide exceperit ante promulgationem Decreti d. d. 21 Junii 1893?

II. An actus supradicti sint renovandi per Sacerdotem legitima fretum potestate, vel potius sanandi?

S. Congregatio propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative ante promulgationem Decreti; Negative post promulgationem, nisi expresse renuntiaverit se velle pertinere ad Tertium Ordinem Franciscalem, et elegerit prout ipsi datur, permanere inter Sodales Tertiarios Servorum B. M. Virginis.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 1 Septembris 1893.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO, *Praef.*
A. Archiep. Nicopolitan., *Secret.*

1607. Ex adductis declarationibus collige:

a) Ex eo quod iis, qui in plures Tertios Ordines erant cooptati, datur *optio eligendi unum juxta cujusvis devotionem,* sequitur quod adscriptiones pluribus Tertiis Ordinibus valide et legitimae fuerunt ante Decretum 31 Januarii 1893.

b) Ex eo quod Decretum 31 Januarii 1893 vim retroactivam habet, praefatae pluribus Tertiis Ordinibus adscriptiones, antea validae, evadunt nullae vi Decreti 21 Junii 1893, *eo in sensu quatenus fideles qui in plures Tertios Ordines ingressi fuerant, nequeant amplius gaudere indulgentiis et privilegiis illarum admissionum*, sed unius tantummodo, illius nempe Tertii Ordinis, quem quilibet *juxta propriam devotionem elegerit.*

1608. Exinde fluit, quod Sacerdos, de quo est sermo in ultimo Decreto supra allato, legitime Tertio Ordini Servorum B. M. V. admissus fuit, quamvis esset jam Sodalis Tertii Ordinis S. Francisci. Tali modo praedictus Sacerdos conditionem a Servitis impositam *pro obtinenda facultate cooptandi fideles in tertium Ordinem Servorum B. M. V. implevit,* ac proinde vi facultatis obtentae et adimpletae conditionis, admissiones fidelium in dictum Tertium Ordinem ab eo peractae ac eorumdem professiones ab eodem receptae, validae fuerunt ante promulgationem Decreti diei 21 Junii 1893.

Post hanc vero promulgationem, an praedictus Sacerdos valide vel invalide actus hujusmodi peregerit, distinctione opus est: nam tres casus supponi possunt:

1. Quod Sacerdos, de quo agitur, utendo facultate in memorato Decreto 21 Junii 1893 enuntiata, elegerit Tertium Ordinem Servitarum, ad quem intelligat in posterum unice pertinere.

2. Quod idem Sacerdos, relicto Tertio Ordine Servitarum, elegerit Tertium Ordinem Franciscalem.

3. Quod nullam electionem fecerit.

In primo casu omnes admissiones in Tertium Ordinem Servorum B. M. V. nec non professiones a praefato Sacerdote receptae, validae sunt, de quo nullum dubium.

In secundo casu praedicti actus nulli sunt, ob rationem quod non amplius ipse pertineat ad Tertium Ordinem Servitarum, quod est *conditio sine qua non,* a Superiore dicti Ordinis apposita ad exercendos memoratos actus.

In tertio casu praefati actus sunt pariter nulli ob defectum obedientiae Decreto S. Congregationis debitae, non eligendo juxta propriam devotionem unum prae altero ex Tertiis Ordinibus, quibus jam sese mancipaverat.

1609. X. *An expediat concedere omnia privilegia, gratias et indulgentias a Summis Pontificibus directe et speciatim primo*

et secundo Ordini S. Francisci concessa, extendi etiam ad omnes qui Tertio Ordini saeculari nomen dederunt? Resp. *Negative.*

Explanatio. S. Congregatio expedire non censet, ut ad Tertiarios saeculares S. Francisci extendantur omnia privilegia et indulgentiae a Summis Pontificibus directe et specialim primo et secundo Ordini ejusdem S. P. Francisci concessae. Negatur proinde Tertio Ordini S. Francisci communicatio privilegiorum et indulgentiarum cum primo et secundo Ordine, quae communicatio jam sublata fuerat per Constitutionem *Misericors Dei Filius* Leonis PP. XIII. Verba, quibus Pontifex utitur in revocatione antiquarum indulgentiarum et privilegiorum Tertii Ordinis, sunt sequentia:

« Praeterea poenarum remissionibus, seu indulgentiis, privilegiisque, quae infra in indice recensentur, eosdem Sodales uti posse volumus et jubemus, *sublatis penitus indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem Sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem concesserat* ».

Porro cum indulgentiarum communicatio sit *privilegium*, consequitur quod sublatis *penitus* indulgentiis *privilegiisque universis*, etiam communicatio indulgentiarum sublata fuerit per laudatam Constitutionem Apostolicam. Sublatae nempe fuerunt non solum indulgentiae Tertio Ordini *directe* concessae, sed etiam illae, quibus Tertiarii *per privilegium communicationis* gaudebant.

1610. Fuerunt quidem non pauci scriptores, qui ex eo quod revocatio sit strictae interpretationis, propugnabant, eam limitari debere ad indulgentias Tertio Ordini *directe* concessas, non vero ad illas, quibus Tertiarii per communicationis privilegium fruebantur. Sed opinio ista post editum responsum S. Congregationis Indulgentiarum in una *Goritiensi* non poterat amplius rationabiliter sustineri. En Decretum (1) (*Acta S. Sed.* vol. XVII, pag. 463):

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Goritiensis a S. Congregatione Indulgentiarum sequentium dubiorum solutionem humillime petit:

(1) Hoc Decretum cum subsequentibus observationibus refertur pro notitia historica dumtaxat; siquidem Summus Pontifex Leo XIII quaedam in eo contenta moderari dignatus est per nonnullas posteriores concessiones, ut infra videbimus.

1° Recitantes Fratres et Sorores trium Ordinum S. P. Francisci Rosarium seraphicum (7 decadum) lucranturne qualibet vice, prout ante Constitutionem nuperrimam S. S. Leonis XIII *Misericors Dei Filius*, indulgentiam plenariam?

2° Sodales Tertiarii recitantes post Communionem Ps. 19 « *Exaudiat* » lucranturne indulgentias intuitu communicationis privilegiorum cum 1° et 2° Ordine S. Francisci et cum aliis Ordinibus, puta Camaldulensium, Augustinianorum, etc.?

In genere adestne pro Tertiariis adhuc communicatio privilegiorum?

3° R. P. Bonifacius Minister Provincialis FF. MM. Cap. Provinciae Rheno-Palatinensis occidentalis (West-Rheinpfalc) dubium sequens S. Congregationi Indulgentiarum proposuit: « An in suo valore maneat etiam post declarationem S. S. d. d. 7 Junii 1882 indulgentia plenaria et Benedictio Tertiariis elargienda (antea Absolutio generalis dicta) cum Benedictione papali, concessa *speciali privilegio* in festo S. Aloysii Gonz. die 21 Junii (qua die anniversaria induitionis S. M. Pii IX ceu Tertiarii) »; et responsum accepit die 30 Decembris 1882: « *Affirmative*, quia speciale privilegium, ut cesset, speciali tantum revocatione tolli debet ». Standumne est adhuc huic declarationi, necne?

4° In kalendario perpetuo Ord. Min. S. P. Francisci et per consequens in Directorio liturgico eorum Provinciae S. Crucis Croatiae-Carnioliae notantur suis diebus indulgentiae plenariae, quae lucrari possunt a quibuscumque Christifidelibus visitantibus ecclesias conventuales Ord. S. Francisci sub solitis conditionibus.

Quaeritur, num sodalibus Tertii Ordinis S. Francisci, velut hucusque, sufficiat ad lucrandas hujusmodi indulgentias, visitare proprias Ecclesias curatiales, an vero opus sit illas, non obstante quacumque distantia (etiam 10-20 horarum), adire ecclesias praedicti Ordinis?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita propositis dubiis respondit:

Ad 1m *Quoad sodales Tertii Ordinis S. Francisci, Negative.*

Ad 2m *Negative ad utramque partem.*

Ad 3m *Negative post editam Constitutionem Apostolicam* « MISERICORS DEI FILIUS ».

Ad 4m *Quoad primam partem, Negative; quoad secundam, Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis, die 12 Junii 1884.

L. Card. BONAPARTE, *pro Praefecto* Card. OREGLIA A S. STEPHANO.

FRANCISCUS DELLA VOLPE, *Secretarius*.

1611. Ex allatis igitur declarationibus S. Congregationis sequentia habemus:

a) Tertiarii saeculares S. P. Francisci recitantes coronam Seraphicam, non amplius, ut ante Constitutionem *Misericors Dei Filius,* lucrantur indulgentiam plenariam ejusdem recitationi adnexam.

b) Non amplius *intuitu communicationis privilegiorum* lucrantur indulgentiam Ps. *Exaudiat.*

c) Non amplius existit pro Tertiariis communicatio privilegiorum nec cum 1° et 2° Ordine, nec cum aliis Ordinibus.

d) Indulgentia plenaria et Absolutio generalis pro festo S. Aloysii Gonzagae Tertiariis speciali privilegio concessa, est revocata.

e) Ad acquirendas indulgentias ecclesiis Franciscanis concessas, Tertiarii debent, ut ceteri fideles, praedictas ecclesias visitare, non obstante quacumque distantia.

Non possunt igitur, prout ante dictam Constitutionem, illas lucrari, visitando proprias ecclesias parochiales. *Verum huic dispositioni derogatum est,* ut patet ex responso ad dubium XII, de quo postea.

Tam ergo ex Decreto Goritiensi anni 1884, quam ex Decreto anni 1893 a Summo Pontifice approbato et confirmato, constat, indulgentiarum et privilegiorum communicationem cum 1° et 2° Ordine et etiam cum aliis Ordinibus omnino pro Tertiariis saecularibus S. P. Francisci cessasse, et hoc virtute Constitutionis *Misericors Dei Filius,* ubi nova iisdem Tertiariis conceduntur privilegia et indulgentiae, « *sublatis penitus indulgentiis privilegiisque universis, quae eidem Sodalitio haec Apostolica Sedes quocumque vel tempore, vel nomine, vel forma ante hanc diem* (30 Maji 1883) *concesserat* » (Vid. tamen Breve diei 7 Julii 1896 inferius).

1612. XI. *An expediat concedere indulgentiam Portiunculae nuncupatam, ab omnibus fidelibus toties die 2 Augusti lucrandam, quoties quamcumque visitant ecclesiam, in qua legitime erecta est Congregatio Tertii Ordinis S. Francisci?* Resp. *Negative.*

Explanatio. Pro faciliori hujus responsi intelligentia, duo in memoriam sunt revocanda:

Primo, quod die 2 Augusti concessa est indulgentia plenaria de Portiuncula nuncupata, ab omnibus Christifidelibus *toties* lucranda, *quoties* aliquam ecclesiam *Franciscani Ordinis regularis* visitant.

Secundo, quod eadem die 2 Augusti, festo S. Mariae Angelorum ob Basilicam ejus dedicatam, concessa pariter est indulgentia plenaria *semel* tantum lucranda a Tertiariis Franciscalibus saecularibus *dumtaxat,* dummodo ecclesiam, *ubi erectum est co-*

rum Sodalitium, visitent, ceterasque conditiones pro eadem indulgentia assequenda injunctas adimpleant.

Jamvero in dubio XI supra descripto quaeritur, an expediat concedere indulgentiam Portiunculae *ab omnibus fidelibus* toties lucrandam, quoties die 2 Augusti quamcumque visitant ecclesiam, *in qua legitime erecta est Congregatio Tertii Ordinis S. Francisci.* Et S. Congregatio respondit: *Negative,* seu *non expedire.*

1613. Indulgentia igitur Portiunculae *toties quoties ab omnibus Christifidelibus acquirenda,* negatur ecclesiis, ubi erectum reperitur Sodalitium Tertiariorum, et reservatur *jure ordinario* ecclesiis Primi, Secundi, et Tertii Ordinis regularis S. Francisci dumtaxat. Ceterae ecclesiae omnes, praeter praedictas Franciscanorum regularium, nonnisi ex speciali indulto S. Sedis indulgentia Portiunculae gaudere possunt.

1614. Ut autem de indulgentia Portiunculae relate ad Tertiarios notitia plenior habeatur, quaedam addenda censemus, quae postremis hisce temporibus Scriptorum disputationibus locum dederunt, quaeque praecipue respiciunt ecclesias sive capellas, in quibus erectae reperiuntur Tertiariorum saecularium Congregationes.

Certum est, Tertiariis saecularibus S. Francisci concessum fuisse privilegium, vi cujus ipsi, non ceteri Christifideles, poterant indulgentiam Portiunculae lucrari *toties quoties,* visitando ecclesiam sive capellam, in ecclesia licet parochiali existentem, ubi erecta erat Sodalitas Tertii Ordinis (Decr. 14 Apr. 1856. N. 375).

Certum pariter est, Summum Pontificem Pium IX, ad preces P. Ludovici a Casauria Ord. Min. Ref. deinceps concessisse, ut *in omnibus locis,* ubi Tertius Ordo S. Francisci reperiebatur canonice erectus, *in ecclesiis* nempe, *sive capellis,* professoribus seu sodalibus ejusdem Tertii Ordinis adsignatis, sive hi *collegialiter* sive *sejunctim* in saeculo viverent, possent in praedictis ecclesiis seu capellis die 2 Augusti lucrifieri indulgentiae de Portiuncula non solum a Fratribus et Sororibus praefati Tertii Ordinis, sed etiam *ab omnibus Christifidelibus,* qui tali spirituali thesauro frui cuperent. En Rescriptum:

A Sua Santità

Beatissimo Padre,

Il P. Lodovico da Casoria Commissario Generale del Terz'Ordine del Serafico Padre S. Francesco, previo il bacio del Sacro piede, implora umil-

monte dalla S. V. che in tutti i luoghi, ove trovasi il Terz' Ordine canonicamente istallato giusta le Bolle Pontificie, in particolare in quella di Benedetto XIII, *Paterna Sedis* etc., confermata dalla S. V. con Rescritto dei 14 Aprile 1856 (vid. sup. n. 1340); nelle chiese, o cappelle assegnate ai professori di questo Terz' Ordine, o che essi vivano collegialmente, o separatamente nel secolo; nelle dette chiese o cappelle, nel dì 2 Agosto, si possano lucrare le indulgenze così dette della Porziuncola, non solo dai Fratelli e Sorelle del suddetto Terz' Ordine, ma ancora da ogni fedele, che volesse fruire di un tale spirituale beneficio.

Tanto domanda dalla benignità della S. V. il supplicante. E l' avrà a grazia specialissima.

Napoli la Palma, 5 Agosto 1865.

Die 16 Octobris 1865
Pro gratia in forma Ecclesiae consueta
Pius PP. IX.

Praesens Rescriptum, manu SSmi exaratum, exhibitum fuit in Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 17 Februarii 1879, juxta Decretum ejusdem S. C. In fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die et anno ut supra (1).

A. Panici, *Secretarius*.

1615. Ex eo quod hujusmodi Rescriptum non fuit exhibitum S. Congregationi Indulgentiarum, nisi die 17 Februarii 1879, consequitur ipsum publice minime viguisse ante eamdem datam. Decretum est enim ab eadem S. Congregatione sub die 28 Januariii 1756, approbante Benedicto XIV: *impetrantes posthac hujusmodi generales concessiones teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae exemplar earumdem concessionum ad Secretariam ejusdem S. Congregationis deferre* (Decr. auth. N. 371; *Raccolta*, pag. XXXI).

1616. Post editam Constitutionem *Misericors Dei Filius*, Rescriptum a P. Ludovico de Casauria obtentum magis divulgatum est, et inter Scriptores decertabatur super ejus vigore vel revocatione.

Fuerunt plurimi, qui pro Rescripti valore propugnabant, hac praecipue ducti ratione, quia Pontifex per laudatam Constitutionem revocat privilegia et indulgentias *ipsis Tertiariis* concessas, non autem privilegia et indulgentias *omnibus fidelibus* elargitas. Atqui Rescriptum Pii IX anni

(1) Vid. *Liber Tertii Ord. S. Franc. Assis.* Romae edit. tom. III, pag. 234; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XVI, pag. 356.

1865 est pro omnibus fidelibus. Ergo ipsum, sic arguebant, non comprehenditur in revocatione a Leone XIII facta.

Alii econtra demonstrabant, praedictum favorem pro omnibus fidelibus a Pio IX indultum, fuisse revera privilegium *Tertiariis* concessum. Nam *ipse Tertius Ordo,* ajebant, *est privilegiatus* in ecclesiis vel capellis publicis, ubi erecta reperitur Congregatio seu Sodalitium: Tertio Ordini fuit primario concessa gratia hujusmodi; fidelibus nonnisi secundario. Ergo dicendum, per Bullam Leonis XIII fuisse revocatum verbis illis efficacissimis: *sublatis penitus indulgentiis, privilegiisque universis.*

Sed est alia ratio, et quidem magni ponderis, quam defensores revocationis dicti privilegii protulerunt. In elencho Indulgentiarum plenariarum per memoratam Constitutionem *Misericors Dei Filius* Tertiariis saecularibus concessarum, reperitur in § IV indulgentia plenaria pro die 2 Augusti Tertiariis *dumtaxat* concessa, *semel, non autem toties quoties* lucranda, sub conditione ut visitent ecclesiam, ubi erecta est Congregatio. Jamvero, si privilegium a Pio IX concessum adhuc vigeret, ad quid illa indulgentia semel tantum lucranda? Non esset forsan prorsus inutilis! Dicendum ergo est privilegium illud fuisse a Leone XIII revocatum (Cf. *Nouv. Revue Théol.* tom. XX, pag. 178 et sqq.).

1617. Cum res ita se haberet, quaestio non poterat, nisi a S. Sede cum omnimoda certitudine resolvi; et resoluta est in sensu, quod privilegium a Pio IX anno 1865 concessum, fuerit pro Tertiariis saecularibus abrogatum. En casus (Acta Ord. Min. ann. VIII, pag. 68; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXI, pag. 51):

Beatissime Pater,

Petrus Eugenius Rougerie, Episcopus Apamiensis, sequens dubium Sacrae Indulgentiarum Congregationi proponit:

An ex Constitutione SSmi Domini Nostri Leonis Papae XIII, quae incipit *Misericors Dei Filius,* abrogatum sit privilegium, quo, uti asseritur, in ecclesiis, ubi erectae reperiebantur Congregationes Tertii Ordinis *saecularis* S. Francisci Assisiensis, acquiri poterat indulgentia de Portiuncula nuncupata?

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita suprarelato dubio respondit: *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis, die 12 Decembris 1888.

S. Card. VANNUTELLI, *Praef.*
ALEXANDER Episcopus Oensis, *Secret.*

Praedicta decisio confirmationem obtinet ex responso ad dubium XI, de quo hucusque egimus. Ex quo enim ecclesiis seu capellis, in quibus erectae sunt Tertiariorum Congregationes, negatur indulgentia Portiunculae

pro omnibus fidelibus, consequitur, privilegium a Pio IX concessum, esse revocatum pro Tertiariis *saecularibus*.

1618. Tertiarii ergo Franciscales, et *soli Tertiarii*, non autem ceteri fideles, acquirere possunt die 2 Augusti, adimpletis conditionibus praescriptis, *unam* indulgentiam plenariam, *visitando ecclesiam proprii Sodalitii*. Quod si Tertiarii commorentur in locis, ubi reperiuntur Conventus Fratrum Minorum, vel S. Clarae, vel Tertii Ordinis regularis, ipsis jus est, prout ceteris fidelibus, acquirendi indulgentiam Portiunculae *toties quoties* ecclesias dictorum Conventuum visitant.

In explanatione subsequentis responsi S. Congregationis ad dubium XII, videbimus, Tertiarios saeculares degentes in locis, ubi non existit ecclesia Franciscani Ordinis regularis, posse vi novae concessionis indulgentiam Portiunculae *toties quoties* lucrari, visitando ecclesiam *parochialem*.

1619. Et hic recordentur lectores, tam in Constitutione *Misericors Dei Filius*, quam in Decretis S. Congregationis Indulgentiarum sermonem esse de Tertiariis *saecularibus dumtaxat*, non vero de Tertiariis quae *collegialiter* seu *in communitate* vivunt, ut sunt ex. gr. plurimae piae et religiosae foeminae, quae sub regula Tertii Ordinis S. P. Francisci absque votis substantialibus degunt in secessibus, collegiis, conservatoriis etc. Ergo pro istiusmodi Tertiariis Rescriptum Pii IX a P. Ludovico de Casauria obtentum, non est revocatum; ac proinde earum ecclesiae seu capellae publicae gaudere pergunt indulgentia Portiunculae, toties *ab omnibus Christifidelibus* lucranda, quoties die 2 Augusti praedictas ecclesias visitant (Cf. Beringer, Append. II, pag. 32, et quae nos diximus n. 1341 et sqq.).

1620. Quamvis, uti narravimus, a S. Congregatione Indulgentiarum expedire non censeatur concedere indulgentiam Portiunculae ecclesiis seu capellis, in quibus erectae reperiuntur Congregationes Tertii Ordinis saecularis, tamen ex recentioribus ejusdem S. Congregationis declarationibus haec singularis gratia conceditur, si ecclesiae seu capellae praedictae sint *in proprietate Fraternitatum ejusdem Tertii Ordinis saecularis*. Id constat ex Rescripto ejusdem S. C. de die 4 Junii 1893, dato ad Rmum P. Procuratorem Generalem Ord. Min. Capuccinorum, qui postulaverat, « quatenus (Summus Pontifex) concedere dignetur, quod in ecclesiis seu capellis, quae sunt *in vera proprietate Fraternitatum Tertii Ordinis saecularis S. P. Francisci Assisiensis* non solum ipsi Tertiarii, sed et omnes fideles, servatis aliunde servandis, indulgentiam de Portiuncula nuncupatam, perinde ac si quamlibet aliam ecclesiam Franciscalem visitarent, lucrari possint et valeant ».

Et S. Congregatio de speciali gratia pro illo anno tantum 1893 « benigne indulsit, ut in omnibus praedictis ecclesiis, quae in *vera existunt proprietate Fraternitatum Tertii Ordinis saecularis* S. Francisci Assisiensis lucrari valeant (Christifideles) indulgentiam de Portiuncula nuncupatam, perinde ac si quamlibet Franciscalem ecclesiam visitarent... »

« In posterum vero eadem S. Congregatio mandavit, *ut memoratae ecclesiae, ad hoc ut perfruantur privilegio indulgentiae Portiunculae, singulae recurrant, exhibitis documentis comprobantibus eas esse in vera proprietate earumdem Fraternitatum Tertii Ordinis saecularis Franciscalis* » (Apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVI, pag. 484).

1621. Sodalitiis ergo Tertiariorum *in vera proprietate ecclesiam possidentibus,* singulare Portiunculae privilegium in posterum concedetur; non quidem modo generali, prout laudatus Procurator Generalis petierat, sed sub conditione ut *singulae Fraternitates postulent* sive recurrant *et simul documenta exhibeant* comprobantia praedictas ecclesias esse in vera proprietate earumdem Fraternitatum Tertii Ordinis saecularis Franciscalis.

1622. Praefato Rescripto S. Congregationis pervulgato, Fraternitates *Sororum* Tertii Ordinis saecularis civitatum Massiliae, Claromontis et S. Stephani illico recursum ad S. Sedem habuerunt, et jam privilegio Portiunculae gaudent. Eamdem gratiam obtinuerunt *Fratres* Tertii Ordinis saecularis in praedicta civitate Massilia existentes, et praestat ad notitiam et pro certa quadam regula integrum Rescriptum afferre (*Nouv. Rev. Théol.* loc. cit. pag. 486).

Bme Pater. — Rector ecclesiae seu capellae Fraternitatis (Fratrum) Tertii Ordinis saecularis S. P. Francisci civitatis Massiliensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, requisitam attestationem de proprietate ac manutentione praefatae ecclesiae porrigit, et proinde Rescriptum concessionis indulgentiae de Portiuncula nuncupatae quotannis lucrandae sub die 2 Augusti humiliter expostulat.

Et Deus...

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, de speciali gratia attentisque litteris Rmi Episcopi loci testantibus praedictam ecclesiam seu capellam a Fraternitate Fratrum Tertii Ordinis S. Francisci vere et legitime possideri, benigne indulsit, ut Christifideles vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, memoratam ecclesiam seu capellam visitantes a primis Vesperis usque ad occasum solis diei 2 Augusti, ibique aliquamdiu orantes ad mentem Sanctitatis Suae, indulgentiam de Portiuncula nuncupatam, defunctis quoque applicabilem lucrari valeant.

Praesenti valituro quoadusque praefata ecclesia seu capella sub proprietate dictae Fraternitatis permanebit, absque ulla Brevis expeditione. — Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 7 *Junii* 1894.

Fr. Ignatius Card. Persico, *Praef.*
A. Archiep. Nicopolit., *Secret.*

1623. Postremo notamus, etiam ecclesiis *Tertii Ordinis Carmelitici* negatam fuisse indulgentiam plenariam *toties quoties* (ad instar Portiunculae) a Summo Pontifice Leone XIII jam concessam per Breve *Quo magis* de die 16 Maji 1892 *omnibus Christifidelibus visitantibus* die 16 Julii *quamlibet ex ecclesiis sive Fratrum sive Monialium universi Ordinis Carmelitidis.* Quoad hoc quaesitum fuerat: An etiam *ecclesiae Tertiariorum* ejusdem Ordinis, si publicae sint, censeantur comprehensae in dicto Brevi?

S. Congregatio Indulgentiarum die 21 Augusti 1892, respondit: *Negative* (*Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVI, pag. 150 ad 2^{m}).

1624. XII. *An expediat concedere Tertiariis saecularibus S. Francisci, ut lucrari valeant indulgentias tam omnibus fidelibus ecclesias Franciscales visitantibus concessas, quam illas quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae, ea conditione, ut ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi neque ecclesiae Franciscales primi, secundi aut Tertii Ordinis regularis, neque oratoria publica Tertii Ordinis saecularis aut alia ecclesia, in qua canonice erecta sit Congregatio Tertii Ordinis saecularis, existant?* — Resp. *Supplicandum SSmo pro gratia.*

Explanatio. S. Congregatio ad expositum dubium respondet: *Supplicandum SSmo pro gratia.* Quia vero Sanctitas Sua *petitas gratias in perpetuum benigne concessit,* ea formula aequivalet verbo: *Affirmative.*

Porro, quia, ut jam vidimus, per Constitutionem *Misericors Dei Filius* sublatae sunt penitus indulgentiae et privilegia universa, quae Tertio Ordini Franciscali Apostolica Sedes quocumque *vel tempore, vel nomine, vel forma* ante hanc diem concesserat, ac ideo etiam privilegium *communicationis* in revocatione comprehenditur, infertur Tertiarios saeculares non posse amplius, *vi praefatae Apostolicae Constitutionis,* in suis ecclesiis vel capellis, ubi erectum est Sodalitium, lucrari indulgentias, quae concessae sunt *omnibus Christifidelibus ecclesias Franciscales visitantibus.* Ad has consequendas Tertiarii quoque, ut ceteri fideles, ecclesias Ordinis Minorum visitare debent, *nisi per speciale indultum aliquid aliud a S. Sede concedatur.*

Item, in elencho Indulgentiarum noviter a Summo Pontifice Leone XIII praedictis Tertiariis concessarum, nonnullae sunt pro quarum lucro praescribitur, praeter alias conditiones, visitatio ecclesiae seu capellae publicae, in qua erectum reperitur Sodalitium.

1625. Quibus in memoriam revocatis, triplex casus dari potest respectu Tertiariorum saecularium:

1° Ut in aliquo loco existat tum ecclesia Franciscana vel Primi, vel Secundi, aut Tertii Ordinis regularis, tum oratorium publicum Tertii Ordinis saecularis aut alia ecclesia, in qua canonice erecta sit Congregatio ejusdem Tertii Ordinis saecularis.

2° Ut in aliquo loco existat *oratorium publicum praedicti Tertii Ordinis* aut alia ecclesia, in qua canonice erecta reperiatur Congregatio eorumdem Tertiariorum, *sed desit ecclesia alicujus Franciscani Ordinis regularis.*

3° Ut in loco non existat *nec ecclesia Franciscalis, nec oratorium publicum Tertiariorum* aut alia ecclesia, in qua cacanonice erecta sit Congregatio praefati Tertii Ordinis saecularis, *sed adsint Tertiarii ibi commorantes.*

Modo quaeritur, quid Tertiariis sit agendum in hujusmodi triplici casu ad assequendas indulgentias? Respondetur prout sequitur:

In primo casu, pro lucrandis indulgentiis, quae *ecclesiis Franciscalibus* pro omnibus fidelibus concessae sunt, Tertiarii debent, sicut ceteri fideles, *ipsam ecclesiam Franciscalem* visitare. Pro lucrandis vero indulgentiis, quae Tertiariorum sunt *propriae,* visitare debent ecclesiam seu oratorium publicum, *ubi sedes est Sodalitii.*

In secundo casu, quando nempe existit Congregatio Tertii Ordinis canonice erecta in aliqua ecclesia sive oratorio publico, *sed non extat in loco ecclesia Franciscana,* Tertiarii ad lucrandas indulgentias *proprias,* debent pariter ecclesiam seu publicum oratorium, *in quo Sodalitium erectum est,* visitare. Ad lucrandas vero indulgentias pro omnibus Christifidelibus *ecclesiis Franciscani Ordinis regularis* concessas, visitare debent ecclesiam *parochialem,* non Sodalitii, cui non conceditur privilegium communicationis.

In tertio casu, tam pro acquirendis indulgentiis *propriis,* quam pro lucrandis illis quae *ecclesiis Franciscani Ordinis regularis* sunt adnexae, Tertiarii debent sive sufficit eis visitare ecclesiam *parochialem.*

Et notandum, in ista concessione comprehendi etiam indulgentiam Portiunculae, cum haec quoque, inter omnes celeberrima, concessa sit omnibus Christifidelibus ecclesias Franciscales visitantibus, nec in indulto excludatur. Quare Tertiarii Franciscales sae-

culares die 2 Augusti, incipiendo a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, adimpletis conditionibus praescriptis, lucrari possunt *toties quoties* indulgentiam plenariam, visitando ecclesiam primi, vel secundi aut Tertii Ordinis regularis, si in loco existat; si non existat, visitando ecclesiam *parochialem,* prout dictum est pro acquisitione ceterarum indulgentiarum ecclesiis Franciscanis concessarum.

1626. XIII. *An Tertiarii saeculares S. Francisci degentes in locis, ubi nulla adsit eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio, recipere valeant Benedictionem papalem bis in anno eisdem concessam a quocumque Sacerdote, eo quod vel nequeant accedere, aut saltem difficilis sit accessus ad locum, in quo a Sacerdotibus debita facultate munitis praefatae Benedictiones impertiuntur?* Resp. *Negative.*

Explanatio. Ex benigna concessione Leonis PP. XIII Tertiariis Franciscalibus jus est recipiendi bis in anno Benedictionem papalem, quae nempe *nomine Summi Pontificis* impertitur, et quidem juxta formulam Benedicti XIV. Cum vero *secundum praedictam formulam talis Benedictio super populum effundatur,* ideo *non singulis seorsim Tertiariis, sed adunatae Congregationi danda est ab ipso ejus Praeside,* cui commissa intelligitur impertitio illius Benedictionis (1). Ex quo consequitur, quod illi Tertiarii qui degunt in locis, ubi nulla extat constituta Congregatio Tertii Ordinis, quique nequeunt nisi cum gravi incommodo accedere ad locum, in quo a Sacerdotibus *debita facultate* munitis praefatae Benedictiones impertiuntur, non possint praedictam Benedictionem papalem bis in anno recipere, maxime quia nequeunt eamdem recipere a quocumque Sacerdote, sed ab eo tantum, *qui debita praeditus est facultate,* qui, ut supponitur, deest in loco. Ast, hujus-

---

(1) Benedictio papalis bis in anno nuperrime, die 27 Aprilis 1895, concessa est etiam Oblatis sive Tertiariis Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis primitivae Observantiae, sub conditione tamen quod haec Benedictio neque in eodem die, neque in eodem loco impertiatur, ubi eam impertit Episcopus. Item eisdem Oblatis *una simul coadunatis* (prout in recipienda Benedictione papali), sive etiam privatim a proprio Confessario *in actu Confessionis,* accipere possunt Absolutionem seu Benedictionem cum adnexa indulgentia plenaria diebus festis Purificationis B. M. V.; SS. Apostolorum Petri et Pauli; nec non Exaltationis S. Crucis, adhibita formula praescripta pro Tertiariis saecularibus (Decr. S. C. Indulg. die et anno ut supra; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVII, pag. 474).

modi privationi clementer providet Apostolica Sedes in responsione ad dubium sequens.

1627. XIV. *An saltem expediat praedictis Tertiariis Franciscalibus saecularibus, bis in anno, loco Benedictionis nomine Summi Pontificis recipiendae, duas alias Absolutiones seu Benedictiones concedere cum adnexa plenaria indulgentia?* Resp. *Supplicandum SSmo pro gratia.*

Explanatio. SS. D. N. Leo PP. XIII preces S. Congregationis Indulgentiarum clementer excipiens, petitam gratiam in dubio expositam in perpetuum benigne concessit. Quapropter Tertiarii Franciscales saeculares commorantes in locis, ubi nullum reperitur erectum Sodalitium Tertii Ordinis, quique nonnisi difficulter possunt ad locum se conferre, in quo rite impertiatur Benedictio papalis, *loco hujus Benedictionis* bis in anno, recipere possunt *duas alias Absolutiones generales* cum adnexa indulgentia plenaria. Vi talis concessionis omnes Tertiarii sive dispersi sive uniti in loco ubi erectum reperitur Sodalitium, aequiparantur quoad numerum indulgentiarum lucrandarum. Nam tam Benedictioni papali, quam Absolutioni generali aeque *indulgentia plenaria* adnexa est.

1628. XV. *Ex Constitutione* « Misericors Dei Filius » *Tertiarii Franciscales gaudent indulgentiis Stationum Urbis. Jam vero ex opere, cui titulus* « Raccolta di Orazioni e pie opere ecc. », *ad acquirendas indulgentias stationales praeter conditiones consuetas sincerae contritionis, Confessionis et Communionis* « a seconda delle indulgenze da lucrarsi » *sufficit visitatio solius ecclesiae ubi est vel supponitur esse Statio. Quaeritur, utrum hoc etiam valeat pro indulgentiis Stationum, quae in supradicta Constitutione Tertiariis conceduntur, ita ut a Tertiariis sit peragenda Confessio et Communio suscipienda eo tantum in casu, quando concessa est indulgentia plenaria, non vero quando concessa est partialis?* Resp. *Affirmative.*

Explanatio. Tertiariis Franciscalibus a Leone PP. XIII concessum est, ut diebus Stationum in Missali Romano designatis, *visitando ecclesiam in qua Sodalitii sedes est constituta,* acquirere possint easdem indulgentias, quibus in Urbe gaudent Romani et exteri, visitando ecclesias stationales. Modo quaeritur, an conditiones ad easdem indulgentias lucrandas sint *eaedem* tam pro Tertiariis ecclesiam proprii Sodalitii visitantibus, quam pro ceteris fidelibus ecclesias stationales adeuntibus?

Et respondetur: *Affirmative.*

Unde sequitur, quod si indulgentia sit plenaria, conditiones pro ea lucranda sunt *Confessio, Communio, ecclesiae visitatio cum precibus* ad intentionem Summi Pontificis. Si vero indulgentia sit partialis, sufficit *ecclesiae visitatio* corde contrito peracta *cum precibus* ut supra.

1629. XVI. *Utrum, demptis Tertiariis saecularibus S. Francisci et Servorum B. Mariae Virginis, quibus per Constitutionem* « Misericors Dei Filius » *et Rescriptum diei* 15 *Decembris* 1883 *respective provisum est, Tertiarii saeculares aliorum Ordinum gaudeant communicatione indulgentiarum sive cum respectivo Ordine, ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus?* Resp. *Negative, nisi constet de speciali indulto.*

Explanatio. Tam Tertiariis saecularibus S. P. Francisci per Constitutionem *Misericors Dei Filius,* quam Tertiariis Servorum B. M. Virginis *per Rescriptum diei* 15 Decembris 1883, respective provisum est quoad privilegia et indulgentias quibus modo gaudent.

Dicitur: *etiam Tertiariis Servitarum fuisse provisum.* Et revera sciendum est, Rmum P. Priorem Generalem Ordinis Servorum B. M. V., post editum Decretum Goritianum (vid. n. 1610), quo declarabatur *Tertium Ordinem Franciscalem non gaudere communicatione privilegiorum,* petiisse a Summo Pontifice novas indulgentias favore suorum Tertiariorum. In supplici libello ajebat: *Quod spectat ad indulgentias ad dictos Tertiarios pertinentes, Orator exponit eos, usque ad praesens, non aliis indulgentiis usos fuisse praeter illas, quae propriae sunt primi et secundi Ordinis Servorum Mariae, idque per communicationem. Verum, quia hujusmodi communicationis nullum invenitur documentum authenticum, et idcirco dubia et incertitudines oriuntur* etc.

Per supradictum Rescriptum novae indulgentiae conceduntur: *sublatis penitus indulgentiis et privilegiis,* quibus Tertiarii Ordinis Servorum B. M. V. sive per communicationem cum primo et secundo Ordine eorumdem Servorum, sive quocumque tempore, nomine et forma concessis ad hos usque dies gavisi dicuntur, *eademque communicatione, si qua forte existit, de medio ablata, abolita et abrogata* etc. (*Nouv. Rev. Théol.* tom. XXV, pag. 277; vid. Summar. Indulg. penes *Rescr. auth.* pag. 646 et 668. N. 431).

1630. Post eamdem decisionem Goritianam, Ordo Carmelitarum Discalceatorum supplicavit Summo Pontifici, ut Tertiarii sui Ordinis bis in anno Benedictionem papalem, et novies Absolutionem seu Benedictionem cum indulgentia plenaria accipere possint. Et Pontifex die 27 Februarii 1886 benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita, servatis de jure servandis (Nouv. Rev. tom. cit. pag. 278; et tom. XIX, pag. 278).

Tot igitur Benedictiones papales et Absolutiones generales concessae sunt Tertiariis Carmelitis, quot Tertiariis saecularibus S. P. Francisci. Dies assignati pro impertienda Absolutione generali sunt: Natali D. N. Jesu Christi; — die solemni Paschatis Resurrectionis; — Pentecostes; — SS. Corporis Domini; — in festo Purificationis B. Mariae Virginis; — Assumptionis ejusdem; — in festo S. Joseph Deiparae Sponsi; — in festo S. Teresiae Virginis; — in festo omnium Sanctorum Ordinis.

Illud est animadvertendum, hujusmodi gratias fuisse petitas et concessas non per viam communicationis cum Tertio Ordine Franciscali, sed *directe* et *immediate*.

1631. His praejactis, in dubio quaeritur, *utrum*, demptis Tertiariis S. Francisci et Servorum Mariae, quibus respective provisum est, et de quibus proinde nulla quaestio, *Tertiarii saeculares aliorum Ordinum gaudeant communicatione indulgentiarum sive cum respectivo Ordine, ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus?* Cui S. Congregatio respondit: *Negative, nisi constet de speciali indulto.*

Ex hoc responso facile deducitur, Tertiarios cujuslibet Ordinis *generali indulgentiarum communicatione* sive cum proprio respectivo Ordine, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus minime gaudere, sed illis tantum potiri, quae eisdem Tertiariis *directe* vel *aeque principaliter cum aliis* sunt concessae. Nihilominus S. Congregatio addit: *nisi constet de speciali indulto.* A praefata igitur responsione generali excipiendus esset casus, quo aliquis Tertius Ordo obtinuisset a S. Sede *per peculiare indultum* privilegium communicationis, quod quidem ad Ordines respective pertinet probare.

1632. *De privilegio speciali* constat respectu Tertii Ordinis S. Dominici, qui gaudet omnibus privilegiis et gratiis spiritualibus Primi Ordinis vigore specialis indulti a Pio VII eidem Tertio Ordini concessi sub die 6 Julii 1806. Ita refertur in opere cui titulus « *Analecta sacri Ordinis Praedicatorum* » anno II 1894, pag. 608, cujus haec sunt verba: « Juxta peculiare privilegium a Pio PP. VII benigno Protectore Ordinis Praedicatorum elargitum sub

die 6 Julii 1806, et nuperrime Sacrae Congregationi Indulgentiarum in monumento originali et authentico exhibitum et recognitum, Tertio Ordini S. Dominici competunt omnia privilegia, gratiae spirituales, favores, exemptiones, immunitates etc. primi Ordinis, *dummodo jurisdictioni Ordinariorum non adversentur* ».

1633. XVII. *Utrum tuta sit opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis, ceteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur?* Resp. *Negative, imo falsa.*

Explanatio. Praemittendum, communicationem privilegiorum et indulgentiarum duplici modo fieri posse:

1° *Absolute, plene* et *perfecte,* et hoc evenit, quando privilegium alicui personae vel communitati concessum, ita alteri communicatur, ut per se independenter ab alio frui possit privilegio, perinde ac si ei prius specialiter concessum fuisset. Tale privilegium dicitur etiam *ad instar,* vel *pariformiter,* seu *aeque principaliter.*

2° *Imperfecte, relative,* seu *accessorie,* et hoc accidit, quando privilegium extenditur ad alios non propter se, sed ob connexionem quam habent cum aliis, qui antea eo privilegio gaudebant.

Inter utrumque communicandi modum hoc interest discrimen, quod in priori privilegium stat et perseverat, quamvis minuatur vel revocetur privilegium illi, cui prius concessum fuit. In posteriori, privilegium communicatum sequitur vicissitudines primarii privilegii: est enim ab hoc dependens. Quare si augeatur vel minuatur sive revocetur privilegium in iis, quibus fuit primo concessum, augetur, diminuitur et revocatur etiam in omnibus aliis, quibus *accessorie* fuit communicatum (Vid. n. 1362).

Jam vero contra hanc doctrinam, quae inter celebriores canonistas est communis, extat opinio, quae docet: Revocatis a Summo Pontifice indulgentiis pro Ordine communicante, ceteri quibus illae per communicationem *accessorie* factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergunt, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur. Haec opinio a S. Congregatione in responso ad dubium XVII declaratur non solum ut *non tuta,* sed etiam *falsa.*

Ex hoc etiam infertur, Tertiarios saeculares cujusvis Ordinis illis tantum frui indulgentiis, quae sibi directe vel aeque principaliter cum aliis concessae fuerunt, dummodo non sint revocatae,

prout expresse declaratum est in responso ad dubium XVIII, quod est sequens.

1634. XVIII. *Utrum Tertiarii saeculares cujusvis Ordinis indulgentiis tantum gaudeant, quae sibi directe concessae fuerunt, vel aeque principaliter cum aliis concessae fuerunt, dummodo non sint revocatae?* Resp. *Affirmative.*

Explanatio. Haec responsio S. Congregationis clarissima est, et ex iis quae nos adjecimus super responsis ejusdem S. Congregationis ad XVI et XVII dubium, jam est explanata. Dictum est enim, Tertiarios omnes cujuslibet Ordinis generali communicatione indulgentiarum sive cum proprio Ordine, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus, nisi alioqui constet de speciali indulto, minime gaudere, *sed illis tantum frui, quae iisdem Tertiariis directe vel aeque principaliter cum aliis concessae fuerunt,* et quidem *dummodo non sint revocatae.*

ARTICULUS X.

INDULGENTIAE TERTIO ORDINI SAECULARI S. P. FRANCISCI CONCESSAE.

1635. In Constitutione *Misericors,* quam supra retulimus, continetur *Index* Indulgentiarum Tertio Ordini Franciscali concessarum. Hujusmodi Indici seu Summario adjungendae sunt indulgentiae illae, quae acquiri possunt ab omnibus Christifidelibus ecclesias Franciscales primi vel secundi Ordinis certis diebus visitantibus. Ilae siquidem lucrifieri semper possunt a Tertiariis Franciscalibus vel visitando ecclesias Franciscales, si quae sint in loco; vel ecclesiam *parochialem,* si ecclesia Franciscalis non reperiatur in loco, ubi commorantur. Non est opus hic transcribere hujusmodi indulgentias: catalogum enim indulgentiarum ecclesiis Franciscani Ordinis concessarum retulimus sub n. 1469, et ad eum remittimus lectores.

Insuper Tertiariis Franciscalibus a Summo Pontifice Leone XIII concessum est *ad quinquennium,* ut lucrari possint indulgentias, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis fruitur, ut patet ex sequenti Brevi:

BREVE APOSTOLICUM,

Quo Summus Pontifex Leo XIII Tertiarios saeculares Franciscales admittit per quinquennium *ad participationem indulgentiarum ac bonorum operum, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet.*

LEO PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum dilectus filius Bartholomaeus a S. Donato Commissarius Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis, in Coenobio de Aracoeli almae hujus Urbis Nostrae degens, suo et universorum dicti Tertii Ordinis confratrum ac consororum nomine, enixas Nobis preces humiliter adhibuerit, ut Tertiariis utriusque sexus, ubique terrarum existentibus, omnes et singulas indulgentias ac spirituales gratias communicare velimus, quibus Ordinis Franciscalis Fratres Monialesque gaudent, Nos quibus nihil antiquius, quam ut tam frugifera Societas, conspicuis in rem catholicam meritis praeclara, uberiores capiat in Domino fructus, simul animum intendentes in spirituale emolumentum dictorum Sodalium, votis hujusmodi annuendum existimavimus.

Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus Auctoritate confisi, omnes et singulos nunc et pro tempore utriusque sexus fideles, ubique terrarum in Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis legitime adlectos, tum quoad vitam vixerint, tum post obitum, servatis quae serventur opus est, ac dummodo respective quae pro iis lucrifaciendis pietatis opera injuncta sunt rite praestiterint, Apostolica Nostra Auctoritate vi praesentium, indulgentiarum ac piorum operum quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet, participes esse volumus, edicimus, ac mandamus.

Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus *ad quinquennium* valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis,

manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 7 Julii 1896, Pontificatus Nostri anno decimonono.

Pro Dno Card. DE RUGGIERO,
NICOLAUS Subs. MARINI.

Vigore igitur hujus Apostolici Brevis Tertiarii saeculares S. P. Francisci participes facti sunt (1).

1° Indulgentiarum quae sunt adnexae Stationi SS. Sacramenti (Vid. n. 1396 et sqq.).

2° Indulgentiae plenariae adnexae recitationi coronae Franciscanae (Vid. n. 713).

3° Indulgentiae plenariae adnexae Absolutionibus generalibus, quibus fruitur Ordo Seraphicus (Vid. n. 1417 et sqq.).

Ex hucusque expositis collige, tres indulgentiarum concessiones a Summo Pontifice Leone XIII factas fuisse Tertio Ordini saeculari S. P. Francisci :

1. per Constitutionem *Misericors Dei Filius* die 30 Maji 1883 (Vid. n. 1518, Index Indulgentiarum);

2. per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 31 Januarii 1893 (Vid. n. 1590 ad XII dubium);

3. per Breve Apostolicum die 7 Julii 1896 supra relatum.

In prima concessione habentur indulgentiae praefato Tertio Ordini directe concessae, quae proinde ejusdem Ordinis propriae sunt.

In secunda concessione Tertiariis Franciscalibus jus tributum est, ut in illis locis, in quibus desunt ecclesiae Franciscani Ordinis regularis, lucrari possint indulgentias omnibus Christifidelibus easdem ecclesias visitantibus concessas, *visitando ecclesiam parochialem,* in qua quidem concessione, quae proculdubio *magnum privilegium constituit,* indulgentia quoque de Portiuncula comprehenditur.

In tertia concessione iidem Tertiarii participes facti sunt indulgentiarum, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet.

---

(1) Praecipuas, non vero omnes indulgentias commemorare intendimus.

Ex his concessionibus duae priores sunt *perpetuae,* postrema est *temporanea,* nempe *per quinque annos,* quibus elapsis privilegium cessat, nisi alioqui Summus Pontifex illud confirmare dignabitur.

Interim probe advertatur, Tertiarios Franciscales tam magno indulgentiarum thesauro esse nunc ditatos, ut nihil amplius ipsis desiderandum superesse videatur. Meminerint tamen confratres nostri Tertiarii, se non debere ad indulgentias tantum respicere, sed etiam, imo praecipue, ad nobilitatem et sanctitatem Instituti. Indulgentiae in praesenti casu non substantiam rei constituunt, sed potius quid accessorium et secundarium sunt. Ipsae augeri vel minui possunt, quin ipsa excellentia Ordinis ullo modo mutetur. Indulgentiae, quibus Tertius Ordo Franciscalis a S. Sede ditatus est, sint pro omnibus Christifidelibus incitamenta ad se adscribendos huic sanctae militiae, et pro sodalibus stimulus ad regulae observantiam et ad propriam sanctificationem.

Illud Franciscalibus omnibus, sed Tertiariis praesertim exequendum superest, ut Summo Pontifici Leoni XIII Tertii Ordinis gloriae immortali, ex intimo cordis gratias referant, fervidissimisque precibus Deum exorent, ut sapientissimum Ecclesiae Pastorem ad plurimos adhuc servet annos in totius catholicae Ecclesiae bonum, ipsiusque humanae societatis universae utilitatem.

ARTICULUS XI.

CONSPECTUS RERUM NOTABILIUM.

1636. 1° Origo Tertii Ordinis.

Seraphicus Pater S. Franciscus instituit Tertium Ordinem pro fidelibus saecularibus dumtaxat.

Decursu temporis status diversi Tertiariorum et Tertiariarum exorti sunt.

2° Summus Pontifex Leo XIII Tertium Ordinem Franciscalem amplissimis laudibus extollit, ejusque propagationem commendat, regulam Tertii Ordinis moderatur, privilegia et indulgentias eidem antea concessas revocat, et novas concedit.

Affertur integra Constitutio Apostolica *Misericors Dei Filius,* cum regula, et indulgentiis ac privilegiis Tertio Ordini de novo

concessis. In laudata Constitutione comprehenditur tantum Tertius Ordo Franciscalis, qui *saecularis* dicitur: ideo pro Tertiariis, qui vel quae in Communitate vivunt, nihil est innovatum per dictam Constitutionem.

3° Habitus Tertii Ordinis saecularis est tum vestis totalis, tum parvum scapulare cum cingulo.

4° Tertius Ordo saecularis S. Patris Francisci est verus et proprius Ordo. Tertiarii propria veste induti sive incedant sub propria cruce, sive sub cruce Fratrum Minorum gaudent praecedentia super quascumque laicales Confraternitates et Archiconfraternitates.

Inter varias Tertii Ordinis Sodalitates, praecedentia de jure communi desumitur a die canonicae erectionis Sodalitii.

Praecedentia tamen quoad Tertiarios competit *non personis, sed Congregationi prout est corpus morale.*

Jura Tertii Ordinis Franciscalis quoad funera.

5° Privilegium altaris Tertiariis saecularibus concessum.

Sacerdotes saeculares Tertio Ordini Franciscali adscripti uti possint Breviario et Missali Fratrum Minorum.

6° Indulta pro sodalibus infirmis, vel in carcerem inclusis, aut alio legitimo impedimento detentis.

7° Suprema directio Tertii Ordinis ad Praelatos primi et Tertii Ordinis regularis pertinet. Director et Visitator.

Superiores Ordinis S. Francisci libenter concedunt amplas facultates relate ad Tertium Ordinem Sacerdotibus illas postulantibus. Transcribitur tenor litterarum patentalium.

Admissio in Tertium Ordinem, annus Novitiatus et professio.

Superiores regulares Franciscales dispensare nequeunt super praescripto Novitiatu sive in toto sive in parte, exceptis iis qui in periculo mortis sunt constituti.

Admissio fidelis in Tertium Ordinem *sejunctim,* quin ad aliquam Congregationem pertineat, valida est; ita etiam professio.

8° Preces Tertiariis ecclesiasticis et Tertiariis laicis praescriptae.

9° Tertiarii recipere possunt Benedictionem papalem bis in anno. Tertiariis jus est recipiendi Benedictionem cum indulgentia plenaria seu Absolutionem generalem novies intra annum, diebus statutis in Bulla *Misericors.* In impertienda Benedictione cum indulgentia plenaria adhibenda est formula a Leo XIII constituta.

Tam Benedictio papalis, quam Benedictio cum indulgentia plenaria *publice* impertiendae dari debent ab ecclesiastico viro, qui Tertiariis in id coadunatis praeest.

Tertiarii legitime impediti adire ecclesias ad recipiendam Absolutionem generalem diebus adsignatis, qui profesti sunt, accipere eam possunt aliquo die festo de praecepto, qui intra octiduum eorumdem profestorum dierum occurret.

Tertiarii praedictam Absolutionem generalem recipere possunt etiam in Vigilia, non tamen publice, sed privatim, nempe post expletam sacramentalem Confessionem, et quidem in loco ubi auditur Confessio, et hoc etiamsi quis non indigeat Confessione pro acquirenda indulgentia.

10° Affertur Decretum S. Congregationis Indulgentiarum de die 31 Januarii 1893, quo octodecim dubia relate ad Tertium Ordinem Franciscalem resolvuntur, cujus summa haec est:

I. Tertius Ordo Franciscalis non subjacet legi a Clemente VIII in Bulla *Quaecumque* statutae, qua praecipitur ut una tantum Confraternitas et Congregatio ejusdem nominis et instituti erigi possit in singulis civitatibus et oppidis. Quare in eodem loco plura Sodalitia seu Congregationes Tertii Ordinis erigi possunt.

II. Ad erigendam novam Congregationem Tertiariorum sive in ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiritur consensus Ordinarii loci.

III. Episcopus loci visitare potest Tertiariorum Congregationes etiam in ecclesiis Regularium, non tamen quoad ea *quae ad disciplinam et directionem internam spectant,* sed quoad ea quae respiciunt administrationem bonorum, adimplementum onerum, manutentionem *proprii* altaris vel capellae etc.

IV. Religiosi qui professionem jam emiserant in proprio Instituto approbato vel a S. Sede vel ab Ordinario loci ante Decretum Veronense diei 16 Julii 1886, et jam Tertio Ordini adscripti reperiebantur, post praefatum Decretum non amplius pertinent ad eumdem Tertium Ordinem, nec proinde ejus gratiis et privilegiis gaudent. Quocirca Decretum Veronense, quo declaratum est « *omnes utriusque sexus, qui sunt membra alicujus Instituti vel Congregationis, aut a Summo Pontifice aut ab Episcopo approbatae, in qua vota emittuntur sive perpetua sive ad tempus, non posse adscribi in Tertium Ordinem S. Francisci Assisiensis* », vim habet retroactivam.

V. Tertiarii Franciscales saeculares, ingredientes religiosum aliquod Institutum, non tenentur *ante professionem* dimittere habitum Tertii Ordinis, et ideo pergunt usque ad dictam professionem frui ejusdem gratiis et privilegiis.

VI. Veronense Decretum vim legis habet etiam pro Tertiariis ceterorum Ordinum, puta Ordinis S. Dominici, SS. Trinitatis etc. Ideo quod dictum est de Tertio Ordine Franciscali, ceteris Ordinibus Tertiis applicari debet.

VII. Christifideles, qui ad unam Congregationem Tertiariorum pertinent, transire possunt, *ex rationabili causa,* ad aliam pariter erectam in eodem vel alio loco, quin indulgentias et privilegia amittant.

VIII. Tertiarius Franciscalis non potest, *generatim,* transire ad alium Tertium Ordinem alterius Regulae, ex. gr. ad illum S. Dominici etc. et vicissim.

IX. Nemo potest ad plures Tertios Ordines simul pertinere, et si quis ante Decretum Veronense pluribus Ordinibus Tertiis reperiebatur adscriptus, debet unum tantum eligere juxta propriam devotionem. Praefatum enim Decretum vim habet retroactivam.

X. Privilegia et indulgentiae directe et speciatim primo et secundo Ordini S. Francisci concessa non extenduntur ad Tertium Ordinem, qui proinde cum illis non communicat in privilegiis et indulgentiis.

XI. Indulgentia Portiunculae *toties quoties ab omnibus Christifidelibus* acquirenda, non est concessa ecclesiis, in quibus erectae sunt Congregationes Tertii Ordinis saecularis S. Francisci.

XII. Tertiarii tamen degentes in locis, in quibus non extant ecclesiae Franciscales, lucrari possunt omnes indulgentias, comprehensa illa de Portiuncula, omnibus fidelibus praedictas ecclesias Franciscales visitantibus concessas, *visitando ecclesiam parochialem.* Et quoad Tertiarios commorantes in locis, ubi desit ecclesia, in qua canonice erecta sit Congregatio Tertii Ordinis, *indulgentias etiam Tertii Ordinis proprias* consequi possunt, visitando dictam ecclesiam parochialem.

XIII. Tertiarii degentes in locis, ubi non reperitur Tertiariorum constituta Congregatio, recipere nequeunt bis in anno Benedictionem papalem a quocumque Sacerdote, nisi accedant ad locum, in quo a Sacerdote debita facultate munito praefatae Benedictiones publice impertiuntur.

XIV. Leo PP. XIII praedictis Tertiariis sejunctis, qui difficulter accedere possunt ad locum, ubi rite impertitur Benedictio papalis, benigne concessit, ut loco ejusdem Benedictionis recipiendae, recipere possint duas alias Absolutiones generales seu Benedictiones cum adnexa indulgentia plenaria.

XV. Conditiones a Tertiariis servandae pro lucrandis indulgentiis Stationum Urbis, sunt eaedem ac illae quae adimpleri debent ab omnibus Christifidelibus.

XVI. Non solum Tertiarii saeculares S. Francisci et Servorum B. Mariae Virginis, quibus respective provisum est, sed etiam Tertiarii saeculares aliorum Ordinum minime gaudent communicatione indulgentiarum sive cum respectivo Ordine, ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus, *nisi id constet de speciali indulto.*

XVII. Non solum non tuta, sed potius falsa est opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis, ceteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergunt, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigatur.

XVIII. Tertiarii saeculares cujusvis Ordinis iis tantum indulgentiis gaudent, quae sibi directe concessae fuerunt, vel aeque principaliter cum aliis, dummodo non sint revocatae.

11° Indicantur summatim indulgentiae, quibus Tertiarii Franciscales saeculares gaudent.

12° Leo PP. XIII, Brevi diei 7 Julii 1896, concessit et voluit, ut Tertiarii saeculares Franciscales sint participes *per quinquennium* indulgentiarum ac piorum operum, quibus primus et secundus Ordo Franciscalis pollet, et affertur Breve per extensum.

CAPUT IV.

DE CONFRATERNITATIBUS IN GENERE.

Praeter Ordines regulares, Congregationes religiosas, ac Tertios Ordines saeculares, alii existunt in Ecclesia Dei coetus, qui specialem tractationem expostulant. Hi coetus constituuntur ab illis piis Societatibus, quae juxta peculiarem earum formam diversimode appellantur, videlicet Confraternitates, Sodalitates, Congregationes, Associationes, Uniones, Pia Opera etc. Oportet de istis cognoscere originem, scopum, praesertim vero praescriptiones Ecclesiae quoad earum erectionem, aggregationem, conditiones pro lucro indulgentiarum, directionem, relationes cum Episcopis, cum Parochis, cum aliis piis Associationibus etc. Quam sit necessarium, ut ii, qui quomodolibet hujusmodi piis Societatibus praesunt, praedictas regulas seu praescriptiones probe calleant, ex eo patet quod his non observatis, fideles adscripti, non propria sed alterius culpa, privarentur illis indulgentiis, quae a Summis Pontificibus fuerunt eis speciatim concessae. Plures enim ex iis praescriptionibus sub nullitatis poena servandae sunt. In hoc ergo tractatu regulas *generales,* communes nempe omnibus piis Sodalitatibus, fuse potius expendemus.

ARTICULUS I.

NOTIO CONFRATERNITATUM PIARUMQUE ASSOCIATIONUM.

Ut clara et plena notitia de Confraternitatibus haberi possit, examinare oportet earum definitionem, divisionem, differentiam ab aliis piis Associationibus, et originem.

§ I.

DEFINITIO ET DIVISIO CONFRATERNITATUM.

1637. Confraternitates, ait P. Theodorus a Spiritu Sancto, quae conjunctionem in fraternitate sonant, sicut consanguinitas conjunctionem in sanguine... *fidelium sunt congregationes in unum quandoque convenientium ad quaedam pietatis officia obeunda, ecclesiastica auctoritate institutae: et ideo ecclesiasticae ac religiosae dicuntur* (Tract. dogmat. moralis de Indulg. pars II, pag. 116).

Quamobrem Societates *saecularibus negotiis ac commerciis* dumtaxat addictae inter Confraternitates numerari non debent. Similiter fidelium coetus *a Laicis* quacumque dignitate fulgentibus ordinati ad pietatis opera exercenda, possunt quidem *piae Congregationes* vocari, ut observat Barbosa, secus vero Confraternitates, quae *ecclesiasticae et religiosae sunt.* Ad inducendam enim in Societatibus has qualitates nihil praestant aut praestare valent saeculares, sed *episcopalis auctoritas necessaria est* (Loc. cit.).

1638. Confraternitates, *ratione membrorum* quibus constant (nempe ex personis laicis saltem in majori parte), dicuntur *laicales,* et per hanc voculam distinguuntur a clero saeculari et regulari. Ratione *fundationis* dicuntur *ecclesiasticae,* quatenus a legitima auctoritate ecclesiastica erectae sunt. Et quia ad exercenda opera pietatis, charitatis, misericordiae et religionis institutae sunt, ideo etiam *religiosae* vocantur.

1639. Dantur etiam, ut verbis clarissimi P. Theodori jam diximus, societates *artificum, professorum, mercatorum, operariorum* etc., quae etiam habent vel habere possunt ecclesias vel oratoria, in quibus aliquando adunantur socii ad pietatis officia obeunda. Istiusmodi societates sunt confraternitates *pure et simpliciter laicales,* quae quidem dici possunt etiam *piae,* non vero ecclesiasticae et religiosae, cum eis desit erectio canonica, et earum finis *primarius* non sit exercitium alicujus operis pietatis et religionis (Cf. Barbosa, *Juris ecclesiastici universi,* lib. II, cap. 11, n. 66 et sqq.; Bassi, *Tractatus de Sodalitiis,* quaest. VIII).

1640. Advertendum est, notionem exhibitam de Confraternitatibus complecti dumtaxat Confraternitates *proprie dictas.* At praeter istas, dantur insuper multiplices aliae piae associationes ad

pietatis, charitatis et devotionis opera exercenda, quin necesse sit, ut earum membra in unum quandoque conveniant ad eadem pietatis officia explenda. Haec materia parum enucleata, processu tractationis, quoad per nos fieri potest, explicabitur.

1641. Confraternitates, seu *generalius* Sodalitia vel Sodalitates, esse possunt vel *universales* si pro universo Orbe catholico, vel *locales* sive *regionales* si pro certa tantum dioecesi aut regione canonice erectae sint (Cf. Decr. 26 Nov. 1880. N. 453. I, II).

1642. Inter Sodalitates distinguendae sunt illae quae *centrales* sunt ac *primariae*, quaeque proinde, juxta naturam cujuslibet respective, vocantur vel *Archiconfraternitates*, vel *Archisodalitates* aut *Congregationes primariae.* Istiusmodi societates *centrales* gaudent privilegio sibi aggregandi pias societates *ejusdem nominis et instituti,* eisdemque communicandi per factum legitimae aggregationis proprias respective indulgentias. Hae quoque esse possunt vel *universales* si pro toto Orbe, vel *locales* sive *regionales* si pro certa tantum dioecesi aut regione privilegio aggregandi gaudeant.

1643. Piae Societates distinguuntur in Sodalitia *strictiori, stricto* et *lato* sensu. Sodalitia *strictiori sensu* sunt constituta ad modum organici corporis, quae ideo *collegia* dici possunt, ut sunt proprii nominis Confraternitates. Sodalitia *stricto sensu* sunt illa, quae quin assurgant ad naturam collegiorum seu proprii nominis Confraternitatum, tamen in organica sui constitutione ad illas magis vel proxime accedunt. Sodalitia *lato sensu* sunt ea, quae simplicioribus gubernantur regulis, et quorum membra tenui vel fere nullo sociali vinculo colligantur, ut sunt plures piae Associationes, Aggregationes, Uniones ac Pia Opera. Sodalitia primi et secundi generis hoc habent proprium, quod soleant juxta proprias leges pro sodalium inscriptione certam aliquam habere formam cum aliqua solemnitate ac ritu, ut publica candidatorum petitio ac praesentatio, probatio aliqua et novitiatus, vel saltem impositio habitus, scapularis, cincturae etc. (Cf. Decr. cit. III).

1644. Quamvis praefata distinctio realiter existat inter veras Confraternitates et cetera Sodalitia, saepe tamen haud facile est in casibus particularibus eam certo dignoscere. Sed hoc in praesenti parum refert: siquidem *relate ad indulgentias,* de quibus nos agimus, non attenditur discrimen inter veras Confraternitates et pias Associationes. Regulae ipsae a S. Sede statutae aeque respiciunt tam

illas quam istas. Unde ipsa Sacra Indulgentiarum Congregatio docet, quod generatim *relate ad communicationem indulgentiarum* communes pro quavis Societate latae sunt leges, praesertim in Constitutione Clementis VIII *Quaecumque.*

Quinimo non raro accidit, ut Confraternitates promiscue nuncupentur Sodalitia, Congregationes, Piae Uniones, Pia Opera etc. prout e contrario Sodalitia, Piae Uniones, Pia Opera etc. vocantur aliquando Confraternitates, ut quisque videre potest in pluribus S. Sedis documentis. Speciminis gratia vide in *Decr. auth.* N. 158, 452 et 453; in *Rescr. auth.* N. 335, 412, nec non ibidem Summaria 28, pag. 455; 48, pag. 543; 49, pag. 549.

1645. Consequitur, ea, quae de Sodalitatibus exposituri sumus, respicere tum Confraternitates proprie dictas, tum ceteras pias Associationes, Uniones ac Pia Opera, *dummodo sint ab ecclesiastica auctoritate erectae,* ejusque vigilantiae et directioni continuo subjectae. Ideo autem haec restrictio apponitur, quia leges ab Ecclesia latae pro piis Sodalitatibus non applicantur illis Associationibus, quae licet piae sint, a Sacerdotibus directae, et indulgentiis ac privilegiis ditatae, non receperunt a Superioribus ecclesiasticis *canonicam erectionem,* sed tantum *simplicem approbationem.*

§ II.

DIFFERENTIA INTER VERAS CONFRATERNITATES ET ALIAS PIAS ASSOCIATIONES.

1646. Licet agendo de piis Sodalitiis necessarium non sit distinguere veras Confraternitates ab aliis piis Associationibus, eo quia generatim *relate ad communicationem indulgentiarum* communes pro quavis Societate latae sunt leges, tamen negari nequit maxime utile tum theoretice tum practice fore, si normae haberentur vel a legitima auctoritate statuerentur ad eas distinguendas, ut sic jus generale de piis Sodalitiis, magno numero aetate nostra auctis, melius sit determinatum ac definitum. Accedit quod pro indulgentiarum consecutione quaedam in Confraternitatibus proprie dictis requiruntur conditiones, quae in aliis piis Societatibus non requiruntur ex necessitate. Exemplum habes in inscriptione nominum sodalium in regesto Sodalitatis, quae quidem pro lucro indulgentiarum necessaria est, ut videbimus, in Confraternitatibus

proprie dictis, non autem ex necessitate requiritur in ceteris piis Associationibus. Addi etiam potest lex de non adscribendis *absentibus* ad pias Sodalitates, quae si in exceptionibus ab ejusdem observantia *strictiorem* se exhibet pro veris Confraternitatibus, *latior* est pro aliis piis Societatibus. Haec omnia ostendunt, quam utile sit, ne dicamus necessarium, secernere alias ab aliis.

Quapropter nos volumus nonnullas hic subjicere animadversiones, quae si non omnes discutiunt difficultates, lumen aliquod super materia afferre posse videntur.

1647. Porro impossibile esset veras Confraternitates (quae etiam *Confratriae,* vulgo *Compagnie* vel *Scholae* appellantur) ab aliis piis Associationibus distinguere, nisi de illis notio clara haberetur. Notio autem rei cujuslibet definitione exhibetur. Quid est ergo Confraternitas? Definitionem ex clarissimo Theodoro a Spiritu Sancto desumptam jam dedimus supra, n. 1637. Confraternitates, juxta vim nominis, important *conjunctionem in fraternitate,* sicut consanguinitas conjunctionem in sanguine. Ob professionem ejusdem fidei et ob vinculum ejusdem charitatis fit, ut spiritualis conjunctio enascatur inter Christifideles, qui proinde in Sacris Litteris vocantur *fratres* vel *confratres.* At in Societatibus, quae in Ecclesia proprio nomine vocantur *Confraternitates* , nova conjunctio arctiusque vinculum inter sodales inesse debet, quod quidem oportet ut patescat et exerceatur exterius per pia acta et opera *in communi* aliquando facta. Tunc quidem habetur et conspicitur conjunctio specialis in fraternitate. Ut autem haec conjunctio in fraternitate seu *Confraternitas* in sensu Ecclesiae habeatur, necesse est, ut auctoritate ipsius Ecclesiae in suo esse constituatur, ejusque directioni subjaceat, secus Confraternitas non esset *ecclesiastica,* de qua tantum sermo hic est. Quocirca Confraternitates recte describuntur a praelaudato P. Theodoro: Congregationes fidelium *in unum quandoque convenientium* ad quaedam pietatis officia obeunda, ecclesiastica auctoritate institutae.

1648. Joannes Baptista Bassi (Tractat. de Sodalitiis, quaest. 1, n. 7) ita de Confraternitatibus scribit: « Cumque Confraternitas significet *adunantiam personarum piarum* in ordine ad divinum servitium et opera pietatis, et ad hoc ut confratres in misericordiae et charitatis operibus se exerceant; idcirco ii sunt inter confratres adscribendi, qui sunt probi viri et timent Deum, ac charitate christiana fervidi » etc.

Audiatur etiam P. Augustinus Matthaeucci (*Officialis Curiae Ecclesiasticae,* cap. XIV. n. 1) Confraternitates ita definiens: «Nomine Confraternitatum (desumpta denominatione a Confratribus, hoc est A QUASI FRATRIBUS, *simul in pace et charitate* sub certis legibus respicientibus divinum cultum, *unitis*) veniunt *Collegia personarum* libere ad exercitia pietatis sub alicujus Sancti titulo et protectione exequenda congregatarum ».

1649. Relatis definitionibus attente perpensis, notio verae Confraternitatis non difficulter obtinetur. Confraternitas proprie dicta non erit, nisi fideles adscripti in unum quandoque conveniant ad pietatis officia per propria statuta praescripta, obeunda; nisi quandoque in pace et charitate congregentur in ordine ad divinum servitium et ad opera misericordiae, charitatis, sive pietatis exercenda.

Observa: *Ordo* quolibet *religiosus* est Fraternitas, et quidem strictiori sensu, et alumni sunt et vocantur *Fratres ;* cur ? quia sub eadem regula et statutis vitam communem ducunt, eumdem habitum induunt, iisdem pietatis, charitatis ac religionis operibus simul vacant.

Ordo quilibet, qui *Tertius* dicitur pro saecularibus institutus, est *Fraternitas,* et alumni sunt et vocantur *Fratres* vel *Confratres*; quare ? quia eamdem profitentur regulam, a S. Sede approbatam, eumdem habitum deferunt, et saepe *coadunantur* ad pia exercitia et sancta opera peragenda.

1650. Simili modo dicatur de piis Sodalitiis, quae sub nomine *Confraternitatum* veniunt. Ut Sodalitium aliquod sit et dici possit in proprio sensu *Confraternitas,* opus est ut ejus membra colligentur ita, ut *vera fraternitas* exurgat et Sodales denominari jure possint Confratres, id est *quasi fratres.* Ad id obtinendum requiritur, ut *in similitudinem* et ad *imitationem* Religiosorum Fratrum et Tertiariorum quandoque congregentur vel simul conveniant ad pietatis, charitatis et religionis opera exercenda.

1651. Et sane Confraternitates formam quam habent, ineunte saeculo XIII obtinuerunt, quae proinde coaevae fuerunt *Ordinibus Fratrum ;* et quemadmodum isti votis solemnibus obstricti in communitate congregabantur ad se sanctificandos proximosque juvandos, ita laicae personae efformarunt, quantum eorum conditio ferebat, *pias societates,* quae propriis statutis ac legibus regebantur, quaeque ecclesias et oratoria propria habuerunt, exercitiis pietatis,

misericordiae, mortificationis et poenitentiae se addicebant, et plerumque alicui Ordini religioso aggregatae, participes factae erant bonorum spiritualium ejusdem Ordinis; sacco insuper cum capucio induebantur et cinctura vel fune lumbos cingebant.

Nomen ipsum, quo Confraternitatum rectores nuncupabantur, *Guardiani* scilicet vel *Priores,* ac titulus *Fratrum (Fratelli)* omnibus sodalibus tributus, manifeste ostendunt *similitudinem,* quae inter Ordines Mendicantes et Confraternitates intercedit. Et hae sunt *veri nominis* Confraternitates seu Collegia.

1652. Tractu temporis aliae exortae sunt piae fidelium Societates, quarum plurimae quin naturam verae Confraternitatis attingant, similes aliquatenus ei sunt, et ad eam in organica sui constitutione plus minusve accedunt, eo fere modo, si liceat comparatio, quo post *Ordines Fratrum* cum votis solemnibus, plures enatae sunt *Congregationes religiosae* cum votis simplicibus, quae quin naturam eorumdem Ordinum vere regularium perfecte habeant, eisdem tamen similes sunt, proximeque accedunt. Insuper non paucae quoque prodierunt piae Associationes, quae cum veris Confraternitatibus comparatae, illico conspiciuntur ab earum natura valde recedere.

1653. Istiusmodi piae fidelium Societates diversa sortiuntur nomina: vocantur enim Sodalitates, Congregationes, Aggregationes, Uniones, Associationes, Pia Opera etc., et ex his plurimae nonnisi improprie appellarentur Confraternitates ob defectum ligaminis, conjunctionis, sive fraternitatis inter sodales. Cum enim eorum onera seu obligationes ad quasdam preces vel pium aliquod opus plerumque limitentur, ad quae adimplenda nec per se requiritur, nec per statuta praescribitur congressus adscriptorum, evenit, ut dicti sodales numquam vel fere numquam conveniant ad pietatis et religionis officia simul obeunda *in similitudinem fratrum.* Si ita res est, non videtur in praxi nimis difficile distinguere Confraternitates proprie dictas a ceteris piis Societatibus.

1654. Ad id facilius obtinendum sequentia observentur:

1. *Finis* piae Sodalitatis. Si finis seu scopus, quem sibi praestituit Sodalitas, talis sit ut ad eum consequendum realis adscriptorum unio necessaria sit, Sodalitas erit vera Confraternitas. Hinc *Archiconfraternitas amantium Jesu et Mariae* et *Confraternitas Devotorum Jesu Christi ad Calvarium,* inspecto solo fine, statim dignoscuntur ut verae Confraternitates, cum praecipuus earum

finis unionem sociorum expostulet. Finis enim in eo reponitur, ut confratres, humilibus saccis induti, *simul uniti* frequenter peragant pium exercitium Viae Crucis, quondam in amphitheatro Flavio *(Colosseo)*, ad quod processionaliter incedebant.

2. *Ritus* in admissione ad Societatem. Si in adscriptione fidelium praescribatur per statuta ritus quidam specialis fere solemnis, praesentibus sociis, per ingressum ad oratorium, ut in Archiconfraternitate SS. Stigmatum S. P. Francisci, *ex ipso ritu* natura Confraternitatis conjicitur.

3. *Habitus.* Si in statutis praescribitur induïtio specialis habitus seu vestis vel sacci non solum in receptione ad Sodalitatem, sed etiam in quibusdam ecclesiasticis functionibus intra annum, jam hoc indicat sodales *collegium personarum,* ac ideo veram Confraternitatem constituere. Hac ratione Sodalitia supra memorata ac illud SS. Sacramenti, ut verae Confraternitates illico cognoscuntur.

4. *Oratorium* seu *capella* vel *altare.* Quando pia aliqua Sodalitas propriam ecclesiam sive oratorium vel capellam aut altare possidet et propriis sumptibus manutenet, ubi consodales interdum ad preces effundendas et ad pia exercitia peragenda congregantur, dummodo sit legitime erecta, sine dubio Confraternitas est. In Urbe Roma et etiam extra, plurima inveniuntur oratoria, quae propria sunt Confraternitatum, quin opus sit ea describere. Etiam pia Sodalitia Scapularium, ut SS. Trinitatis, B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, septem Dolorum et de Mercede vel proprium oratorium vel altare habent, aut saltem *juxta propria statuta,* habere deberent assignatum. Hae igitur omnes, prout etiam illa SS. Rosarii, saltem *secundum primaevam institutionem,* sunt verae Confraternitates, eo vel magis quod sodales adscripti *ad imitationem Fratrum regularium* habitum seu scapulare gestant: parva enim scapularia *dictarum Confraternitatum,* in sua origine et institutione aliud non sunt, quam scapularia variis Ordinibus religiosis propria, pro majori fidelium commoditate ad parvam formam redacta (vid. n. 816).

5. *Processiones.* Sunt Sodalitia, quibus jus est ducendi processiones, ut illud SS. Rosarii, Chordigerorum etc. Ex hujusmodi jure etiam deducitur, Sodalitium esse veram Confraternitatem.

6. *Adunantiae* seu *Congregationes.* Ex Confraternitatis notione supra exposita eruitur, sodales illos qui juxta statuta aliquando

coadunantur ad quaedam pietatis officia simul obeunda, veram Confraternitatem efformare.

7. *Statuta.* Ex statutis non difficulter cognosci potest, an aliquod Sodalitium sit vera Confraternitas, vel pia Unio aut pium Opus. Si in iis praescribatur ex. gr. ritus solemnis in adscriptione fidelium, induitio specialis vestis in certis adjunctis, processio vel adunantia in determinatis anni diebus etc., Sodalitium hujusmodi erit Confraternitas.

1655. Quando e contrario Sodalitas aliqua ita sit constituta, ut nullum ex enuntiatis elementis in ea reperiatur, ejusque membra laxiori vel fere nullo vinculo inter se colligentur; quando Sodalitas nullam habet pro adscriptione sociorum formam ac caeremoniam praeter petitionem fidelis et acceptationem admittentis; quando demum pia Societas membris suis quasdam tantum preces vel certos pietatis ac religionis actus praescribit, ad quos adimplendos adscripti fideles nulla lege tenentur sese insimul in determinato loco aut tempore congregandi, sed peragere ea omnia possunt etiam singillatim, et quolibet loco ac tempore; tunc hujusmodi Sodalitas minime Confraternitas est.

Ex his omnibus collige: 1. Gestantes scapulare rubrum Passionis D. N. J. C., vel scapulare parvum SS. Cordis Jesu, aut caeruleum Immaculatae Conceptionis B. M. V., vel B. M. Virginis de Bono Consilio, sive scapulare S. Joseph (vid. de *Scapularibus in specie,* pag. 398 et sqq.) non constituere Confraternitatem, sed simplicem piam Unionem, cum onus adscriptis impositum in eo tantum consistat, ut scapulare continuo deferant et conditiones pro qualibet indulgentia praescriptas, si eam lucrari velint, fideliter pieque adimpleant. Ad haec autem implenda haud requiritur sodalium congregatio in loco.

2. Archisodalitatem Operis expiatorii in Gallia existentem, pium Opus Propagationis Fidei, a S. Infantia, pium Opus Terrae Sanctae etc., quae generatim aliud non praescribunt sodalibus, nisi certam eleemosynam et aliquam precem a quolibet singillatim peragendam, non esse veras Confraternitates.

3. Piam Unionem a S. Antonio Patavino nuncupatam, Romae in ecclesia eidem Thaumaturgo in Via Merulana dicata canonice erectam, non esse Confraternitatem, cum ex statutis nulla sit obligatio ut socii aliquando simul congregentur, nec pro admissione aliud requiratur, quam petitio fidelis et acceptatio recipientis.

4. Piam Unionem Immaculatae Conceptionis B. M. V. in ecclesia Aracoelitana de Urbe existentem, etsi pia Unio simpliciter nuncupetur, verae tamen Confraternitatis, ut nobis videtur, naturam exhibere, cum confratres in quibusdam anni festis saccis cum capucio induantur, processionibus quae in dicta ecclesia fiunt, propria veste induti intersint, quolibet anno semel vel pluries officiales congregentur ad tractanda piae Unionis negotia. Consorores quoque modesta veste indutae cum vitta *(nastro)* caerulei coloris circa collum usque ad pectus se protendente, in cujus extremitate numisma Immaculatae Conceptionis B. M. V. pendet, fere omnibus processionibus quae in dicta ecclesia ducuntur, intersunt.

1656. Si attendatur ad Statuta et Summarium Indulgentiarum Sodalitatum *Filiarum Mariae* sub patrocinio Virginis Immaculatae et S. Agnetis Virginis et Martyris, cujus Primaria Sodalitas reperitur canonice erecta in ejusdem S. Agnetis Basilica extra moenia Urbis (*Rescr. auth.* n. 51, pag. 556), videbitur, has Sodalitates *non quidem formam propriae dictae Confraternitatis habere,* sed eidem valde appropinquare. Sane Filiabus adscriptis concessae sunt indulgentiae quaedam sub certis conditionibus lucrandae, quae unionem, congregationem sive *adunantiam sodalium* requirunt; dicitur enim: *Dummodo* (sodales) *congregationibus, quae per mensem celebrantur, et in quibus divina officia et multa christianae pietatis opera fiunt, interfuerint;* item: *Si divinis officiis, concionibus, congregationibus, ad quas convenire solent consorores semel in hebdomada; vel spiritualibus colloquiis et exhortationibus moderatoris Sodalitatis interfuerint;* habetur etiam: *Si adfuerint congregationibus, in quibus agitur de admissione ac electione consororum ad dignitates, ceterisque negotiis Sodalitatis.* — Insuper ipsa puellarum in Sodalitatem receptio quamdam ritus solemnitatem exhibet: nam ad secretum Consilium, quod ex Directore et Officialibus constituitur, pertinet per vota secreta admittere tam *aspirantes* ut novitias, quam *ipsas Filias Mariae.*

Sodalitates Filiarum Mariae videntur in sua formali constitutione valde similes Congregationibus B. Mariae Virginis, quarum *Primaria* reperitur erecta in Collegio Romano Societatis Jesu.

Haec et alia, quae brevitatis gratia omittuntur, ostendunt hujusmodi pias societates proxime accedere ad formam et naturam Confraternitatum, etsi aptius vocentur *Congregationes.*

1657. Ursaya, tom. VIII, part. I, discept. XIII, n. 9, inter *Confraternitatem* et *Congregationem* hoc ponit discrimen:

Confraternitates sunt illae, quarum Confratres habent specialia vexilla et propria insignia, tenentur induere se saccis, et intervenire in processionibus ac aliis sacris functionibus propriae Confraternitatis. Congregationes vero econtra sunt privatae quaedam hominum adunantiae, qui privatim, de licentia tamen Ordinarii, congregantur in aliquo particulari et determinato loco, qui non sit ecclesia publica, ibique certis temporibus sua peccata confiteri et Eucharistiae Sacramento refici solent, nec non audire exhortationes et admonitiones alicujus Patris spiritualis, qui eos in rebus spiritualitatem concernentibus instruat; numquam vero hi figuram faciunt in processionibus publicis, nec saccis seu specialibus indumentis utuntur (Apud Acta S. Sed. vol. VIII, pag. 275 in nota).

Quo in loco laudatus Auctor describere videtur illas pias societates, quae proprie *Congregationes Marianae* nuncupantur, prout sunt illae, quae *Primae Primariae* Urbis aggregatae sunt, ac aliae illi similes, ut ex. gr. Sodalitates Filiarum Mariae. Quod autem proprium sit istarum Congregationum, ut earum membra adunentur in aliquo particulari loco, *qui non sit ecclesia publica,* ut dicit Ursaya, hoc ad naturam Congregationis non videtur necessarium.

Ex dictis collige, praecipuum characterem pro discernenda Confraternitate veri nominis a ceteris piis Associationibus in eo esse repositum, quod socii, juxta proprias regulas legitime approbatas, quandoque in unum *ad instar Fratrum regularium et tamquam confratres* congregentur ad religionis officia obeunda. Quocirca quaelibet pia Societas non erit Confraternitas proprie dicta, si sociis non adunentur aliquando *ut Fratres* ad specialia pietatis ac religionis opera peragenda. Erit autem Confraternitas proprie dicta, si sociis propria ac uniformi veste induti quandoque in unum conveniant, conventus celebrent, aut processiones ducant vel ad eas interveniant, Officium divinum vel parvum B. Mariae Virginis aut Defunctorum vel alias pias preces simul uniti recitent vel charitatis opera exerceant.

Quod si Sodales utriusque sexus adunentur simul in aliquo determinato loco, capella, oratorio sive ecclesia pro sacramentali Confessione peragenda et sacra Synaxi suscipienda, nec non ad audiendas sacras conciones, exhortationes et admonitiones P. Dire-

ctoris, quin tamen ulla lege adstringantur specialem sibi induendi vestem, pia haec Sodalitas ad Confraternitatis formam proxime quidem accedit, sed eam perfecte minime attingit, ideo congruentius *Congregatio* vocabitur. Ceterae omnes piae Societates, quae a praedictarum Sodalitatum forma plus minusve recedunt, aptius piae Uniones vel Associationes aut pia Opera appellantur.

1658. Modo quaeri potest, an praedictae piae Societates, quae ad formam et naturam verae Confraternitatis non assurgunt, comprehendantur in celebri Constitutione, quae incipit *Quaecumque,* a Summo Pontifice Clemente VIII lata, in qua sapientissimae regulae traduntur sub nullitatis poena servandae in *Confraternitatum* et *Congregationum* proprie dictarum erectione, in earumdem aggregationibus ad Archiconfraternitates, nec non in privilegiorum ac indulgentiarum sibi respective concessarum communicatione?

Respondemus breviter: *directe et per se* non videntur comprehendi. Nam in laudata Constitutione *Quaecumque,* nonnisi de Confraternitatibus et Congregationibus fit mentio, nimirum de collegiis vel quasi collegiis personarum; de aliis piis Unionibus et Associationibus, quarum membra latiori vel fere nullo vinculo inter se colligantur, nullum verbum in ea reperitur, quod illas quoque comprehendi indicet. Verumtamen *indirecte et inspecto fine,* ob quem edita est Constitutio, scilicet ad removendas pravas consuetudines et ad praecavenda incommoda, quae ex inobservantia illarum regularum provenire possunt, merito dici potest, etiam pias Uniones et Associationes Clementinae Constitutioni generatim subjici. Et sane id probat praxis S. Sedis, quae dum aliquam piam Associationem ad gradum *Archisodalitatis* sive *Primariae* evehit, apponere solet clausulam: *Salva Constitutione* QUAECUMQUE *Clementis VIII;* vel si dispensationem indulgeat ab aliqua regula, adjungere solet clausulam: *Servata in reliquis Constitutione Clementis VIII.*

1659. Diximus *generatim,* quia sunt certae sodalitates, quae, considerata earum natura et fine, videntur esse plane exemptas a praescriptionibus Bullae *Quaecumque.* Hujusmodi sunt Sodalitates ad colloquia et jocos inhonestos extirpandos, quae erigi possunt ubique locorum a *quovis Sacerdote,* annuentibus locorum Ordinariis; — piae Associationes contra blasphemiam et imprecationes; — piae Societates a Via Crucis perpetua; — piae Sodalitates a Rosario vivente etc. His piis Associationibus, quarum potius deside-

ratur multiplicitas in quolibet loco, et in quibus non timentur inconvenientia, regulae Bullae Clementinae non videntur posse applicari, si excipiatur pro nonnullis licentia vel beneplacitum Ordinarii loci. Unde in libello *Acta S. Sedis pro Sodalitate a Rosario vivente,* Rmi P. Josephi M. Larroca Magistri Generalis Ord. Praedicatorum jussu edita, diserte dicitur: « Cum Sodalitas, cui a Rosario vivente nomen, ad Confraternitatis rationem minime attingat... consuetis Confraternitatum legibus astringi minime censenda est; atque ideo plures hujusmodi societates sub diversis legitimis rectoribus in eodem loco subsistere licite possunt ».

§ III.

ORIGO CONFRATERNITATUM.

1660. Auctores qui de Confraternitatibus tractant, valde discrepant in assignando anno et etiam saeculo, cui earum origo adscribenda sit. Illud extra dubium videtur positum, saeculo praesertim XIII eas fuisse valde propagatas (1) (Cf. Moroni, *Dizionario di erudizione;* Muratori, *Dissertazione* 75; Bassi, loc. cit. pag. 141).

---

(1) De Confraternitatibus ita loquitur Emus Cardinalis Carolus Aloysius Morichini in opere *Degli Istituti di pubblica carità... in Roma,* vol. I. cap. XXI:

Fra gl' instituti limosinieri tengono il primo luogo le Confraternite. L'unirsi di più uomini secolari in congregazione per attendere a qualche opera religiosa o caritatevole sembra che avesse cominciamento fin da' tempi di Costantino (Baronio, Annali, anno 336). Però le Confraternite ebbero la forma che hanno oggidì sul principio del secolo XIII, e furono contemporanee agli Ordini de' Frati; e come questi si riunivano in comunanza religiosa legati con solenni voti per santificare se stessi e giovare i prossimi: così le persone laiche formarono, per quanto il comportava la lor condizione, delle comunanze, le quali ebbero statuti e leggi particolari, ebbero chiese ed oratorii, ebbero pratiche di pietà e di penitenza, ebbero limosine e soccorsi pe' poveri, e per lo più aggregate a qualche Ordine religioso parteciparono de' beni spirituali e delle indulgenze, e vestirono ancora un sacco con cappuccio e si cinsero i lombi con una striscia o con una fune. Il nome stesso che ritengono i reggitori delle Confraternite, che appellansi *Guardiani,* e il titolo che si dà a tutti gli ascritti di *Fratelli,* fa chiaramente conoscere la somiglianza che passa fra gli Ordini mendicanti e coteste pie istituzioni.

Se si leggono gli statuti e ordinamenti delle Confraternite, i quali tutti più o meno sono foggiati alla maniera medesima, si vede l'indole popolare del tempo in che nacquero, e scorgesi quella profonda e sentita religione che animava il

1661. *Prima Confraternitas in Urbe, Confalonis nuncupata, instituta est a Seraphico Doctore S. Bonaventura.* « Illud peculiare, inquit Ciaconius in Vita Gregorii X, tom. II, Bonaventurae tribuunt, ut primus instituerit e Laicis Sodalitates, qui ad opera pia convenirent. Initium vero hujusce Instituti sanctissimi Romae factum est in Sodalitate seu Archiconfraternitate *Confalonis* prope annum 1270, cujus exemplo innumerae in Orbe christiano formatae Sodalitates, quarum institutis omnia pietatis munera comprehenduntur ».

Revera S. Doctor Seraphicus duodecim viris nobilibus adscitis, qui fidelium redemptioni e Saracenorum captivitate vacarent, Sodalitatem *Commendatorum S. Mariae,* postea *Confalonis* nuncupatam instituit, eisdemque crucem bicolorem in scapula dextera albo et rubro colore distinctam contulit, ac certas leges ab eisdem observandas praescripsit, a Clemente IV anno 1267 approbatas. Nomen *Confalonis* derivavit Confraternitati ex vexillo, in quo imago B. Mariae Virginis erat depicta (Cf. Theod. a Sp. S. part. II, pag. 117).

1662. Licet Ciaconius supra citatus absolute affirmet, S. Bonaventuram fuisse primum institutorem Sodalitatum, tamen si res non pro Urbe tantum, sed *generaliter* consideretur, Confraternitatum institutionem supra divi Bonaventurae aetatem referre cogimur. Ex documentis enim constat, extitisse ante eum hac illac nonnullas Confraternitates (Cf. Theod. a Sp. S.; Moroni et Muratori loc. cit).

---

medio evo; il quale se fu grande per delitti e per sciagure, fu grande altresì per altissime virtù e per opere segnalate di pietà.

Le Confraternite erano il modo di associamento che si aveva in quei tempi, utile per la religione che promovevano, pel bene che adoperavano, e perchè in quell' età di feroci fazioni distoglievano l' animo dai partiti politici. Queste pie ragunanze si posero sotto la tutela de' Vescovi e del clero anche regolare, ebbero la sanzione dell' autorità apostolica, la quale accordò loro indulgenze e privilegi ancor segnalatissimi. Alcune si dissero anche *Archiconfraternite,* perchè sono siccome capo di altre che hanno un medesimo scopo e un medesimo statuto, e chiamansi *Confraternite aggregate* o *filiali,* e partecipano agli stessi beni spirituali delle loro madri Archiconfraternite.

Questa è in breve l' origine e l' indole di simili istituti che certamente fecero gran bene: fondarono spedali, ospizi, monti di pietà, ebbero cura de' prigionieri, de' pellegrini, insomma d' ogni fatta di poveri e d' infelici.

1663. Inter Confraternitates veri nominis, antiquiores et celebriores sunt illae, quae ab Ordinibus regularibus repetunt originem, ut sunt *Confraternitates SS. Rosarii, Scapularium B. M. Virginis de Monte Carmelo, septem Dolorum ejusdem B. M. V., SS. Trinitatis, B. M. Virginis de Mercede, nec non Confraternitates Cincturatorum S. Augustini, et Chordigerorum S. P. Francisci* etc.

1664. Tractu temporis ad fidem in catholicis populis servandam, actionemque christianam promovendam contra nequam Protestantismi haeresim, aliae institutae sunt Confraternitates et Congregationes proprie dictae, ut sunt illae SS. Sacramenti, Doctrinae christianae, B. Mariae Virginis etc. Et etiam novissimis temporibus non paucae exortae sunt piae Uniones praesentibus Christifidelium necessitatibus summopere accommodatae et utiles.

1665. Confraternitatum, Sodalitatum, piarum Unionum *utilitas* ad fovendam christiani populi pietatem et charitatem, earumque virtus ad continendos fideles in observantia legis Dei et Ecclesiae, liquido patet tum ex fine sancto, quem singulae piae Associationes sibi proponunt, tum ex approbatione Apostolicae Sedis, quae sapientissimis etiam regulis eas communivit, tum ex plurimis indulgentiis, quibus Summi Pontifices eas ditarunt.

1666. Ut autem Confraternitates et piae Uniones his coelestibus thesauris revera gaudeant, necesse est, ut normae *generales,* praesertim illae quae earum canonicam erectionem et directionem respiciunt, a Summis Pontificibus statutae, accurate ab iisdem serventur. Plures enim ex his, ut supra diximus, sub poena nullitatis obligant, et ideo contingere facile posset, ut ex earum ignorantia vel inobservantia, fideles adscripti priventur, absque eorum culpa, participatione indulgentiarum.

ARTICULUS II.

ERECTIO CANONICA CONFRATERNITATUM.

1667. Ut Confraternitas, Congregatio, pia Unio etc. frui possint indulgentiis, necessario requiritur *ut sint canonice erectae.* Requiritur scilicet interventus *ecclesiasticae auctoritatis,* ut judicet de institutionis bonitate, ut eam approbet, ut ei tribuat characterem Confraternitatis vel piae Associationis, ut ei conferat *juri-*

dicam personalitatem. Hinc est, quod in documentis Apostolicae Sedis, dum agitur de piis Sodalitatibus, erectio canonica semper absolute praescribitur vel supponitur *tamquam conditio omnino necessaria ad lucrandas indulgentias.* Sufficit super re conferre Bullam Clementis VIII, *Quaecumque,* ubi § 3 de Archiconfraternitatibus et Congregationibus legitur: «... in singulis civitatibus, oppidis, vel locis, unam etiam Confraternitatem et Congregationem dumtaxat, *quae Apostolica vel Ordinaria auctoritate prius erecta...* sibi adjungere et aggregare possint ». Sacra etiam Congregatio Indulgentiarum pluries declaravit necessitatem canonicae erectionis his vel similibus verbis: « *Dummodo Sodalitates sint canonice erectae...* » (Decr. 25 Jan. 1842, et 12 Maji 1843. N. 298 et 320).

Ceterum haec veritas clarius apparebit ex dicendis, praesertim cum sermo erit de aggregatione Confraternitatum alicui Archiconfraternitati ejusdem nominis et instituti ob finem fruendi indulgentiis, quae sunt propriae ejusdem Archiconfraternitatis. Videbimus enim, aggregationem fieri nequaquam posse, nisi Confraternitas ab ecclesiastica auctoritate fuerit *prius* canonice erecta.

1668. Ex expositis facile colligitur quid sit *erectio* canonica Confraternitatis laicalis: *Est actus legitimae auctoritatis ecclesiasticae, quo Confraternitas in suo esse juridico constituitur, ita ut in Ecclesia personalitatem moralem acquirat, ac ecclesiastica et religiosa evadat.*

Generalius definiri potest: Actus legitimae auctoritatis ecclesiasticae, quo Confraternitas vel pia Sodalitas quaelibet in foro ecclesiastico primum in suo esse constituitur.

1669. Ex eo quod Sodalitas quaelibet, ut indulgentiis gaudeat, debeat esse canonice erecta, opponere quis posset, dari vel dari posse Sodalitates seu pias Uniones indulgentiis ditatas, quamvis formali erectione careant, ecclesiastica tantummodo *approbatione* munitas. — Respondetur, id verum esse ex speciali gratia S. Sedis, quae de religione promovenda ac fidelium salute semper sollicita, coelestium thesaurorum concessione filios suos allicit et excitat ad quaelibet opera bona exercenda. At verum est etiam, hujusmodi Sodalitates, quoadusque non fuerint canonice erectae, haud posse Archiconfraternitatibus aggregari, nec proinde gaudere privilegiis et indulgentiis, quibus eaedem Archiconfraternitates vel Congregationes primariae sunt ditatae.

§ I.

JUS EPISCOPI ERIGENDI CONFRATERNITATES.

1670. Ad Episcopum *jure ordinario* spectat erigere in sua dioecesi Confraternitates. Sacra enim Rituum Congregatio sub die 7 Octobris 1617 declaravit: *Nemini licere, inconsulto Episcopo, in sua dioecesi erigere et creare de novo Confraternitates, et earum statuta confirmare, quae omnia privative quoad alios ad Episcopum tantum pertinent in sua dioecesi* (Gardellini, N. 548; Decr. auth. N. 420).

Aliquae tamen excipiendae sunt Confraternitates, quarum erectiones ex privilegio Apostolico reservatae sunt *privative quibusdam Ordinibus regularibus,* ut postea dicemus.

1671. Si erectio Confraternitatum in ecclesia cathedrali fiat, requiritur Capituli consensus, ut censuit S. Congregatio particularis in Alben. Sacrorum Rituum sub die 19 Sept. 1710 (P. Theod. a Sp. S. part. II, pag. 118).

1672. Confraternitatis erectio, solius Ordinarii auctoritate facta, canonica dicenda est, *et Apostolica confirmatione non indiget* (Decr. 28 Aug. 1752. N. 195).

1673. Vicarius Generalis, *absque speciali delegatione Episcopi*

a) Non potest auctoritate ordinaria *erigere* Confraternitates.

b) Non potest valide concedere litteras testimoniales ac consensum requisitum a Clemente VIII *pro aggregatione* Confraternitatum.

c) Nec potest approbare statuta ipsarum Confraternitatum (Decr. 18 Aug. 1868. N. 420).

d) Imo « *cum Episcopus obtinuerit facultatem a Sede Apostolica* erigendi Confraternitates *cum respectivis indulgentiis,* Vicarius Generalis non potest id praestare, *nisi Episcopo subdelegandi potestas in Apostolico indulto concessa fuerit,* suumque Vicarium Generalem subdelegaverit » (Decr. eod. ad 1m).

1674. Dubitatum est etiam:

1° An expediat Vicariis Generalibus concedere facultatem, qua possint valide consensum dare pro erectionibus Confraternitatum SSmi Rosarii peragendis a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum?

Et quatenus negative:

2° An Vicarii Generales possint valide dare consensum pro erectionibus Confraternitatum SSmi Rosarii *ex speciali Episcopi delegatione?*

S. Congregatio Indulgentiarum ad proposita dubia respondit:

Ad 1m *Non expedire.*

Ad 2m *Affirmative, facta mentione specialis delegationis* (Decr. 2 Aug. 1888. Cf. *Nouv. Rev. Théol.* tom. XX, pag. 469).

1675. Supposita autem *speciali Episcopi delegatione,* Vicarius Generalis potest praefata peragere, ut colligitur ex exordio tum Decreti 18 Augusti 1868, tum alterius Decreti de die 23 Nov. 1878, et confirmatur ex dicendis (Decr. auth. N. 420 et 438).

Sed advertendum, Vicarium Generalem ab Episcopo *specialiter delegatum* sive ad erigendam Confraternitatem, sive ad approbanda vel moderanda statuta, vel etiam ad concedendas litteras aggregationis *debere in respectivis documentis expressam mentionem facere de speciali delegatione ab Episcopo ei facta,* ut eruitur ex Decreto superiori numero relato, ad 2m.

1676. Praedicta delegatio Vicario Generali fieri potest ab Episcopo tum in singulis casibus, tum una vice pro semper. Quare Vicarius Generalis potest Confraternitates erigere, quoties Episcopus in actu delegationis eum deputaverit non solum ad generalia, *sed etiam ad specialia negotia expedienda.* Id patet ex responso S. Congregationis Indulgentiarum ad hoc dubium:

Decrevit S. Congregatio Indulgentiis praeposita, Vicarios Generales speciali indigere Episcopi delegatione, ut rite valeant Confraternitates erigere. Quaeritur, utrum necessaria sit haec specialis delegatio, quando vigore ipsarum litterarum Vicariatus, ipsi Vicarii Generales deputati sunt non solum ad generalia, sed etiam ad specialia loco Episcopi peragenda?

S. Congregatio, die 16 Nov. 1888, proposito dubio respondit: *Negative, dummodo tamen non agatur de erectione Confraternitatum cum respectivis indulgentiis, pro qua erectione Episcopus speciali indiget Apostolico rescripto* (Apud Beringer, tom. II, pag. 9).

1677. Quando dicimus posse Episcopum ad erigendas Confraternitates delegare Vicarium Generalem, id intelligendum est de Confraternitatibus, quarum erectio *jure ordinario* ad ipsum spectat Episcopum. Si enim Episcopus obtinuisset a S. Sede facultatem erigendi Confraternitates, quarum erectio non ipsi Episcopo,

sed alicui Ordini regulari *de jure* competit, ipse minime posset subdelegare ad erectionem Vicarium Generalem, *nisi in Apostolico indulto id concessum reperiatur* (Cf. *Decr. auth.* N. 321 et 420 ad 1^{m}, nec non Decr. 16 Nov. 1888 supra n. 1676 relatum).

1678. Summus Pontifex Pius IX benigne impertire dignatus est SANATIONEM erectionum Confraternitatum, et approbationum statutorum *a Vicariis Generalibus* usque ad totum currentem diem 18 Augusti 1868 factarum, nec non aggregationum, quae cum litteris testimonialibus et consensu Vicariorum Generalium locum hucusque habuerunt (Decr. auth. N. 420).

1679. Quoad VICARIUM CAPITULAREM S. Congregatio Indulgentiarum interrogata, an ipse possit memorata acta peragere, respondit: « *Vicarius Capitularis se abstineat* », videlicet, se abstineat ab erigendis Confraternitatibus, a concedendis litteris testimonialibus et consensu requisito a Clemente VIII pro aggregatione Confraternitatum, et ab approbandis statutis Confraternitatum (Decr. 23 Nov. 1878. N. 438. Cf. etiam Acta S. Sed. vol. XI, pag. 353 et seq.).

§ II.

JUS ERIGENDI QUASDAM CONFRATERNITATES IN ALIQUIBUS ORDINIBUS REGULARIBUS.

1680. Licet *jure ordinario* ad Episcopum pertineat erigere in sua dioecesi Confraternitates, tamen ex his nonnullae excipiendae sunt, quarum erectiones, ut supra n. 1670 innuimus, ex privilegio Apostolico reservatae sunt *privative* quibusdam Ordinibus Religiosis, a quibus ipsae repetunt existentiam. Sic ex. gr. facultas erigendi Confraternitates

a) SS. Rosarii concessa est Ordini Praedicatorum;

b) Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, Ordini Carmelitarum;

c) Scapularis B. M. V. septem Dolorum, Ordini Servorum;

d) Scapularis B. M. V. de Mercede, Ordini Mercedariorum;

e) Scapularis SS. Trinitatis, Ordini ejusdem nominis;

f) Cincturatorum, Ordini S. Augustini;

g) Chordigerorum, Ordini Minorum Conventualium, et ubi Minores Conventuales non existunt, jus competit Ordini Minorum de Observantia.

1681. Omissis Confraternitatibus Cincturatorum et Chordigerorum, de quibus nulla movetur quaestio, quaedam notanda sunt relate ad erectionem ceterarum Confraternitatum, quas modo citavimus, excepta illa B. Mariae Virginis de Mercede, cujus non fit mentio in Decreto quod postea afferemus.

Cum S. Congregatio Indulgentiarum declarasset per Decretum diei 19 Augusti 1747, approbatum et confirmatum sub die 26 praedicti mensis a Benedicto PP. XIV, Sodalitates *SS. Rosarii erectas inscio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum,* indulgentiis in Brevi Apostolico expressis non gaudere, tamen plures Episcopi in propriis dioecesibus Sodalitates instituebant sub titulo SS. Rosarii vigore Apostolicarum facultatum, quae ab ipsis impetrabantur *in genere,* erigendi nempe Sodalitates cujuscumque tituli et invocationis. Itaque Rmus P. Magister Generalis ejusdem Ordinis Praedicatorum eidem S. Congregationi sequens dubium solvendum proposuit:

Utrum absque expressa mentione derogationis privilegii Ordini praefato concessi, et sola vi generalis communicationis indulgentiarum Archiconfraternitatum Urbis, tributae Confraternitatibus, quae in aliqua dioecesi sub iisdem titulis ab Ordinario eriguntur, etiam Societates sub titulo SS. Rosarii, inscio Magistro Ordinis Praedicatorum institutae, indulgentiis huic Societati elargitis frui possint et valeant?

Emi Patres, die 29 Februarii 1864, responderunt:

Provisum per responsum ab hac Sacra Congregatione die 19 Augusti 1747, confirmatum a Benedicto XIV die 26 praedicti mensis, facto verbo cum SSmo. Pius IX, die 11 Aprilis ejusdem anni, votum EE. PP. benigne confirmavit (Decr. auth. N. 165 et 405).

1682. Ergo Episcopi, virtute Brevis Apostolici *in genere* impetrati erigendi Sodalitates cujuscumque tituli et invocationis, nequeunt erigere, inconsulto Magistro Generali Ordinis Praedicatorum Confraternitates SS. Rosarii *absque expressa mentione derogationis privilegii* ejusdem Ordinis; et si erigunt, Confraternitates ita erectae indulgentiis minime gaudent. Quinimo laudatus Pontifex Benedictus XIV, ut quaevis abusus vel perturbationis occasio removeatur, expresse mandavit, quod in posterum non aliter Confraternitates SS. Rosarii erigantur, *nisi requisitis prius et obtentis* a Magistro Generali praefati Ordinis Praedicatorum *litteris facultativis,* nempe diplomate erectionis, ea tamen lege ut ipsae

litterae nonnisi *de consensu Ordinarii,* servatisque reliquis omnibus in hujusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis ac servari solitis, executioni mandentur (Decr. auth. N. 165).

1683. Praefatum privilegium Magistro Generali Ordinis Praedicatorum a S. Sede concessum pro *exclusiva* erectione Confraternitatum SS. Rosarii, recentiori tempore *extensum est etiam ad Superiores Generales Ordinis SS. Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, et B. M. V. septem Dolorum* pro erectione *privativa* Confraternitatum respectivarum. Quia in Decreto super re edito multa scitu utilia continentur, illud, licet satis longum, per extensum damus prout prostat penes *Acta S. Sedis,* vol. XX, pag. 253.

DECRETUM

De extensione Declarationis editae sub die 19 Augusti 1747 pro Confraternitate SSmi Rosarii ad Confraternitates SSmae Trinitatis, B. Mariae Virginis a Monte Carmelo et a septem Doloribus.

Piae quaedam Sodalitates sicuti a regularibus Ordinibus suam repetunt existentiam, ita earumdem erectio jure quodam proprio eisdem Ordinibus competit. Inter has sunt recensendae Sodalitates SSmae Trinitatis, B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, nec non a septem Doloribus, quae a respectivis Ordinibus regularibus sunt institutae ac proinde ab ipsis jure ordinario eriguntur. Verum experientia compertum est Sodalitates supradictas, insciis omnino supremis Moderatoribus eorum Ordinum ad quos memoratae Sodalitates pertinent, auctoritate tantummodo Episcoporum saepenumero erectas reperiri, eo quod plerumque, cum illis vigore Litterarum Apostolicarum facultas tribuatur erigendi in genere Sodalitates cujuscumque tituli et invocationis cum respectivis indulgentiis, praelaudatas quoque Sodalitates ipsi erigunt sola vi generalis communicationis indulgentiarum quae sunt propriae Archisodalitatum in Urbe existentium, quin ulla fiat in Apostolicis litteris expressa derogatio privilegiorum praefatis Ordinibus quoad erectionem suarum Sodalitatum concessorum.

Cum vero Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad praepediendos abusus et confusiones removendas declarasset per Decretum diei 19 Augusti 1747, approbatum et confirmatum sub die 26 ejusdem mensis a sa. me. Benedicto Papa XIV, Sodalitates a SS. Rosario erectas inscio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum haud subsistere, ideoque carere omnino indulgentiis ejusdem Sodalitatis propriis, Priores Generales Ordinum SSmae Trinitatis, Carmelitarum et Servorum B. Virginis cum animadverterint quoad erectionem suarum Sodalitatum ex Apo-

stolicae Sedis benignitate sibi commissam eosdem abusus similesque confusiones irrepsisse, quae locum jam habebant in erectionibus Sodalitiorum SSmi Rosarii, humiles porrexerunt preces SSmo Domino Nostro quatenus memoratam declarationem non semel editam pro Sodalitatibus SSmi Rosarii benigne pariter extendere dignaretur ad Sodalitates SSmae Trinitatis, B. Mariae Virginis a Monte Carmelo et a septem Doloribus; ita nempe ut si contingat non obtenta prius facultate ab eorumdem Ordinum supremis Moderatoribus praedictas Sodalitates constitui, sub quovis praetextu cujuscumque facultatis specialis, in qua nulla fiat expressa derogatio privilegii hac super re dictis Ordinibus concessi, Sodalitatum erectio nullius sit roboris adeoque indulgentiis minime perfruatur.

Quas preces SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab infrascripto Secretario in Audientia habita sub die 16 Julii hujus devolventis anni relatas, idem Sanctissimus peramanter excepit, ac praevia sanatione omnium supradictarum Sodalitatum, insciis Prioribus Generalibus memoratorum Ordinum, hucusque erectarum quas validas esse declaravit, in posterum voluit ac mandavit ut, ad omne dubium romovendum nec non abusus praecavendos, non aliter praedictae Confraternitates seu Sodalitates erigantur, nisi requisitis antea et obtentis a laudatorum Ordinum Superioribus pro tempore existentibus litteris facultativis pro earumdem erectione, ita tamen ut iidem Priores Generales pro hujusmodi Confraternitatum, seu Sodalitatum erectionibus consuetas Litteras Sacerdotibus suorum Ordinum, vel ubi eorum Conventus non existunt, aliis ecclesiasticis viris, sive regularibus, sive saecularibus, etiam Episcopis bene visis expediant, ipsaeque Litterae nonnisi de consensu Ordinariorum, servatisque reliquis omnibus in hujusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis ac servari solitis, executioni mandentur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 16 Julii 1887.

Fr. Thomas M. Card. Zigliara, *Praef.*
Alexander Episc. Oensis, *Secret.*

1684. In relato Decreto sequentia sunt praecipue notanda:

1. Ex quo memoratae Sodalitates a respectivis Ordinibus regularibus *suam repetunt existentiam*, earumdem erectio *jure quodam proprio* eisdem Ordinibus competit.

2. Verum saepenumero auctoritate tantummodo Episcoporum erigebantur, insciis omnino supremis Moderatoribus eorum Ordinum, ad quos praedictae Sodalitates pertinent.

3. Priores Generales Ordinum SS. Trinitatis, Carmelitarum et Servorum B. Virginis, ad removendos abusus et confusiones, quae exinde proveniebant, quaeque locum jam habebant in erectionibus Sodalitiorum SS. Rosarii, Summo Pontifici supplicarunt, quatenus memoratam declarationem (n. 1681) non semel editam pro Sodalitatibus SS. Rosarii, extendere dignaretur ad Sodalitates SS. Trinitatis, B. Mariae Virginis a Monte Carmelo et a septem Doloribus.

4. Leo PP. XIII, *praevia sanatione omnium praedictarum Sodalitatum, insciis Prioribus Generalibus memoratorum Ordinum, hucusque erectarum, quas validas esse declaravit,* porrectis precibus benigne annuit.

5. Hinc voluit, ut in posterum non aliter praedictae Confraternitates erigantur, *nisi requisitis antea et obtentis a laudatorum Ordinum Superioribus litteris facultativis pro earumdem erectione.*

6. Tandem mandavit, ut praefatae litterae *nonnisi de consensu Ordinariorum executioni mandentur.*

§ III.

LOCA MISSIONUM, QUAE A S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE DEPENDENT, NON COMPREHENDUNTUR IN ALLATO DECRETO.

1685. Post editum allatum Decretum, a nonnullis dubitatum est, num illud *loca etiam Missionum* respiceret, in quibus plura rerum adjuncta prohibent, quominus quae per illud praecipiuntur, commode possint executioni mandari. Quapropter ad omnem ambiguitatem e medio tollendam Summus Pontifex Leo XIII in Audientia diei 15 Decembris 1888 declaravit, S. Congregationem de Propaganda Fide eisdem *facultatibus quoad erectionem Confraternitatum* a S. Sede approbatarum uti prosequi posse, quas *ante promulgationem praedicti Decreti die* 16 *Julii* 1887 *habebat.* Habebat autem ante promulgationem Decreti auctoritatem per Summos Pontifices factam tribuendi Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis et Praefectis Apostolicis, aliisque Missionum Moderatoribus *ab eadem S. Congregatione dependentibus,* facultatem erigendi in locis sibi subjectis *quascumque* pias Sodalitates a S. Sede approbatas, iisque adscribendi utriusque sexus Christifideles, ac benedicendi coronas et scapularia earumdem Sodalitatum propria, cum appli-

catione omnium indulgentiarum, quas Summi Pontifices praedictis Sodalitatibus, coronis, et scapularibus impertiti sunt. Has igitur facultates Moderatores Missionum adhuc habent et exercere possunt. Paucis verbis: *loca Missionum, quae a S. Congregatione de Propaganda Fide dependent non comprehenduntur in praecitato Decreto* 16 *Julii* 1887.

Quare Moderatores Missionum *Sacrae Congregationi Fidei Propagandae subjecti* facultates ab eadem sibi faciendas quoad omnium Confraternitatum erectionem, fidelium in easdem aggregationem, scapularium benedictionem, et indulgentiarum applicationem, valide et licite exercere se posse sciant, *quin a quopiam cujusvis regularis Ordinis Moderatore veniam aut assensum expetere aut obtinere antea teneantur.*

1686. Ne autem dubia oriantur quoad *Confraternitates SS. Rosarii,* Summus Pontifex in Audientia diei 31 Martii 1889 habita a Secretario S. Congregationis de Propaganda Fide, jussit ut per eamdem Sacram Congregationem, *non obstante quavis praevia S. Sedis prohibitione,* libera facultas tribui possit erigendi *etiam Confraternitates SS. Rosarii,* ita tamen ut fideles iis adscripti non lucrentur *nisi indulgentias communiter concessas omnibus in genere Confraternitatibus canonice erectis* (1).

---

(1) *Indulgentiae communiter concessae omnibus in genere Confraternitatibus canonice erectis* habentur in volumine *Rescripta authentica* pag. 3. N. 5, Decr. 23 Febr. 1711, et sunt sequentes:

Confratribus et consororibus alicujus Confraternitatis seu Congregationis vel Sodalitatis conceduntur in perpetuum sequentes indulgentiae:

I. Indulgentia plenaria in ingressu.

II. Indulgentia plenaria in articulo mortis.

III. Indulgentia plenaria die festo principali.

IV. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in quatuor aliis anni festis diebus per confratres eligendis et ab Ordinario approbandis.

« Quoties vero Missis et aliis divinis Officiis in ecclesia seu capella vel oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferatur, comitati fuerint, vel si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam et Salutatio-

Quod si Moderatores Missionum velint, ut hujusmodi Confraternitates fruantur *etiam peculiaribus illis indulgentiis, quae competunt Confraternitatibus erectis auctoritate Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, tunc ad eum recursum habeant oportet* (Vid. Litt. circul. Emi Card. Simeoni Praef. S. C. de Propag. Fid. de die 30 Junii 1889 apud *Collectanea* S. C. de Prop. Fid. pag. 191, n. 466; vel *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXI, pag. 484 et sqq.).

1687. Sunt aliae Sodalitates, quarum erectio competit *tum Episcopis, tum,* praevio eorumdem consensu, *Superioribus Generalibus* quorumdam Ordinum seu Congregationum religiosarum, a quibus eaedem Sodalitates suam habent originem. Ut autem indulgentiis frui possint, oportet ut a praedictis Superioribus Generalibus aggregentur respectivis Archisodalitatibus Romae existentibus, prout inferius (n. 1699-1700) dicetur.

§ IV.

CONFRATERNITATES ERIGI NEQUEUNT IN ECCLESIIS MONIALIUM.

1688. Ad removenda plurima, quae exinde oriri possunt incommoda, laicorum Confraternitates *erigi et institui non possunt in ecclesiis Monialium,* ut demonstrant Theodorus, pag. 122 et Ferraris, verb. *Confraternitas,* qui super re plures allegant decisiones SS. Congregationum. Et Joannes Baptista Bassi, quaest. III, n. 4, ita scribit: « In ecclesiis Sanctimonialium Confraternitates erigi non debent. Non enim expedit aut convenit, ut in Monialium ecclesiis sub quovis titulo instituantur Sodalitia laicorum, ad tollenda quamplurima, quae exinde oriri possunt incommoda et tumultus

---

nem Angelicam dixerint (aut etiam quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum hujusmodi recitaverint), aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, *toties pro quolibet praedictorum operum exercitio* SEXAGINTA DIES de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta, relaxamus. Dabitur quoque *altare privilegiatum* pro defunctis confratribus et consororibus semel in hebdomada et tota Octava mortuorum ad septennium ». Hodie tamen gratia altaris privilegiati concedi plerumque solet in perpetuum.

ob frequentiam populi et functiones confratrum in detrimentum religiosae tranquillitatis sponsarum Deo dicatarum. Idcirco S. Congr. EE. et RR., ac S. Congr. Conc. non solum vetant novas erectiones in ecclesiis Monialium, sed imo praecipiunt, ut erectae tollantur, sive transferantur ».

Res confirmatur ex eo, quod easdem Confraternitates erigere non expedit in ecclesiis *quasi Religiosarum,* prout patet ex responso ad sequens quaesitum:

In Gallia cum minime existant Religiosae a S. Sede approbatae, et aliunde plures adsint Communitates *quasi Religiosarum,* quae scholas dirigunt et congregationes habent puellarum tam externarum quam alumnarum, valde utile esset Confraternitates erigere in earum ecclesiis: quaeritur, an possint erigi?

S. Congregatio resp. *Non expedire* (Decr. 29 Febr. 1864. N. 403 ad 4^{m}).

Accedit Rescriptum S. Congr. Episc. et Reg. ad Episcopum Fulginatensem, datum sub die 22 Aug. 1891, in quo habetur:

Non placet S. Congregationi, ut in monasteriis Monialium sub quovis titulo instituantur Confraternitates laicorum, ad tollenda quamplurima, quae exinde oriri possunt, incommoda; imo praecipit ut erectae tollantur; secus transferantur (Apud Beringer, Supplément à la 1re édition, pag. 36).

ARTICULUS III.

MODI VARII OBTINENDI INDULGENTIAS PRO CONFRATERNITATIBUS.

1689. Erectio canonica *per se* non sufficit, ut Confraternitas indulgentiis gaudeat. Aliud est enim actus seu Decretum erectionis, et aliud indulgentia vel concessio indulgentiarum. Ut igitur Confraternitas sive Sodalitas quaelibet indulgentiis frui possit, necesse est, ut hae obtineantur: vel 1° *per speciale indultum S. Sedis;* vel 2° *vi dispositionis generalis ipsius S. Sedis;* vel 3° *per aggregationem Archiconfraternitati ejusdem nominis et instituti.*

1690. I. Indulgentiae quae obtinentur per speciale indultum. Habentur indulgentiae per speciale indultum, quando ipsa Confraternitas seu Sodalitas canonice erecta, postulat *directe* ab Apostolica Sede indulgentias. In supplici libello ad Summum Pontificem

directo indicari possunt praecipuae indulgentiae, quas Sodalitas habere desiderat, et consulitur ut praefata Sodalitas in hujusmodi petitione utatur opera proprii Episcopi.

1691. Sed advertendum, quod indulgentiae quae immediate a S. Sede obtinerentur, nullae forent, si Confraternitas jam alias indulgentias receperit sive per aggregationem alicui Archiconfraternitati, sive per erectionem factam ab aliquo Superiore Ordinis religiosi. Item Confraternitas, de qua agitur, obtentis directe a S. Sede indulgentiis, non potest amplius Archiconfraternitati aggregari, quin *illico* amittat indulgentias per speciale indultum obtentas. Hinc est, quod in Brevibus, quibus Apostolica Sedes novis Confraternitatibus praefatas gratias elargitur, sequens clausula ordinarie apponitur:

Volumus autem, quod, si alias dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, aut etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae Litterae Apostolicae illi nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint (Cf. Decr. auth. N. 48 et 64).

1692. Per speciale indultum etiam Episcopi solent haud raro obtinere ab Apostolica Sede facultatem erigendi Confraternitates *cum respectivis indulgentiis.* Id quidem sufficit ut Confraternitates sic erectae iisdem indulgentiis illico perfruantur, quin oporteat eas aggregare Archiconfraternitatibus sub iisdem titulis in Alma Urbe existentibus. Verum hodie hujusmodi potestas Episcopis collata, pluribus exceptionibus limitatur, ut videbimus infra et in parte vidimus sub n. 1680-1683.

1693. Quamvis Confraternitates, quae *vi indulti Apostolici* eriguntur ab Episcopis *atque indulgentiis ab eisdem ditantur,* participent revera indulgentias et privilegia, quibus in Urbe perfruuntur Archiconfraternitates et Confraternitates ejusdem invocationis et instituti, tamen ipsae non gaudent *eadem prorsus bonorum operum et orationum communione,* qua gaudent Confraternitates *similes* a Superioribus regularibus respective erectae, vel ab Archiconfraternitatibus *ordinario more aggregatae.* Nam cum illae, tali modo erectae, nullo speciali vinculo conjungantur cum ceteris Sodalitatibus, nequeunt speciali modo participes esse earum precum earumque bonorum operum (Cf. Decr. 22. Aug. 1842. N. 308 ad 4^{m}).

Insuper certum est, omnes Confraternitates *ordinario more aggregatas* Archiconfraternitatibus ejusdem nominis et instituti gaudere omnibus indulgentiis et privilegiis, quae *in posterum* eisdem Archiconfraternitatibus conceduntur. (Cf. Decr. 18 Junii 1742. N. 135). Hoc autem non videtur posse affirmari de Confraternitatibus ex Apostolico indulto ab Episcopis erectis et indulgentiis ditatis, idque ob rationem supra allatam: quia videlicet Sodalitates tali modo institutae, nullo speciali vinculo conjunguntur cum ceteris Sodalitatibus rite aggregatis.

1694. Postremo notamus, erectiones Confraternitatum factas *ex indulto Apostolico et juxta tenorem illius indulti,* non servato modo in Bulla *Quaecumque* praescripto, validas esse, quia illud indultum derogat dictae Bullae (Decr. 5 Febr. 1841. N. 286 ad 3^{m}).

1695. II. CONFRATERNITATES QUAE IPSO FACTO ERECTIONIS INDULGENTIIS GAUDENT VI LEGIS GENERALIS. Nonnullae sunt Confraternitates, quae indulgentiis gaudent *vi legis* seu *dispositionis generalis,* ita ut, facta earumdem erectione, *illico* propriis indulgentiis fruantur. Hujusmodi sunt:

a) *Omnes Confraternitates SS. Sacramenti.* Tales enim Confraternitates, ubique terrarum hactenus Apostolica vel Ordinaria auctoritate erectae aut posthac erigendae, gaudent omnibus privilegiis, indulgentiis, facultatibus et gratiis Archiconfraternitati ejusdem SS. Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam Urbis existenti concessis et concedendis, *absque nova aut peculiari concessione, communicatione et sine ulla aggregatione ad praefatam Archiconfraternitatem. Aggregationes, si quae fierent, quantum ad communicationem indulgentiarum, essent inutiles* (Decr. 23 Apr. 1676. N. 13; 22 Apr. 1752. N. 192; 22 Aug. 1842. N. 308).

b) *Confraternitates Doctrinae Christianae.* Pro Confraternitatibus *Doctrinae Christianae* sufficit, *ut una ex his* in dioecesi aggregata sit Archiconfraternitati existenti in ecclesia S. Martini de Urbe (in praesens in ecclesia S. Mariae vulgo *del Pianto*) ad hoc, ut cunctae aliae ab Ordinario loci in tota dioecesi erectae seu erigendae, aggregatae censeantur, et omnium spiritualium gratiarum et indulgentiarum, quibus dicta Archiconfraternitas fruitur, participes sint (Decr. 23 Martii 1711. N. 35; et 22 Augusti 1842. N. 308 ad 4^{m}).

c) His addi possent aliquae *piae Associationes* recentiores, quae pariter vi dispositionis generalis quasdam indulgentias participant ipso facto institutionis, licet eis desit formalis et proprie dicta erectio canonica. Tales sunt:

Sodalitates *contra blasphemiam et imprecationes,* tempore Missionum de licentia Ordinariorum ubique instituendae (Ex Audientia SSmi, die 20 Augusti 1840, apud Acta S. Sed. vol. I, pag. 323).

Sodalitates in honorem *Immaculatae Virginis Mariae, et S. Aloysii Gonzagae, ad colloquia et jocos inhonestos extirpandos,* quae erigi possunt ubique locorum *a quovis Sacerdote* sive saeculari sive regulari, annuentibus locorum Ordinariis (Ex Audientia SSmi, die 7 Sept. 1865; Acta S. Sed. vol I, pag. 321).

d) Item quaedam Confraternitates, quae ex privilegio Apostolico eriguntur, *privative quoad alios,* a Superioribus Generalibus quorumdam Ordinum regularium, fruuntur indulgentiis *vi dispositionis generalis,* id est *ipso facto erectionis:* nempe, praefati Superiores Generales vi facultatis ipsis a S. Sede concessae, *per ipsam Confraternitatis erectionem* rite et canonice factam, communicant privilegia et indulgentias, quae respectivae Confraternitati sunt propriae, quin aggregatio alicui Archiconfraternitati locum habeat. Tales sunt Confraternitates SS. Trinitatis, B. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis captivorum, de Monte Carmelo, septem Dolorum, SS. Rosarii. At sub nullitatis poena observare tenentur praescriptiones, quas inferius afferemus.

1696. III. Indulgentiae quae habentur per aggregationem Archiconfraternitati. Saepius, ut Confraternitates indulgentiis perfrui possint, oportet *ut aggregentur alicui Archiconfraternitati ejusdem nominis et instituti, quae privilegio aggregandi gaudeat.* Ideo enim S. Sedes nonnullas Confraternitates ad gradum Congregationum centralium, sive Primariarum, seu Archiconfraternitatum cum privilegio communicandi indulgentias sibi concessas evexit, ut per aggregationem, incorporationem seu affiliationem aliarum Confraternitatum erigendarum facilior redderetur consecutio indulgentiarum, quin necesse sit ad ipsam S. Sedem directe recurrere.

1697. Privilegium sibi aggregandi per totum Orbem Confraternitates *ordinarie* conceditur tantum *Archiconfraternitatibus Almae Urbis.* Ceterae enim Archiconfraternitates extra Romam

habere solent aggregandi facultatem limitibus circumscriptam, puta intra dioecesim, regnum, sive statum, ita ut invalida quoque esset inscriptio personarum extra definitos limites commorantium (Decr. 29 Febr. 1864. N. 403 ad 1m).

1698. Diximus *ordinarie*, quia non desunt exceptiones. *Archiconfraternitas* ex. gr. *sanctae Mariae Angelorum in insigni Basilica cognomine* apud Assisium canonice instituta, jus habet aggregandi Sodalitates ejusdem invocationis et instituti *ubique locorum* existentes (Breve Pii PP. IX de die 11 Aug. 1876).

Idem dicendum de Archiconfraternitate *sanctissimi et immaculati Cordis B. M. V.* pro conversione peccatorum, existente Parisiis in ecclesia SS. Virginis Mariae de Victoriis *(Notre-Dame des Victoires)*. (Breve Gregorii PP. XVI de die 24 Apr. 1838).

Unde ex Secretaria Brevium sequens declaratio die 5 Julii 1881 prodiit: Nisi agatur de Confraternitatibus in insignibus Sanctuariis erectis, non solet concedi titulus Archiconfraternitatis cum facultate aggregandi extra dioecesim, vel provinciam ecclesiasticam si Sodalitium reperiatur institutum in dioecesi Metropolitani (Collectanea S. C. de Prop. Fide, pag. 189, N. 463). *Ove non si tratti di Confraternite erette in insigni Santuarii, non suole concedersi il titolo di Arciconfraternita colla facoltà di aggregare fuori della diocesi, o della provincia ecclesiastica se il Sodalizio si trova istituito nella diocesi del Metropolitano.*

1699. Sunt quaedam Sodalitates, quarum erectio canonica fieri potest, ut obiter notavimus sub n. 1687, tum ab Episcopis, tum, praevio Episcoporum consensu, a Superioribus Generalibus quorumdam Ordinum seu Congregationum religiosarum, a quibus eaedem Sodalitates suam repetunt originem. Ante annum 1887 hujusmodi piae Societates passim a locorum Ordinariis non solum erigebantur, sed etiam ex speciali indulto Apostolicae Sedis indulgentiis ditabantur, quibus in Urbe fruuntur respectivae Archiconfraternitates seu Congregationes primariae, *quin tamen ulla exhiberetur petitio aggregationis Superioribus Generalibus.*

Considerantes laudati Superiores Sodalitates tali modo erectas nullo inter se vinculo conjungi *cum Sodalitatibus primariis,* quae ab Apostolica Sede *uti centra* aliarum fuerunt constitutae; considerantes in earumdem Sodalitatum bonum minime vergere ob defectum unitatis quoad directionem, et uniformitatis quoad pios usus, preces porrexerunt Summo Pontifici, quatenus decernere di-

gnaretur, ut in posterum praedictae Sodalitates frui nullimode possint indulgentiis, gratiis et privilegiis Archisodalitatibus Romanis a S. Sede concessis, *nisi fuerint eisdem Archisodalitatibus, praevio Episcoporum consensu, aggregatae* per litteras patentales ab iisdem Superioribus Generalibus respective expediendas. *Quibus precibus Summus Pontifex Leo XIII benigne annuit,* ceu constat ex rescriptis mox citandis.

1700. Confraternitates seu Sodalitates de quibus loquimur sunt sequentes:

1. Sodalitates sub titulo *Annuntiationis B. Mariae Virginis,* quae ex dictis nequeunt in posterum gaudere indulgentiis et privilegiis eisdem concessis, nisi a Praeposito Generali Societatis Jesu, praevio Ordinariorum consensu, Congregationi *Primae Primariae* in Collegio Romano existenti aggregentur (Rescr. 17 Sept. 1887 apud Act. S. Sed. vol. XX, pag. 364).

2. Sodalitates *Bonae Mortis,* quae pariter nequeunt frui indulgentiis, nisi ab eodem Praeposito Generali S. J. Archisodalitati in ecclesia SS. Nominis Jesu (vulgo *Chiesa del Gesù*) existenti fuerint aggregatae (Rescr. eod.).

3. Sodalitates sub titulo *B. Mariae Virginis a Salute, nec non S. Josephi ejusdem Sponsi et S. Camilli de Lellis,* quae item, ut indulgentiis gaudeant, per Praefectum Generalem Clericorum Regularium infirmis Ministrantium, obtento prius Revmorum Ordinariorum consensu, aggregandae sunt Archisodalitati Romanae existenti in ecclesia S. Mariae Magdalenae poenitentis (Rescr. 19 Nov. 1887 apud Act. S. Sed. vol. cit. pag. 367).

4. Sodalitates sub titulo et invocatione *B. Mariae Virginis de Perpetuo Succursu et S. Alphonsi M. de Ligorio,* quae ut indulgentiis perfruantur, per Superiorem Generalem et Rectorem Majorem Congregationis SS. Redemptoris aggregandae sunt Archisodalitati ejusdem nominis erectae in ecclesia ad S. Alphonsum in Urbe (Rescr. 22 Febr. 1888, loc. cit. pag. 479).

5. Sodalitates sub titulo *B. Mariae Virginis in coelum assumptae,* ad juvandas animas Purgatorii igne detentas, quae deinceps non amplius poterunt indulgentiis et privilegiis potiri, nisi a Procuratore Generali Congregationis SS. Redemptoris, obtentis prius Ordinarii loci consensu ejusque litteris testimonialibus, aggregatae fuerint Archisodalitati ejusdem tituli in ecclesia S. Mariae vulgo de *Monterone* existenti (Rescr. 18 Junii 1892, apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXIV, pag. 483).

1701. Hic adnotare juvat discrimen, quod intercedit inter *Decretum* 16 Julii 1887 (n. 1683) et *Rescripta* nunc citata. In Decreto statuitur, favore Ordinum regularium respective, *jus exclusivum* ERIGENDI proprias Confraternitates, ita ut istae non aliter in posterum erigi possint, *nisi requisitis antea et obtentis* a laudatorum Ordinum Superioribus *litteris facultativis* pro earumdem erectione. In Rescriptis vero supra citatis non jus exclusivum erigendi tribuitur Superioribus, ad quod nec ipsa Superiorum petitio extenditur, nec ceteroquin jus hujusmodi omnibus competit, sed decernitur, Confraternitates, de quibus in dictis Rescriptis sermo est, non posse gaudere privilegiis et indulgentiis Archisodalitatibus a Romanis Pontificibus concessis, nisi praedictis Archisodalitatibus *per Superiores Ordinum sive Congregationum respective fuerint aggregatae.*

Vi igitur Decreti, Confraternitates ibi enuntiatae SS. Rosarii, SS. Trinitatis, B. M. Virginis de Monte Carmelo et septem Dolorum, ut indulgentiis frui possint, *erigi debent privative per diploma Superiorum Regularium;* vi Rescriptorum, Confraternitates quae ibi designantur, etsi ab Ordinariis locorum canonice erectae sint, *debent tamen,* ut indulgentiis gaudere possint, *Archisodalitatibus de Urbe per respectivos Superiores Ordinum sive Congregationum aggregari.* Decretum respicit *erectionem;* Rescripta *aggregationem.*

1702. Theodorus a Spiritu Sancto, circa erectionem Confraternitatum ex parte Regularium et aggregationem ex parte Archiconfraternitatum, haec habet:

Observa, Religiones, Ordines et regularia Instituta non aggregandi facultatem habere, sed erigendi et instituendi saecularium Confraternitates et Congregationes. Archiconfraternitates econtra et Congregationes diversorum nominum et institutorum non erigendi et instituendi, sed erectas jam et institutas aggregandi (Part. II, pag. 128).

1703. Hujusmodi doctrina videri posset exceptionem pati, et non deest qui ita sentiat. Nam inter regularia Instituta reperiuntur quaedam, quae revera Confraternitates suas *tantummodo erigunt,* ut sunt Trinitarii, Dominicani, Carmelitae et Servitae; et alia inveniuntur Instituta, quae non solum *possunt* erigere, sed etiam *jure potiuntur aggregandi,* ut sunt Societas Jesu, Clerici Regulares infirmis Ministrantes etc.

Verum si res penitius perpendatur, doctrina P. Theodori in materia indulgentiarum peritissimi, dici debet universaliter vera. Nam negari nequit quod religiosa Instituta, *quatenus sunt religiosa Instituta,* Confraternitates quae ab eis repetunt existentiam, erigunt dumtaxat: aggregandi enim facultatem *solum Archiconfraternitates* seu *Congregationes primariae* habent. Quod si nonnulli Ordinum religiosorum Superiores jus possident aggregandi, hoc eis provenit ex constituta *Archisodalitate,* quae *facultatem aggregandi,* ex privilegio Apostolico, *exercet per praefatos Superiores respective.* Sic v. gr. Praepositus Generalis Societatis Jesu jus habet erigendi (servatis servandis) Congregationes Marianas et Congregationes Bonae Mortis, easque aggregandi Congregationibus Primariis Urbis. Jam vero, praefatus Praepositus Generalis *ut Superior Ordinis religiosi* ERIGIT memoratas pias Congregationes, quae ab eodem Ordine repetunt originem; *quatenus vero est supremus Moderator Congregationum Primariarum Urbis,* ipse AGGREGAT et communicat privilegia et indulgentias. Doctrina ergo laudati P. Theodori videtur esse universaliter vera, quod scilicet Religiones, Ordines etc. non aggregandi facultatem habent, sed erigendi saecularium Confraternitates et Congregationes.

1704. COROLLARIUM. Nonnullae Confraternitates vel Congregationes ideo elevantur, ut explicavimus, ad gradum *Archiconfraternitatum* vel *Congregationum centralium,* ut per aggregationem seu incorporationem aliarum Confraternitatum sive Congregationum erigendarum ejusdem respective nominis et instituti, facilior evadat consecutio et participatio indulgentiarum, quin necesse sit ad Apostolicam Sedem recurrere. Ex quo consequitur, quod illae Confraternitates, quae ex lege ab Ecclesia statuta, *ipso facto erectionis* indulgentiis gaudent, exclusa qualibet aggregatione, non sunt nec possunt esse *verae Archiconfraternitates* vel *Congregationes centrales,* nec proinde habent ullam Confraternitatem, *quae sit et censeri debeat caput et centrum ceterarum.* Tales sunt Confraternitates SS. Trinitatis, SS. Rosarii, de Monte Carmelo et septem Dolorum. Omnes et singulae Confraternitates hujusmodi habent existentiam propriam a ceteris, etiam ejusdem nominis, independentem. Fruuntur privilegiis et indulgentiis cuique respective propriae, *non per aggregationem, sed,* ita disponente S. Sede, *per ipsum erectionis factum.*

Ad rem ita scribit Passerinus: Advertendum vero est, quod

Confraternitates SS. Nominis Dei et SS. Rosarii, quas erigit Ordo Praedicatorum, *non sunt Archiconfraternitates* quae facultatem aggregandi habeant. Sic in istis nullum locum habet communicatio indulgentiarum per aggregationem; sed singulae Confraternitates legitime erectae, *statim de jure et aeque principaliter, et independenter a quacumque alia simili Confraternitate,* fruuntur indulgentiis eis per Sedem Apostolicam concessis aut communicatis (Quaest. 103, n. 819).

1705. Hinc est, quod Ordo Praedicatorum numquam concessit, ut aliqua Confraternitas SS. Rosarii ad gradum Archiconfraternitatis erigeretur, licet de re non defuerint postulationes. « Sodalitas SS. Rosarii, ita Rmus P. Andreas Frühwirth, Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, scribebat ad quemdam Episcopum sub die 6 Julii 1892, in ecclesia N. existens, neque haberi potest, neque dici debet Archiconfraternitas, quia nullatenus habet jus erigendi alias Confraternitates aut aliis Confraternitatibus suas indulgentias communicandi. *Imo nec Magister Ordinis hoc jus concedere valeret* ».

Praeterea omnino indecorum esset concedere titulum absque re, quia, ut patet, in causam vel saltem in occasionem erroris verteretur. « *Unde non solum Magister Ordinis postulationem tituli Archiconfraternitatis omnino rejicit, sed injungit ut titulus jam usurpatus derelinquatur,* cum in Ecclesia Dei nullibi Archiconfraternitas SS. Rosarii existat » (Analecta Ord. Praedic. ann. II, fasc. 1. pag. 488 et 606).

Infertur, quod nec ipsa Confraternitas SS. Rosarii Romae erecta in ecclesia Ordinis Praedicatorum Minervitana, est vel dici potest Archiconfraternitas, licet interdum in nonnullis documentis, etiam a S. Sede editis, nominetur Archiconfraternitas. Hac denominatione aliquando decoratur, non quasi gaudeat privilegio sibi aggregandi alias Confraternitates ejusdem instituti, sed tantum ratione Conventus in Ordine Praedicatorum principalis, cum ibi olim haberetur habitualis residentia Rmi Superioris Generalis Ordinis (Cf. Acta S. Sedis... pro Societate SS. Rosarii, vol. I, pag. 10, n. 14).

1706. Quod hic affirmatur a Rmo P. Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, refertur ad Confraternitates SS. Rosarii, quarum erectio ad ipsum pertinet. Quia si sermo sit de Confraternitatibus in genere, datur aliquando casus ut aliqua Confraternitas erigatur in Archiconfraternitatem *ad honorem,* habeatque proinde

titulum sine re. Ut unum alterumve exemplum afferamus, anno 1894 Sacrae Congregationi Rituum expositum fuit dubium, in quo hujusmodi elevatio asseritur. Dicitur enim: Pervetusta Sodalitas S. Mariae a Monte Carmelo, vulgo *delle Galline* in terra Paganorum Nucerinae dioeceseos, *ad Archisodalitatis dignitatem* anno 1883 evecta etc. (Analecta Ord. Praed. ann. II, pag. 605).

Summus Pontifex Leo XIII evexit in Archisodalitatem *ad honorem* Consociationem sub titulo « *Operis expiatorii derelictis animabus a Purgatorio liberandis* » canonice erectam in paroecia vulgo *La Chapelle-Montligeon* dioeceseos Sagiensis *(Séez)*. « *Auctoritate Apostolica Nostra, praesentium vi, memoratam Sodalitatem in Archisodalitatem ad honorem cum solitis privilegiis perpetuum in modum erigimus atque instituimus* (Analecta ecclesiastica ann. I, pag. 439).

Ceterum negari nequit, relate ad Confraternitates non paucos irrepsisse abusus, qui confusionem generant. Nil facilius audire, quam simplices Confraternitates titulo Archiconfraternitatum denominari sine ulla prorsus ratione atque intelligentia rei, quae tam imperite asseritur.

ARTICULUS IV.

QUAEDAM OBSERVATIONES CIRCA AGGREGATIONEM.

1707. Confraternitas, quae Archiconfraternitati aggregatur, seu quavis alia ratione unitur, amittit indulgentias (vid. n. 1691) si quas antea obtinuerat, et gaudet indulgentiis Archiconfraternitatis vi clausulae in Brevi apponi solitae: *Si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, seu quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae Litterae Apostolicae nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint* (Decr. 8 Maji 1713. N. 48).

1708. Archiconfraternitates, Superiores cujuscumque Ordinis sive Instituti, ceterique habentes facultatem communicandi privilegia, *non possunt privilegia et indulgentias ampliare et limitare pro suo arbitrio* in aggregationibus, nisi aliter in indultis Apostolicis provideatur. Insuper aggregationes non ad tempus, sed *in*

perpetuum faciendae sunt (Decr. 2 Martii 1748. N. 171 ad 1m et 2m).

1709. Ad obtinendam aggregationem requiritur *ex parte Confraternitatis aggregandae* postulatio aggregationis, quae secum habeat litteras testimoniales Episcopi, qui testetur erectionem canonicam jam factam, pietatem et christianae charitatis officia, quae dicta Confraternitas exercere cupit, et proprium ipsius Episcopi consensum.

1710. *Ex parte Archiconfraternitatis aggregantis* observari debet sub nullitatis poena, *saltem in substantialibus,* modus praescriptus a Constitutione *Quaecumque* Clementis VIII, *nempe formula determinata,* quae saltem quoad substantiam sit conformis formulae a laudato Pontifice praescriptae, quaeque continere debet praecipua puncta seu capita, quae in praefata Constitutione continentur, una cum variationibus a Summo Pontifice Pio IX per Decretum 8 Januarii 1861 approbatis.

1711. Illud est maxime notandum, *Archiconfraternitates non posse sibi aggregare nisi Confraternitates ejusdem tituli et finis.* Pluries hoc a S. Sede declaratum est (Vid. Decr. auth. N. 94) et novissime a S. Congregatione Indulgentiarum die 17 Julii 1891, confirmatum per infrascriptam decisionem:

In ecclesia Domus professae Societatis Jesu *(Chiesa del Gesù)* existit Congregatio Primaria, quae *Bonae Mortis* nuncupatur sub invocatione D. N. Jesu Christi in cruce morientis ac beatissimae Virginis Mariae perdolentis. Finis ejus est: *disponere fideles per jugem Passionis Domini memoriam et per vitam recte christianeque institutam, ad mortem* quam felicissime obeundam.

Hujus vero Primariae Congregationis statuta generalia praescribunt quaedam pia exercitia in communi peragenda, ita ut Sodales conveniant in ecclesiam Congregationis vel singulis sextis feriis aut diebus Dominicis, vel saltem semel aut bis in mense, et in his piis coetibus conciones habeantur, et preces una simul a Sodalibus fundantur.

Cum autem Congregationum *Bonae Mortis,* quae per diversas Orbis partes eriguntur, statuta peculiaria originalibus statutis supra recensitis sint conformanda, quantum tempora et locorum adjuncta suadebunt, ideo postulatum est:

I. Utrum Primariae aggregari possit Congregatio *Bonae Mortis,* quae sub invocatione tantum *sancti Josephi* erigeretur, *omisso*

omnino titulo D. N. Jesu Christi in cruce morientis et B. Virginis Mariae perdolentis, et cujus statuta nullam habent mentionem de piis conventibus atque exercitationibus supradictis pro certis diebus, et tantummodo praescribunt, ut fundantur preces pro unoquoque socio cum in agoniam devenerit, ut mortuos Sodales ad sepulturam comitentur et eleemosynae colligantur ad Missas pro sociis defunctis celebrandas: talis enim Congregatio non videretur esse ejusdem nominis et instituti?

II. An Episcopi qui gaudent indulto eis concedente facultatem erigendi in sua dioecesi Confraternitates cum indulgentiis, quibus gaudent Archiconfraternitates ejusdem nominis et instituti in alma Urbe existentes, erigere valeant pias Sodalitates, uti supra expositum est, cum indulgentiis concessis Primariae Congregationi *Bonae Mortis?*

Sacra Congregatio respondit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative* (Apud Acta S. Sedis, vol. XXIV, pag. 125).

1712. Certum est ergo Archiconfraternitates seu Primarias Congregationes non posse sibi aggregare nisi Confraternitates *ejusdem nominis et instituti,* ut patet ex responso ad primum dubium.

Certum pariter est, Episcopos *vi specialis indulti a S. Sede obtenti,* posse quidem communicare Confraternitatibus *ejusdem nominis et instituti* a se erectis indulgentias Archiconfraternitatibus *respectivis* concessas; non autem id posse pro Confraternitatibus, quarum nomen et institutum sunt diversa, ut patet ex responso ad secundum dubium.

Quare si contingeret aliquam Confraternitatem aggregari vel fuisse aggregatam Archiconfraternitati diversi tituli et instituti, hujusmodi Confraternitas non gauderet indulgentiis, quae sunt propriae illius Archiconfraternitatis (Cf. id. Decr. ad 3^{m}).

ARTICULUS V.

REGULAE SERVANDAE A SUPERIORIBUS GENERALIBUS ORDINUM PRO ERECTIONIBUS, ET AB ARCHICONFRATERNITATIBUS PRO AGGREGATIONIBUS.

1713. Juxta Decretum Urbis et Orbis, quod incipit *Ad Religionis* de die 8 Januarii 1861, tum Superiores Ordinum *pro erectionibus,* tum Archiconfraternitates *pro aggregationibus* servare debent sub nullitatis poena, *saltem in substantialibus,* formulam supra memoratam, quae continere debet praecipua capita seu regulas Bullae *Quaecumque* Clementis VIII cum variationibus Pii PP. IX (Decr. auth. N. 388).

Nos hic exponemus, primo, regulas servandas tam a Superioribus Ordinum in erectionibus, quam ab Archiconfraternitatibus in aggregationibus: postea relativas formulas transcribemus. En igitur praedictae regulae, prout jacent in *Decreta authentica* pag. 465 et seq.:

1° « *Quod unica tantum Confraternitas ejusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam Saecularium quam Regularium.*

2° *Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum Litteris testimonialibus ejusdem.*

3° *Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea quibus per privilegium communicationis gaudet.*

4° *Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint.*

5° *Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur.*

6° *Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget juxta formam per Ordinarium praescribendam.*

7° *Quod litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis,*

cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus, eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra non excedat summam libellarum vulgo francs *triginta, pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat.*

8° *Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis officiorum, quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit* ».

1714. Ad omnem dubitationem tollendam super validitate institutionum seu aggregationum, de quibus agitur, *ob defectum observantiae* Constitutionis *Quaecumque* Clementis VIII, Summus Pontifex Pius IX benigne SANAVIT *institutiones et aggregationes hucusque factas,* in quibus aliquid ex praescriptis in dicta Constitutione desideretur (Decr. Urbis et Orbis 8 Jan. 1861. N. 388).

1715. Idem Pontifex per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum diei 19 Octobris 1866, enixe postulantibus nonnullis tum Superioribus Ordinum regularium, tum Rectoribus Archiconfraternitatum, benigne indulsit, ut praefata capitum expositio in posterum *etiam separatim a litteris aggregationum dari possit, ita tamen, ut simul cum praefatis litteris adnexa omnino communicetur, et in eadem formula exprimatur* (Decr. auth. N. 417).

Videlicet: quia regulae supra expositae debebant esse insertae seu transcriptae in ipsa formula, Pius IX benigne concessit, ut in posterum etiam in *separato folio* transcribi vel imprimi atque dari possint, ea tamen conditione adjecta, ut praedictae regulae *eodem tempore* communicentur, quo ipsum diploma seu formula erectionis vel aggregationis expeditur, et quod in eadem formula fiat mentio de praefatis regulis ibi adnexis.

1716. Duo dubia S. Congregationi Indulgentiarum proposita sunt dirimenda, quorum primum refertur ad secundam, alterum ad quintam ex adductis regulis, et sunt sequentia:

I. An conditio Clementinae Constitutionis *Quaecumque* de consensu Ordinarii loci et de litteris testimonialibus, servanda in

erectionibus et aggregationibus Confraternitatum, accipienda sit ita, ut duo requirantur actus distincti, consensus nempe et litterae testimoniales; vel potius sufficiat consensus implicite expressus in litteris testimonialibus?

II. An Summarium Indulgentiarum quod una cum diplomate datur in erectione Confraternitatum, jam recognitum et approbatum a S. Congregatione Indulgentiarum, nova etiam indigeat recognitione Ordinarii loci?

S. Congregatio Cardinalium die 5 Martii 1896 respondit:

Ad I. *Sufficere Ordinarii litteras, quibus consensum in erectionem vel aggregationem Confraternitatum significet et instituti pietatem ac religionem commendet.*

Ad II. *Negative.* — Quas resolutiones approbavit Summus Pontifex in Audientia diei 20 Maji 1896.

1717. Modo subnectimus supra memoratas formulas, quas S. Congregatio Indulgentiarum publicavit post editum Decretum a nobis jam citatum de die 8 Januarii 1861, eas transcribendo cum *adnotationibus,* quas ipsa S. Congregatio eisdem adjecit. Praedictae formulae jacent apud *Decreta authentica* Append. XII, pag. 465, et Append. XIII, pag. 468.

Formula servanda saltem in substantialibus (1) a Superioribus regularibus Religionum etc. in erigendis seu instituendis Confraternitatibus ac communicandis indulgentiis et gratiis spiritualibus, quas a Sede Apostolica obtinuerunt.

N. N. Ordinis N. Generalis (2).

Religio nostra cum inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat saecularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia et indulgentias communicandi, in hujusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christifidelium salutem promovendam expedire ani-

---

(1) Dicitur *in substantialibus,* quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant. Integrum etiam erit unicuique Ordini, Religioni, Instituto sive originem sive naturam sive praestantiam proprii Ordinis indicare et alia, quae solent in hujusmodi Litteris exponi.

(2) Hic exprimitur persona vel qui auctoritate pollet juxta facultates et privilegia uniuscujusque Ordinis etc.

madvertit, liberalem se praebere consuevit. Nos igitur, qui generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes, fore ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa Confraternitatem N. in ecclesia N. loci N., dioecesis N., de consensu loci Ordinarii, qui ejusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac religionem Litteris patentibus Nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia similis in ipso vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes nostras Litteras erigimus et instituimus, illique et pro tempore existentibus utriusque sexus confratribus elargimur et communicamus indulgentias, privilegia et speciales gratias singillatim descriptas in elencho, quem rite per Ordinarium loci recognitum una cum his Litteris tradimus diligenter asservandum (1). Quibus omnibus indulgentiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam ejusque confratres potiri et gaudere posse decernimus juxta ea, quae fel. me. Clemens PP. VIII in Constitutione, quae incipit: *Quaecumque,* data sub die 7 Decembris 1604 praescripsit, et variationes a SSmo D. N. Pio PP. IX approbatas, ut ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 8 Januarii 1861, et cujus Constitutionis praecipua capita cum dictis variationibus subnectuntur (2), scilicet: 1° Quod unica tantum Confraternitas ejusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam Saecularium quam Regularium. 2° Quod id fiat de consensu Ordinarii etc.... ut supra n. 1713. *Deinde conclu-*

(1) Potest etiam inseri, si lubet, elenchus. In utroque tamen casu elenchus jam ab Ordinario loci recognitus continere debet distincte et expresse, non sub generalibus verbis, indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

Ad tollendam tamen omnem dubitationem, dum per *Ordinarium loci* dicitur recognosci debere elenchum, intelligitur, ut si semel ab Ordinario loci, ubi auctoritas praecipua Ordinis, Instituti, Religionis etc., quae habet facultatem erigendi etc., moratur, recognitus fuerit elenchus, non indigeat nova recognitione, et tradi possit Societati erigendae etc. etiam alibi, cum necessarium sit, ut semper idem sit elenchus, salvis additionibus, quae ex novis concessionibus pariter recognoscendis fieri contingat.

(2) Si lubet, inseri etiam potest integra Constitutio, addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Ceterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

ditur: In quorum testimonium has Litteras fieri et per Nostrum Secretarium subscribi et publicari mandavimus sigilloque officii nostri muniri. Datum etc.

Formula servanda in substantialibus (1) ab Archiconfraternitatibus et Congregationibus pro aggregatione Confraternitatum et Congregationum.

Dilectis Nobis in Christo Confratribus Societatis N. in ecclesia N. auctoritate N. canonice erectae salutem in Domino sempiternam.

Nos qui juxta officii nostri debitum fidelium salutem, pietatisque ac religionis progressum procurare debemus, libenter nostrae Archiconfraternitati alias ejusdem instituti Confraternitates adjungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis indulgentias, facultates et indulta juxta facultatem nobis a Summis Pontificibus concessam impartimur. Qua de re cum D. N., ejusdem Confraternitatis Procurator aggregationem hujusmodi et indulgentiarum communicationem enixe postulaverit, nos, Protector, Prior et Custodes praedicti totam ipsam Archiconfraternitatem repraesentantes, Constitutioni inhaerentes fel. rec. Clementis VIII incipien. *Quaecumque* die 7 Decembris 1604 super hujusmodi aggregationibus et coelestis Ecclesiae thesauri communicatione editae una cum variationibus approbatis a SS. D. N. Pio PP. IX per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 8 Januarii 1861, his nostris litteris solo Dei amore ac pietatis religionisque christianae augendae zelo ducti, Confraternitatem praedictam canonice, ut superius, erectam, attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu ac litteris testimonialibus, quibus ejus institutum, pietas ac religio commendatur, nostrae Archiconfraternitati (dummodo per nos similis gratia prius alteri in dicto loco N. concessa, et tempore hujusmodi concessionis alteri Archiconfraternitati aggregata non fuerit) juxta facultatem Apostolicam nobis concessam adjungimus et aggregamus, atque illi ejusque Confratribus indulgentias et spirituales gratias nostrae Archiconfraternitati Litteris Pontificiis nominatim, expresse et praecise concessas largimur et communicamus juxta tenorem descriptionis

(1) Dicitur *in substantialibus* quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant; addendo etiam, si lubet, quae respiciunt originem, praestantiam etc. Societatis aggregantis.

contentae in elencho, quem rite recognitum per Ordinarium loci, una cum his litteris separatim tradimus (1).

Quibus omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus inibi singillatim descriptis praedicta Confraternitas uti, potiri et gaudere possit juxta ea, quae sa. me. Clemens VIII in supra citata Constitutione praescripsit, et variationes a SS. D. N. Pio PP. IX approbatas, cujus quidem Constitutionis quoad substantiam tenor una cum dictis variationibus ita se habet (2), scilicet: 1° Quod unica tantum Confraternitas ejusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam Saecularium quam Regularium. 2° Quod id fiat de consensu Ordinarii etc. ut supra n. 1713. *Postea concluditur:*

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has litteras nostras exinde fieri et per nostrae Archiconfraternitatis Secretarium subscribi et publicari mandavimus et sigillorum ipsius Protectoris et Archiconfraternitatis jussimus et fecimus appensione muniri (3).

Datum Romae ex loco solito nostrae Congregationis anno Indictione die mense Pontificatus praesentibus.

1718. Tam ex regula secunda, quam sub n. 1713 exhibuimus, quam ex formulis modo expositis clare patet, nec Superiores Ordinum posse Confraternitates erigere, nec Archiconfraternitates eas aggregare *sine praevio consensu Episcopi et cum litteris testimonialibus ejusdem,* quae insuper fieri debent *in foliis separatis.* Non enim sufficeret dictum consensum exprimere in diplomate erectionis vel aggregationis Episcopo transmisso. Id declaratum est in responsionibus ad dubia, quae hic transcribimus:

1. An dicta conditio *(de praevio consensu Episcopi et litteris testimonialibus ejusdem)* sufficienter impleatur, cum Ordinarius loci litteras testimoniales in antecessum non dat, sed tantum in

(1) Potest etiam inseri, si lubet, elenchus; in utroque tamen casu elenchus debet ab Ordinario loci, ubi Archiconfraternitas existit, recognosci, et continere debet distincte et expresse, non sub generalibus verbis, indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

(2) Si lubet inseri etiam potest integra Constitutio, addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Ceterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda est.

(3) Hinc indicantur nomina eorum qui proprias subscriptiones etiam per sigillum apponere debent, quique varii sunt juxta peculiaria statuta.

diplomate erectionis vel aggregationis sibi transmisso his verbis subscribit, vel etiam aequivalentibus: « *Vidimus et consensimus* », seu « *Vidimus et executioni dari permisimus* » ?

S. Congregatio resp. *Negative.*

2. An saltem sufficiat Ordinarium suam subscriptionem apponere, cum in diplomate subscriptionis sibi transmisso a Superiore Ordinis non leguntur verba: *Erigimus,* sed: *Facultatem concedimus erigendi,* et dicta subscriptio actualem erectionem praecedit ?

Resp. *Non sufficere* (Decr. 3 Dec. 1892 apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXV, pag. 138).

Quaesitum est etiam: An erectio Confraternitatum SSmi Rosarii facta per litteras Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum facultativas, executioni mandatas a Sacerdote sive regulari sive saeculari, ab eodem Magistro Generali deputato, valida sit si Ordinarius consensum quidem suum ante executionem exprimat, nullas vero litteras testimoniales concedat ?

S. Congregatio Indulgentiarum respondit: *Negative* (Decr. 20 Maji 1896 ad V).

1719. In Decreto supra citato diei 3 Dec. 1892 aliud dubium resolutum fuit, quod est sequentis tenoris:

Cum saepe longe distet Archiconfraternitatis Moderator, seu Superior Ordinis religiosi, factum est ut plerumque Formulae ab eis subscriptae et sigillo munitae, in Cancellaria episcopatuum seu in aliqua Ordinis Domo in antecessum deponantur, quibus suo tempore depositarius utitur ad erectionem vel aggregationem, nomen Rectoris datamque in Formula apponens. Quaeritur igitur an erectio vel aggregatio hoc modo peracta uti valida sit retinenda ?

Sacra Congregatio respondit: *Negative.*

Ex hac responsione patet et certi efficimur, tum Moderatores Archiconfraternitatum, tum Superiores regulares minime posse *ad validitatem* transmittere diplomata seu formulas respectivas sine appositione nominis Rectoris, absque data etc. seu, ut vulgo dicitur, *in bianco, en blanc,* aliis relinquendo onus implendi spatia, sed haec omnia per semetipsos exequi debere.

1720. Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum, relate ad Confraternitates SSmi Rosarii, S. Congregationi Indulgentiarum hoc dubium proposuit dirimendum:

An ipsae litterae *facultativae* validae sint, si subscriptione et sigillo ejusdem Magistri Generalis munitae, aut certum Sacerdotem

ad executionem non deputent, aut locum Confraternitatis erigendae non exprimant?

Et S. Congregatio respondit: *Negative* (Decr. 20 Maji 1896 ad VI).

Ergo ut hujusmodi litterae facultativae sint validae, necesse est ut in iis designetur Sacerdos qui eas executioni mandet et simul exprimatur locus, in quo erectio Confraternitatis fieri debeat.

1721. Placet hic exponere dubium, jam S. Indulgentiarum Congregationi propositum et ab ea resolutum, super potestate Episcopi adjungendi Sodalitiis, indulgentiis a S. Sede ditatis, alias indulgentias:

Potestne Episcopus vel alius quicumque Praelatus eidem actui pietatis sive eidem pio Sodalitio cui a Romano Pontifice jam indulgentiae sive plenariae sive partiales concessae sunt, alias indulgentias adjungere?

Resp. *Negative, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur* (Decr. 12 Jan. 1878. N. 434 ad 1^{m}).

Episcopus igitur ut possit pio Sodalitio jam indulgentiis a Summo Pontifice locupletato, indulgentiam quadraginta dierum adjungere, debet novas conditiones a sodalibus adimplendas praescribere, nempe vel novas preces vel novum pietatis opus, etc.

ARTICULUS VI.

DE SUBJECTIS BULLAE « QUAECUMQUE ».

1722. Si generatim quaeratur, quinam praescriptionibus Bullae *Quaecumque* Clementis VIII subjiciantur, respondemus, juxta tenorem ipsius Bullae eis subjici: *Regulares Ordines, Religiones et Instituta,* ac etiam Christifidelium saecularium *Archiconfraternitates et Congregationes,* quibus facultas erigendi et instituendi in eorum et aliis ecclesiis et collegiis, nec non etiam sibi aggregandi Confraternitates et Congregationes in Urbe et in aliis locis existentes, eisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias etc. sibi concessas respective communicandi attributa fuit (Ex Bulla *Quaecumque* apud Decr. auth. pag. 433).

Insuper Paulus V, Bulla *Quae salubriter* de die 3 Novembris 1610 praedictam Constitutionem Clementis VIII cum suis clausulis et decretis *ad Basilicae Lateranensis et aliarum Basilicarum et eccle-*

siarum quarumcumque Capitula, Canonicos et quasvis alias personas similes facultates habentes illisque utentes, ad effectum videlicet, ut ipsa Capitula et Canonici ac personae nullas in posterum indulgentias communicare possint, nisi praedictae Constitutionis forma servata, et eas solummodo quae a laudato Pontifice illis praescribentur, auctoritate Apostolica extendit (Decr. auth. pag. 441). Ecclesiae ergo seu Canonicorum Capitula, quae facultatem habent communicandi proprias indulgentias *aliis ecclesiis, capellis, altaribus et piis locis,* omnino subduntur praefatae Constitutioni Clementis VIII.

1723. Constitutioni *Quaecumque* non subjiciuntur Episcopi. Formula enim, de qua supra n. 1717, *praescribitur tantum pro erectione Sodalitatum a Regularibus peragenda,* minime vero quando Confraternitates eriguntur ab Episcopo. *Episcopis enim Sodalitates erigentibus nulla determinata formula praescripta est,* proindeque *Decretum solummodo Episcopi erigentis* satis erit ad canonicam erectionem (Decr. 22 Aug. 1842. N. 308 ad 2^{m}; et 18 Nov. ejusdem anni, N. 312 ad 1^{m}).

1724. Quamvis pro Confraternitatibus ab Episcopis erigendis nulla determinata formula praescripta sit, tamen in hujusmodi erectionibus etiam Episcopi observare tenentur conditiones in Bulla *Quaecumque* enuntiatas, si in Apostolico Indulto adjecta fuerit conditio « *servata Constitutione Clementis VIII* » (Decr. auth. N. 298 ad 4^{m}), eas scilicet quae sunt *juris communis,* uti ex. gr. lex de nulla accipienda mercede, praescriptum de distantia inter Sodalitates ejusdem nominis et instituti quoties non agatur de Sodalitatibus sub hoc respectu privilegiatis, etc.

1725. Ab observantia Constitutionis Clementis VIII excipitur *Congregatio* sub titulo *Annuntiationis B. M. V.* in Collegio Romano erecta, *Prima-Primaria* nuncupata, quae peculiarem et propriam habet institutionis et aggregationis formulam a pluribus Summis Pontificibus approbatam, quaeque proinde minime comprehenditur in Decreto supra citato diei 8 Januarii 1861 (Decr. 29 Aug. 1864. N. 413, et vid. *Instructio de Congregationibus B. M. V. rite instituendis*).

Aliae quoque Confraternitates exemptae fuerunt ab observantia *praescriptae formulae* pro erectionibus et aggregationibus, ut ex. gr. Confraternitates *Sanctissimi Cordis Jesu* per Rescriptum 5 Aprilis 1862, et Congregationes *Bonae Mortis* per Rescriptum 21 Martii 1885 (Cf. Beringer, tom. II. pag. 36 et 293).

ARTICULUS VII.

PRAESCRIPTIONES QUAE RESPICIUNT LOCA ET DISTANTIAS IN ERECTIONIBUS CONFRATERNITATUM.

1726. Regula generalis, fere hactenus ea fuit, ut Confraternitates *ejusdem nominis et instituti* erigi non possent in duabus paroeciis, quamvis in separatis oppidis constitutis, *quae non distarent ab invicem una leuca* (circiter tria milliaria seu 4 $^1/_2$ kilom.) (Decr. 22 Aug. 1842. N. 308 ad 3^m).

Lex eadem inculcatur in formula sub n. 1717 relata, a Superioribus regularibus in erigendis Confraternitatibus servanda. Ibi enim edicitur: « Dummodo talis alia similis in ipso vel alio *ad tria milliaria* propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes nostras litteras erigimus (Confraternitatem) ».

Nec licebat, generatim loquendo, *in frequentioribus civitatibus* plures Confraternitates *ejusdem nominis et instituti* erigere. Obveniente autem gravi causa, recurrendum erat ad S. Sedem (Decr. 29 Febr. 1864. N. 403 ad 2^m).

1727. Excipiebantur et adhuc excipiuntur ab hac lege Confraternitates *SS. Corporis Christi et de Doctrina Christiana,* quae, per singulare privilegium in singulis paroeciis possunt institui, ita ut haud requiratur unius leucae distantia inter duas hujusmodi Confraternitates (Decr. 22 Aug. 1842; 12 Julii 1847. N. 308 ad 3^m et 343 ad 2^m).

Posterioribus temporibus nonnullae aliae piae Societates a lege distantiae fuerunt exemptae, ut ex. gr. *Congregationes B. Mariae Virginis ab Angelo salutatae, Congregationes Bonae Mortis* (uti videbimus ubi de Confraternitatibus in specie) nec non *Congregationes* seu *Sodalitates B. Mariae Virginis Immaculatae et S. Agnetis Virginis et Martyris,* communiter dictae *Filiarum Mariae,* quae plures in eodem loco, nulla habita ratione distantiae, erigi et institui possunt, uti statuit Pius PP. IX Decreto Urbis et Orbis diei 30 Augusti 1866 (Decr. auth. N. 416).

1728. Ilis ergo et quibusdam aliis piis Associationibus exceptis, praefata lex distantiae in erectione Confraternitatum ejusdem nominis et instituti ex praecepto observanda erat. Verum, ob mutata temporum adjuncta, Apostolica Sedes praedictam legem

distantiae nuperrime moderavit, ceu ex iis, quae modo subjicimus, patebit. A S. Congregatione Indulgentiarum postulatum fuit:

(In una Laudensi) Utrum concessio Pontificia statuens *Sodalitia Filiarum Mariae* ubique locorum erigi, ac Sodalitati primariae in Basilica S. Agnetis extra moenia Urbis existenti aggregari posse, *sit extendenda ad alias quoque Confraternitates et Congregationes,* ea praesertim de causa quod hisce nostris temporibus maxime optandum sit, ut ubique locorum Confraternitatum ac Congregationum multiplicetur erectio, quam etiam Apostolica Sedes iterum atque iterum commendavit?

S. Congregatio respondit: *Negative,* et consulendum SSmo *ut dignetur extendere praefatam concessionem* pro Confraternitatibus erigendis IN LOCIS DISTINCTIS, id est *in distinctis dioecesibus vel communitatibus* (Decr. 10 Jan. 1893 ad IV).

In Audientia vero diei 31 Jan. 1893 Summus Pontifex Leo XIII *petitam gratiam benigne concessit* (Apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXV, pag. 269).

In allato responso duo continentur: 1° Quod ex praxi existente (ut expresse dicitur in eodem Decreto ad 2^{m}) in erigendis Confraternitatibus et iis aggregandis, distantia unius leucae generatim est servanda. 2° Quod in locis *distinctis,* ut sunt dioeceses, civitates, pagi, oppida seu *communitates,* conceditur ut Confraternitates erigi possint, *quamvis una leuca inter se non distent.*

1729. Quaenam praecise haberi debeant *pro locis distinctis* seu *distinctis communitatibus* extat declaratum a laudata S. Congregatione Indulgentiarum in responsione ad hoc dubium:

An *distincta communitas,* quam Decretum S. Congregationis Indulgentiarum *in una Laudensi* diei 31 Januarii 1893 pro erectione Confraternitatum ejusdem nominis et instituti requirit, constituatur etiam a quolibet ejusdem municipii oppido, situ et nomine ab aliis disjuncto, adeo ut in uno eodemque municipio plures ejusdem nominis et instituti Confraternitates erigi possint?

S. Congregatio respondit: *Affirmative, dummodo in unoquoque oppido habeatur etiam propria paroecia* (Decr. 20 Maji 1896. ad III).

1730. Sed quid dicendum *de magnis civitatibus?* Possuntne ibi plures Confraternitates ejusdem nominis et instituti erigi? Dubium hoc propositum fuit solvendum praefatae S. Congregationi Indulgentiarum hisce verbis: *An in magnis civitatibus, quae*

unam tantum constituunt communitatem, plures nihilominus erigi possint ejusdem nominis et instituti Confraternitates?

Et S. Congregatio respondit: *Negative, sed supplicandum SSmo, ut derogando in hac parte Constitutioni sa. me. Clementis VIII, quae incipit* QUAECUMQUE, *Ordinariis benigne tribuere dignetur facultatem providendi pro eorum arbitrio et prudentia in singulis casibus, servata tamen in hujusmodi erectionibus convenienti, eorum judicio, distantia.*

Summus Pontifex Leo XIII postulatam facultatem, derogando Constitutioni *Quaecumque,* benigne Ordinariis concedere dignatus est (Decr. eod. ad IV).

1731. Hodie ergo in locis *distinctis,* id est in distinctis civitatibus, oppidis, pagis etc. in quibus respective habetur propria et distincta paroecia, erigi possunt Confraternitates ejusdem nominis et instituti, *etsi una leuca non distent ab invicem,* et quoad *magnas civitates,* data est respectivis Ordinariis facultas, pro eorum arbitrio et prudentia in singulis casibus, plures quoque ex dictis Confraternitatibus erigendi, servata in hujusmodi erectionibus convenienti, *secundum eorum judicium,* distantia.

ARTICULUS VIII.

REGULARES NEQUEUNT COMMUNICARE CONFRATERNITATIBUS INDULGENTIAS IPSIS REGULARIBUS CONCESSAS.

1732. Sacra Congregatio Indulgentiarum jam declaravit, Regulares quoscumque cujusvis Ordinis, Congregationis, ac Instituti, *non potuisse, nec posse* Confraternitatibus, Sodalitatibus, aliisque similibus Congregationibus quibusvis tam hactenus erectis et institutis, quam in posterum quandocumque erigendis et instituendis, sive quorumcumque privilegiorum vigore aggregatis et aggregandis, *ullo modo communicare indulgentias ipsis Regularibus concessas; sed tantum illas, quas ut hujusmodi Confraternitatibus, Sodalitatibus, seu aliis similibus Congregationibus communicent, facultas eis specifice et nominatim per Sedem Apostolicam concessa fuerit* (Decr. 19 Martii 1671. N. 6, a Summo Pont. approb.).

1733. Recte ergo Theodorus a Spiritu Sancto scribit: Observa, falsam esse nonnullorum Doctorum sententiam asserentium, Confraternitates a Regularibus institutas, per communicationem frui

posse indulgentiis tum immediate ipsis personis, tum per extensionem Ordini regulari instituenti concessis. Quam opinionem proxime superioribus annis in vulgus sparsam, nullaque solida ratione munitam animos plurium Regularium novimus occupasse... Sed falsitas sententiae allatae demonstratur tum ex statuto ipso Clementis VIII, tum ex eo quod indulgentiae Ordinibus regularibus datae sunt *ex specialissima causa, intuitu scilicet status Religiosi:* adeoque nequeunt confratribus, qui saeculares sunt, communicari et prodesse (Part. II, pag. 131).

1734. Ergo *erronee* contra expositam doctrinam nonnulli interpretati sunt sequens Decretum: « Sodalitates canonice erectae privilegiis et indulgentiis gaudent illorum Ordinum regularium, quorum fruuntur titulis *juxta Constitutionem sa. me. Clementis VIII* » (Decr. 7 Junii 1842. N. 303).

1735. Verba hujus Decreti, quod ceterum, ut observat cl. Beringer, tom. II, pag. 40, esse nullatenus posset *concessio indulgentiarum,* quia caret approbatione Summi Pontificis, etsi falsae interpretationi locum dare possint, sunt tamen explicanda *juxta Constitutionem Clementis VIII,* ut Decretum ipsum innuit. Constitutio autem quomodo super hac quaestione sit intelligenda, ipsa S. Congregatio explicavit per declarationem supra allatam n. 1732, quod scilicet *Regulares nullo modo communicare possunt indulgentias ipsis Regularibus concessas, sed tantum illas, pro quibus communicandis facultas eis specifice et nominatim per Sedem Apostolicam concessa fuerit* (Cf. *Nouv. Rev. Théol.* tom. XIX, pag. 370 et sqq.).

Res confirmatur ex sequentibus decisionibus. Quaesitum fuit: *An ecclesiae, in quibus erectae sunt Confraternitates* (alicui Ordini aggregatae), *dici possint ecclesiae Ordinis ad hoc, ut fidelis quilibet, qui non fuerit eis adscriptus,* consequi valeat aliquas indulgentias eas visitando?

S. Congregatio resp. *Negative et amplius* (Decr. 15 Jan. 1752. N. 190 ad 2^m; 30 Julii 1735. N. 110).

An in ecclesiis Confraternitatum SS. Trinitatis, B. M. Virg. de Monte Carmelo ac septem Dolorum acquiri valeant omnes indulgentiae, quas lucrantur fideles visitando ecclesias Ordinum respectivorum?

Resp. *Negative* (Decr. 27 Apr. 1887 ad VI, apud Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 97).

1736. Cum igitur in ecclesiis Confraternitatum *adscripti tantum* lucrari possint aliquas indulgentias, easdem ecclesias visitando, in ecclesiis vero respectivorum Ordinum *omnes fideles,* consequitur non iisdem frui indulgentiis ecclesias Confraternitatum et ecclesias respectivorum Ordinum. Ad rem facit quod reperitur expositum in *Decr. auth.* N. 190:

In quadam parochiali ecclesia inveniebatur erecta Confraternitas Ordini SS. Trinitatis aggregata. Parochus dictae ecclesiae, ea ductus opinione, quod ista, in qua Confraternitas erecta erat, dici potuisset ecclesia Ordinis laudati, ac proinde eaedem omnino in illa reperirentur indulgentiae, quae in ista, super januam dictae parochialis ecclesiae, invitatoriam posuit tabellam hisce verbis inscriptam: *Visitando questa chiesa, s' acquistano l' indulgenze concesse ad ogni chiesa dell' Ordine della SS. Trinità* (Visitando hanc ecclesiam fideles lucrantur indulgentias concessas cuicumque ecclesiae Ordinis SS. Trinitatis). — Episcopus loci, ne fideles in re tanti momenti manerent decepti, rem totam S. Congregationi Indulgentiarum proposuit, quae non solum respondit: *Negative et amplius,* sed etiam Episcopo mandavit, ut tabellam ab ecclesia removere omnino faceret, et Procuratorem Generalem Ordinis de praescriptione S. Congregationis moneret.

1737. In locis, ubi nulla adest ecclesia neque Ordinis, neque Confraternitatis SS. Trinitatis, aut B. M. V. de Monte Carmelo, aut a septem Doloribus, fideles qui sunt adscripti alicui ex his Confraternitatibus, acquirere respective possunt omnes indulgentias adnexas dictarum ecclesiarum visitationi, *visitando ecclesiam parochialem* (Decr. 27 Apr. 1887 ad VIII; Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 557).

ARTICULUS IX.

JUS EPISCOPI VISITANDI CONFRATERNITATES.

1738. Juxta Concilium Tridentinum Episcopi jus habent visitandi *Confraternitates Laicorum,* exceptis iis quae sunt sub immediata Regum protectione (Sess. XXI, Decretum de Reformatione, cap. VIII). Administratores tam ecclesiastici quam laici *fabricae cujusvis ecclesiae,* etiam cathedralis, hospitalis, *Confraternitatis...* et quorumcumque piorum locorum, *singulis annis tenean-*

tur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis (Ibid. cap. IX).

1739. Consequitur posse Episcopum visitare etiam Confraternitates a Regularibus institutas cum usu saccorum sive in propriis sive in aliorum ecclesiis una cum capellis, *super iis quae concernunt administrationem redituum, nec non adimplementum onerum, altaria, aliaque hujusmodi, si confratres debeant manutenere altare, ejusque cultum, divinumque Officium persolvere* (Theodorus a Spiritu S. part. II, pag. 121; Ferraris, verb. *Confraternitas,* art. III).

1740. Plures Sacrae Romanae Congregationes rem definierunt eodem sensu. Sacra Congregatio Concilii *in Nucerina Paganorum* sub die 23 Junii 1719 hanc declarationem edidit: *S. Congregatio... inhaerendo declarationibus jam factis censuit, Confraternitates laicorum in ecclesiis Regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni et visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, nec non illorum capellas in iisdem ecclesiis Regularium existentes, in his tamen, quae Confraternitatum administrationem respiciunt.*

Et si Confraternitatibus incumbit onus manutenendi altare et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quae respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris seu capellae, onera Missarum atque divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quae ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent (Penes Benedict. XIV, Instit. 105. N. 87; Monacelli, Formularium... tom. I, pag. 127, edit. 3ª Rom.).

1741. Clarius et distinctius eadem sancivit S. Congregatio Episcoporum et Regularium in litteris ad Episcopum Alif. datis sub die 31 Julii 1737 in causa Sodalitatum *SS. Rosarii* et alterius sub titulo *Jesu et Mariae* in ecclesia Fratrum Praedicatorum erectarum; declaravit scilicet, quod locorum Ordinarii visitare possunt Confraternitates laicorum in ecclesiis Regularium erectas, *non tantum quoad bona eorumque reditus, examinando computus, sed etiam ipsas capellas, quoad ea quae respiciunt administrationem Sodalitatum;* id est videre, an reditus ac eleemosynae, quae offeruntur pro manutenenda et ornanda capella, pro divino culto augendo ac pro populi devotione promovenda fideliter expensae fuerint et vere expendantur in utilitatem et be-

neficium ipsius capellae, non autem in alios usus. *Non licet autem Episcopis se ingerere in reliquis, quae pertinent ad curam et administrationem Regularium, qui sunt domini totius corporis ecclesiae,* ubi existunt hujusmodi capellae et Confraternitates erectae... *ita ut non possunt Episcopi ullum actum jurisdictionis exercere in praedictis ecclesiis Regularium, praeter supra indicata* (Cf. Theod. a Sp. S. loc. cit. et Bizzarri, pag. 249, 250, 509).

1742. Etiam S. Congregatio Particularis de Propaganda Fide per Decretum super rebus Hiberniae diei 31 Augusti 1761, sequentia de Sodalitatibus statuit et declaravit:

Novas Sodalitates erigi non posse sine expressa Ordinarii licentia; legitime vero erectas non licere quidem Ordinario eas supprimere aut abolere, inconsulta Sede Apostolica; posse tamen easdem libere, quamvis in ecclesiis sive capellis Regularium erectas, visitare, corrigere et emendare, utpote subjectas moderationi et correctioni Episcopi juxta Constitutionem Clementis VIII, quae incipit *Quaecumque;* ac proinde tum circa ea quae respiciunt manutentionem, cultum et ornamenta altaris, seu capellae, onera Missarum ac divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, tum circa ea, quae ad obligationem eorumdem confratrum relationem habent, Ordinarium statuere ac decernere posse quidquid in Deo magis expedire judicaverit juxta toties repetita Decreta S. Congregationis Concilii. In visitatione Sodalitatum Episcopi districte prohibeant, ne pecuniae et reditus earumdem, etiamsi in ecclesiis Regularium sint erectae et a Regularibus dirigantur, ab alio quopiam administrentur, quam ab ipsis confratribus, qui quotannis Ordinario loci rationem reddere teneantur (Chronolog. histor. legalis Seraphici Ord. tom. IV, pag. 414, n. 7).

ARTICULUS X.

STATUTA CONFRATERNITATUM.

1743. Quamvis ad regimen et rectam Sodalitatum administrationem Confraternitas quaelibet propria habeat statuta, semperque eadem supponantur in erectionibus et aggregationibus Confraternitatum, tamen ea non sunt *absolute necessaria* nec ad validam erectionem earumdem Confraternitatum, nec ad fruitionem

indulgentiarum. Hoc patet ex responsione ad dubium, quod sic se habet:

Utrum *defectus statutorum vel officialium* in dictis Confraternitatibus, tum etiam si in illis pia opera vel usus singulares adhibeantur non conformes illis, quae in Archiconfraternitatibus Romae servantur, officiat necne validae erectioni, vel indulgentiarum communicationi?

S. Congregatio resp. *Negative, dummodo opera exerceantur, quibus adnexae sunt indulgentiae* (Decr. 22 Aug. 1842. N. 308 ad 2m).

1744. Jam antea eadem S. Congregatio Indulgentiarum magis expresse declaraverat: *Dummodo Sodalitates sint canonice erectae, et sodales adimpleant opera injuncta a Summis Pontificibus pro lucrandis indulgentiis suae respectivae Confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime adscripti fuerint in Confraternitatem, inobservantia partialis, seu generalis statutorum non obest acquisitioni indulgentiarum, ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam injuncta opera ad indulgentias acquirendas* (Decr. 25 Jan. 1842. N. 298 ad 2m).

1745. Item quaesitum est, an omnes et singuli articuli statutorum *(cujusdam Archisodalitatis)* sint necessarii et essentiales ad constituendam in suo esse Confraternitatem *(illi aggregandam)* pro acquirendis indulgentiis eidem concessis?

Resp. *Negative;* et dummodo Sodalitas canonice erigatur, sodalesque adimpleant opera pro acquirendis indulgentiis ab Apostolica Sede praescripta, *varietas* partialis, seu generalis statutorum (quae ab Ordinariis respectivorum locorum pro diversitate temporum et circumstantiarum erunt constituenda) *non obest acquisitioni indulgentiarum,* eo quod statuta sunt potius ad regimen, et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam injuncta opera ad indulgentias lucrifaciendas. Quod si nonnulli statutorum articuli aliqua peragenda opera sodalibus proponant, *quae ex Pontificia concessione ditata sint indulgentiis, ipsi tamquam essentiales habendi sunt, ut nullo modo variari possint,* ne tali spirituali emolumento sodales sint fraudati (Decr. 12 Maji 1843. N. 320).

1746. Mos est in pluribus Confraternitatibus gestandi certis temporibus specialem habitum, puta cappam rubri, nigri vel alterius coloris. De hac re postulatum fuit:

An gestatio cappae rubrae, qua sodales Archiconfraternitatis SSmi Sacramenti canonice erectae in... primitus utebantur, et quam modo demiserunt, necessario requiratur, ut praedicti sodales gaudere valeant indulgentiis eidem Archiconfraternitati legitime concessis?

S. Congregatio die 10 Aug. 1888 respondit: *Negative, dummodo injuncta opera adimpleantur; optandum tamen foret, ut sodales potissimum in sacris functionibus aliqua pia tessera utantur de consensu Ordinarii determinanda* (Apud Beringer, Append. II, n. 46, pag. 41).

Ad lucrandas ergo indulgentias, quae sunt propriae Confraternitatis respectivae, minime requiritur, nec etiam in sacris functionibus, induitio praefati habitus, seu cappae.

1747. Licet ex dictis statuta non sint *absolute necessaria*, maxime tamen utilia reputanda sunt pro meliori confratrum directione, ita ut concipi fere nequeat Sodalitas sine aliquo statuto. In statutis enim indicatur *finis particularis* Confraternitatis, declarantur *media* ad illum consequendum, statuuntur *regulae* pro Moderatorum ac Officialium electione, pro bonorum, si quae habeantur, recta administratione, pro congregationibus celebrandis etc.

1748. Ad Episcopum spectat (vid. n. 1713, 4°) statuta examinare et approbare; ipsi jus est corrigendi vel mutandi statuta etiam a se approbata, minime vero si haec fuerint *ab Apostolica Sede* confirmata, ceu resolvit S. Congregatio Ep. et Reg. in Astorien. 17 Febr. 1605 (Cf. Lucidi, de Visitatione, cap. 7; Acta S. Sed. vol. XV, pag. 191 in nota).

1749. Si agatur de Confraternitatibus, quae aggregandae sint alicui Archiconfraternitati, optime possunt hujus statuta assumi et adoptari. At Episcopo liberum semper erit, si ita in Domino judicaverit, aliquid eisdem adjungere, vel auferre (Cf. Decr. 22 Aug. 1842. N. 308 ad 2^{m} et Decr. S. Congr. Ep. et Regul. 15 Martii 1889 apud Acta S. Sed. vol. XXII, pag. 104 et seq.).

1750. Postulatum est: An necesse sit sub poena nullitatis, ut administratores (Confraternitatum) eligantur?

Resp. *Negative, quia administratorum electio erit tantum ad bonum Sodalitatum regimen, minime vero ad validitatem erectionis necessaria* (Decr. 18 Nov. 1842. N. 312 ad 2^{m}).

1751. In statutis et per statuta valde expedit et ideo consulitur, *tribuere Rectori Confraternitatis facultatem, qua possit in*

casu impedimenti vel ex alia rationabili causa alium Sacerdotem sibi substituere pro adscribendis fidelibus, aliisque Rectoris muniis exercendis. Rector enim Confraternitatis *per se* minime potest alteri Sacerdoti committere munus recipiendi fideles in Sodalitatem, vel numismata, rosaria, scapularia, aliaque signa, quae sunt sodalibus tradenda, benedicendi. Ut haec omnia praefato Rectori liceant, requiritur *vel speciale indultum subdelegandi, vel ut id ei concedatur per statuta Confraternitatis ab Episcopo approbata* (Cf. Decr. 3 Dec. 1892; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXV, pag. 139 ad IV).

1752. Statutum quo *compelluntur fideles* ad solvendam certam pecuniae summam in Confraternitatis ingressu, approbandum non est: esset enim lex de pretio solvendo *omnino illicito*... Ceterum si statutum sit *per modum adhortationis et non coactionis,* eosque dumtaxat afficiens, qui possunt solvere, ne alioquin pauperes a piis operibus et ab adscriptione inter confratres retrahantur, rejiciendum non esset. Item, si pecunia illa decerneretur *ad modum eleemosynae pro Missis, ornamentis ecclesiae, aliisque Confraternitatis oneribus impendendae* (Theod. a Spirit. S. p. II, pag. 131).

1753. Ceterum provisum est, quod « *Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget juxta formam* PER ORDINARIUM *praescribendam* ». Et S. Congregatio Indulgentiarum declaravit: Nihil obstare, juxta Clementis VIII Constitutionem § 8, quominus Confraternitates eleemosynas colligant juxta legem totam dioecesim afficientem *ab Ordinario* praescriptam, erogandas in ecclesiae seu oratorii reparationem atque ornatum, vel in alios pios usus *de consensu ejusdem Ordinarii* (Decr. 11 Junii 1838. N. 260).

1754. Statutum, scribit Bassi (quaest. IV, n. 4), quod nullus adscriptus in una Confraternitate, possit adscribi in alia, *cassari debet,* tamquam male factum; vel si etiam disponeret, quod non possint adscribi minores sexdecim annis (*S. Congr. apud Nicol. Flosc. verb. Confraternitas,* n. 9). Laudabilis namque est cooptatio minorum etiam sexdecim annorum (dummodo habiles existimentur) inter confratres Sodalitiorum, ut assuescant devotioni, et recte dirigantur in via Domini.

ARTICULUS XI.

DIRECTOR CONFRATERNITATIS.

1755. Quaelibet Confraternitas Praesidem habere debet, qui vel *Director* vel *Rector* aut *Moderator* vel etiam *Capellanus* (Rescr. auth. n. 189) nuncupari solet, cui potestas est ea gerendi quae ad Rectores spectant, et etiam, *quatenus in respectiva Sodalitate id Rectori tribuatur,* fideles adscribendi, habitus benedicendi et scapularia, illaque imponendi, coronas etc. pariter benedicendi juxta facultates ad quamlibet Sodalitatem spectantes pro similibus impositionibus, benedictionibus etc. (Cf. Decr. 8 Jan. 1861. N. 389).

1756. Episcopus designare potest, *generatim loquendo,* Directorem *uniuscujusque Confraternitatis* suae dioecesis, sive jam existentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectae (Decr. 18 Nov. 1842. N. 312 ad 3^m^).

1757. Diximus *generatim loquendo,* quia relate ad Confraternitates SS. Rosarii, Directores nominantur a P. Magistro Generali Ordinis Praedicatorum vi specialis privilegii a S. Sede concessi, uti asseritur in opere, cui titulus: *Acta S. Sedis pro Societate SS. Rosarii,* vol. I, pag. 26, ubi legitur: Regulariter Director Confraternitatis est ille, qui a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum in diplomate erectionis Confraternitatis designatur (S. Congr. Episc. et Regul. 1 Octobr. 1655).

In praxi Magister Generalis fere semper in suis litteris patentibus pro erectione Confraternitatis, Directoris officium concedit *Rectori ecclesiae,* in qua erigitur Confraternitas, sive hujusmodi Rector sit Parochus, sive Archipresbyter, sive Superior regularis alicujus Conventus, sive alius Sacerdos quilibet in dignitate ecclesiastica constitutus.

1758. Parochus ecclesiae sive loci ubi fit erectio, non est *eo ipso* Director Confraternitatis, nisi quatenus sit ab Episcopo erigente ad id nominatus (Decr. 25 Jan. 1842. N. 298 ad 3^m^; 7 Junii 1842. N. 304 ad 1^m^).

1759. Si Episcopus specialem Rectorem non designavit, tunc tantum Parochus erit eo ipso Director, *cum in illa paroecia nullus alius sit Sacerdos, cui committi possit hujusmodi officium:*

tunc enim eo ipso quod Episcopus ibi erigit Sodalitatem, *tacite videtur Rectorem designare ecclesiae pastorem,* non jure suo utendo, sed Sodalitatis necessitate Rectorem exigentis (Decr. 7 Junii 1842. N. 304 ad 1m).

1760. Juxta citatum Decretum S. Congregationis Indulgentiarum de die 7 Junii 1842 non licebat Episcopo, *absque speciali delegatione,* nominare *in perpetuum* Directorem Confraternitatis Parochum loci; imo generice loquendo, *quotannis* fieri debebat Rectoris electio (Decr. eod. ad 3m).

1761. Cum autem dubia exorta sint tum circa enuntiatas dispositiones, tum circa designationem Parochi libere et auctoritate propria peractam ab Ordinariis, facta fuit de his relatio Summo Pontifici Pio IX in Audientia diei 8 Januarii 1861, et Pontifex per Decretum Urbis et Orbis sub eadem data, sequentia sancivit:

1. Derogavit omnibus hucusque circa hanc designationem quavis auctoritate et quovis modo aliter praescriptis.

2. *Sanavit,* quatenus opus fuerit, tales designationes Parochorum, nec non acta per ipsos tamquam Rectores exercita.

3. Declaravit fideles adscriptos per eosdem Parochos, *valide adscriptos habendos esse.*

4. Ratas habendas esse concessit benedictiones coronarum, habituum, scapularium, eorumque impositiones etc. ab iisdem Parochis, qua Rectoribus, factas.

5. *Quoad futurum* vero idem Pontifex impertiri dignatus est, ut Ordinarii locorum *libere designare possint,* si ita in Domino expedire judicaverint, PAROCHOS PRO TEMPORE *in Rectores* sive Moderatores Confraternitatum (Decr. auth. N. 389).

1762. Relate ad facultatem nominandi *Parochos pro tempore* quaesitum est:

An stante Decreto 8 Jan. 1861, quo Episcopis speciales concessae sunt facultates nominandi *Parochos pro tempore* in Rectores Sodalitatum, *defuncto actuali Parocho vel amoto,* qui alicui Sodalitati praeerat, *novus Parochus nova iterum indigeat Episcopi nominatione ad hoc ut Rector Sodalitatis eligatur?*

S. Congregatio Indulgentiarum respondit: *Negative;* quam responsionem approbavit Summus Pontifex Leo XIII (Decr. 16 Julii 1887, apud Acta S. Sed. vol. XX, pag. 108).

1763. Insuper declaratum est, Ordinarios delegare posse qua Rectores Confraternitatum non solum Parochos, sed etiam *Eleemo-*

synarios, Capellanos Communitatum vel piorum Locorum quoad Confraternitates in ecclesiis ipsis concreditis independenter a Parocho, vel etiam Vicarios Parochorum. Id patet ex sequenti resolutione:

Decreto *Urbis et Orbis* diei 8 Januarii 1861 facta est Ordinariis potestas Parochos pro tempore in Rectores et Moderatores etc. Confraternitatis nominandi; hinc quaeritur:

An ex eodem Decreto potuerint Ordinarii delegare non solum Parochos, sed etiam Eleemosynarios, Capellanos Communitatum vel piorum Locorum quoad Confraternitates in ecclesiis ipsis concreditis independenter a Parocho, ut communiter fit in Galliis, vel etiam Vicarios tum ob nimias Parochi occupationes, tum aliis de causis?

S. Congregatio resp. *Affirmative* (Decr. 3 Dec. 1892, apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXV, pag. 139).

1764. Sacerdos legitime nominatus Rector Confraternitatis, minime potest *eo ipso* rosaria cum applicatione indulgentiarum, et scapularia benedicere ac imponere, *nisi in concessionibus facta sit facultas Rectori pro tempore benedicendi rosaria, coronas et scapularia* (Decr. 18 Nov. 1842. N. 312 ad 4^m; vid. etiam N. 270 ad 1^m et 343 ad 1^m).

1765. Ordinarie tamen Superiores regulares, Archiconfraternitates, et etiam Episcopi *(si speciale ad id obtinuerint indultum)*, memoratas facultates benedicendi rosaria, scapularia etc. communicare solent cum ipso diplomate erectionis vel aggregationis. Nihilominus consulitur, ut dum pro erectione vel aggregatione Confraternitatis porriguntur preces, expresse etiam praedictae facultates petantur.

1766. Quia contingere facile potest, ut Rector Confraternitatis (cui, ut dictum est n. 1751, non competit *sine speciali indulto* facultas subdelegandi) prohibeatur, quominus Rectoris munia exequi per se possit, praestat expresse postulare ab Episcopo, vel a Generali Ordinis aut ab Archiconfraternitate, *respective*, una cum diplomate erectionis vel aggregationis, *etiam facultatem pro Rectore subdelegandi alium Sacerdotem* ad praedicta munia in locum Rectoris exercenda (Cf. Decr. 5 Febr. 1748. N. 169, prooemium et ad 3^m).

1767. Praefata facultas subdelegandi alium Sacerdotem ad explenda munia Directoris concessa est generatim omnibus Dire-

ctoribus Congregationum B. Mariae Virginis et Bonae Mortis, quae legitime aggregatae fuerint Primariis Congregationibus Romanis ejusdem nominis et instituti. En verba concessionis:

Ut ex rationabili causa alium sibi Sacerdotem... substituere possint ad recipiendos fideles, qui adscribi desiderant, ad benedicenda numismata, et alias praesidum munia exercenda (Leo PP. XIII, 23 Junii 1885; vid. *Instructiones Congregationum B. M. V. et Bonae mortis*; Beringer, tom. II, pag. 21 in nota).

1768. Notandum est, quod relate ad pias Associationes, in quibus praedictae pietatis objecta *simpliciter benedicuntur absque applicatione indulgentiae*, ut evenit pro numismatibus Congregationis B. M. V., et piae Unionis ejusdem B. M. V. Immaculatae de Aracoeli, Director potest ea benedicere absque speciali facultate, cum simplex benedictio hujusmodi inter reservatas non recenseatur.

ARTICULUS XII.

RECEPTIO ET INSCRIPTIO.

1769. Confraternitate jam canonice erecta et indulgentiis ditata, ut fideles de iis coelestibus favoribus participare possint, requiritur ut ipsam Confraternitatem seu Congregationem ingrediantur. Praefatae enim indulgentiae, ut ex pluribus decisionibus S. Sedis liquido constat, lucrifieri non possunt, nisi ab iis fidelibus, *qui legitime adscripti fuerint in Confraternitatem* (Cf. Decr. 25 Jan. 1842. N. 298 ad 2^m; Rescr. auth. N. 366, 371 etc.).

1770. Recipere fideles in Confraternitatem pertinet ad ejusdem Rectorem, ad Sacerdotem nempe, cui Episcopus (vel respectivi Ordinis Superiores in propriis ecclesiis) commisit una simul cum immediata Confraternitatis directione legitimas facultates officio Rectoris inhaerentes (Cf. Decr. 13 Febr. 1894, apud Acta S. Sed. vol. XXVI, pag. 507 ad 2^m et 3^m).

1771. Episcopus potest etiam alios nominare et deputare, si ita expedire judicaverit, ad recipiendos fideles in Confraternitatem, et hoc sive pro casibus particularibus, sive modo generali, facta nempe Directori facultate sibi alium Sacerdotem subrogandi, legitimis causis intervenientibus (Vid. supra n. 1766; Beringer, tom. II, pag. 56, 2).

1772. Si agatur de piis Congregationibus, Unionibus etc., quae nullam habent pro adscriptione sodalium formam ac caeremoniam, et in quibus potius attenditur et desideratur major fidelium numerus, jus est Episcopo committendi Directori ut instituat *Zelatores et Zelatrices,* quibus sit potestas valide adscribendi fideles in piam Societatem (Cf. Decr. 26 Nov. 1880. N. 453, IV).

1773. Saepe *alii Sacerdotes* facultatem obtinent vel a S. Sede, vel a Superioribus Ordinum religiosorum, vel ab Archiconfraternitate, adscribendi fideles Sodalitatibus a S. Sede approbatis. Hujusmodi facultas regulariter non conceditur, *nisi pro iis locis, in quibus respectivae Confraternitates non existunt.* Quid possint, quidque debeant praefati Sacerdotes, ex sequenti resolutione, quae speciatim respicit Confraternitates Scapularium, fit manifestum. Quaesitum fuit:

Utrum Sacerdos, qui a S. Sede obtinuerit facultatem benedicendi scapularia, habeat eo ipso facultatem ea imponendi Christifidelibus, *et eosdem adscribendi Confraternitatibus* a S. Sede approbatis?

Sacra Congregatio respondit: *Affirmative, ita tamen, ut Sacerdotes, qui praedictum indultum benedicendi scapularia ab Apostolica Sede legitime obtinuerint, penes se habeant privatum regestum, et quam primum commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum, ut in Album ipsius Sodalitatis referantur* (Decr. 26 Jan. 1871. N. 428 ad 1^{m}).

1774. Praedicti Sacerdotes legitima facultate praediti benedicendi scapularia eaque imponendi, et Christifideles adscribendi, possunt eadem facultate uti, licet in eorumdem Christifidelium respectivis dioecesibus Sodalitia erecta non reperiantur: sunt enim Confraternitates *universales.* Quod si agatur de Confraternitatibus *dioecesanis* vel *regionalibus,* approbatis nempe a S. Sede pro determinato aliquo tantum territorio, puta dioecesi vel regno, Sacerdos habens Apostolicam facultatem adscribendi, non potest ea uti, nisi in eodem territorio, quo circumscribitur ipsa pia Sodalitas (Decr. eod. ad 2^{m}).

1775. Superiores Ordinum religiosorum, dum facultatem elargiuntur Sacerdotibus recipiendi fideles in Confraternitatem, hanc restrictionem, quae quidem rigorose observanda est, apponere solent in relativa pagella seu libello: *Dummodo id fiat in locis, ubi Conventus Nostri Ordinis non reperiuntur.*

1776. In adscriptione fidelium Confraternitatibus servanda sunt sub poena nullitatis ea omnia quae sunt *substantialia.* Pro Confraternitatibus *Scapularium* hoc declaratum habemus in sequenti responsione ad dubium:

An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, quae fit a Sacerdotibus quidem facultatem habentibus, non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ordinis Carmelitarum descripta?

S. Congregatio respondit: *Affirmative, dummodo Sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione et impositione habitus, ac in receptione ad Confraternitatem* (Decr. 24 Aug. 1844. N. 329 ad 3^{m}).

Eadem decisio confirmata et integre repetita fuit ab eadem S. Congregatione Indulgentiarum die 18 Augusti 1868, ubi etiam expresse dicitur, in adscriptione fidelium Confraternitati « *proferenda esse verba, quae sunt substantialia* » (Decr. auth. N. 421 ad 2^{m}).

1777. Praefata declaratio S. Congregationis *de servandis substantialibus* in adscriptione fidelium Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo debet etiam, atque eodem sensu, intelligi *quoad cetera scapularia* (Decr. 27 Apr. 1887; Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 97 ad 3^{m}).

1778. Verba igitur *substantialia,* quae proinde proferenda sunt in admissione fidelium in Confraternitates *Scapularium,* sunt ea quae significant et exprimunt *benedictionem* et *impositionem* scapularis, nec non *receptionem* in Confraternitatem.

Quoad ceteras Confraternitates, si quae sint, quae non habeant determinatam receptionis formulam, satis est signum aliquod exterius, quod admissionem in Confraternitatem indicet.

1779. *Casus S. Congregationi Indulgentiarum propositus.* In multis Confraternitatibus, Congregationibus, seu Associationibus, v. gr. in iis quae a Prima Primaria dependent, usu receptum est, ut in Congregationes, Confraternitates, piasque Associationes admitti cupientes, desiderium suum Consilio et Directori Congregationis prius aperiant, qui si, deliberatione adhibita, annuant petitioni, dies statuitur, quo postulantes solemni ritu et forma recipiuntur. Eo die omnes conveniunt in Sodalitatis ecclesiam, concio habetur, postulantes, puta, formulam consecrationis B. Mariae Virginis alta voce emittunt; dein *Rector manu extensa haec vel similia pro-*

fert: Ego auctoritate mihi concessa recipio vos in Congregationem, participesque facio indulgentiarum et privilegiorum etc.

Jam vero ad majorem istiusmodi receptionis solemnitatem saepe saepius a Rectore invitatur Sacerdos extraneus, qui concionem habet, caeremoniae praeest, numismata, rosaria, scapularia, aliaque signa, quae sunt sodalibus tradenda, benedicit, imo et profert verba superius relata.

Plerique ex Congregationum Rectoribus id fieri posse pro certo habent, sive quia dictorum caeremoniam ut essentialem non habent, sed solam inscriptionem in Albo sufficere putant, sive quia persuasum habent facultatem sodales recipiendi se posse subdelegare; hinc quaeritur:

1. *An istiusmodi ritus sit habendus ut essentialis?* quatenus negative,

2. *An Moderator Associationis munus admissionem eo modo peragendi alteri Sacerdoti committere possit?*

3. *An id possit eo saltem in casu quo Associationis statuta, approbante Ordinario, hanc ei facultatem expresse assererent?*

S. Congregatio respondit: Ad primam partem, *quoad actum receptionis in Sodalitatem et benedictionem scapularium, rosariorum* etc. *Affirmative; quoad ceteras caeremonias, Negative.*

Ad secundam partem, *Affirmative, si habeat potestatem subdelegandi;* secus, *Negative.*

Ad tertiam partem, *Affirmative* (Decr. 3 Decembr. 1892; Analecta ecclesiastica, ann. I. 1893, pag. 21).

1780. Ex relatis declarationibus collige:

1. In admissione ad Confraternitates scapularium tria esse essentialia, ut paulo superius diximus, nempe *benedictionem* scapularium, *impositionem* eorumdem et *receptionem* in Confraternitatem.

2. Idem dicendum de Confraternitatibus, quae non scapularia proprie dicta habent, sed alia signa, quae ex praescripto sunt sodalibus tradenda, ut ex. gr. numismata, rosaria, chorda, cinctura etc. In hujusmodi etiam Confraternitatibus *actus receptionis,* et *benedictio dictorum objectorum,* ut essentialia habenda sunt.

3. Ceteras vero caeremonias, ut quidam actus solemnes, licet utiles esse possint ad excitandam in novis sodalibus pietatem ac fervorem, non esse tamen putandas necessarias.

4. Moderatorem Associationis non posse *sine speciali indulto,* munus receptionis in Confraternitatem, benedictionis scapularium, rosariorum, aliorumque signorum quae sunt sodalibus tradenda, alteri Sacerdoti committere (Vid. etiam Decr. 22 Aug. 1842. N. 306 ad 1m).

5. Id autem praedicto Moderatori licere, quoties *Associationis statuta* ab Ordinario approbata, hanc ei facultatem expresse conferant.

1781. Inscriptio in libro Sodalitatis est omnino necessaria, si sermo sit *de Confraternitatibus proprie dictis,* ut confratres lucrari possint indulgentias. Interrogata enim Sacra Congregatio Indulgentiarum:

Utrum in iis Sodalitiis, quae solemnem aliquem receptionis ritum adhibent (ut Congregationes B. Mariae Virginis), confratres hoc solemni modo a legitimo Sodalitatis praeside recepti, lucrari possint indulgentias, *licet in libro Sodalitatis non inscribantur?*

Resp. *Negative, si agatur de Confraternitatibus proprie dictis* (Decr. 16 Julii 1887, penes Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 133 ad IVm).

1782. Praedicta inscriptio necessaria est *pro proprie dictis Confraternitatibus,* etiamsi earum statuta non explicite eam requirant tamquam conditionem essentialem (Decr. eod. ad Vm).

1783. Consequitur, quod ubi agatur non de Confraternitatibus proprie dictis, sed de piis Unionibus, Aggregationibus, aliisve Operibus, *quae non sint verae Confraternitates,* inscriptio non requiritur ut conditio essentialis pro lucrandis indulgentiis. Non ideo tamen est omittenda, maxime si statuta eam praescribant, vel si non certo constet, num pia Societas sit vera Confraternitas vel pia Unio, cum viris in hac materia parum expertis difficile quandoque sit unam ab altera discernere.

1784. Est autem certum, *suscipientes et gestantes Scapulare caeruleum B. M. V. Immaculatae, aut rubrum Passionis D. N. J. Christi Confraternitatem non constituere* (Decr. 27 Apr. 1887, Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 97 ad V).

1785. Sacerdotes, qui indultum benedicendi scapularia a S. Sede legitime obtinuerunt, penes se habere debent, ut supra n. 1773 expositum est, privatum regestum, et quamprimum commode possunt, transmittere tenentur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris canonice erectae nomina receptorum, ut in Album ipsius

referantur. Ex hac praescriptione obortum est dubium, quod S. Congregationi Indulgentiarum propositum fuit solvendum sequenti modo:

Quo die hujusmodi Christifideles scapulari jam induti, quorum nomina in privato regesto Sacerdotis inscripta, sed in Album Confraternitatis nondum relata sunt, plenariam indulgentiam ea die concessa, qua quis scapulari induitur, lucrari possunt?

S. Congregatio respondit: *Die receptionis et susceptionis SS. Scapularium et inscriptionis in privato regesto Sacerdotis auctoritate pollentis benedicendi et imponendi scapularia, firma tamen in eo manente obligatione transmittendi nomina ad respectivam viciniorem Sodalitatem, cui Christifideles fuerunt adscripti* (Decr. 12 Dec. 1892).

1786. Cum vero quoad interpretationem hujus decisionis sententiae oppositae evulgatae fuerint, hinc novum dubium pro solutione delatum est eidem S. Congregationi, quod est sequentis tenoris:

Possuntne Christifideles eodem modo, quo ipsa die receptionis et susceptionis SS. Scapularium et inscriptionis in privato regesto Sacerdotis auctoritate necessaria pollentis, lucrari valent indulgentiam plenariam concessam pro ea die, qua quis S. Scapulari induitur, *ita etiam ab eadem die incipere lucrari ceteras indulgentias* respectivis Sodalitatibus concessas, *quamvis Sacerdos ille nomina adscriptorum nondum transmiserit ad respectivam Sodalitatem* canonice erectam?

S. Congregatio respondit: *Affirmative* (Decr. 13 Nov. 1893).

1787. Binis hisce Decretis duo decisa habentur:

1° Quod fideles indulgentiam plenariam, quae concessa est pro die, qua quis sacro scapulari induitur, lucrantur ipsa die receptionis et susceptionis sacri scapularis et inscriptionis *in privato regesto*. Non ergo acquisitio praefatae indulgentiae plenariae reservatur ad diem, quo adscriptorum nomina *in Album Confraternitatis* referuntur.

2° Quod fideles *ab eadem die, qua sacro scapulari legitime induuntur, incipiunt lucrari ceteras indulgentias* respectivis Sodalitatibus concessas, quamvis Sacerdos adscriptorum nomina ad respectivam viciniorem Sodalitatem nondum transmiserit.

1788. Quoad praefatam nominum inscriptionem in regesto Confraternitatis, *Episcopi Missionarii* a S. Congregatione de Propaganda Fide petierunt, ut fideles eorum jurisdictioni subjecti exi-

merentur ab hujusmodi obligatione. At Emus Card. Simeoni sa. me. tunc Praefectus laudatae S. Congregationis de Propaganda sub die 30 Junii 1889, negativum responsum dedit tenoris sequentis:

Quod vero pertinet ad recensenda in Albo Confraternitatum nomina fidelium iisdem adlectorum, *id tamquam necessaria conditio absolute requiritur, ut indulgentias Confraternitatibus adnexas lucrari fideles queant.* Quapropter ab ea lege derogari nequit, nisi per peculiaria Indulta, quae solum determinatos casus et certa loca respiciant.

Attamen, si quando ob ingentem fidelium aggregandorum numerum aliave ratione contingat eorum nominum in Albo recensionem difficultatem Sacerdoti cooptanti facessere, tunc designare is poterit *unam vel plures pro opportunitate sibi visas personas, quae fidelium nomina scripto referant in catalogum, quem ipse postea subsignabit et ad proximiorem Confraternitatem seu domum religiosam, uti superius dictum est* (si scilicet de Confraternitatibus agatur, quae regularis alicujus Ordinis auctoritate fuerint erectae), *transmittat* (Vid. Collectanea S. C. de Propag. Fid. pag. 191, n. 466).

1789. Necessitas inscribendi nomina in Albo Confraternitatis pro tribus Scapularibus SS. Trinitatis, B. M. Virginis Perdolentis et a Monte Carmelo, ut fideles sic recepti indulgentias dictis scapularibus adnexas lucrari valeant, iterum confirmata est a S. Congregatione Indulgentiarum die 17 Julii 1891 (Vid. Acta S. Sedis, vol. XXIV, pag. 126).

1790. Ex dictis patet discrimen inter *adscriptionem* seu *receptionem* in Confraternitatem, et *inscriptionem nominum* in Albo confratrum. Actus *receptionis* ad rei substantiam pertinet. Nemo enim proprie confrater appellari poterit, nisi in Confraternitatem sit receptus. *Formalis* autem *receptio* consistit in actu, quo Sacerdos deputatus *suam auctoritativam voluntatem* ostendit recipiendi in Confraternitatem *illum qui id petat.*

Materialis vero *nominum inscriptio* non est aliud nisi *testimonium* permanens aggregationis seu receptionis ab eo exhibitum, qui in Sodalitatem cooptat, quod quidem *per se* non est de essentia receptionis, et potest etiam suppleri per aliud documentum, puta per aliquod diploma, quod confratri tradatur.

1791. Quoties autem *hujusmodi materialis inscriptio nominum sit praescripta,* ipsa necessaria evadit *ad integritatem re-*

ceptionis, ita ut hac nominum inscriptione in libro Confraternitatis neglecta, fideles nequeant lucrari indulgentias eidem Confraternitati concessas. Et nos jam vidimus, nominum inscriptionem in regesto Confraternitatis esse absolute necessariam *pro Confraternitatibus proprie dictis,* ut confratres et consorores consequi possint indulgentias. Ita statutum est a Summo Pontifice, in quo residet suprema potestas dispensandi indulgentias, et ad quem spectat praefinire conditiones pro earumdem lucro.

1792. Ad legitimam ergo fidelium receptionem in *quamcumque* Confraternitatem vel piam Associationem *duo sunt essentialia,* videlicet *voluntas illius* qui recipitur, et *consensus illius* qui eum recipere debet. Facile autem intelligitur hujusmodi binos actus seu conditiones constare debere respective per aliquod signum *externum,* v. gr. vel per formulam quae pronuntiatur super novum socium in actu receptionis, vel per traditionem et acceptationem diplomatis sive pagellae aggregationis, vel per simplicem inscriptionem in regesto Sodalitatis cum hac intentione ab eo peractam, qui jus habet cooptandi fideles in dictam Sodalitatem (Cf. Acta S. Sed. vol. IV, pag. 237).

1793. Non ergo in praxi receptio in confratrem valida censenda esset, si fiat *simplici intentione concepta animo,* nullis verbis adhibitis, nullisque actibus qui receptionem in Sodalitatem *exterius* significent. Hoc eruitur ex pluribus S. Sedis documentis, quae hujusmodi *externum* actum vel expresse indicant vel certo supponunt, ut cum dicitur, indulgentias ab iis lucrari, *qui legitime adscripti fuerint in Confraternitatem;* vel *a rite adscriptis piae Societati;* vel *dummodo ab habente facultatem fuerint rite recepti* etc. (Cf. Decr. auth. N. 298 ad 2^m; et 331 ad 1^m; Rescr. auth. N. 366, et 371).

1794. Quod attinet ad *Confraternitates Scapularium,* res est speciali modo a S. Congregatione Indulgentiarum definita, quod scilicet *sub poena nullitatis* pronuntiari debent verba formulae, quibus receptionis actus continetur et significatur. Postulatum est enim :

An receptio in confratrem valeat, si fiat simplici intentione concepta animo, ac verbis nullis adhibitis?

S. Congregatio respondit: *Negative.*

An declaratio S. Congregationis de servandis substantialibus in adscriptione fidelium Confraternitati B. M. V. de Monte

Carmelo debeat etiam, atque eodem sensu, intelligi quoad cetera Scapularia?

Resp. *Affirmative* (Decr. 27 Apr. 1887; Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 558).

1795. Inscriptio *materialis* a quocumque fieri potest, dummodo ab habente facultatem tantum Christifidelis sit rite receptus (Decr. 25 Sept. 1845. N. 331).

1796. Qui habet facultatem adscribendi socios in aliquam Confraternitatem vel piam Associationem, etiam *seipsum* illi adscribere valet, ita ut ipse quoque possit indulgentias, quae eidem adnexae sunt, lucrari, quatenus tamen haec facultas habeatur *indiscriminatim,* minime vero *taxative,* ex. gr. pro aliqua Monialium communitate tantum etc. (Decr. 7 Martii 1840. N. 280; 16 Julii 1887 ad 7^{m}; penes Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 134).

1797. Idem vir aggregari potest pluribus Sodalitatibus, et lucrari indulgentias unicuique concessas, dummodo conditiones praescriptas impleat (Decr. 29 Maji 1841. N. 291 ad 10^{m}).

1798. Nequeunt adscribi in Confraternitatem fideles *post eorum mortem,* fideles viventes *ipsis insciis, nec expedit admittere parvulos ante rationis usum.* Hoc declaratum est a Congregatione S. Inquisitionis die 6 Decembris 1876 sequenti modo:

Ex Decreto S. O. — *Romana* — Cum Rector Ven. Archiconfr. Universalis sub titulo vulgo « *Di Nostra Signora del Sacro Cuore di Gesù* » haec tria proposuisset dubia, nempe:

1° Possono i fedeli esser ascritti come soci all' Arciconfraternita di N. S. del S. Cuore *dopo seguita la loro morte?*

2° Possono esser ascritti i fedeli, anche *a loro insaputa?*

3° Possono essere annoverati fra i soci anche *i bambini* che ancora non hanno l' uso della ragione?

EE. DD. resp. ad 1^{m} et 2^{m} *Negative; ad* 3^{m} *Non expedire.*

1799. Eadem sententia *quoad defunctos* prolata fuit a S. Congregatione Indulgentiarum die 14 Augusti 1889. — Episcopus S. Severi sequentis dubii solutionem petiit:

An fideles qui ex hac vita migrarunt, alicui Sodalitati adscribi valeant ad effectum, ut ipsi suffragiis potiantur, quibus post obitum gaudent ceteri fideles, qui adhuc viventes alicui Sodalitati nomen dederunt?

Et S. Congregatio proposito dubio respondit: *Negative juxta*

Decreta a Suprema Universali Inquisitione edita sub die 6 (1) *Decembris* 1876.

1800. Parvuli rationis usum nondum habentes, etsi juxta responsum S. O. non expediat eos cooptare inter socios, tamen valide recipiunt scapulare, quod Confraternitatem constituit. Constat ex sequenti decisione:

Cum in quodam Galliarum loco, hoc in nonnullarum piarum matrum more positum fuerit, ut parvulis suis, etiam rationis usum nondum adeptis, sacrum scapulare consueto ritu imponi faciant, exorto dubio de hujusmodi impositionis validitate, postulatum est:

Utrum sufficiens sit isthaec scapularis impositio, ut parvuli, cum ad rationis usum pervenerint, indulgentiis, aliisque privilegiis illud gestantibus concessis frui possint et valeant?

S. Congregatio Indulgentiarum respondit: *Affirmative* (Decr. 29 Aug. 1864. N. 410).

1801. Ceterum quoad inscriptionem parvulorum, etsi generatim non expediat eos adscribere Confraternitatibus sive piis Associationibus, tamen si natura alicujus Associationis ejusque statuta id sinant, adscriptio infantium prorsus licita evadit, ut contingit in pio Opere *a Sancta Infantia* nuncupato, ut suo loco videbimus.

1802. Diximus sub n. 1792 quod duo sunt essentialia ad legitimam fidelium receptionem in quamcumque Sodalitatem, scilicet *voluntas ejus qui recipiendus est,* et voluntas seu consensus illius, qui recipiendi habet facultatem. Ex hoc videtur posse concludi, adscriptionem infantium in Confraternitatem esse invalidam ob defectum actus voluntatis propriae. Cui difficultati respondetur, defectui actus voluntatis in infantibus suppleri per actum voluntatis parentum, quorum auctoritate, voluntate ac tutela infantes ducuntur et vivunt. Cum vero parvuli ad rationis usum pervenerint, si ratam habeant adscriptionem, sodales remanent; si secus, cessant.

1803. Confratres cujuslibet Sodalitatis non tenentur quidem *sub peccati poena* ad observantiam regularum, quibus regitur Sodalitas; attamen qui negligeret adimplementum illarum, quae ut

---

(1) In originali Decreto, quod nos vidimus, legitur 6 Decembris; alibi die 13 ejusdem mensis.

conditiones praescribuntur ad lucrandas indulgentias, privaretur absque dubio ipsarum indulgentiarum lucro.

1804. Hoc tamen non obstante, si quis negligeret, etiam per longum tempus, recitare preces Confraternitatis, praescripta opera exercere, vel sacrum scapulare deferre, non teneretur pro lucrandis indulgentiis ad novam inscriptionem, vel denuo ad recipiendum scapulare. Satis ei esset hunc sanctum habitum reassumere, preces praescriptas recitare, ceterasque obligationes Confraternitatis, ut antea, devote adimplere. Id patet ex sequenti declaratione. Postulatum fuit:

An, qui rite semel adscripti Sodalitati scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, postea habitum sacrum Sodalitatis dimiserunt, teneantur ad novam sacri habitus receptionem a potestatem habente, si velint indulgentias praedictae Sodalitati a Summis Pontificibus concessas lucrari; vel an sufficiat, ut habitum sacrum ipsi denuo resumant simpliciter?

S. Congregatio respondit: *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam* (Decr. 27 Maji 1857. N. 379).

ARTICULUS XIII.

. INDULTUM PRO SODALIBUS INFIRMIS, AUT CARCERIBUS DETENTIS.

1805. Clemens PP. XIII benigne concessit, ut confratres et consorores cujuscumque Confraternitatis, seu Sodalitii, aut Congregationis ubique locorum existentis, dummodo sit auctoritate Ordinaria erecta, *aliqua corporis infirmitate laborantes, vel carceribus detenti,* eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possint et valeant; ita tamen, *ut omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera injuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter ac devote exequantur*. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari in perpetuum, et ad preces cujuscumque Sodalitii, Confraternitatis, seu Congregationis concedi absque ulla Brevis expeditione (Decr. Urbis et Orbis, 2 Aug. 1760. N. 222; et cf. Decr. 25 Febr. 1877. N. 431 in exord. et ad 1^{m}).

1806. Haec concessio extensa est, quod non erat in primaeva concessione Clementis XIII, etiam *ad alia legitima impedimenta,*

judicio discreti Confessarii dignoscenda, commutato tamen ab eodem Confessario *opere injuncto visitationis ecclesiae in aliud pium opus* (Decr. 16 Julii 1887, apud Acta S. Sed. vol. XX, pag. 108, ad 4ᵐ partem dubii II).

1807. Praefata concessio nunc valet pro omnibus Confraternitatibus seu Sodalitiis aut Congregationibus *sine speciali recursu* cujusque Confraternitatis seu Sodalitii ad S. Sedem, qui antea requirebatur (Decr. eod. ad 1ᵐ partem dubii II).

1808. Concessio supradicta valet tantum pro iis confratribus, *qui impediti sunt quominus praescriptam ecclesiae visitationem peragere possint;* non vero pro illis qui prohibentur quominus *aliquam aliam conditionem* ad lucrandas indulgentias praescriptam impleant (Ibid. ad 1ᵐ et 2ᵐ partem dubii III).

1809. In enuntiatis ergo concessionibus, si *personas* consideres, comprehenduntur confratres et consorores *cujuscumque* Sodalitatis *infirmi, carcerati* et *qui alio legitimo impedimento detinentur* ad peragendam praescriptam ecclesiae visitationem. Si *opera injuncta* inspicias, *vigore praedictarum concessionum, ecclesiae visitatio dumtaxat* vel dispensatur vel in aliud pium opus commutari potest judicio discreti Confessarii.

1810. Dictum est, *vigore praedictarum concessionum;* quia virtute *aliorum indultorum* (vid. n. 164-165) etiam *Communio* in aliud pium opus commutari potest favore *eorum omnium,* qui sunt *habitualiter infirmi,* impotentes proinde e domo egredi. Nam ex concessione Pii PP. IX, quando ad lucrandas indulgentias plenarias praescripta est *Communio et visitatio ecclesiae, omnes Christifideles habitualiter infirmi* eas consequi possunt, dummodo vere poenitentes, confessi, ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae injunctae fuerint, *loco S. Communionis et visitationis* alia pia opera a respectivo Confessario injungenda fideliter adimpleant (Decr. 18 Sept. 1862. N. 393).

1811. Notandum est, a relata generali concessione Summum Pontificem Pium IX excepisse personas quae *in communitate morantur;* siquidem his facilius est sacram Communionem recipere. Verum hanc etiam exceptionem, supplicante Illmo ac Rmo Gaspare Mermillod Episcopo Lausanensi, postea S. R. E. Cardinali, sustulit Summus Pontifex Leo XIII per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum de die 16 Januarii 1886, quo benigne concessit: *ut infirmi aut senio confecti* IN COMMUNITATE *et* SUB REGULA VIVENTES,

qui ecclesias aut oratoria visitare, aliave pro indulgentiis praescripta exequi non possunt, indulgentias nihilominus lucrari valeant, adimplendo alia pia opera Confessarii arbitrio praescribenda (Acta S. Sedis, vol. XVIII, pag. 462).

1812. Illud tandem remanet observandum, quod juxta concessionem Clementis XIII supra adductam, *confratres* et *consorores* cujuscumque Sodalitii, *infirmitate laborantes vel carceribus detenti,* non indigent interventu Sacerdotis ad perfruendum dicto privilegio: absolute enim eis indulgetur, *ut omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera injuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter ac devote exequantur.*

Pro sodalibus vero, qui *citra infirmitatem vel carcerationem,* alio impedimento prohibentur quominus praescriptam ecclesiae visitationem peragant, Sacerdotis Confessarii judicio indigent *tum pro dignoscenda legitimitate impedimenti, tum pro commutatione visitationis ecclesiae in aliud pium opus.*

ARTICULUS XIV.

DE NON ADSCRIBENDIS ABSENTIBUS SODALITIIS.

1813. Prolixa et aliquantulum intricata est materia de non adscribendis *absentibus* in confratres. Nos praecipua capita, breviori qua fieri potest methodo, de re delibabimus.

In una *Americana novi Regni Hispanici* sub die 28 Aprilis 1761, ad dubia:

1° *An absentes admitti possint in confratres?*

Et quatenus negative,

2° *An supplicandum sit SSmo pro eorum admissione, vel ad minus pro admissione incolarum praedicti novi Regni Hispanici?* (Agitur de Confraternitate B. M. V. Guadalupensis.)

S. Congregatio respondit: *Negative in omnibus* (*Decr. auth.* N. 226).

1814. Sed cum in nonnullis ex piis Sodalitiis (hisce potissimum temporibus institutis) inter sodales adscribendi etiam absentes contra praefatam decisionem consuetudo inoleverit, Summus Pontifex Leo XIII, *praevia sanatione* omnium adscriptionum hactenus haud rite factarum, *mandavit, ut in posterum serventur, atque ad observantiam revocentur resolutiones praefato anno 1761 editae* (Decr. Urbis et Orbis, 13 Apr. 1878. N. 437).

1815. Edito ac cognito hoc Decreto, undique plurima exorta sunt dubia de vero illius sensu; imo plures ex parte potissimum Episcoporum porrecti fuerunt libelli supplices, quibus enixe a S. Congregatione postulabatur, *ut non obstante supramemorato Decreto absentes adscribi possent saltem Sodalitiis seu piis Unionibus piisque Operibus, quae verae Confraternitates dici nequeunt*, simulque proponebatur modus, quo via in posterum praecluderetur abusibus, qui hucusque inoleverant in absentium inscriptione.

1816. Quare desuper his sequentia dubia solvenda proposita fuerunt:

1m *Utrum Decretum diei 13 Aprilis 1878 prohibens inscriptionem absentium, ad pias Uniones et ad pia Opera, quae a veris Confraternitatibus distinguuntur, extendatur?*

2m *Utrum et quomodo post editum memoratum Decretum probanda vel permittenda sit inscriptio sociorum absentium, cum agitur de veri nominis Confraternitatibus?*

3m *Quid respondendum quoad petitiones exhibitas a Moderatoribus Confraternitatum, praesertim ab Episcopis, qui postulant, non obstante Decreto, adscribi posse praedictis Confraternitatibus absentes per litteras et per interpositam personam, sive propter consuetudinem, sive propter novas rationes ab ipsa experientia desumptas?*

4m *Quaenam alia praescribenda in casu?*

Quibus in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Junii 1880 EE. PP. rescripserunt:

Ad 1m, 2m, et 3m: *Providebitur in 4°.*

Ad 4m: *Firmo remanente Decreto diei 13 Aprilis 1878, dubiis et petitionibus propositis provideatur per appositam instructionem et dispositivam declarationem juxta mentem panditam, pro opportunis exceptionibus.*

In Audientia diei 19 Junii 1880 Summus Pontifex Leo XIII *Sacrae Congregationis judicium in omnibus benigne approbavit* (Decr. auth. N. 452).

1817. Per Decretum Urbis et Orbis de die 26 Novembris 1880 prodiit declaratio Decreti diei 13 Aprilis 1878 de absentibus non adscribendis ad pias Sodalitates. Praecipua ejus capita sunt ea, quae hic subnectuntur:

I. Distinguendum est inter Sodalitates *pro universo orbe catholico*, ac Sodalitates *pro certa tantum dioecesi vel regione* cano-

nice erectas, relate ad quas fideles, qui extra limites *locali Sodalitati* constitutos commorantur, *absentes* dicuntur, imo vero non *simpliciter absentes,* sed etiam *extranei* dici possunt. Hujusmodi *locales* Sodalitates... in confratres admittere nequeunt *absentes* extra limites Sodalitatis: atque hic primus est sensus memoratae resolutionis S. Congr. diei 28 Aprilis 1761 *(in Americana),* atque hoc primo sensu adscriptiones *absentium* tum Decreto Urbis et Orbis diei 13 Apr. 1878, tum praesenti instructione irritae omnino generali lege *sine ulla nova exceptione* declarantur.

II. Sodalitates etiam *universales,* relate ad quas nulli sunt primo hoc sensu *absentes* seu extranei, nequeunt in confratres admittere simpliciter *absentes;* scilicet requiritur ex jure adscribendorum personalis praesentia. At *nullatenus mens fuit Decreti eam restringere ad locum ubi Sodalitas* canonice erecta propriam *habet sedem* ac centrum; sed sufficit adscribendorum praesentia *coram quocumque, qui quocumque in loco delegatam vel subdelegatam legitime habeat adscribendi facultatem:* non sufficit vero moralis, interpretativa vel repraesentativa praesentia per litteras aut alio quovis modo per interpositas etiam personas: atque hic alter est sensus, quo adscriptiones *absentium* juxta resolutiones in Americana et juxta memoratum Decretum irritae sunt, ac praesenti etiam instructione irritae quidem generali lege, sed *cum infrascriptis exceptionibus* declarantur.

III. Quamvis generatim relate ad communicationem indulgentiarum communes pro quavis Societate latae sint leges, praesertim in Constitutione Clementis VIII *Quaecumque,* tamen relate ad legem de non adscribendis *absentibus* ejusque exceptiones, aequum est distinguere inter Sodalitia, quae *strictiori* sensu *Collegia* dici possunt, ut esse solent pleraeque proprii nominis Confraternitates ad modum *organici corporis* constitutae, et Sodalitia, quae *laxiori* modo sociali vinculo colligantur, ut esse solent plures etiam Confraternitates et pleraeque piae Associationes, Congregationes, Aggregationes, Uniones ac pia Opera, ut vocant. Inter plura discrimina quae ad praesentem scopum non refert nec facile est accuratius inquirere, illud maxime ad rem pertinet advertere, quod strictiori sensu *Collegia,* seu proprii nominis Confraternitates et Sodalitia, quae ad illas in organica sui constitutione magis accedunt, soleant etiam juxta proprias leges pro sodalium inscriptione certam aliquam habere formam cum aliqua solemnitate ac

ritu, ut publica candidatorum petitio ac praesentatio, probatio aliqua et novitiatus, vel saltem impositio habitus, scapularis, cincturae, quae *ex sui natura personalem praesentiam requirunt.* Pro hujusmodi itaque Sodalitatibus cujuscumque sint nominis, nulla praesenti declaratione datur generalis ac ordinaria exceptio a lege de non adscribendis *absentibus:* tantum conceditur earum Moderatoribus eorumque Delegatis, ut in casibus singularibus dispensare possint a statuta forma inter praesentes, ac *absentes* etiam per singularem seu extraordinariam exceptionem rite adscribere.

IV. Pro Sodalitatibus etiam, piis Unionibus, piis Operibus et cujuscumque sint nominis, Societatibus, quae nullam habent pro adscriptione sodalium formam ac caeremoniam inter praesentes, Decretum quoad *absentes,* quantum fieri potest, rite servetur; et potius *praesentium* adscriptio facilior reddatur ac pro viribus promoveatur, *multiplicatis canonice Associationum centris auctoque pro opportunitate Zelatorum, Zelatricium, Promotorum,* vel quovis nomine nuncupentur, *eorum numero,* qui juxta approbatas Sodalitii leges non modo inscriptionum utcumque promovendarum officium, sed etiam *adscribendi subdelegatam habeant facultatem.* Sed cum id nec semper, nec ubique fieri possit, nec plane sufficiat, Apostolica benignitate indulgendum esse videtur, ut, qui *praesentes* commode (esse?) nequeunt, non omnino excludantur, sed quamvis *absentes,* per litteras, vel interpositas personas, quae eos repraesentent, *adscribi discrete valeant,* vitando simul abusus, quibus maxime praecavendis adscribendorum praesentia exigitur. Itaque cum plurium diversi nominis Sodalitatum ac piorum Operum vis et utilitas maxime sit in fidelium *numero,* qui ad varia pietatis et charitatis exercitia consociantur, ne praesentiae conditio impedimento sit felicibus Societatum incrementis, ac ne plurimi fideles bonae voluntatis ab inscriptionis beneficio contra Decreti mentem praepediantur, S. Congregatio... praesenti hac dispositiva declaratione... declarat, etiam *absentes* ad hujusmodi pias Associationes adscribi posse, servata tamen Decreti mente, spiritu ac scopo, ut scilicet non solum augeatur numerus, sed etiam adscribendorum devotioni consulatur, non temere, leviter ac turmatim collectis nominibus, sed discrete, ne alii, quantum fieri potest, inscribantur, nisi qui absentes quidem corpore, sed praesentes spiritu, scientes et volentes piae Societati adscribi, injuncta opera adimplere et indulgentias lucrari intendunt.

V. Porro *exceptiones speciales* vel *ob probata quarumdam Sodalitatum statuta,* quae absentium etiam inscriptionem includere, aut supponere, aut flagitare videntur; vel *ob privilegia;* vel *ob singularem fidelium devotionem* sua directe mittendi nomina ad insignia quaedam Sanctuaria, Sodalitatum centra; vel denique *ob varia Sodalitatum, personarum, locorum ac temporum adjuncta;* partim jam vel declaratae, vel ad tempus concessae, quin necesse sit eas singillatim recensere, *generali hac Decreti benigna interpretatione et dispositiva declaratione simul omnes comprehenduntur, ratae habentur, confirmantur atque ampliantur.*

1818. Hanc S. Congregationis instructionem et declarationem Summus Pontifex Leo XIII, die 26 Nov. 1880, benigne approbavit, *ac sanatis prius,* si quae factae fuerint, *irritis absentium adscriptionibus,* Decretum diei 13 Aprilis 1878 in posterum juxta praesentem benignam interpretationem et dispositivam declarationem observari praecepit (Decr. auth. N. 453).

ARTICULUS XV.

DE JURIBUS CONFRATERNITATUM, DEQUE EARUM PRAECEDENTIA VARIISQUE CONTROVERSIIS.

1819. Super juribus Sodalitatum innumerae fere controversiae excitatae sunt. Tantam rerum copiam haec materia suppeditat, ut plura volumina, ait Benedictus XIV, confici posse videantur. De his agit laudatus Pontifex, sed expresse declarat id *breviter* esse facturum; agit nempe: 1° *de controversiis inter ipsas Sodalitates;* 2° *de controversiis inter Episcopos et Sodalitia;* 3° *de controversiis inter Parochos et Sodalitia.*

1820. *Controversiae de praecedentia in processionibus, aliisque ecclesiasticis functionibus inter varias Confraternitates laicales,* per Constitutionem Gregorii XIII, *Exposcit pastoralis officii,* dat. 25 Julii 1583, compositae fuerunt. Pontifex paucis litem absolvit:

Qui (nempe sodales) *in quasi possessione praecedentiae ac juris praecedendi sunt, ii (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus et aliis subterfugiis prorsus remotis,* et *cessantibus,* et *postpositis) in processionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant.*

Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae hujusmodi... ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis, quam privatis, praecedere debeant (Benedict. XIV, Instit. 105, n. 84; Gardellini, Decr. auth. Congr. Sacrorum Rituum, edit. III, n. 4571 in nota).

1821. Romanae Ephemerides, quarum titulus « *Acta S. Sedis* », ex quadam decisione S. Congregationis Concilii de die 24 Julii 1886, sequentia deducit, quae dictis sunt omnino conformia:

1. Inter Confraternitates illi competere jus praecedendi, quae *prior in tempore canonice erecta fuit, vel quae in quasi possessione ac jure praecedendi jam reperitur.*

2. Quatenus anterioritas canonicae existentiae rite evinci nequeat, ex jure statutum est eos sodales praecedere debere, *qui saccis usi fuerint priores* (vol. XIX, p. 326; XVII, p. 127; XIII, p. 166 etc.),

1822. Excipitur ab hac generali lege Confraternitas SS. Sacramenti, cui debetur praecedentia supra omnes alias Confraternitates *in illis processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum.* In aliis vero processionibus debet procedere et praecedere *juxta ordinem antianitatis* (Gardellini, nn. 1164, 1739, 4571 in nota, 4598 etc.).

1823. *Controversiae inter Episcopos et Sodalitia,* seu potius *jura Episcoporum relate ad Confraternitates* ex hucusque expositis manifesta sunt. Breviter praecipua jura resumimus:

1. Ad Episcopos pertinet approbare et erigere Confraternitates, exceptis excipiendis, *in quibus tamen semper requiritur eorum consensus,* ita ut in nulla dioecesi erigi vel aggregari possit Confraternitas, inconsulto Episcopo.

2. Jus Episcopi est examinare, corrigere et approbare *statuta,* etiam quando nova Confraternitas assumit et adoptat statuta Archiconfraternitatis, cui aggregari desiderat. Nequit autem mutare vel corrigere ea, quae a S. Sede fuerint approbata.

3. Jus habet Episcopus mutare ex rationabili causa, seu modificare statuta alias ab ipso approbata.

4. Jus habet Episcopus visitandi Confraternitates laicorum *cum usu saccorum* non solum in propriis oratoriis, sed etiam in Regularium ecclesiis, in quibus reperiuntur erectae, in iis tamen quae respiciunt administrationem et adimplementum onerum, vel relationem habent ad Confratres (Ferraris, verb. *Confraternitas,* art. III, n. 1; Monacelli, *Formular.* tom. I, pag. 214).

5. Potest Episcopus per seipsum vel per suum delegatum intervenire et assistere congregationibus Confraternitatum et electionibus Officialium, etiamsi fiant in ecclesiis et oratoriis Regularium, in quibus Confraternitates reperiuntur erectae, *dummodo tamen non faciat novitates.* Votum tamen dare non potest (Ferraris, ibid. n. 16 et 17; Bouix, Tract. de Episcopo, pag. 323; Acta S. Sedis, vol. XII, pag. 27).

6. Sodales jus habent conventus habendi, neque eos potest Episcopus absque causa prohibere (Vid. Ferraris, ibid. et Lucidi, cap. 7, n. 141).

7. Confratres jus habent eligendi suos Officiales, sed ad Episcopum pertinet jus eos confirmandi (S. Congr. Conc. apud Lucidi loc. cit. n. 152).

8. Episcopus moneri debet de conventibus extraordinariis, minime vero de ordinariis (S. Congr. Conc. 21 Jan. 1786; Lucidi, cap. 7, n. 143-159).

9. Jus habet Episcopus *cogendi* Confraternitates laicorum, quae utuntur sacco, ad conveniendum solitis processionibus, *saltem quando Episcopus est in possessione illas vocandi per edicta poenalia, exactionem poenarum, aliaque juris et facti remedia.* Id probat Ferraris (loc. cit. n. 14) variis responsis S. Congregationis Episcoporum et Regularium. De hoc argumento Monacellus ita scribit:

An autem omnes Societates laicorum, quae sacco utuntur, possint ab Ordinario cogi ad interessendum publicis processionibus, quaestio dubia est, et varie decisa. Etenim *S. Congregatio Episcoporum tenet opinionem affirmativam,* prout patet ex Decretis, quae referuntur a Barbosa... *Sacra vero Congregatio Concilii sequitur sententiam contrariam,* scilicet, quod Confraternitates laicorum, et quae ecclesiasticae non sunt, possint quidem ad processiones invitari, sed non compelli, et Decreta refert Nicol. in flosc..., nisi in casu, *quod adesset consuetudo...* Prima opinio, quam sequitur S. Congr. Episc. mihi semper magis placuit, quia cum agatur de actione spirituali, laici debent subjacere judicio Episcopi, et quia est favorabilis pietati, religioni, et cultui divino... Verum quia contraria sententia nititur Decretis S. Congr. Concilii, ad quam spectat Concilium Trident. interpretari, qui illam sequitur non fallitur. — Ad processiones autem, quae fiunt occasione funeris, accedere non possunt, nisi fuerint invitatae (Monacelli, *Formularium,* edit. 3ª Romana, tom. I, pag. 212).

Alia plura vide apud citatos Auctores, Monacellum, Ferraris et Lucidi. Facile intelligitur tum praecedentes, tum sequentes declarationes respicere potissimum Confraternitates proprii nominis.

1824. *Controversiae inter Parochos et Sodalitia* resolutae fuerunt a Sacrorum Rituum Congregatione per Decretum diei 10 Dec. 1703, approbatum a Summo Pontifice sub die 12 Januarii 1704. Continet triginta tres quaestiones, quas Benedictus XIV notis illustravit (Instit. 105, n. 83 et sqq.), dum esset Archiepiscopus Bononiensis. Quia valde utile censemus pro Sacerdotibus authenticas dubiorum solutiones cognoscere, ideo praefatum Decretum per extensum afferimus, prout extat in Collectione Gardelliniana sub n. 3670, pag. 219.

URBIS ET ORBIS.

Jurium parochialium functionum, et praeeminentiarum inter Parochos et Confraternitates laicorum, earumque Capellanos et Officiales.

Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos et Confraternitates saeculares, earumque Capellanos et Officiales super juribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Emo et Rmo D. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An Confraternitates laicorum legitime erectae in ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus? — Sacra eadem Rituum Congregatio, re mature discussa, respondendum esse censuit: *Affirmative.*

2. An dictae Confraternitates erectae in capellis, oratoriis tam publicis quam privatis, adnexis parochialibus ecclesiis et ab eis dependentibus habeant dictam dependentiam a Parocho quoad dictas functiones? — *Affirmative.*

3. An Confraternitates erectae in aliis ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cujus parochiae limites sitae sunt ecclesiae? — *Negative.*

4. An Confraternitates erectae in oratoriis tum publicis tum privatis, sejunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a Parocho? — *Negative.*

5. An benedictiones et distributiones Candelarum, Cinerum et Palmarum sint de juribus mere parochialibus? — *Negative.*

6. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de juribus mere parochialibus? — *Negative, sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis fieri debere a Parochis.*

7. An functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de juribus mere parochialibus? — *Negative, prout jacet.*

8. An celebratio Missae solemnis feria V in Coena Domini sit de dictis juribus parochialibus? — *Negative, prout jacet, sed spectare ad Parochos.*

9. An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis juribus parochialibus? — *Negative, prout jacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X, n. 22, § 14.*

10. An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis juribus parochialibus? — *Negative, prout jacet, sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus ejusdem ecclesiae vel oratorii, ut in Brundusina sub die* 1 *Julii* 1601.

11. An expositio quadraginta Horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de dictis juribus mere parochialibus? — *Negative.*

12. An expositio, quae fit cum Reliquiis et sacris Imaginibus, et benedictio quae cum eis fit super populo sit de dictis juribus parochialibus? — *Negative, et quoad benedictiones cum Reliquiis et Imaginibus serventur Decreta.*

13. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5. ad 12. expressae, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente Parocho? — *Satis provisum in superioribus.*

14. An in dictis oratoriis privatis Confraternitatum per confratres statis horis recitari possint Horae canonicae cum cantu vel sine, absque alia licentia Parochi? — *Affirmative, nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.*

15. An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente Parocho? — *Affirmative.*

16. An Capellani Confraternitatum possint populo denuntiare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia Parochi? — *Affirmative.*

17. An Parochus, invitis confratribus, docere possit Doctrinam Christianam in praedictis ecclesiis et oratoriis publicis vel privatis, a parochiali divisis et separatis? — *Negative.*

18. An in saepedictis ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus cum licentia Ordinarii, et absque licentia Parochi? — *Affirmative.*

19. An in eisdem ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta sive cantata ante Missam parochialem sive lectam sive cantatam? — *Negative, nisi aliter Episcopus disponat.*

20. An ad Parochum spectet facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in saepedictis ecclesiis et oratoriis publicis Confraternitatum? — *Affirmative, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est ecclesia vel oratorium.*

21. An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri possint processiones, juxta cujusque Confraternitatis institutum, absque interventu vel licentia Parochi? — *Affirmative.*

22. An eaedem processiones fieri possint extra ambitum dictarum ecclesiarum, absque licentia illorum Parochorum, per quorum territorium transeundum est? — *Negative, nisi adesset licentia Episcopi.*

23. An in dictis processionibus Capellani Confraternitatum possint deferre stolam? — *Negative extra propriam ecclesiam.*

24. An Episcopo accedenti ad ecclesias publicas Confraternitatum, quae non sint Regularium, neque proprium Rectorem beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cujus territorio sunt sitae dictae ecclesiae? — *Negative.*

25. An earumdem ecclesiarum et Confraternitatum Rectores et Capellanos possit Parochus, cessante speciali ac legitimo titulo, et ex solo jure parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus ecclesiae parochialis? — *Negative.*

26. An in saepedictis ecclesiis Confraternitatum neque Parochialibus neque Regularibus, retineri possit SS. Eucharistiae Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicae? — *Negative.*

27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi, sine licentia Ordinarii? — *Negative.*

28. An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum, eleemosynarum in saepedictis ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere? — *Negative.*

29. An in ecclesia parochiali confratres vel eorum Capellani immiscere se valeant, invito Parocho, in ejusdem ecclesiae functionibus sive parochialibus sive non parochialibus? — *Negative.*

30. An Confraternitates sive sint erectae in ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu et juxta uniuscujusque peculiaria statuta congregationes suas facere, absque interventu, vel licentia Parochi? — *Affirmative, dummodo non impediant functiones et divina Officia.*

31. An possint propria bona administrare, ac de illis disponere, absque ulla dependentia a Parocho? — *Affirmative.*

32. Quando Parochus eisdem congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tamquam ejus delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? Et quatenus *Affirmative,*

33. An etiam suffragium duplex? — Ad 32 et 33: *Negative.* Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus et provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit ac decrevit: « Si SSmo Domino Nostro » videbitur. Die 10 Decemb. 1703. — Et facta deinde per me Secretarium de praedictis Decretis SSmo Dno Nostro relatione, praevia eorumdem integra lectura, Sanctitas Sua laudavit, benigneque approbavit et publicari, et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit. Die 12 mensis Januarii 1704.

1825. Super juribus et officiis Confraternitatum respectu Parochorum non desunt aliae declarationes S. R. C., quae cum ad tramitem allati Decreti Urbis et Orbis sint peractae, nulla est necessitas eas hic referendi. Si cui placet illas perlegere, consulat Gardellini, praesertim sub n. 3910, et Acta S. Sedis, vol. XVIII, pag. 193 usque ad pag. 200.

Notare etiam juvat, descriptas decisiones potius respicere, ut facile attendenti patet, *veras et proprie dictas Confraternitates,* quam recentiores Associationes, quae plerumque non sunt aliud, nisi simplices piaeque Uniones ad praescriptas quasdam preces institutae.

1826. *Tertiarii Franciscales,* cum non simplicem Confraternitatem sed verum Ordinem constituant, jure gaudent praecedentiae super quascumque laicas Confraternitates et Sodalitates. Res ita definita est a Summis Pontificibus et pluries a Romanis Con-

gregationibus (vid. n. 1533 et sqq.). Unde e Sacra Rituum Congregatione sub die 28 Maji 1886 sequens declaratio prodiit:

« *Ad tramitem Apostolicarum Constitutionum, nec non declarationis S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 20 Septembris 1748, Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub cruce incedentibus, jus inest praecedentiae super quascumque laicas Sodalitates* ».

ARTICULUS XVI.

DE TRANSLATIONE ET CESSATIONE INDULGENTIARUM ET SODALITATUM.

1827. Quando indulgentia est concessa pro aliquo festo favore Sodalitatum, quae *a religioso Ordine pendent,* sodales lucrari eam possunt vel die rite constituta in kalendario dioecesis, vel die rite constituta in kalendario Ordinis, *non tamen in utraque die* (Decr. 29 Aug. 1864. N. 407).

1828. Legitime translata solemnitate et externa celebratione festi, etiam indulgentiae transferuntur, et hoc valet

a) non solum ubi agitur de indulgentiis omnibus Christifidelibus concessis, sed etiam ubi agitur de indulgentiis impertitis *Confraternitatibus, Sodalitatibus, piis Unionibus* etc.

b) Valet, tum si agatur de festi translatione *perpetua,* tum de festi translatione *accidentali.*

c) Valet, sive translatio fiat in tota dioecesi, *sive in una vel altera particulari ecclesia dioecesis* (Cf. Decr. 9 Aug. 1852. N. 360; et 16 Julii 1887, apud Acta S. Sed. vol. XX, pag. 63).

1829. Quia ordinarie indulgentiae conceduntur Confraternitatibus *non intuitu loci,* in quo reperiuntur erectae, sed *ratione instituti;* consequitur, indulgentias non cessare per translationem Confraternitatum, *legitime,* nempe *consensu Episcopi* factam de uno loco pio in alium. Unde S. Congregatio ad dubium:

An translata Sodalitate in aliam ecclesiam, intelligantur etiam translatae indulgentiae? Respondit: *Affirmative.* (Decr. 16 Febr. 1739. N. 126; cf. Theod. a Sp. S. part. II, pag. 164).

1830. Quod si indulgentiae concessae fuissent alicui Confraternitati *intuitu loci ob peculiares circumstantias,* quod esset

casus rarissimus, tunc quidem translata Confraternitate vel mutatis circumstantiis, indulgentiae cessarent (Vid. Theod. a Sp. S. loc. cit. qui affert exemplum).

1831. Doctrinae expositae minime opponitur Decretum S. Congregationis Indulgentiarum diei 9 Aug. 1843 (Decr. auth. N. 323), quo declaratum fuit, cessare indulgentiam, si nova ecclesia aedificetur, *non in loco veteris ecclesiae.* Nam ibi est sermo de indulgentiis *localibus,* quae nempe *ipsis ecclesiis sunt concessae,* non de *personalibus,* quae semper comitantur personas, in casu nostro, Confraternitates; dummodo tamen legitime translatae in alium locum, idem institutum et titulum retineant.

1832. Dictum est: *dummodo tamen* LEGITIME *translatae in alium locum, idem institutum et titulum retineant.* Si enim non legitime, id est si non a competenti auctoritate ecclesiastica transferantur, indulgentias, quibus gaudent, utique amitterent. Ergo ut Sodalitas quaelibet in aliam ecclesiam sive oratorium translata gaudere pergat gratiis et favoribus, quibus est ditata, oportet ut translatio fiat de consensu Episcopi, si sermo sit de Sodalitatibus quae ab eo eriguntur; et etiam de consensu Superioris regularis, si agatur de illis Confraternitatibus quae privative eriguntur a quibusdam religiosis Ordinibus vel Congregationibus. Unde in opere *Acta S. Sedis... pro Societate SS. Rosarii* expresse dicitur, quod pro translatione Confraternitatis SS. Rosarii requiritur facultas Rmi P. Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum una cum consensu Episcopi (Vid. vol. I, n. 41, pag. 25).

Et revera Superiores regulares in hujusmodi erectionibus determinant praecise ecclesiam, sive oratorium aut altare, ita ut Confraternitas in tali loco et non alibi, sine consensu *erigentis* et Episcopi, intelligatur erecta.

1833. Confraternitates, *quia eriguntur in perpetuum,* licet injuria temporum, vel etiam ob confratrum penuriam desierint, non indigent nova canonica erectione, nec amiserunt indulgentias ac privilegia (Cf. Decr. 28 Jan. 1839. N. 269).

1834. In opere supra citato, quod inscribitur: *Acta S. Sedis... pro Societate SS. Rosarii,* edito Lugduni anno 1890 jussu Rmi P. Josephi Mariae Larroca, Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, haec leguntur in vol. I. pag. 23, n. 38: Si omnes confratres moriuntur, vel si ex taedio, negligentia, vel quacumque de causa extincta fuerit Confraternitas, *etiam unius saeculi et amplius interru-*

ptione, dummodo in archivo ecclesiae reperiantur litterae patentes erectionis, a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum concessae, etiamsi nullus in praesenti sit sodalis, praedicta ecclesia semper Confraternitatem possidet, cum Generales Ordinis Praedicatorum erigant Confraternitates SS. Rosarii *in perpetuum*. Si igitur in litteris erectionis patentibus Rector ecclesiae vel Parochus pro tempore instituitur Confraternitatis Director seu Capellanus, tunc ille ex seipso, et sine novo recursu ad Rmum Generalem, potest ad vitam revocare Confraternitatem, adscribere sodales, benedicere rosaria, et omnia facere quae hujusmodi Directoribus competunt...

1835. Verum, hoc jus revocandi ad vitam Confraternitates extinctas cum indulgentiis et privilegiis, quibus antea gaudebant, limitandum esse videtur. Si enim Confraternitas aliqua *per centum et amplius* annos nec membra haberet, nec conventus celebraret, nec aliquod vitae signum dederit, nullo modo existens ac juribus gaudens reputari posse videtur. Confraternitates eriguntur quidem in perpetuum, quatenus non ad tempus, puta ad quinquaginta vel centum annos, at ea conditione ut *vivere pergant, ac non pereant propria culpa*. Si verba *in perpetuum* illimitate sumantur, consequeretur aliquam Confraternitatem posse ad vitam revocari etiam *post mille annos*, quod, ut putamus, nemo admittet. — *Societas,* secundum Jus, *solvitur ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione; ideoque sive homines, sive res, sive voluntas, sive actio interierit, distrahi videtur societas.* Cum autem accessorium sequatur naturam principalis, infertur quod extincta Societate, istius jura omnino pereant. Et hoc potius sensu a S. Congregatione Concilii sub die 24 Julii 1886 soluta fuit quaedam controversia inter duas Confraternitates (Vid. Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 319-327).

1836. Si *ex voluntate confratrum eorum collegium penitus dissolveretur*, indulgentiae Confraternitatum cessarent; et quamvis Confraternitatem instaurari contingeret, adhuc indulgentiae non reviviscerent, sicut nec privilegia. — Id autem dicendum non est, si confratres *dispergerentur:* puta, si a civitate vel ob violentam hostium incursionem, vel ob pestem grassantem recederent, atque ad eamdem, hisce calamitatibus cessantibus, redirent (Theod. a Sp. S. loc. cit.; Bassi, Tract. de Sodalitiis, quaest. II, n. 8).

1837. Per profanationem vel clausuram ecclesiarum Regularium, in quibus erectae reperiebantur Confraternitates, non amit-

titur jus ad privilegia et indulgentias, quibus dictae Confraternitates gaudebant. Quare post restaurationem Conventus et ecclesiae reconciliationem, quae ad dictas Confraternitates spectabant, *omnia ut primitus perseverant* (Cf. Decr. 18 Sept. 1862. N. 396).

1838. Item Confraternitates civili auctoritate suppressae, non amittunt privilegia et indulgentias, ab Apostolica Sede eisdem concessas (Cf. Decr. 26 Aug. 1840. N. 285).

Justis intervenientibus causis, *auctoritas ecclesiastica tantummodo jus habet,* ut per se patet, *dissolvendi Confraternitatem. Legitime dissoluta Confraternitate, eo ipso cessant indulgentiae et privilegia,* quibus antea perfruebatur.

ARTICULUS XVII.

BREVIOR CONSPECTUS RERUM NOTABILIUM.

1839. *A)* Notio Confraternitatum piarumque Associationum.

Confraternitates sive Sodalitia distinguuntur in Sodalitia *strictiori, stricto* et *lato sensu.*

Sodalitates aliae sunt *universales,* aliae *locales.*

Inter Confraternitates eminent illae, quae *centrales* seu *primariae* sunt, quaeque proinde Archiconfraternitates nuncupantur.

Discrimen inter veras Confraternitates et alias pias Associationes.

Prima Confraternitas in Urbe, *Confalonis* dicta, instituta est a Seraphico Doctore S. Bonaventura.

Confraternitates veri nominis, antiquiores et celebriores sunt illae quae ab Ordinibus regularibus repetunt originem.

Ut Confraternitates et piae Uniones frui possint indulgentiis, necessario requiritur *ut sint canonice erectae.*

B) Ad Episcopum, *jure ordinario,* pertinet erigere in sua dioecesi Confraternitates.

Aliquae tamen excipiendae sunt Confraternitates, quarum erectio ex privilegio Apostolico reservata est *privative* quibusdam Ordinibus seu Congregationibus religiosis.

Loca Missionum non comprehenduntur in hujusmodi privativa reservatione.

Sunt insuper aliquae Sodalitates, quae erigi possunt tum ab Episcopis, tum a Superioribus Generalibus quorumdam Ordinum

seu Congregationum religiosarum. Hujusmodi tamen Sodalitates, ut indulgentiis frui possint, aggregari debent a praedictis Superioribus Generalibus Archisodalitatibus respectivis Romae existentibus.

Confraternitates erigi nequeunt in ecclesiis Monialium.

C) Modi varii obtinendi indulgentias pro Confraternitatibus.

Erectio canonica *per se* non sufficit ut Confraternitas indulgentiis gaudeat, sed oportet ut hae habeantur vel *per speciale indultum*, vel *per legem generalem a S. Sede latam*, vel *per aggregationem alicui Archiconfraternitati* ejusdem nominis et instituti. Res declaratur exemplis.

Confraternitas quae Archiconfraternitati aggregatur, amittit indulgentias quas obtinuerat, et gaudet indulgentiis Archiconfraternitatis vi cujusdam clausulae in Brevi apponi solitae.

Habentes facultatem communicandi privilegia et indulgentias, ut Superiores quorumdam Ordinum, Archiconfraternitates etc., nequeunt dicta privilegia et indulgentias ampliare et limitare pro suo arbitrio.

Aggregationes non ad tempus, sed *in perpetuum* faciendae sunt.

Pro obtinenda aggregatione requiritur *ex parte Confraternitatis aggregandae* postulatio aggregationis, quae secum habeat litteras testimoniales Episcopi. *Ex parte Archiconfraternitatis aggregantis* observari debet, *saltem in substantialibus,* formula praescripta a Clemente VIII, Bulla *Quaecumque.*

D) Regulae servandae a Superioribus Generalibus Ordinum pro erectionibus, et ab Archiconfraternitatibus pro aggregationibus.

Nec Superiores Ordinum erigere, nec Archiconfraternitates aggregare possunt sine praevio consensu Episcopi et cum litteris testimonialibus ejusdem, quae insuper fieri debent in folio separato.

Moderatores Archiconfraternitatum et Superiores regulares nequeunt *ad validitatem* transmittere diplomata sine appositione nominis, absque data etc., id est *in bianco, en blanc.*

E) De subjectis Bullae *Quaecumque.* Subsunt Bullae *Quaecumque* regulares Ordines, Archiconfraternitates, Basilicae, Capitula ecclesiarum et personae quaecumque similes facultates habentes.

Non subjiciuntur Episcopi, quibus proinde Sodalitates erigentibus nulla determinata formula praescripta est, ac ideo Decretum tantum Episcopi erigentis satis est ad canonicam erectionem.

Ab observantia quarumdam praescriptionum Constitutionis *Quaecumque* nonnullae Confraternitates et Congregationes excipiuntur.

Quoad loca et distantias regula generalis est, ut Confraternitas ejusdem nominis et instituti erigi nequeat in locis, quae non distent ab invicem circiter tria milliaria, exceptis tamen quibusdam Confraternitatibus, quae a lege distantiae eximuntur.

In locis autem *distinctis,* ut sunt civitates, communitates, oppida, pagi etc., si propriam parochiam habeant, conceditur ut Confraternitates erigi possint, quamvis una leuca inter se non distent.

Regulares nequeunt communicare Confraternitatibus indulgentias ipsis Regularibus concessas.

F) Episcopis jus est visitandi Confraternitates laicorum.

Episcopus potest etiam visitare Confraternitates a Regularibus institutas cum usu saccorum in propriis ecclesiis, in iis tamen quae administrationem, cultum capellae, onera Missarum etc. respiciunt.

Statuta Confraternitatum, licet maxime utilia sint ad rectam Sodalitatum administrationem, non sunt tamen absolute necessaria nec ad validam erectionem earumdem Sodalitatum, nec ad fruitionem indulgentiarum.

Ad Episcopum pertinet statuta examinare et approbare, ea corrigere vel mutare, dummodo non fuerint a S. Sede confirmata.

G) Quaelibet Confraternitas Directorem habere debet, cui potestas est ea gerendi, quae ad Rectores spectant.

Episcopus designare potest, generatim loquendo, Directorem cujuscumque Confraternitatis suae dioecesis.

Parochus loci ubi fit erectio, non est *eo ipso* Director Confraternitatis, nisi quatenus sit ab Episcopo nominatus.

Episcopi delegare possunt qua Rectores Confraternitatum non solum Parochos, sed Eleemosynarios, Capellanos Communitatum vel piorum Locorum quoad Confraternitates in ecclesiis ipsis concreditis independenter a Parocho, vel etiam Vicarios Parochorum.

Rector Confraternitatis non potest *per se* rosaria cum applicatione indulgentiarum et scapularia benedicere ac imponere, nisi in concessionibus tributa sit ei relativa facultas.

Item non potest *sine speciali indulto* alium Sacerdotem subdelegare ad explenda Rectoris munia.

Ut fidelis frui possit indulgentiis, quae sunt concessae Confraternitati, necesse est ipsam Confraternitatem ingredi.

Recipere fideles in Confraternitatem pertinet ad ejusdem Rectorem.

Episcopus potest etiam alios deputare ad recipiendos fideles in Confraternitatem.

Relate ad pias Uniones, quae nullam habent pro adscriptione sodalium formam ac caeremoniam, potest Episcopus committere Directori, ut instituat *Zelatores* et *Zelatrices*, quibus sit potestas valide adscribendi fideles in piam Societatem.

H) Saepe *alii Sacerdotes* facultatem obtinent, praesertim pro iis locis, in quibus respectivae Confraternitates non existunt, adscribendi fideles Sodalitatibus a S. Sede approbatis.

Praedicti Sacerdotes habere debent penes se, loquendo speciatim de Confraternitatibus Scapularium, privatum regestum, et quamprimum commode possunt, transmittere tenentur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris nomina receptorum, ut in Album ipsius Sodalitatis referantur.

I) In adscriptione fidelium servanda sunt *sub poena nullitatis* ea omnia quae sunt *substantialia*.

Verba *substantialia*, quae proinde proferenda sunt in admissione fidelium in Confraternitates *Scapularium*, sunt ea quae exprimunt *benedictionem* et *impositionem* scapularium, nec non *receptionem* in Confraternitatem.

Quoad ceteras Confraternitates, si quae sint quae non habeant determinatam receptionis formulam, satis est signum aliquod externum, quod admissionem in Confraternitatem indicet.

Inscriptio confratrum in libro Sodalitatis est prorsus necessaria pro Confraternitatibus *proprie dictis*, ut sodales lucrari possint indulgentias.

Relate ad cetera Sodalitia, quae non sunt Confraternitates proprie dictae, inscriptio nominum, licet consulenda, non tamen requiritur ut conditio essentialis pro fruitione indulgentiarum.

Exinde patet discrimen inter *adscriptionem* seu *receptionem* in Confraternitatem, et *inscriptionem nominum* in Albo confratrum. *Actus receptionis* ad rei substantiam pertinet; *materialis* vero *nominum inscriptio* PER SE non est de essentia receptionis; siquidem suppleri etiam potest per aliud documentum, puta per aliquod diploma, quod confratri tradatur. Quoties autem praescri-

batur, ut revera praescribitur pro veris Confraternitatibus, ipsa necessaria evadit *ad integritatem receptionis.*

Inscriptio *materialis* nominum a quocumque fieri potest, dummodo ab habente facultatem fidelis sit rite receptus.

Qui habet facultatem generalem adscribendi fideles, etiam *seipsum* adscribere potest.

Idem Christifidelis aggregari potest pluribus Confraternitatibus.

Nequeunt in Confraternitatem adscribi fideles *post eorum mortem,* nec fideles viventes *ipsis insciis,* neque expedit admittere *parvulos ante rationis usum.*

Indultum pro sodalibus infirmis, aut carceribus detentis, aliaeque ampliores concessiones.

K) Decreta de non adscribendis fidelibus absentibus piis Sodalitatibus.

Normae de hac materia a S. Congregatione Indulgentiarum editae in Decreto Urbis et Orbis die 26 Novembris 1880 breviter indicantur:

1. *Tamquam regula generalis* tenendum est, fideles *absentes* non posse admitti et adscribi in Confraternitates.

2. Sodalitates *locales,* quae pro certa tantum dioecesi vel regione canonice erectae sunt, in confratres admittere nequeunt *absentes* (qui etiam *extranei* dici possunt) extra limites dioecesis vel regionis. Haec regula non patitur exceptionem.

3. Sodalitates *universales,* id est pro universo Orbe catholico erectae, nequeunt pariter in confratres admittere simpliciter *absentes.* Requiritur igitur adscribendorum *personalis praesentia.* Ast haec personalis praesentia non est restringenda ad locum ubi *Sodalitas* canonice erecta *habet sedem,* sed sufficit ut habeatur *coram quocumque, qui quocumque in loco delegatam vel subdelegatam legitime habeat adscribendi facultatem.*

4. *Praesentia moralis, interpretativa vel per litteras vel per interpositas personas generatim non sufficit.* Ab hac tamen regula generali excipiuntur: *a)* Confraternitates, quarum *statuta approbata* includunt, aut supponunt, aut flagitare videntur *absentium* etiam inscriptionem; *b)* Confraternitates, quae in hunc finem speciale obtinuerunt privilegium; *c)* Confraternitates, quae erectae reperiuntur in celebrioribus Sanctuariis, ad quae fideles *ob singularem devotionem* sua nomina mittere cupiunt, ut in sodalium

Albo inscribantur; *d)* Confraternitates, quae ob peculiaria adjuncta vel benignitate Apostolica dispensantur super hac lege.

5. Confraternitates et Sodalitates, quae pro sodalium receptione certam aliquam habent formam cum aliqua solemnitate ac ritu, ut publica candidatorum petitio ac praesentatio, probatio aliqua et novitiatus, vel saltem impositio habitus, scapularis, cincturae, quae ex sui natura personalem praesentiam requirunt, tenentur quidem lege de non adscribendis absentibus: *attamen earum Moderatoribus eorumque Delegatis conceditur, ut in casibus singularibus dispensare possint a statuta forma inter praesentes, ac absentes etiam per singularem exceptionem adscribere.*

6. Sodalitates, piae Uniones, pia Opera et Societates, quae nullam habent pro adscriptione sodalium formam ac caeremoniam inter praesentes, et quarum vis et utilitas maxime sita est in fidelium numero, qui ad varia pietatis et charitatis exercitia consociantur, Decretum quoad *absentes,* quantum fieri potest, rite servent. Attamen *absentes, eos scilicet qui praesentes comparere commode nequeunt,* adscribere possunt, servata tamen Decreti mente, spiritu ac scopo, ut scilicet non solum augeatur numerus, sed etiam adscribendorum devotioni consulatur.

L) Jura Episcopi quoad Sodalitia. — Controversiae inter varia Sodalitia et inter Sodalitia ac Parochos a S. Rituum Congregatione resolutae. — De translatione et cessatione indulgentiarum et Sodalitatum. — Haec omnia vide in propriis locis.

CAPUT V.

DE CONFRATERNITATIBUS ET PIIS ASSOCIATIONIBUS IN SPECIE.

Cognitis legibus a S. Sede constitutis pro canonica institutione ac recto regimine Confraternitatum aliarumque piarum Associationum, superest ut aliquid in particulari de nonnullis ex eisdem exponamus. *De nonnullis* diximus, quia impossibile fere esset de omnibus et singulis piis Societatibus, quae in universo catholico Orbe reperiuntur erectae, loqui, tum ob earum multitudinem, tum ne secus opus nostrum nimis excrescat. Nec ceteroquin specialis tractatio de singulis piis Associationibus necessaria dici potest, siquidem, exploratis normis generalibus, facillimum est ex respectivis earum statutis ea pernoscere, quae cuilibet sunt propria.

Nos in hoc capite quo praesens opus, quodcumque sit, absolvitur, illarum tantum Sodalitatum peculiarem ac brevem suscipimus tractationem, quae vel magis sunt propagatae, vel quarum major desideratur diffusio, vel de quibus facilius habere potuimus necessaria documenta. Summaria indulgentiarum per extensum, quibusdam exceptis, referre non existimavimus, cum a respectivarum Sodalitatum Directoribus nullo negotio haberi possint.

1. CONFRATERNITAS SS. SACRAMENTI.

1840. Initium habuit haec pia Societas anno 1539 in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe Ordinis Praedicatorum, cujus auctores fuerunt pii quidam Romani cives. Scopus hujus sanctae institutionis fuit, vigilare omnique sollicitudine attendere, ut sanctissimum Christi Corpus debita veneratione teneretur, videlicet ut digne et decenter asservaretur in ecclesiis, et reverenter ac devote

ad infirmos deferretur. Hinc si media pro digno cultu SS. Sacramenti in aliqua ecclesia deficiebant, confratres ea suppeditabant; cum ad infirmos Sanctissimum deferretur, cereis accensis illud comitabantur, prout etiam in ceteris processionibus, quae in honorem ejusdem SS. Corporis Christi fiebant intra annum, multaque alia sive pia opera sive preces peragebant, ut debito cultu et veneratione haberetur sanctissimum Eucharistiae Sacramentum (Cf. Moroni, *Dizionario di erudizione,* verb. *Arciconfr. del SS. Sagramento;* Beringer, tom. II, pag. 101).

1841. Summus Pontifex Paulus V, Bulla *Dominus noster Jesus Christus* diei 30 Novembris 1539, hanc piam Associationem approbavit, quamplurimis indulgentiis et privilegiis locupletavit, ac honorifico titulo *Archiconfraternitatis decoravit.* Declaravit insuper, omnes alias Confraternitates *similes* sive jam erectas, sive in posterum erigendas iisdem indulgentiis ac privilegiis gaudere, *quin opus sit eas aggregare Archiconfraternitati S. Mariae supra Minervam.* Quam decisionem S. Congregatio Indulgentiarum confirmavit Decreto diei 23 Aprilis 1676, simulque desiderium expressit, ut haec Confraternitas (Episcoporum studio) in omnibus ecclesiis parochialibus erigeretur (Decr. auth. N. 13).

1842. Innocentius PP. XI per Apostolicum Breve diei 1 Octobris 1678, praefatum Decretum S. Congregationis de novo confirmavit, et exinde eadem S. Congregatio ad tollendum quodcumque dubium *super aggregationibus,* quae, non obstantibus praefatis decisionibus, fiebant ab Archiconfraternitatibus SS. Sacramenti, declaravit:

Aggregationes hujusmodi quantum ad communicationem indulgentiarum ab Archiconfraternitatibus praetensam esse inutiles (Decr. 22 Apr. 1752. N. 192).

1843. Eadem S. Congregatio declaravit ulterius, praedictas Confraternitates SS. Sacramenti posse erigi *in omnibus paroeciis, licet non distent ab invicem una leuca* (Decr. 22 Aug. 1842. N. 308 ad 1^m, 3^m et 4^m; N. 343 ad 2^m).

1844. Confraternitates SS. Sacramenti, in processionibus in quibus *SS. Eucharistiae Sacramentum defertur,* jure praecedentiae gaudent supra quascumque alias Confraternitates, licet antiquiores. In ceteris vero processionibus ipsae incedunt juxta ordinem antianitatis (S. R. C. Decr. 17 Jan. 1887, apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XIX, pag. 341).

1845. « *Summarium Indulgentiarum Archiconfraternitati SS. Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe canonice* erectae concessarum » habetur penes *Rescripta authentica,* n. 22, pag. 427; quodque uti *authenticum* fuit recognitum die 14 Julii 1853 a S. Congregatione Indulgentiarum. Est tenoris sequentis:

I. A Paulo V, die 3 Novembris 1606:

1. Indulgentia *plenaria* cuicumque utriusque sexus Christifideli pro die, qua quisque confessus ac sacra Communione refectus Sodalitio nomen dederit.

2. Indulgentia *plenaria* confratribus et consororibus ejusdem Sodalitatis, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, processioni SSmi Sacramenti, quae die Octava solemnitatis Corporis Domini peragi solet singulis annis, interfuerint, illudque associaverint orantes pro pace, et christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.

Haec indulgentia fuit inde ab Innocentio XII, die 27 Novembris 1694, *ad feriam sextam* post Corporis Domini solemnitatem immediate sequentem translata.

3. *Eamdem indulgentiam* consequi possunt omnes confratres et consorores, qui legitime impediti praedictam processionem comitari nequiverint, dummodo tamen vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et ut supra oraverint.

4. Indulgentia *plenaria* omnibus et singulis confratribus et consororibus, qui confessi ac sacra Communione refecti, ac in mortis articulo constituti, sanctissimum Jesu Nomen ore, si potuerint, sin minus, corde saltem invocaverint.

5. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* confratribus et consororibus, qui vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in festo Corporis Domini sumpserint, et ut supra oraverint.

6. Indulgentia *centum dierum* singulis confratribus et consororibus, quotiescumque divinis Officiis et Sodalitatis processionibus interfuerint.

7. Indulgentia *centum dierum* confratribus et consororibus in qualibet feria sexta totius anni visitantibus ecclesiam, in qua Confraternitas reperitur erecta.

8. Indulgentia *centum dierum* confratribus et consororibus, qui saltem poenitentes et confessi, processionem feria quinta in Coena Domini peragendam comitati fuerint.

9. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* confratribus et consororibus, quotiescumque sanctissimum Sacramentum, cum ad infirmos vel alio defertur, cum lumine aut sine lumine associaverint.

II. A Clemente X, die 24 Januarii 1673:

10. Indulgentia *centum dierum* confratribus et consororibus, pro qualibet vice, qua cadaver alicujus Christifidelis defuncti ad sepulturam associaverint.

III. A Benedicto XIV, die 2 Augusti 1749:

11. Indulgentia *centum dierum* confratribus et consororibus, quotiescumque Missis in ecclesia seu capella vel oratorio Confraternitatis pro tempore celebrandis;

12. seu congregationibus publicis vel privatis Confraternitatis ubivis faciendis;

13. vel quibuscumque processionibus de licentia Ordinarii peragendis interfuerint;

14. aut pauperes hospitio susceperint;

15. vel pacem inter inimicos aut dissidentes composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint;

16. vel si impediti SS. Eucharistiae Sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias quocumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitari nequiverint, et campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum ejusdem Confraternitatis recitaverint;

17. aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint;

18. vel ignorantes Dei praecepta, et ea, quae ad salutem sunt, docuerint;

19. vel infirmitate aut carcere detentos visitaverint, aut aliquo spirituali seu temporali subsidio subvenerint;

20. vel quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint.

IV. A Pio IX, die 13 Junii 1853:

21. Indulgentia *plenaria* confratribus et consororibus, qui vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti, processioni in Dominica tertia cujuslibet mensis, et feria quinta in Coena Domini fieri solitae interfuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, revocata indulgentia septem annorum etc. in supraenuntiatis diebus a Paulo V elargita.

22. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* confratribus et consororibus, qui locum, ubi SS. Sacramentum asservatur, feria quinta in Coena Domini corde saltem contrito et devote visitaverint, ac ut supra oraverint; revocata indulgentia centum dierum ab eodem Paulo V concessa.

23. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* confratribus et consororibus semel in die acquirenda, si pariter corde contrito horis vespertinis, in aliqua ecclesia seu publico oratorio, SS. Sacramentum visitaverint, et ut supra oraverint.

V. *Indulgentiae omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui ad honorem et cultum SS. Sacramenti sese in sequentibus piis operibus exercuerint, concessae ab Urbano IV anno* 1264 *per suam Bullam incipientem* TRANSITURUS, *qua festivitatem Corporis Domini instituit, a Martino V die* 26 *Maji* 1429 *ampliatae, et ab Eugenio IV die* 26 *Maji* 1433 *confirmatae et adauctae* (1):

1. Indulgentia *bis centum dierum* omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi in pervigilio festivitatis Corporis Domini jejunaverint, aut aliud opus pium juxta consilium Confessarii peregerint.

2. Indulgentia *quatuor centum dierum* cuicumque Christifideli poenitenti et confesso, qui Officio divino in primis et secundis Vesperis, Matutino, ac Missae ejusdem festivitatis interfuerit, pro qualibet ex istis functionibus.

3. Indulgentia *centum sexaginta dierum,* quotiescumque in praedicto festo Horis Primae, Tertiae, Sextae, Nonae et Completorii, quis intervenerit pro qualibet ipsarum Horarum.

4. Indulgentia *bis centum dierum,* quotiescumque praefatis sacris functionibus Vesperarum, Matutini, et Missae diebus Octavae ejusdem festivitatis quis interfuerit, pro quolibet ipsorum operum.

5. Indulgentia *octoginta dierum* pro singulis reliquis Horis in diebus praedictis.

6. Indulgentia *bis centum dierum* cuicumque, si Sacerdos sit, Missam celebraverit, si vero laicus, sacram Communionem devote sumpserit, et processionem SS. Sacramenti in dicta festivitate, aut alia Octavae die comitatus fuerit, orando pro pace et sanctae Matris Ecclesiae tranquillitate.

VI. A Paulo V, praedicta die 3 Novembris 1606:

7. Indulgentia *bis centum dierum* omnibus Christifidelibus, qui processionem a SS. Sacramenti Sodalitate in Dominica tertia cujuslibet mensis, et feria quinta in Coena Domini fieri solitam comitati fuerint.

---

(1) De indulgentiis quae sequuntur, saltem quoad majorem partem, vid. etiam *Raccolta,* pag. 83 et 87, nec non hanc nostram « *Collectionem Indulgentiarum* », n. 284 et sqq.

8. Indulgentia *quinque annorum totidemque quadragenarum* Parochis ceterisque utriusque sexus Christifidelibus, qui sine lumine SS. Sacramentum, cum ad infirmos, aut alio defertur, processionaliter associaverint.

9. Indulgentia *centum dierum* omnibus Christifidelibus, qui impediti, SS. Sacramentum, ut supra comitari nequiverint, unum *Pater noster* et *Ave Maria* recitaverint, et ut supra oraverint.

10. Indulgentia *centum dierum* omnibus et singulis mulieribus, quae ex justa causa dictum SS. Sacramentum associare nequiverint, et unum *Pater noster* et *Ave Maria* recitaverint, ac pro infirmo oraverint.

VII. A Ven. Innocentio XI, die 1 Octobris 1678:

11. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quotiescumque in quolibet loco SS. Sacramentum ad infirmos cum lumine prosecuti fuerint, et pro pace et concordia, ut supra oraverint.

VIII. Ab Innocentio XII, die 3 Januarii 1695:

12. Indulgentia *trium annorum totidemque quadragenarum* omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui quotiescumque legitime impediti, SS. Sacramentum, cum ad infirmos defertur, comitari personaliter nequiverint, lumen pro illius associatione miserint.

IX. A Benedicto XIV, die 13 Septembris 1749, et a Pio IX, die 13 Junii 1853:

13. Omnes et singulae praefatae indulgentiae, sive plenariae sive partiales, possunt animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicari.

2. ARCHISODALITAS ADORATIONIS PERPETUAE SS. SACRAMENTI ET OPERIS ECCLESIARUM PAUPERUM (1).

1846. Anna de Meeûs eximiae pietatis matrona ad excitandam augendamque fidem ac venerationem erga sanctissimum Sacramentum, anno 1848 Bruxellis in Belgio Associationem instituit, quae *ab Adoratione perpetua SSmi Sacramenti* nuncupatur.

Hujus Associationis scopus duplex est: a) *adorationem perpetuam SS. Sacramenti pro viribus propagare;* b) *auxilium praebere ecclesiis pauperibus, eas sacra supellectili instruendo.*

(1) Vid. *Rescr. auth.* pag. 326, n. 410, et pag. 561, n. 52; *Regolamento* dell' Arciassociazione per l' Adorazione perpetua etc., Roma, tipogr. Monaldi 1880; *L' Istituto e l' Arciconfraternita* dell' Adorazione perpetua etc., Roma, tipogr. Salesiana 1885.

1847. Praefata Associatio ab Episcopis Belgii jam approbata, per Breve 6 Maji 1853 in *Archiassociationem* erecta est. Verum, cum ad consequendum sanctissimum ac amplissimum finem Associatio hujusmodi non videretur esse sufficiens, necessitas nata est Communitatis religiosae, cui piissimum Opus committeretur, quae centrum ejus esset et fulcimentum, quaeque penitus dedicaretur ad propagandum et augendum ubique locorum amorem, reverentiam et adorationem sanctissimae Eucharistiae.

1848. Religiosa Communitas seu potius *novum Institutum* ex ipsa pia Associatione prodiit. Laudata enim matrona Anna de Meeûs anno 1857 Institutum *Sororum ab Adoratione perpetua SS. Sacramenti* nuncupatum fundavit, cujus ipsa Moderatrix Generalis electa et instituta fuit.

1849. Per Breve diei 16 Junii 1863 Archiassociationi Bruxellarum pro Belgicis dioecesibus erectae, potestas facta est sibi aggregandi similes Associationes apud exteras nationes erectas, sub aliquibus tamen restrictionibus, quae deinceps sublatae sunt per aliud Breve sub dato 26 Junii 1876, quo praedictae Archiassociationi seu Archiconfraternitati, facultas concessa est in perpetuum sibi aggregandi similes Associationes per totum orbem, *Urbe Roma excepta.*

1850. Verum, nec ista exceptio diu perduravit: nam *Societas Sororum* ab Adoratione perpetua nuncupata, in alma Urbe domum constituit, et Summo Pontifici Leoni PP. XIII supplicavit, ut sibi permitteret Archiconfraternitatem Societati seu Instituto adnexam Romam transferre. Haec enim Archiconfraternitas nomine et instituto cum Societate cohaeret, Societati ceu capiti subest et subesse tenetur vi Constitutionum a S. Sede probatarum.

Summus Pontifex has preces benigne excipiens, *mandavit praefatam Archisodalitatem Romam transferri.*

1851. Jam vero cum alia Archisodalitas ejusdem nominis et instituti Romae in aedibus ad Quatuor Fontes cura et studio piae ac nobilis matronae Carolae de Courballay reperiretur erecta, cumque Ecclesiae lege duae Archiconfraternitates ejusdem nominis et instituti nequeant in uno eodemque loco consistere, Summus Pontifex volens hujus legis impedimento occurrere, decrevit Archisodalitatem Romae in aedibus ad Quatuor Fontes constitutam, utpote quae posterius erecta est, uniri cum Belgica Romam translata.

1852. Huic tandem Archisodalitati, quae in unum coaluit, concessa est, absque ulla limitatione, facultas ceteras Sodalitates ejus-

dem nominis et instituti ubique terrarum aggregandi, servata forma et tenore Constitutionis Clementis VIII *Quaecumque* (Cf. Decretum S. Congr. Indulg. de die 1 Febr. 1879, apud Rescr. auth. N. 410, pag. 326).

1853. Institutum *Sororum Adorationis perpetuae* cum suis Constitutionibus approbatum fuit a Summo Pontifice Pio IX per Decretum S. Congregationis Episc. et Regul. die 8 Aprilis 1872.

Leo PP. XIII, Decreto S. Congr. Episc. et Regul. diei 12 Januarii 1880, Statuta Archiassociationis approbavit et confirmavit, ipsamque Archiassociationem meritis laudibus extulit.

1854. Cuilibet Episcopo jus est erigendi in propria dioecesi similes Associationes; sed ut hae privilegiis ac indulgentiis Archiconfraternitatis gaudeant, oportet ut eidem Archiconfraternitati Romae existenti *(Via Nomentana, presso Porta Pia)* aggregentur.

1855. Praecipua capita Statutorum praedictae Archiconfraternitatis haec sunt:

1. Finis Associationis est: a) pro viribus intendere ut Jesus Christus in SS. Sacramento altaris magis ac magis cognoscatur, ametur et adoretur; b) offensas injuriasque, quae in augustissimo Sacramento ei inferuntur, reparare; c) ecclesiis pauperibus regionis, ubi Associatio reperitur erecta, nec non in locis Missionum, auxilium praebere, objecta ad divinum cultum necessaria subministrando.

2. Fideles utriusque sexus ingredi possunt dictam Associationem. Ut quis ejus membrum fiat ac lucrari indulgentias valeat, nomen ejus in registro Confraternitatis inscribi debet; quolibet mense per unam horam SS. Sacramentum adorare; eleemosynam unius libellae seu franci, vel saltem *quoad pauperes* quinque obolorum singulis annis elargiri in bonum ecclesiarum pauperum.

3. Fideles, qui sese adstringunt annuatim dare eleemosynam, puta duorum francorum cum dimidio, habentur ut pii Operis *benefactores,* et participes sunt speciali modo orationum, quae fiunt in locis, ubi pium Opus invenitur institutum.

4. Hora adorationis mensilis, nocte vel die ad sociorum libitum fieri potest. Si quis prohibeatur quominus ecclesiam pergat, horam adorationis etiam in propria domo facere potest. Licet non necessarium, esset tamen expediens ut singuli socii horam fixam in praefinito die cujuslibet mensis eligant, ut sic inter membra Associationis adoratio perpetua facilius obtineatur.

5. Quolibet mense sociorum congregatio habetur die statuta, in qua SS. Sacramentum exponitur, sodales ad sacram Synaxim accedunt, piaeque functiones peraguntur.

6. Sodales vita functi specialibus suffragiis expiabuntur.

7. Objecta pro ecclesiis pauperibus oblata in proprio deposito asservantur. Recipiuntur grato animo oblationes cujuslibet generis.

8. Semel vel pluries in anno exponuntur objecta elaborata nec non dona pro ecclesiis pauperibus habita. Opus gratis peragitur.

9. Quaelibet Associatio dirigitur a Sacerdote ab Episcopo loci nominato, cui assistit Consilium ex piis matronis compositum, diversis officiis praeclarissimi Operis incumbentibus.

10. Sunt etiam Zelatrices, quarum est propagare Associationem, quaerendo novos socios, novos benefactores, aliasque operarias, telas sericas, pannos (vulgo *stoffe, étoffes*) procurando.

11. *Solemnitas Corporis Christi est festum titulare et principale Archiconfraternitatis.* Festa secundaria sunt: sacratissimi Cordis Jesu, — Cordis immaculati B. M. Virginis, — festum S. Josephi Sponsi B. M. V., et aliorum Sanctorum, qui ob eorum in sanctissimum Sacramentum singularem devotionem, tamquam Protectores ab Archisodalitate habentur. Hi sunt: S. Franciscus Assisiensis, — S. Thomas Aquinas, — S. Ignatius a Lojola, — S. Alphonsus de Ligorio, — S. Juliana de Retinne.

1856. Cum ex hac pia Consociatione uberes fructus Ecclesiae provenerint, Apostolica Sedes non solum *Archiassociationis* titulo, Sedis centro in Urbem translato, sed etiam *plurimis indulgentiis et gratiis spiritualibus* illam cumulavit, prout videre est in proprio Summario a S. Congregatione Indulgentiarum die 6 Maji 1880 approbato (*Rescr. auth.* pag. 561-565; parv. libel. a typogr. Vaticana edit. ann. 1892).

3. ARCHICONFRATERNITAS PRETIOSISSIMI SANGUINIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (1).

1857. Auctor hujus pii Sodalitii fuit Franciscus Albertini Sacerdos Romanus, postea Episcopus Terracinensis, qui anno 1819 sanctitatis fama ex hac vita migravit. Cernens servus Dei in illis

(1) Vid. *Rescr. auth.* in textu et in nota, pag. 549 et sqq.; *Coroncina* in onore del Sangue preziosissimo di N. S. G. C. col Sommario delle Indulgenze; Roma, tipogr. Pallotta 1886.

politicis perturbationibus tot fideles magno periculo obnoxios perdendi animas pretio Sanguinis Jesu Christi redemptas, sibi constituit eis occurrere per fundationem piae Societatis, quam a Pretiosissimo Sanguine Jesu Christi nuncupavit, cui sedem fixit in ecclesia S. Nicolai *in Carcere* de Urbe. Adscriptorum studium esse debebat: frequenter recolere passionem D. N. J. C., et offerre Deo Patri pretiosissimum Sanguinem Filii sui in satisfactionem suorum admissorum, pro sanctae Ecclesiae necessitatibus, pro conversione peccatorum, et in suffragium animarum in Purgatorio degentium. Pia Associatio seu Confraternitas inaugurata fuit die 8 Decembris 1808 ferventissimo sermone Ven. Gaspari Del Bufalo, quam Pius VII die 17 Februarii 1809 confirmavit, et die 26 Septembris 1815 ad gradum Archiconfraternitatis evexit.

1858. Ad Episcopum spectat erigere in propria dioecesi Sodalitates pretiosissimi Sanguinis. Erectione peracta, recurrendum est pro aggregatione et communicatione indulgentiarum ad Directorem Archiconfraternitatis apud ecclesiam S. Nicolai *in Carcere* de Urbe, vel etiam ad P. Generalem Congregationis Missionis a pretiosissimo Sanguine *(Roma, Crociferi,* 1, *Via Poli),* cui per Breve diei 29 Julii 1851 concessae sunt omnes facultates, quibus pollet ipsa Archiconfraternitas.

Sodalitas pretiosissimi Sanguinis in altari nominatim designato erigi debet, et ipso facto altare *privilegiatum* remanet *quotidianum* in perpetuum pro defunctis.

1859. Nulla peculiaris vestis fratrum vel sororum requiritur, nec regula ulla specialis praecipitur: est enim simplex devotio pretii redemptionis nostrae sub Rectoris directione pro tempore cum suis precibus et indulgentiis. Potest autem Ordinarius simplicem Sodalitatem in Confraternitatem *(ad modum Archiconfraternitatis Romanae)* elevare et erigere, cui tunc regulam aliquam imponat, et habitum nigri coloris cum ornamentis rubeis solis fratribus concedat.

1860. Director piae Sodalitatis canonice erectae ipso facto uti adscriptus habetur, eique inest etiam ordinaria facultas aliis Sacerdotibus suam potestatem communicandi, qui suo nomine fungentes tali munere sunt vere adscripti et aggregatores, sed alios subdelegare nequeunt.

1861. Director Sodalitatis penes se habere debet librum, in quo nomina et cognomina fidelium ad Sodalitatem ingredientium

sua manu designet cum die, mense et anno. Qui autem a Rectore delegatus fuerit, in notula separata novos fideles sua manu obsignet, eamque cito ad Rectorem mittat, ut cum aliis servetur.

In locis ubi Confraternitas pretiosissimi Sanguinis non reperitur erecta, P. Generalis supra memoratus Sacerdotibus petentibus concedit facultatem adscribendi fideles Archiconfraternitati Romanae.

1862. Nullae peculiares preces fidelibus adscriptis praescribuntur: curent tamen sodales frequenter recolere passionem Domini, ejusque pretiosissimum Sanguinem honore et amore prosequi, quotidie vel saepe recitando in obsequium ejusdem pretiosissimi Sanguinis septem *Gloria Patri* vel septies precem jaculatoriam: « *Aeterne Pater, tibi offero Sanguinem pretiosissimum Jesu Christi, in satisfactionem peccatorum meorum, ac pro necessitatibus sanctae Ecclesiae* », cui orationi adnexa est *indulgentia centum dierum* qualibet vice (vid. n. 258).

Summarium Indulgentiarum, quas lucrari possunt adscripti piae Sodalitati sub invocatione pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Christi reperitur, apud *Rescr. auth.* pag. 549.

4. ASSOCIATIO UNIVERSALIS SACRAE FAMILIAE.

1863. In Brevi Apostolico *Neminem fugit* de die 14 Junii 1892, Summus Pontifex Leo XIII docet et ostendit, « rei privatae et publicae faustitatem a domestica potissimum institutione pendere. Quo enim altiores domi egerit radices virtus, quo solertius parentum voce et exemplo fuerint puerorum animi ad religionis praecepta informati, eo uberiores in rem communem fructus redundabunt. Quapropter summopere interest ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus; in eaque religionis spiritus et christianae vitae ratio diligenter constanterque foveatur. Hinc profecto est quod misericors Deus cum humanae reparationis opus, quod diu saecula expectabant, perficere decrevisset, ita ejusdem operis rationem ordinemque disposuit, ut prima ipsa ejusdem initia *augustam mundo exhiberent speciem Familiae divinitus constitutae, in qua omnes homines absolutissimum domesticae societatis, omnisque virtutis ac sanctitatis intuerentur exemplar. Talis quidem Familia extitit Nazarethana* illa, in qua, antequam gentibus universis pleno lumine emicuisset, Sol justitiae erat absconditus: nimirum Christus Deus

Servator noster cum Virgine Matre et Joseph viro sanctissimo, qui erga Jesum paterno fungebatur munere ».

1864. Demonstrato deinde, quod omnis virtus perfecte enituerit in sacra illa Familia, quae ceteris omnibus futura erat exemplar sanctissimum, Pontifex pergit:

« Habent revera *patresfamilias in Joseph* vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam: habent *matres in sanctissima Virgine Deipara* amoris, verecundiae, submissionis animi perfectaeque fidei insigne specimen: *filii vero familias in Jesu, qui erat subditus illis,* habent divinum obedientiae exemplar quod admirentur, colant, imitentur. *Qui nobiles* nati sunt, discent a Familia regii sanguinis, quomodo et in edita fortuna se temperent, et in afflicta retineant dignitatem: *qui dites,* noscent ab ea quantum sint virtutibus posthabendae divitiae. *Operarii autem et ii omnes, qui, nostris praesertim temporibus, familiarum rerum angustiis ac tenuiore conditione tam acriter irritantur,* si ad sanctissimos illius domesticae societatis consortes respectent, non deerit eis causa cur loco, qui sibi obtigit, delectentur potius quam doleant. Communes enim cum sacra Familia sunt illis labores; communes curae de vita quotidiana: debuit et Joseph de mercede sua vitae rationibus consulere; imo ipsae divinae manus se fabrilibus exercuerunt. Nec mirum sane est si sapientissimi homines divitiis affluentes, eas abjicere voluerint, sociamque cum Jesu, Maria et Joseph sibi eligere paupertatem ».

1865. « Exinde, infert Summus Pontifex, quod jure meritoque apud catholicos sacrae Familiae cultus mature invectus, majus in dies singulos incrementum capiat...

« Hujusmodi cultus, prosequitur Leo XIII, magno in honore habitus est jam inde a saeculo decimo septimo, lateque per Italiam, Galliam et Belgium propagatus, totam fere Europam pervasit. Deinde praetergressus vastos Oceani tractus, in America per Canadensem regionem, cura praesertim atque opera venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval primi Quebecensis Episcopi, et venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeois, sese extendit, faustisque effloruit auspiciis ».

1866. « Postremis hisce temporibus dilectus filius Franciscus Philippus Francoz Societatis Jesu piam Consociationem a Sacra Familia Lugduni fundavit, quae fructus laetos atque uberes, Deo juvante, de se pollicetur. Consociationi tam auspicato conditae il-

lud est salutare propositum: nimirum *familias christianas arctioris pietatis nexu sacrae Familiae devincire, vel potius omnino devovere,* eo etiam consilio, uti scilicet Jesus, Maria et Joseph familias sibi deditas, tamquam rem propriam tueantur et foveant».

1867. « Qui sociorum in numero sunt adsciti, debent ex instituto cum iis qui domi commorantur, *in unum convenire, coram imagine sacrae Familiae decreta pietatis officia praestare, providere, ea opitulante, ut inter se colligatis fide mentibus, charitate voluntatibus in amore Dei atque hominum, vitam ad propositum exigant exemplar*».

1868. Postea Summus Pontifex commemorat piam Consociationem Bononiae ad instar Lugdunensis institutam, a Pio PP. IX approbatam et laudatam, cui non defuit laus et commendatio ipsius Leonis XIII, qui datis ad Emum Cardinalem Augustinum Bausa Archiepiscopum Florentinum litteris, eam Consociationem utilem ac salutarem, nostrisque temporibus valde accommodatam esse significavit. Insuper meminit etiam, se probasse *formulam consecrationis christianarum familiarum et precationem coram imagine sacrae Familiae recitandam,* quas Sacrorum Rituum Congregatio, suffragante Emo Card. Cajetano Aloisi-Masella eidem Congregationi Praefecto, proposuerat, et utramque ad locorum Ordinarios transmittendam curavisse.

1869. «Deinde veriti, subjungit Pontifex, ne germanus memoratae devotionis spiritus tractu temporis oblanguesceret, eidem Nostrae Sacrorum Rituum Congregationi mandavimus, *ut Statuta concinnaret,* quibus in universo catholico Orbe piae Consociationes sacrae Familiae instituendae adeo inter se conjunctae forent, ut *unus omnibus praeficeretur praeses,* qui eas auctoritate summa regeret et moderaretur». Statuta post accuratum examen ab eadem Sacra Congregatione exarata, sunt eadem quae subscribuntur (Statuta vid. infra n. 1876).

1870. « Quae quidem Statuta, prosequitur Pontifex, cum de iis supradictus Cardinalis Praefectus ad Nos retulisset, *comprobavimus et Apostolica Auctoritate Nostra rata habuimus et confirmavimus,* derogatis abrogatisque quae super hanc rem scita actaque sunt, nominatim Apostolicis Litteris die 3 Octobris anno 1865 (1)

(1) Istiusmodi Brevi Pius IX. sa. me. titulum *Associationis primariae* conferebat Associationi a Sacra Familia Bononiae institutae: ejusdem Directori tribuebat facultatem aggregandi similes Consociationes in dioecesi Bononiensi erectas, iisque communicandi indulgentias Associationi *primariae* concessas.

datis, et omnibus actis, quae ad primariam Lugdunensem Consociationem spectant ».

1871. Deinde Leo XIII in dicto Brevi *Neminem fugit* vult et jubet, ut Consociationes omnes sacrae Familiae cujuscumque tituli, *quae nunc existunt, in hanc unicam et universam coalescant.*

Excipit ab hac lege *religiosas Congregationes hujus tituli,* quae constitutionibus utuntur a S. Sede approbatis, et *Confraternitates proprie dictas,* dummodo canonice sint erectae, et ad regulas et normas dirigantur a Romanis Pontificibus praescriptas, nominatim a Clemente VIII in Constitutione *Quaecumque* die 7 Decembris 1604. Hae vero Confraternitates ac religiosae Congregationes, quibus fortasse jus fuit hucusque adscribendi familias, *abstinere se prorsus debent ab hujusmodi adscriptione,* quae solummodo Parochis commissa est.

1872. *Non est tamen necesse,* ut familiae jam alicui Consociationi adscriptae, pro indulgentiis aliisque muneribus spiritualibus obtinendis *iterum adscribantur,* dummodo servent ea quae in novis hisce Statutis praescripta sunt.

1873. In Praesidem Consociationis universae Summus Pontifex eligit *Suum Cardinalem Vicarium pro tempore,* quem statuit perpetuum Protectorem cum omnibus juribus et facultatibus ad id necessariis. Ipse in auxilium habebit Praelatos Romanos, inter quos erit *Secretarius pro tempore Sacrorum Rituum Congregationis.*

1874. « Quod superest, concludit Pontifex, Nobis spes bona est, omnes, quibus est animarum credita salus, maxime Episcopos, studii hujus Nostri in hac pia Consociatione provehenda socios ac participes sese facturos. Qui enim cognoscunt et Nobiscum deplorant christianorum morum demutationem et corruptelam, restinctum in familiis religionis et pietatis amorem, et accensos supra modum rerum terrestrium cupiditates, ipsi siquidem vel maxime optabunt tot tantisque malis opportuna afferri remedia.

« Et siquidem nihil magis salutare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo sacrae Familiae, quae perfectionem absolutionemque complectitur omnium virtutum domesticarum. Quapropter curent ut familiae quamplurimae, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis major intenditur, piae huic Consociationi dent nomen.

« Cavendum tamen est, ne a proposito suo Consociatio deflectat, neve spiritus immutetur, sed quae et quomodo decretae sunt pietatis exercitationes et precationes, integrae serventur. Sic implorati inter domesticos parietes, adsint propitii Jesus, Maria et Joseph, charitatem alant, mores regant, ad virtutem provocent imitatione sui, et quae undique instant mortales aerumnae, eas leniendo faciant tolerabiliores.

« Decernentes haec omnia et singula, uti supra edicta sunt, firma rataque in perpetuum permanere, non obstantibus Constitutionibus, Litteris Apostolicis » etc.

1875. In alio Brevi, cujus initium *Quum nuper*, de die 20 Junii 1892, praelaudatus Pontifex Leo XIII omnibus et singulis sodalibus Consociationis sacrae Familiae indulgentias et privilegia, quae inferius notantur sub n. 1878, benigne concessit.

1876. Statutum piae Associationis universalis familiarum sacrae Familiae Nazarethanae consecratarum.

1. Finis piae Associationis hic est, ut familiae christianae sese voveant sacrae Familiae de Nazareth, eamdemque ad propriam venerationem et exemplum proponant, eam coram sua imagine honore prosequendo precibus quotidianis, vitamque conformando excelsis virtutibus, quarum ipsa exemplum praebuit cuique ordini societatis, et praecipue operariis.

2. Pia Associatio suum centrum habet Romae apud Emum Cardinalem, Vicarium *pro tempore* Sanctitatis Suae, qui illius est Protector. Ipse coadjutus a Rmo Secretario Sacrae Rituum Congregationis, et a duobus aliis Praelatis ab eodem eligendis, atque insuper ab ecclesiastico viro cum *Secretarii* munere, Associationem eamdem in omnibus terrae partibus moderatur, studendo ut ipsa spiritum indolemque servet propriae institutionis, et magis in dies propagetur.

3. In qualibet dioecesi aut Vicariatu Apostolico, Ordinarius ad satius promovendam inter suos fideles piam Consociationem, utetur opera alicujus ecclesiastici viri, ab eodem eligendi, cum titulo *Directoris dioecesani*.

4. Directores dioecesani de re communicabunt cum Parochis, quibus solummodo concredita est adscriptio familiarum suae respectivae paroeciae. Mense autem Majo cujuslibet anni Parochi Directores dioecesanos, et hi sub Ordinarii dependentia, centralem Romae sedem certiorem facient de numero novarum familiarum piae Associationi adscriptarum.

5. Familiarum consecratio fiet juxta formulam a Summo Pontifice Leone XIII approbatam et praescriptam. Haec fieri potest in particulari a qualibet familia (1), vel etiam a plurimis familiis in parochiali ecclesia adunatis coram proprio Parocho vel ejus delegato.

6. Apud unamquamque ex familiis adscriptis haberi debet imago sacrae Familiae de Nazareth, et earumdem membra semel saltem in die, et si fieri potest in sero, orabunt in communi coram eadem. Ad id speciali modo commendatur precum formula a Regnante Summo Pontifice approbata, et etiam usus frequens sequentium Jaculatoriarum:

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l' anima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell' ultima agonia.

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con voi l' anima mia (2).

7. Imago sacrae Familiae potest esse vel illa de qua agitur in Litteris Pii IX sa. me. diei 5 Januarii 1870, vel quaevis alia quae referat Jesum Christum Dominum nostrum in sua vita privata, quam duxit cum beatissima Virgine, Matre sua, et cum castissimo ejus Sponso, sancto Joseph. Manet tamen semper in Ordinario, juxta Tridentinum, jus excludendi imagines illas, quae proprio hujus Consociationis conceptui non respondeant.

8. Familiae Associationi adscriptae fruuntur indulgentiis et bonis spiritualibus a Summis Pontificibus concessis, prout in aggregationis chartula innuitur.

9. Cardinalis Protector cum suis Consiliariis faciet et in lucem edet *normam directivam (Regolamento)* quae speciales exhibebit dispositiones circa ea, quae piae Associationi utiliora esse possunt, et praesertim in ea indicabuntur ejus festa propria, dies festi Titularis, annua renovatio actus consecrationis insimul peragenda, adunantiae habendae etc.

1877. Piae Associationis sacrae Familiae regulae, ex Aedibus Vicariatus.

---

(1) Consecratio singillatim facta communicetur proprio Parocho ob adscriptionem et pro obtinenda ab eo respectiva pagella.

(2) Indulgentia *toties quoties* tercentum dierum pro tribus jaculatoriis unitis, et centum dierum pro singulis (Pius VII, 28 Apr. 1807; *Raccolta*, pag. 483).

I. Finis. In Brevi Apostolico *Neminem fugit*, a SSmo D. N. Leone PP. XIII, die 14 mensis Junii 1892 pro universo terrarum orbe promulgato, habetur, piae Consociationis a S. Familia id esse propositum: « Familias christianas arctiori pietatis nexu sacrae Familiae devincire, vel potius omnino devovere, eo etiam consilio, uti scilicet Jesus, Maria, Joseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tueantur et foveant »; quare omnes, quicumque ad eam pertinent Societatem, oportere contendere ut « inter se colligatis fide mentibus, charitate voluntatibus, in amore Dei atque hominum, vitam ad propositum exigant exemplar ». Ad haec facilius certiusque assequenda, Cardinalis vice sacra Urbis Antistes, ab ipso Pontifice Maximo Leone XIII Consociationis universae Praeses electus datusque Patronus, audito coetu a consiliis, haec quae sequuntur servanda decrevit.

II. Adimplenda munera. *a*) Cardinalis Praesidis erit, coetus virorum a consiliis, quando ipsi opportunum videbitur, indicere eisque praeesse, litteras ad Episcopos dioecesanos, pro suis quemque negotiis, itemque paginas aggregationis atque ejusmodi alia subscribere. Ejusdem erit paroeciarum numerum ac familiarum recipere, quae per varias orbis regiones in piae Consociationis Album fuerint adscriptae. Sacris coetibus ac religionis solemnibus, quae a pia Consociatione celebrari in Urbe contigerit, vel ipse praeerit, vel alius ab eo sufficiendus Antistes. Sui denique muneris erit, de omnibus, quae piam hanc Societatem spectent, per consiliarios suos edoceri, praesertim in iis, quae ab his possent ex officio fieri, vel quae aliquam difficultatem praeseferre videantur.

b) Trium (quorum alter est a secretis pro tempore S. Rituum Congregationis), quos Cardinalis Praeses sibi adscivit, urbanorum Antistitum erit diligenter conventibus interesse, suam sententiam dicere, significare Praesidi si quid noverint piae Societati profuturum, in omnia, quae ad hujus bonum referantur, sedulo incumbere.

His accedit Sacerdos, qui fungatur munere Secretarii piae Societatis, ad id electus a Cardinali Praeside. Huic curae erit, graviora, quae in conventibus occurrant pertractanda negotia, adnotare; quae ad rei incrementum collatura duxerit, proponere; scriptis edendis a pia Consociatione vigilem navare operam; de omnibus ac singulis communicare cum Praeside, ut et necessaria approbatione et duplici subscriptione muniantur.

Porro Sacerdos a secretis adsciscere sibi in auxilium poterit alium Presbyterum, a Praeside approbandum, qui Secretarii vices adimpleat. Ad eum itaque pertinebit dandas ad Episcopos aliosve litteras exarare, eorumque epistolis rescribere, prout a Cardinali Praeside fuerit edoctus, cui et Secretario postea tradet subscribendas. Penes ipsum erit pluteus, sive archivum, quo scripta, libellos, sacras imagines, aggregationis paginas et alia ejusmodi servabit in usum sodalium, prout piae Consociationis consilium constituerit. Agendas sibi expensas ipse describat et Praesidi referat, cui etiam rationem reddet.

III. Extra Urbem. *a)* Episcopi dioecesani erit aliquem e suis Sacerdotibus, quantum fieri possit digniorem, eligere ad munus Moderatoris, hujus studium excitare in bonum piae Consociationis quo alacriorem operam in omnibus, quae ipsum spectaverint, afferat; sedulo advigilare; ab ipso electo Moderatore de omnibus velle doceri quae ad piae Consociationis bonum referantur.

b) Ad dioecesanum Moderatorem pertinebit Moderatores parochiales opera et consilio juvare, ut pari alacritate ac prudentia sese in omnibus gerant. Ab unoquoque eorum saepe numerum et nomina exquiret familiarum, quae piae Consociationi fuerint adscriptae, de quibus edoceri deinde possit. Neque harum modo, sed et nomina descriptarum paroeciarum in tabulis recensenda curabit; mox earum exemplar ad Urbem mittet.

c) Paroeciarum Rectores singuli Moderatoris officium inter oves sibi creditas assumant obeantque. De suae quisque Consociationis negotiis cum Moderatore dioecesano communicet, cujus auctoritate, consilio, opera juvari possit. Familias paroeciae in sociorum numerum adscisci cupientes in tabulas referet, palamque Moderatori dioecesano faciet. Quotannis, stato die, paroeciae familias recensere studebit novasque, si fieri possit, in album Societatis inscribendas curabit. Quo autem sacrae Nazarethanae Familiae cultus honorque foveatur magis, sermonem interdum de pia Consociatione ad oves suas habeat, cum in festis peculiaribus Domini, Deiparae ac S. Josephi, tum maxime cum sodalium pactum erit solemniter renovandum, vel etiam cum in parochiali ecclesia religiosam aliquam ejusdem S. Familiae solemnitatem celebrari contingat, quam et indicere et dirigere prudenti ejus arbitrio relinquitur. Idem, si opportunum videbitur, auxiliares viros ac mulieres moribus et pietate praestantes in parte laboris adsumat, qui rei provehendae omni studio dent operam.

d) Delecti ex utroque sexu rei provehendae, alteri inter viros, alterae inter mulieres, ab suo edocti Parocho, in piae Consociationis incrementum magno studio prudentiaque incumbent, adhibitis, quae ad rem sunt validissima, precibus, hortationibus, virtutum exemplis. Praeterea in omnibus, pro quibus eorum opera uti Parochi in Domino judicaverint, dociles omnino se praebeant.

IV. Servanda a familiis adscriptis. *a)* In honorem Nazarethanae Familiae studeat quicumque ei dederit nomen similitudinem aliquam earum virtutum adripere, quarum Jesus, Maria, Joseph praeclarissima in terris exempla prodiderunt, cum omnibus, tum maxime iis, qui labore manuum victum quaerunt. Sed ad illas in primis animum adjiciant, quae sanctitatem domesticae societatis spectant, uti sunt mutua charitatis officia, praesertim inter conjuges, filiorum recta institutio, horumque obedientia et obsequium in parentes, pax et concordia domi, aliaque hujusmodi. Itaque a vitiis omnino caveant, ab iis maxime quae singularem infamiae notam Christiano homini inurant, quaeque ipsi sacrae Familiae injuriam videantur afferre praecipuam, cujus generis sunt impia verba aut obscoena, ebrietates, incompositi mores, hisque similia.

b) Ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta solemnioribus saltem anni diebus pie accedent, praesertim quo die familiarum consecratio renovabitur.

c) Ecclesiae praecepta, in tanta morum demutatione ac corruptela tam parvi habita, suaviter observari curabunt, ea potissimum ex quorum custodia aliis bona exempla derivant, uti auditio Sacri festis diebus, abstinentia, praescripto tempore, a cibis vetitis, aliaque ejusmodi.

d) Peculiari honore celebranda curabunt festa piae Consociationis propria, quae plenaria indulgentia a Summo Pontifice fuere ditata, in primisque solemnem constitutum diem in honorem sacrae Familiae, qui dies erit per universum orbem Dominica infra Octavam Epiphaniae, quo simul, nisi aliter expedire Moderatoribus parochialibus in Domino visum fuerit, ritus consecrationis renovabitur.

e) Dent operam ut, semel saltem in die, ante sacrae Familiae imaginem communes fundantur preces, in quibus praecipua ratione commendatur Rosarii in honorem Deiparae recitatio.

f) Pietatis exercitationes, quas diximus, enixe commendantur iis, qui ad piam Consociationem pertinent, nullatenus tamen eorum onerata conscientia.

Datum Romae, ex Aedibus Vicariatus, Dominica infra Octav. Epiph., die 8 Januarii 1893.

L. M. Card. Vic., *Praeses*.
C. Mancini, *a Secret*.

1878. Elenchus indulgentiarum et privilegiorum piae Consociationi sacrae Familiae concessorum.

Indulgentiae plenariae. Omnes utriusque sexus Christifideles piae Consociationi a sacra Familia adscripti, qui confessi et sacra Communione refecti parochialem ecclesiam vel oratorium publicum visitaverint, ibique aliquandiu ad mentem Summi Pontificis oraverint, indulgentiam plenariam consequi possunt diebus, qui infra scripti sunt:

I. Die adscriptionis Consociationi, emissa consecrationis formula a Summo Pontifice approbata.

II. Die quo habebitur annualis adunantia generalis adscriptorum ad renovandum consecrationis actum.

III. Diebus festivitatum: Nativitatis — Circumcisionis — Epiphaniae — Resurrectionis — Ascensionis Domini nostri Jesu Christi;

Immaculatae Conceptionis — Nativitatis — Annuntiationis — Purificationis — Assumptionis B. Mariae Virginis;

item diebus festis S. Joseph Sponsi B. M. Virginis, die 19 Martii — Patrocinii ejusdem, Dominica tertia post Pascha;

Desponsationis B. Mariae Virginis, die 23 Januarii.

IV. Die festo Titulari universae Consociationis.

V. Die per menses singulos sodalium arbitrio eligendo, dummodo mense ipso in familiis praescriptas preces coram sacrae Familiae imagine una simul recitaverint.

VI. Morituris si, non compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint, et sanctum Nomen Jesu aut voce, aut si loqui posse desierint, voluntate imploraverint.

Indulgentiae partiales. I. Sodales Consociationis sacrae Familiae ex utroque sexu singuli, qui corde saltem contrito parochialem ecclesiam, in qua est sedes Consociationis constituta, vel aliquod templum sive oratorium devote visitaverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint, lucrari possunt partiales indulgentias *septem annorum totidemque quadragenarum* diebus: 1. Visitationis, 2. Praesentationis, 3. Patrocinii B. Mariae Virginis; 4. quolibet die iidem sodales una simul in propriis familiis congregati, ante imaginem sacrae Familiae statas preces corde contrito recitaverint; 5. diebus, quibus sodales interfuerint conventibus seu adunantiis, quas haberi contigerit.

II. Iidem sodales lucrantur indulgentiam *trecentorum dierum*, quoties corde contrito sequentem Orationem ante imaginem sacrae Familiae quocumque idiomate recitaverint.

ORATIO

QUOTIDIE RECITANDA ANTE IMAGINEM SACRAE FAMILIAE.

O amantissime Jesu, qui ineffabilibus tuis virtutibus et vitae domesticae exemplis Familiam a te electam in terris consecrasti, clementer aspice nostram hanc domum, quae ad tuos pedes provoluta propitium te sibi deprecatur. Memento tuam esse hanc domum, quoniam tibi se peculiari cultu sacravit ac devovit. Ipsam benignus tuere, a periculis eripe, ipsi in necessitatibus occurre, et virtutem largire, qua in imitatione Familiae tuae sanctae jugiter perseveret; ut mortalis suae vitae tempore in tui obsequio et amore fideliter inhaerens, valeat tandem aeternas tibi laudes persolvere in coelis.

O Maria, Mater dulcissima, tuum praesidium imploramus, certi divinum tuum Unigenitum precibus tuis obsecuturum.

Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha sancte Joseph, potenti tuo patrocinio nobis succurre, et Mariae manibus vota nostra Jesu Christo porrigenda submitte.

Si vero sodales, qui vel infirmitate vel alia causa impediti, hanc Orationem recitare nequiverint, eamdem indulgentiam lucrari poterunt, si devote quinquies recitaverint Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam cum *Gloria Patri.*

III. Fideles piae Consociationi adscripti indulgentiam *ducentorum dierum* semel in die consequuntur, si jaculatorias preces quocumque idiomate effuderint ut infra:

Gesù, Maria, Giuseppe, illuminateci, soccorreteci, salvateci. Così sia.

IV. Indulgentiam *centum dierum* lucrifaciunt sodales, qui operam dederint, ut christianae familiae huic piae et universali Consociationi sese adscribant.

V. Indulgentiam *sexaginta dierum* lucrantur sodales, quoties hi: 1° in ecclesia parochiali, in qua sedem habet Consociatio, sacrosancto Missae sacrificio, aliisque divinis Officiis devote adstiterint; 2° vel quinquies recitaverint Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro sodali-

bus defunctis; 3° vel familiarum dissidia composuerint, vel componenda curaverint; 4° vel familias a justitiae tramite devias, in viam salutis reducere studuerint; 5° vel pueros sive puellas christianis praeceptis imbuere sategerint; 6° vel aliud quodcumque pium opus peregerint, quod in bonum Consociationis cedat.

Omnes et singulae indulgentiae supradictae sive plenariae sive partiales, animabus Purgatorii applicari possunt.

PRIVILEGIA. *Pro sodalibus universis.* Missae, quae pro sodalibus defunctis quocumque in altari celebrabuntur, iisdem suffragantur ac si in altari privilegiato celebrarentur.

Pro Parochis. I. Privilegium altaris personalis tribus in qualibet hebdomada diebus; dummodo simili privilegio alia de causa non perfruantur.

II. Facultas benedicendi extra Urbem coronas, rosaria, cruces, crucifixos, parvas statuas ac numismata, eisque applicandi omnes et singulas indulgentias, quas Summi Pontifices attribuere iisdem solent, ut describitur in apposito elencho; sed tantummodo exercenda pro sodalibus in Consociationem adscitis, die quo 1° christiani piam ingrediuntur Consociationem; et 2° solemniter renovatur pactum Consociationis.

1879. Formula recitanda quocumque idiomate a christianis familiis quae se sacrae Familiae consecrant.

O Jesu Redemptor noster amabilissime, qui e coelo missus ut mundum doctrina et exemplo illustrares, majorem mortalis tuae vitae partem in humili domo Nazarena traducere voluisti, Mariae et Josepho subditus, illamque Familiam consecrasti, quae cunctis christianis familiis futura erat exemplo; nostram hanc domum, quae tibi se totam nunc devovet, benignus suscipe. Tu illam protege et custodi, et sanctum tui timorem in ea confirma, una cum pace et concordia christianae charitatis: ut divino exemplari Familiae tuae similis fiat, omnesque ad unum, quibus ea constat, beatitatis sempiternae sint compotes.

O amantissima Jesu Christi Mater et mater nostra Maria, tua pietate et clementia fac ut consecrationem hanc nostram Jesus acceptam habeat, et sua nobis beneficia et benedictiones largiatur.

O Joseph, sanctissime Jesu et Mariae custos, in universis animae et corporis necessitatibus nobis tuis precibus succurre;

ut tecum una et beata Virgine Maria aeternas diviño Redemptori Jesu Christo laudes et gratias rependere possimus.

1880. Decretum Sacrae Rituum Congregationis, quo resolvuntur dubia relate ad piam Consociationem sacrae Familiae.

Postquam litterae a Sacra Rituum Congregatione, die 10 Decembris 1890, de cultu sacrae Familiae singularum dioecesium Ordinariis transmissae fuerunt, eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia proposita sunt, nimirum:

I. An Seminaria, Collegia, Congregationes et religiosae Familiae possint per formulam novissime a Sanctissimo Domino Nostro Leone PP. XIII approbatam semet sacrae Familiae consecrare, itemque paroeciae, dioeceses ac regiones?

II. Preces ab eodem Sanctissimo Domino Nostro itidem approbatae atque indulgentiis ditatae a singulis familiis coram imagine sacrae Familiae recitandae, possuntne in ecclesia publice usurpari?

III. Licetne familiis, quae jam speciali ratione sancto Joseph se consecrarunt, semet sacrae Familiae dedicare?

IV. Cum permultae orationes, litaniae, formulae consecrationis sacrae Familiae et alia hujusmodi in pluribus locis circumferantur, quomodo providendum?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referente me infrascripto Cardinali Praefecto, omnibus rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Quoad Seminaria, Collegia et singulas Domos Congregationum ac Familiarum religiosarum, *Affirmative;* quoad paroecias, provisum per consecrationem familiarum in singulis paroeciis; quoad cetera *Non expedire.*

Ad II. *Affirmative,* sed coram imagine sacrae Familiae.

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. Quoad litanias, comprehendi sub universali vetito litaniarum, quae explicite approbatae non fuerint a Sede Apostolica; quoad orationes, formulas consecrationis aliasque preces sub quovis titulo ad sacram Familiam honorandam adhibitas, mittendas esse ab Ordinariis locorum, nec non a Superioribus religiosarum Congregationum, ut debito examini subjiciantur; secus in posterum licite usurpari nequeant. Die 13 Februarii 1892.

De his autem facta SS. Domino Nostro Leoni Papae XIII, per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua

resolutiones Sacrae ejusdem Congregationis ratas habuit, et confirmavit. Die 18, iisdem mense et anno (1).

CAJETANUS Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*
VINCENTIUS NUSSI, *S. R. C. Secret.*

1881. Responsa ex Aedibus Vicariatus quoad erectionem Associationum a sacra Familia.

Ad Emum Cardinalem Vicarium ex variis locis delata sunt dubia, quae erectionem Associationum a S. Familia et inscriptionem nominum respiciunt. Nos hic dubia et responsa ex integro afferimus (2).

I.

Rme Domine. Eminentissimus Cardinalis Parocchi, Archiconfraternitatis S. Familiae Praeses, per me infrascriptum propositis dubiis respondet:

I. An requiratur in singulis paroeciis erectio canonica ab Episcopo ad instar Confraternitatum proprie dictarum:

Resp. *Negative; fit per diploma quod Emus Praeses mittet.*

II. An requiratur declaratio authentica, per diploma in scriptis vel alio modo, ab Episcopo vel Moderatore de erectione Consociationis in singulis paroeciis?

Resp. *Negative; sed Moderator servet quae in Regulis habentur* (III, b).

III. An pro lucrandis indulgentiis requiratur ut a singulis parochiis obtineatur pagina aggregationis a Cardinali Praefecto, uti innuere videntur Regulae (II a) ad modum aggregationis Confraternitatum proprie dictarum?

Resp. *Affirmative et ad mentem. Mens vero est, ut Episcopus, uno accepto ab Emo Praeside diplomate, reliqua ipse cu-*

(1) Documenta hucusque allata reperiuntur collecta in libello: *Manuale per gli ascritti alla pia Associazione universale... della S. Famiglia;* Roma, Società di S. Paolo etc. 1893; apud *Acta S. Sed.* vol. XXV, pag. 8-21, et pag. 567; apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXIV, pag. 459-477; tom. XXV, pag. 312.

(2) Vid. *Acta S. Sed.* vol. XXVII, pag. 60-63; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVI, pag. 53-57.

rabit imprimi ad normam illius, et singulis familiis consociatis tradet.

IV. An festum S. Familiae, Associationis primarium, die Dominica infra Octavam Epiphaniae, etiam in iis dioecesibus recoli debeat, in quibus ea die fit in choro solemnitas Epiphaniae?

Resp. *Affirmative; sed Episcopus aliam festivitatem seligere potest pro sua prudentia.*

Romae, ex Aedibus Vicariatus, die 7 Aprilis 1893.

RAPHAËL CHIMENTI, *Pro-Secret. Conf. S. Fam.*

Rmo Dno Karst, Vic. gen. dioec. Meten.

II.

Dub. I. An sufficiat ut Parochus solum nomen patris vel capitis familiae in tabulas Consociationis sacrae Familiae referat, vel singula familiae membra inscribere debeat?

Resp. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Dub. II. An Parochus pro inscriptione familiarum alterum Sacerdotem delegare possit?

Resp. *Nil vetat quominus Parochus in familiarum inscriptione Sacerdotem adhibeat adjutorem.*

Dub. III. An sufficiat ut familiae in sociorum numerum adscisci cupientes, hoc suum desiderium per litteras vel interpositas personas Parocho intiment, vel omnino requiratur ut caput familiae vel ejusdem membrum quoddam coram Parocho eum in finem personaliter compareat?

Resp. *Omnino decet ut caput familiae se personaliter sistat apud Parochum.*

III.

Eminentissimus Cardinalis Parocchi, piae Associationis a S. Familia Praeses, per me infrascriptum responso dimittit nonnulla alia dubia eidem proposita:

Ad Dubium III (n. I. supra relatum) videlicet: An pro lucrandis indulgentiis requiratur ut a singulis Parochis obtineatur pa-

gina aggregationis a Cardinali Praeside subscripta, uti innuere videntur Regulae (II, a) ad modum aggregationis Confraternitatum proprie dictarum? Responsum est: « *Affirmative et ad mentem. Mens vero est, ut Episcopus, uno accepto ab Emo Praeside diplomate, reliqua ipse curabit imprimi ad normam illius, et singulis familiis consociatis tradet* ».

Nunc autem quaeritur:

Utrum haec responsio sit IMPERATIVA vel DIRECTIVA tantum?

Resp. DIRECTIVA TANTUM ET AD MENTEM. Mens vero est, quod *nullo modo indigeant Episcopi nec Parochi talibus diplomatibus (quae frequentiora fuerunt requisita), cum in Brevi* NEMINEM FUGIT *res apprime definiantur. Unde responsio mere* DIRECTIVA *fuit, ad unitatem scilicet a Summo Pontifice commendatam magis magisque servandam.*

II. Ad 2m Dubium *(nempe primum dubium relatum sub n. II):* An sufficiat ut Parochus solum nomen patris vel capitis familiae in tabulas Consociationis S. Familiae referat, vel singula familiae membra inscribere debeat? Responsum est: *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Nunc quaeritur: Quid sit intelligendum per *singula familiae membra?*

Resp. *Intelligi debet pro* TOTALI NUMERO *membrorum, non autem pro* SINGULIS EORUMDEM NOMINIBUS.

III. Utrum, negligente vel invito patrefamilias, possit mater vel aliqua ex praecipuis familiae personis, v. gr. avus, familiam adscribere piae Associationi?

Resp. *Affirmative.*

IV. Utrum possint *filiifamilias, servi, milites,* sese adscribere piae Associationi seorsim a propria familia?

Resp. *Negative et ad mentem. Mens vero est ut singuli cum suis simul adscribantur; quibus negligentibus vel recusantibus, poterunt seorsim sese adscribere.*

V. Utrum aliquis possit *valide* sese adscribere in aliena paroecia?

Resp. *Negative. Nec proinde potest Parochus valide alienos adscribere, et qui taliter fuerunt adscripti, debent denuo in propria paroecia adscribi.*

VI. An saltem possit Parochus adscribere suos propinquos usque ad quartum consanguinitatis gradum, qui alibi domicilium habent?

Resp. *Negative.*

VII. Posseine saltem Director dioecesanus independenter a Parochis indiscriminatim dioecesanos adscribere ?

Resp. *Negative, quia ex Brevi Apostolico adscriptio solis Parochis committitur.*

VIII. Sufficitne quasi domicilium pro valida adscriptione ?

Resp. *Affirmative.*

IX. An Parochi vel Directores dioecesani in Rituali Romano possint apponere formulas et orationes assignatas pro consecratione et renovatione consecrationis ?

Resp. *Negative, usquedum S. Rituum Congregatio ipsa per se provideat.* .

X. Utrum in tabulis *(images)* vel statuis S. Familiam repraesentantibus possint exhiberi ante pectus Corda D. Infantis, B. Mariae Virginis et S. Josephi ?

Resp. *Non expedire quoad Corda D. Infantis et B. Matris ; quoad S. Josephum, non licere.*

Romae, ex Aedibus Vicariatus, die 12 Decembris 1893.

RAPHAËL CHIMENTI, *Pro-Secret. Conf. S. Familiae.*

5. ARCHISODALITAS SACRAE FAMILIAE LEODIENSIS (1).

1882. Sodalitas a. Sancta Familia nuncupata, quae Leodii in Belgio inchoata fuit a religioso duce militari, Henrico Belletable, canonice ibidem erecta est ab Ordinario loci anno 1845 7 Aprilis in ecclesia Patrum Congregationis SS. Redemptoris B. M. V. Immaculatae sacra.

1883. Pius IX Brevi d. d. 20 Aprilis 1847 copiosis indulgentiis eam locupletavit et Brevi 23 Aprilis titulo et praerogativis *Archisodalitatis* insignivit. Iterum Decreto S. C. Indulg. 5 Aprilis 1862 concessit idem Pontifex Directori pro tempore Archisodalitatis, qui est semper Rector supraenuntiatae ecclesiae et domus, facultatem erigendi seu aggregandi *in eodem loco* plures Sodalitates ejusdem nominis et instituti, de licentia tamen respectivi loci Ordinarii, iisdemque communicandi omnes et singulas indulgentias quibus gau-

(1) Ex Litteris aggregationis et adjunctionis Archiconfraternitati Sacrae Familiae, Jesu, Mariae, Joseph, aliisque authenticis documentis nobis exhibitis.

det praefata Archisodalitas sacrae Familiae, non obstante Constitutione sa. me. Clementis PP. VIII, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica,* ac insuper indulsit ut idem pro tempore Director ejusdem Archisodalitatis in hujusmodi erectionibus seu aggregationibus peragendis uti possit et valeat Diplomate quo hucusque usus est, servato quoad substantiam Decreto praefatae Sacrae Congr. d. d. 8 Jan. 1861.

1884. Tandem Decreto S. Congr. Rituum d. d. 13 Februarii 1894 declaratum ac statutum est:

Archisodalitatem Leodiensem a sacra Familia etiam post Litteras Apostolicas: *Neminem latet,* immutatam permanere sub hisce tamen conditionibus: *a)* ut praescriptis in Constitutione Clementis VIII fideliter adhaereat; *b)* ut in ea *singuli, non vero familiae* per modum unius aggregentur; *c)* ut neque in precibus liturgicis neque in aliis quibuscumque scriptis, *Associationis* nomine nuncupetur. Et sub ejusmodi conditione formulam consecrationis approbavit.

1885. Haec Archisodalitas vix non in toto terrarum orbe diffusa jam propemodum 1400 Sodalitates aggregatas numerat, quae omnes simul 400,000 membra computant. Cum soleant quavis hebdomada coetum frequentare, in quo, praeter preces et cantica in communi, a Directore conferentia familiaris habetur, vix dici potest quantos fructus in Vinea Domini haec nova arbor producat.

1886. Indulgentiae Archisodalitati sacrae Familiae Leodiensis concessae.

Praenotanda.

I. Omnes et singulae infrascriptae indulgentiae, tam plenariae, quam partiales, in perpetuum concessae, fidelibus defunctis per modum suffragii applicari possunt (Breve 20 April. 1847 et Rescripta 13 et 24 Julii 1850).

II. Indulgentiae plenariae, *quibus nullae assignabuntur conditiones,* praeter animum vere contritum, Confessionem, Communionem et pias ad Deum preces pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, insuper visitationem ecclesiae seu capellae vel oratorii Confraternitatis requirunt (Idem Breve eademque Rescripta).

III. Sodales legitime impediti, quominus praescriptam visitationem ecclesiae seu oratorii *Confraternitatis* peragant, respectivam ecclesiam *parochialem* visitare possunt (Rescript. 13 Septemb. 1850).

IV. Visitatio, ubi ad lucrandas indulgentias plenarias requiritur, fieri potest a *primis Vesperis* usque ad occasum solis ipsius diei festi (Breve 20 April. 1847 et Rescript. 13 Julii 1850).

Attamen visitatio pro indulgentiis stationalibus, tam plenariis, quam partialibus requisita, fieri non potest nisi *ipsis Stationum* diebus.

V. Indulgentiae plenariae a sodalibus lucrifieri possunt, vel diebus infra determinatis, vel uno ex septem diebus continuis immediate respective subsequentibus, ad uniuscujusque sodalis libitum sibi respective eligendo, dummodo omnia pietatis opera injuncta rite praestentur (Breve 23 Junii 1863).

VI. Septem indulgentiae plenariae, per Rescriptum 13 Julii 1850 concessae, et sub numeris 11, 21, 22, 24, 25, 37 et 39 indicatae, acquiri possunt etiam ab aliis fidelibus, licet non sodalibus, qui, ceteris rite adimpletis conditionibus, publicum Confraternitatis oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint (Rescript. 13 Julii 1850).

INDULGENTIAE PLENARIAE.

1. Quo die utriusque sexus Christifideles dictam Confraternitatem ingrediuntur, et, per actum consecrationis, membra hujus Archisodalitatis fiunt, si vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint (Breve 20 April. 1847).

2. In cujuslibet confratrum et consororum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu, ore, si potuerint, sin minus, corde, devote invocaverint (Idem Breve).

3. Die 6ª Januarii, in festo Epiphaniae Domini (Idem).

4. Die 2ª Februarii, in festo Purificationis B. M. V. (Idem).

5. Die 17ª Februarii, in festo Fugae D. N. J. Christi in Aegyptum (Idem).

Hoc festum primitus Dominicae quartae Aprilis assignatum per Decretum S. R. C. de die 12ª Junii 1856 ad 17ª Februarii fixe translatum est.

6. Die 18ª Martii, in festo S. Gabrielis Archangeli (Breve 20 April. 1847).

7. Die 19ª Martii, in festo S. Josephi Sponsi B. M. V. (Idem).

8. Feria VI post Dominicam Passionis, in festo septem Dolorum B. M. V. (Idem).

9. Die 5ª Aprilis, in festo sanctae Julianae de Cornillon, Virginis (Idem).

10. Dominica post 7 Aprilis, qua die Sodalitas sacrae Familiae, Leodii anno 1845, canonice erecta atque instituta fuit (Idem).

11. Die 23ª Aprilis, qua sodalitas sacrae Familiae, anno 1847, ad titulum Archisodalitatis erecta fuit (Ex Rescripto 13 Julii 1850, pro aliis etiam fidelibus.

12. In festo Resurrectionis D. N. J. C. (Breve 20 April. 1847).

13. Dominica tertia post Pascha, in festo Patrocinii S. Josephi (Idem).

14. In festo Ascensionis D. N. J. C. (Idem).

15. Feria secunda post Pentecosten, qua die fundata est Sodalitas sacrae Familiae (Idem).

16. In festo SS. Corporis Domini (Idem).

17. Feria VI post Octavam Corporis Domini, in festo sanctissimi Cordis Jesu (Breve 20 April. 1847).

18. Die 29ª Junii, in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli (Idem).

19. Dominica I Julii, in die festo principali Archisodalitatis sacrae Familiae (Idem).

Ex Brevi 23 Junii 1863, hic dies festus, una cum indulgentia, etiam in alium diem ab Ordinario pro suo arbitrio eligendum, transferri potest.

20. Dominica tertia Julii, in festo sanctissimi Redemptoris (Breve 20 April. 1847).

21. Die 26ª Julii, in festo S. Annae, matris B. Mariae Virginis (Ex Rescripto 13 Julii 1850, pro aliis etiam fidelibus).

22. Die 2ª Augusti, in festo S. Alphonsi Mariae de Liguori, Episcopi ac Fundatoris Congregationis sanctissimi Redemptoris (Idem).

23. Die 15ª Augusti, in festo Assumptionis B. M. V. (Breve 20 April. 1847).

24. Dominica infra Octavam Assumptionis, in festo S. Joachim, patris B. M. V. (Ex Rescripto 13 Julii 1850, pro aliis etiam fidelibus).

25. Dominica post Octavam Assumptionis, in festo purissimi Cordis B. M. V. (Idem).

26. Die 8ª Septembris, in festo Nativitatis B. M. V. (Breve 20 April. 1847).

27. Die 14ª Septembris, in festo Exaltationis S. Crucis (Idem).

28. Dominica tertia Septembris, in festo septem Dolorum B. Mariae Virginis (Idem).

29. Die 29ª Septembris, in festo S. Michaëlis Archangeli (Idem).

30. Die 2ª Octobris, in festo SS. Angelorum Custodum (Idem).

31. Die 1ª Novembris, in festo Omnium Sanctorum (Idem).

32. Die 2ª Novembris, in commemoratione omnium Fidelium defunctorum (Idem).

33. Die 8ª Decembris, in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. (Idem).

34. Die 25ª Decembris, in festo Nativitatis D. N. J. C. (Idem).

35. In festo annui Patroni cujusque sodalis, pro unoquoque in particulari (Idem).

36. In festo S. Protectoris cujusque sectionis, pro tota sectione (Idem).

37. In festo S. Patroni loci in quo Sodalitas erecta est, pro omnibus hujus loci tum sodalibus tum aliis fidelibus (Rescript. 13 Julii 1850).

38. Indulgentiae Stationum Urbis, in Decreto S. Congregationis Indulgentiarum de die 9ª Julii 1777 enuntiatae (vid. n. 949), pro omnibus sodalibus, qui, diebus in Missali Romano descriptis, publicum Confraternitatis oratorium, cum corde saltem contrito, visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint; addita insuper Confessione et Communione pro quatuor indulgentiis plenariis (Rescriptum 24 Julii 1850).

39. Indulgentia plenaria, ea die infra annum, qua, debitis cum licentiis, fit solemnis processio cum Sanctissimo, pro omnibus tum sodalibus, tum aliis Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti, publicum hujusce Sodalitatis oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint, ac insuper praelaudatam supplicationem prosecuti fuerint (Rescript. 13 Julii 1850).

40. Demum, quilibet sodalis, qui ex statutorum articulo XX, cum fervore mensem Marianum celebrare studebit.

Indulgentiae partiales centum dierum.

I. Omnibus confratribus et consororibus, quoties, saltem contriti, piis Sodalitatis conventibus interfuerint (Breve 20 April. 1847).

II. Omnibus pariter confratribus et consororibus, quoties, saltem contriti, aliquod ex pietatis operibus, quae a sodalibus praestari solent, exercuerint (Idem Breve).

Concessio altaris privilegiati.

I. Per Rescriptum S. Congr. Indulgentiarum, de die 9 Julii 1850, SS. D. N. Pius PP. IX benigne declaravit privilegiatum quotidianum altare unicum in publico oratorio Archiconfraternitatis sub titulo sacrae Familiae, Leodii in Belgio existens, pro Missis, quae in eodem, a quocumque Sacerdote in suffragium defunctorum sodalium, tum ipsius piae Archiconfraternitatis, tum piarum ejusdem tituli Confraternitatum ei aggregatarum, canonice tamen erectarum, celebrabuntur.

II. Insuper, per Decretum S. Rituum Congr., de die 30 Julii 1863, SS. D. N. Pius PP. IX singulis Confraternitatibus sacrae Familiae, ante praefatum Decretum, scilicet ad 30am usque Julii 1863, canonice erectis et Archisodalitati Leodiensi aggregatis, altare privilegiatum benigne indulsit; simulque praecepit ut quaelibet hujusmodi Confraternitas in posterum erigenda, si singulari hoc privilegio perfrui velit, ad Sanctam Sedem recurrat.

Tandem omnes utriusque sexus Christifideles legitime adscripti aut adscribendi Archisodalitati sacrae Familiae, vel Sodalitatibus ejusdem nominis et instituti rite aggregatis, participes fiunt omnium bonorum operum, quae in Congregatione SS. Redemptoris peraguntur.

6. ARCHICONFRATERNITAS AMANTIUM JESU ET MARIAE (1).

1887. Inclytus Missionarius Franciscalis S. Leonardus a Portu Mauritio, pii exercitii Viae Crucis propagator ferventissimus, fuit auctor hujus Confraternitatis, cujus Statuta a se confecta, die 10 Junii 1749 Summo Pontifici Benedicto XIV dedicavit.

Erectis ab eodem S. Leonardo stationibus Viae Crucis in amphitheatro Flavio, vulgo *Colosseo,* Benedictus XIV probe sciens uberes fructus ex hujusmodi pio exercitio populo Romano provenire, ad eos augendos et perennandos voluit in eodem pio exercitio Viae Crucis uti opera praedictae Confraternitatis nuper fundatae.

1888. Die 11 Decembris 1754 idem Pontifex hanc piam Sodalitatem ad Archiconfraternitatis gradum promovit, cum facultate sibi aggregandi ceteras omnes Confraternitates extra Urbem ubique locorum erectas vel erigendas, eisque omnes spirituales suas gratias communicandi. Romanus Pontifex est semper *ejusdem Protector ;* Cardinalis autem *Director perpetuus.*

1889. Sorores praedictae Archiconfraternitatis congregationes celebrant in ecclesia SS. Cosmae et Damiani Tertii Ordinis regularis S. Francisci; confratres autem in oratorio separato eidemque ecclesiae contiguo. Iidem confratres induunt saccum griseum ex lana cum caputio, in medio pectoris habent crucem rubei coloris, et pro cingulo utuntur chorda cum tribus nodis, ex qua pendet corona.

1890. Tam confratres quam consorores cum ceteris fidelibus, duobus Sacerdotibus Franciscalibus sacri Recessus S. Bonaventurae adsistentibus, processionaliter et orantes pergebant statutis diebus ad *Colosseum* pro visitandis sacrae Viae Crucis stationibus. His deletis a novis imperantibus, piissima praxis in illo celeberrimo loco, tot Martyrum sanguine consecrato, cessavit. Sed Archiconfraternitas, licet suis bonis expoliata, adhuc vivit, piisque operibus salutariter incumbit.

---

(1) Cf. *Pio Esercizio della Via Dolorosa, di Mons. Alessandro Cantoli Vescovo di Bovino,* pag. 104, n. 70, seconda ediz. Roma 1872; Moroni, *Dizionario di erudizione,* verb. *Arciconfraternita degli Amanti di Gesù e Maria.*

7. CONFRATERNITAS DEVOTORUM JESU CHRISTI AD CALVARIUM.

1891. Hoc pium Sodalitium erectum fuit in Confraternitatem anno 1775. Ex saccis, quibus confratres utuntur, *rubei coloris*, Confraternitas vulgo dicitur *dei Sacconi rossi*. Scopus ejus est, quemadmodum superioris Archiconfraternitatis, frequenter peragere *S. Viae Crucis* exercitium in memoriam passionis et mortis Domini nostri Jesu Christi et in suffragium animarum Purgatorii. Haec pia Societas nondum in Confraternitatem canonice erecta, ad amphitheatrum Flavium *(Colosseo)* pro praefato pio exercitio peragendo se conferre solebat. Anno 1768 praedictum Sodalitium in ecclesia S. Bartholomaei ad insulam Tyberis receptum fuit, et deinceps in proprio oratorio prope eamdem ecclesiam sedem constituit (Cf. Moroni, *Dizion. di erudiz.* verb. *Confraternite di Roma)*.

1892. *Confraternitas quoque Devotorum Jesu Christi ad Calvarium* (vulgo « *Sacconi rossi* ») spirituali vinculo Ordini Seraphico conjungitur. Per diploma enim Rmi P. Paschalis a Varisio, Ministri Generalis Ord. Min. de Observantia, expeditum die 13 Febr. 1776 « *omnes Fratres memoratae Confraternitatis Ordini Minorum de Observantia aggregati sunt, et participes facti in vita, in morte, et post mortem omnium meritorum,* quae die et nocte acquiruntur in toto Ordine Religiosorum de Observantia, Reformatorum, Excalceatorum, Recollectorum, Tertii Ordinis, sicut etiam Monialium Clarissarum, SSmae Annuntiationis, SSmae Conceptionis, aliorumque subjectorum jurisdictioni citati P. Ministri Generalis, mediantibus suffragiis, Missis, jejuniis, meditationibus, praedicationibus, missionibus, aliisque piis operibus, quae ab ipsis exercentur » (Vid. Rescr. auth. pag. 499, n. 34°).

1893. Per aliud diploma laudati Ministri Generalis sub eadem die confratres « *affiliati sunt* eidem Ordini Seraphico *cum plenaria participatione omnium privilegiorum, gratiarum et indulgentiarum* a Summis Pontificibus ipsi concessorum, virtute facultatum concessarum Patri Ministro Generali pro tempore Minorum de Observantia in Bulla Innocentii XII fel. rec. *Sua Nobis* (1) 15 Decembris 1695 » (Loc. cit.).

---

(1) De hac Bulla vide quae diximus pag. 645, n. 1392.

Ob dictam affiliationem memoratae Confraternitatis Ordini Seraphico, factum est ut in Summario ejusdem Confraternitatis proprio insereretur etiam elenchus Indulgentiarum Ordini Franciscano concessarum (Vid. loc. cit. pag. 500).

1894. *Confratres* ergo *Devotorum Jesu Christi ad Calvarium,* praeter alias quamplurimas, gaudent etiam indulgentiis *Stationi SS. Sacramenti adnexis.* Et revera in citato loco et pagina, n. 3°, dicitur: Confratres, visitando SS. Sacramentum in ecclesiis Ordinis, recitando sex *Pater, Ave* et *Gloria* lucrantur indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Jacobi de Galitia et Portiunculae *singulis vicibus.*

Insuper recitando *coronam Franciscanam,* acquirere possunt indulgentiam plenariam eidem adnexam (Loc. cit. pag. 503, n. 34°).

8. CONFRATERNITAS SCAPULARIS SS. TRINITATIS.

1895. Scapulare SS. Trinitatis originem repetit a quadam revelatione, qua a Deo donatus fuit S. Joannes de Matha. Dum enim primum Deo Sacrum offerret, Angelus ei apparuit candida et fulgenti veste indutus, cui in pectore crux rubei et caerulei coloris assuta erat, brachia tenens extensa super duos captivos ad latera positos, Christianum unum, alterum Maurum. Qua visione intellexit protinus vir Dei, se ad redimendos ab infidelibus captivos destinari. Deinde in solitudinem secessit, in qua Felicem de Valois jam ibi a multis annis degentem reperit, cum quo intimam sanctamque societatem iniit. Postea ambo viri sancti, ter in somnis admoniti, Romam profecti sunt, ut a Summo Pontifice Innocentio III novi Ordinis pro redimendis captivis institutionem impetrarent. Pontifex benigne eos accepit, et post apparitionem Angeli candida veste, cruce bicolori, specie redimendi captivos, quam et ipse in Missarum solemniis habuit, Institutum approbavit, quod vocari jussit *Ordinem sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum* (Brev. Rom.).

1896. Statim Christifideles, ut hujus mirabilis charitatis merita participarent, *affiliationem novo Ordini petierunt,* parati ad praefatae redemptionis opus precibus, eleemosynis, aliisque sanctis operibus adjuvandum. Ita institutae sunt *Confraternitates sub eodem titulo, nempe SS. Trinitatis,* quae valde per Christianorum partes propagatae sunt, quarum signum distinctivum est *par-*

vum scapulare ex lana alba, rubri et caerulei coloris cruce signatum.

1897. Cum ob mutata temporum adjuncta, Turcarum aliorumque infidelium potentia sit hodie valde diminuta, factum est ut etiam scopus praecipuus tum Ordinis, tum Confraternitatis SS. Trinitatis, mutari vel saltem modificari aliquo modo debuerit. Quare hodie praecipui fines istiusmodi Confraternitatis, praesentis temporis necessitatibus accommodati, sunt: 1° SS. Trinitatem, nostrae fidei dogma fundamentale et sublime, laudare, adorare, vitaque vere christiana honorare. — 2° Charitatis opera, juxta spiritum Ordinis, exercere erga proximum, eleemosynas praesertim erogando pro sublevandis necessitatibus Christianorum, qui captivi apud infideles detinentur, nec non pro redimendis infantibus *nigris,* qui publice apud ipsos infideles pretio venduntur. Haec tamen stipis elargitio non requiritur ut essentialis conditio ad lucrandas indulgentias. Et sciendum, Summum Pontificem Pium IX, per Rescriptum diei 21 Martii 1855, *redemptionis opus infantium nigrorum commisisse Trinitariis Excalceatis,* ad quos proinde Confraternitates ejusdem nominis transmittere debent eleemosynas (Cf. Beringer, tom. II, pag. 89).

1898. Scapulare confici debet *ex lana alba* formae rectangularis vel quadratae, et in ejus medio collocatur crux, cujus pars verticalis *ex lana rubra,* pars transversalis *ex lana caerulea* esse debet. Et quamvis hujusmodi crux poni soleat in utraque scapularis parte, tamen ad essentiam rei satis esset, si uni tantum parti, quae a pectore pendet, applicaretur.

1899. Jus erigendi Confraternitates SS. Trinitatis spectat ad Superiores Generales Trinitarios, tam Calceatos, quam Excalceatos, ad quos proinde est recurrendum pro earumdem erectione et pro obtinenda facultate benedicendi et imponendi fidelibus relativum scapulare.

1900. Formula benedictionis et impositionis Scapularis SS. Trinitatis jacet in Append. Rit. Rom. editio prima post typicam, Ratisbonae 1888.

Quae observanda sunt circa fidelium receptionem, inscriptionem nominum, horumque transmissionem ad proximiorem Confraternitatem etc., abunde diximus in tractatu de Confraternitatibus in genere.

1901. Ad lucrandas vero indulgentias praedictis Confraternitatibus concessas requiritur (*Rescr. auth.* pag. 476 in nota):

1. Ut fratres et sorores accipiant et secum ferant parvulum scapulare SS. Trinitatis ex lana alba, rubri caeruleique colorum cruce signatum, ab aliquo Superiore praedicti Ordinis benedictum, vel de ipsius licentia a quocumque alio Sacerdote.

2. Adimplere debent opera pietatis a Summis Pontificibus injuncta, et suis locis adnotata (nempe in Summario Indulgentiarum). Qui autem haec omittat, non peccat, sed indulgentiis non fruitur. Denique quando scapulare sit ita laceratum, ut formam amittat, benedictionem etiam amittit. Novum scapulare quod assumitur, benedictione non amplius indiget (Vid. n. 839).

1902. Indulgentiae Confraternitatibus SS. Trinitatis Redemptionis captivorum concessae (*Rescr. auth.* pag. 476-483).

I. A Paulo V, Brevi *Coelestes Ecclesiae thesauros* diei 6 Augusti 1608:

1. Indulgentia *plenaria*, et omnium peccatorum remissio omnibus Christifidelibus utriusque sexus vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis prima die qua induti fuerint S. Scapulari Ordinis, et adscripti sint Confraternitati SS. Trinitatis, absque alicujus voti emissione.

2. Indulgentia *plenaria*, ut supra, eisdem confratribus et consororibus in mortis articulo, dummodo S. Scapulari induti, ac vere poenitentes confessi, sacraque Communione refecti fuerint, sanctissimumque Jesu Nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint.

3. Indulgentia *plenaria*, ut supra, vere poenitentibus confessis, et sacra Communione refectis, in festo SS. Trinitatis devote visitantibus ecclesiam aliquam, aut capellam sive oratorium Ordinis, vel Confraternitatis ejusdem, si ibi deprecati fuerint pro pace et concordia inter principes christianos, pro haeresum extirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.

4. Indulgentia *plenaria*, ut supra, eisdem confratribus, et sororibus, qui in partibus infidelium ad redemptionem captivorum profecti fuerint, si antequam pergant, vere poenitentes confessi, sacra fuerint Communione refecti.

5. Indulgentia *plenaria*, ut supra, ipsis captivis redemptis, si post redemptionem infra mensem vere poeniteant, et rite confessi, ad sacram Eucharisticam mensam accedant.

6. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* confratribus et consororibus, qui gestantes pro affectu sacrum Scapulare benedictum, atque signo nostrae redemptionis munitum, quotidie recitaverint sexies Orationem Dominicam cum versiculo *Gloria Patri* etc., ac etiam sexies Angelicam Salutationem cum eodem versiculo *Gloria Patri* etc. pro pace christianorum principum, haeresum extirpatione et sanctae Ecclesiae exaltatione.

7. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* eisdem, qui devote visitaverint ecclesiam, aut oratorium Ordinis sive Confraternitatis diebus Nativitatis et Resurrectionis D. N. J. C., Assumptionis B. M. V., ac in festo S. Agnetis secundo (qua die divina revelatione Ordo SS. Trinitatis institutus fuit), et deprecati fuerint pro pace inter christianos principes, nec non haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione.

8. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* eisdem, si vere poenitentes et confessi, intervenerint ad sacri Scapularis processionem in una cujuslibet mensis Dominica a Superioribus Ordinis determinanda, de licentia tamen Ordinarii loci.

9. Indulgentia *septem annorum et totidem quadragenarum* eisdem, qui piis operibus tam spiritualibus, quam corporalibus vacaverint pro suorum peccatorum remissione, ac pro captivorum a servitute Turcarum et aliorum infidelium redemptione.

10. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* eisdem, si rite confessi, aut saltem cum proposito confitendi, intervenerint processioni, quae fit quando, peracta redemptione, in aliqua ecclesia, capella, aut oratorio Ordinis, vel Confraternitatis, recipiuntur captivi redempti.

11. Indulgentia *septem annorum* eisdem semel in anno, die ad libitum eligenda, si vere poenitentes, riteque confessi, ac S. Communione refecti, quotidie per annum dixerint ter *Pater*, *Ave* et *Gloria* etc., et semel *Salve Regina* etc., orantes pro captivis christianis, ut nomen Salvatoris nostri non abnegent, sed cum fortitudine in sancta fide permaneant, et quantocius a barbarorum servitute sint liberati.

12. Indulgentia *quinque annorum et totidem quadragenarum* eisdem comitantibus cum lumine, vel sine lumine si non possint, SS. Eucharistiae Sacramentum cum ad infirmos defertur, pro ipsis orantibus.

13. Indulgentia *centum dierum* quoties comitantur ad sepeliendum corpora defunctorum tam sodalium quam aliorum, orantes pro ipsis defunctis.

14. Indulgentia *centum dierum* quoties interveniant Missis aliisque divinis Officiis, quae in ecclesiis, capellis, aut oratoriis Confraternitatis celebrantur, ac insuper intervenientibus ad publicas seu privatas ejusdem Confraternitatis congregationes; et quando pauperibus hospitalitatem praestent operibusque pietatis et charitatis dent operam.

II. A Paulo V, Brevi *Pias Christifidelium* die 11 Novembris 1620:

15. Indulgentia *plenaria,* et remissio omnium peccatorum confratribus et consororibus Confraternitatis SS. Trinitatis et beatae Mariae Virginis de Remedio ejusdem Ordinis, si vere poenitentes confessi, ac S. Communione refecti interfuerint processioni, quae, ut mos est, fit in ecclesiis

Ordinis et Confraternitatis una ex Dominicis cujuslibet mensis, et ibi oraverint pro pace et concordia inter christianos principes, pro extirpatione haeresum, et exaltatione sanctae Matris Ecclesiae.

III. A Clemente X, Brevibus dierum 11 Februarii, et 3 Junii 1673 :

16. Indulgentia *plenaria,* ut supra, confratribus et consororibus, qui in festo Nativitatis B. M. V. vere poenitentes confessi, ac S. Communione refecti visitaverint ecclesiam, aut capellam Ordinis, seu Confraternitatis, et ibi pro pace et concordia christianorum principum, pro haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione, ac pro captivorum redemptione eorumque in sancta fide perseverantia oraverint.

17. Indulgentia *plenaria,* ut supra, eisdem, et cum singulis supraenuntiatis conditionibus in sequentibus diebus, scilicet: in festo Purificationis B. M. V.

18. In Dedicatione S. Michaëlis Archangeli.

19. In festo S. Clementis Papae et martyris.

20. In festo Inventionis S. Crucis.

21. In Nativitate S. Joannis Baptistae.

22. In festo S. P. N. Joannis de Matha.

23. In festo S. P. N. Felicis Valesii.

IV. Ab Innocentio XI, Brevi diei 14 Decembris 1678 :

24. Indulgentia *plenaria* recensita sub numeris 18, 19, 20, 21 translata fuit ad dies 28 Januarii (festum Apparitionis S. Agnetis Virginis et Martyris Ordinis Patronae), ad Feriam IV Cinerum, ad Dominicam secundam Octobris, et ad festum S. Catharinae Virginis et Martyris (25 Novembris).

25. Supraenuntiatus Pontifex Clemens X citato Brevi diei 11 Februarii 1673 eisdem confratribus et consororibus concessit indulgentias quoque sacrarum Urbis Stationum (vid. n. 949) visitantibus aut Ordinis, aut Confraternitatis ecclesias.

V. A Benedicto XIV, ex S. Congregationis Indulgentiarum Decreto diei 16 Decembris 1752 :

26. Benedictio, et Absolutio generalis omnibus confratribus et consororibus diebus ut infra :

1. In festo SS. Trinitatis.
2. In festo S. Agnetis secundo (28 Jan.).
3. In festo S. Catharinae V. et M. (25 Nov.).
4. In Feria IV Cinerum.
5. Feria V. in Coena Domini.
6. In festo S. P. N. Joannis de Matha (8 Feb.).
7. In festo S. P. N. Felicis Valesii (20 Nov.).

Animadvertendum vero est quod diebus, quibus datur praefata Benedictio et Absolutio generalis, proprie non absolvitur a culpa, ut declaravit Clemens VIII Brevi *Decet Romanum Pontificem* diei 9 Maji 1612, sed fit communicatio indulgentiarum, bonorum et suffragiorum Religionis omnibus vere poenitentibus confessis, et sacra Communione refectis, qui huic sacrae interfuerint functioni in ecclesiis Ordinis peragendae.

VI. A Clemente XIII, Decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 29 Novembris 1768:

27. Si festum S. P. N. Joannis de Matha (8 Februar.) incidit in Feriam IV Cinerum, aut in Dominicam primam Quadragesimae, tunc transfertur in diem sequentem una cum generali Absolutione.

VII. A Pio IX, ex Rescripto S. Congregationis Indulgentiarum diei 22 Martii 1847:

28. Omnibus confratribus et consororibus sacrum Scapulare SS. Trinitatis gestantibus, ac recitantibus singulis anni diebus ter *Pater, Ave* et *Gloria,* in honorem ejusdem SS. Trinitatis, indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* pro qualibet die; iis vero sodalibus, qui praefatas preces per integrum mensem recitare pro more habuerint, indulgentia *plenaria* semel in quolibet mense, die uniuscujusque arbitrio eligenda, in qua vere poenitentes confessi, ac S. Communione refecti fuerint, et aliquam publicam ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis oraverint.

N. B. SSmus Dnus Noster Pius Papa IX, Brevi diei 30 Januarii anni 1872 dignatus est declarare, et quatenus opus fuerit denuo concedere Ordini primitivo SS. Trinitatis et Redemptionis captivorum, ut quotidianum privilegium altaris cujusque praefati Ordinis ecclesiae pro Missis, quae in ipso in suffragium Fratrum defunctorum celebrantur, se extendat ad altare etiam singularum ecclesiarum Confraternitatum, quae eidem Ordini aggregatae sunt, quaeque in posterum aggregabuntur.

Insuper altaria omnia cujuscumque pariter ecclesiae Ordinis, tum Confraternitatis Ordini adscriptae, die obitus seu depositionis cujuscumque Religiosi aut confratris, seu etiam die, qua eorum mortis notitia pervenerit, privilegiata pro illis similiter declarare; ac ne animabus illis defraudentur suffragia, casu quo dies praedicti, ratione ritus Ecclesiae, impediti fuerint, benigne concessit dictum privilegium pro prima die non impedita, in qua fiunt funeralia.

PRO UNIVERSIS CHRISTIFIDELIBUS.

I. Ab Innocentio XII, Brevi *Salvatoris et Domini* diei 27 Junii 1693, confirmato a Gregorio XVI, Brevi *Paterna qua nitimur* diei 11 Septembris 1832:

29. Visitantibus ecclesias aut capellas Ordinis SS. Trinitatis participatio omnium indulgentiarum, privilegiorum, praerogativarum et gratiarum, quae concessa sunt cuilibet domui, Conventui, aut loco pio tam Canonicorum quam Clericorum regularium, Mendicantium, et non Mendicantium, Monasticorum cujusvis Ordinis sint.

II. A Clemente X, Brevi *Redemptoris* diei 20 Decembris 1670:

30. Indulgentia *plenaria* in festis SS. Fundatorum Ordinis, scilicet S. Joannis de Matha (8 Februar.) et S. Felicis Valesii (20 Nov.) iis omnibus, qui vere poenitentes confessi, ac S. Communione refecti aliquam Ordinis ecclesiam, seu oratorium visitaverint, et ibi juxta mentem Summi Pontificis oraverint.

III. A Clemente XI, Brevi diei 12 Octobris 1706:

31. Indulgentia *plenaria,* iis omnibus ut supra, in festo SS. Trinitatis.

IV. A Clemente XIII, ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 1 Septembris 1767:

32. Indulgentia *plenaria* etiam a primis Vesperis diei 28 Septembris, visitantibus cum iisdem conditionibus aliquam ecclesiam seu publicum oratorium Ordinis (exceptis tamen ecclesiis Monialium dicti Ordinis, in quibus acquiritur dumtaxat a Monialibus et commorantibus).

V. A Pio IX, duobus Brevibus dierum 18 Decembris 1857, et 26 Januarii 1858:

33. Indulgentia *plenaria* a primis Vesperis, cum iisdem conditionibus tam die quo in ecclesiis Ordinis festum SS. Redemptoris de licentia Ordinarii celebratur, quam diebus 14 mensis Februarii, et 5 Julii.

VI. Ex concessione generali a Clemente XIV, ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 26 Junii 1770:

34. Indulgentia *centum dierum* iis Christifidelibus, qui corde contrito adorantes SS. Trinitatem devote recitaverint Trisagium: « *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum : plena est terra gloria tua: Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto* », semel tantum in die acquirenda; ter vero lucrifacienda in singulis anni Dominicis, in festo et octiduo SS. Trinitatis; iis demum fidelibus, qui praefatum Trisagium semel saltem in die per integrum mensem recitare pro more habuerint, indulgentia *plenaria,* una cujuslibet mensis die arbitrio uniuscujusque eligenda, in qua vere poenitentes confessi, et sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis oraverint.

VII. A Pio IX, ex Decreto ejusdem S. Congregationis diei 8 Augusti 1847:

35. Indulgentia *septem annorum totidemque quadragenarum* semel in quolibet die tridui, aut novendialis, quod sive publice, sive privatim in honorem SS. Trinitatis, tam ante festivitatem ejusdem, quam quocumque anni tempore corde contrito peragetur; iis vero, qui praefatum triduum vel novendiale integre persolverint, indulgentia *plenaria* ea die in qua vere poenitentes confessi, sacraque Communione refecti, aliquam Ecclesiam publicam visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis oraverint.

VIII. A Pio IX, ex Decretis dictae S. Congregationis dierum 17 Junii 1847, et 30 Septembris 1852; ac duobus Brevibus dierum 18 Decembris 1857, et 26 Januarii 1858:

36. Omnes et singulae supraenuntiatae indulgentiae animabus quoque in Purgatorio detentis sunt applicabiles.

IX. A Pio IX, Brevi diei 30 Januarii 1872.

Declaravit seu denuo concessit ut omnes Christifideles in partibus infidelium, confratres, Quaestores aut Procuratores Ordinis SS. Trinitatis, in locis quibus non est ecclesia praedicti Ordinis, possint lucrari, servatis servandis, supra dictas indulgentias propriam ecclesiam visitando.

9. CONFRATERNITAS SCAPULARIS B. M. V. DE MONTE CARMELO.

1903. Origo scapularis Carmelitici beatae Virgini Mariae adscribitur, quae die 16 Julii 1251 B. Simoni Stockio Anglico Ordinis Carmelitarum Generali apparuit, deditque tamquam sui Ordinis tesseram sacrum Scapulare, in praecipuae protectionis suae peculiare signum. De hac visione fit mentio in Breviario Romano, die 16 Julii, ubi dicitur, quod B. Virgo « *insigne sacri Scapularis B. Simoni Anglico praebuit, ut coelesti hac veste Ordo ille sacer dignosceretur, et a malis ingruentibus protegeretur* ». Fertur etiam, beatam Virginem, cum B. Simoni traderet scapulare, haec dixisse: *Hoc erit tibi et cunctis Carmelitis privilegium: in hoc moriens aeternum non patietur incendium.* Hujusmodi visionem veram credidit doctissimus Pontifex Benedictus XIV, veramque habendam ab omnibus arbitratur.

1904. Quinquaginta post annis a descripta visione, beata Virgo Joanni XXII itidem apparuisse narratur, eumque monuit de speciali protectione ab ea animabus Fratrum et Sororum Carmelitani Ordinis in Purgatorio existentium impendenda, ut quam cito a

loco poenae liberentur et ad coelestia regna transferantur; quem deinde favorem idem Pontifex sub die 3 Martii 1322 promulgavit. Atque illud est, quod vocatur *privilegium Sabbatinum,* de quo inferius aliquid dicemus. Ea autem Joannis XXII Constitutio, etsi non extet in Bullario Romano, in pluribus tamen libris reperitur impressa (Cf. Bened. XIV, De Festis D. N. J. Chr. et B. M. Virg. libr. II, cap. VI, pag. 268 etc. edit. Prati 1843).

1905. Sive igitur consideretur praefati scapularis nobilitas originis, ejusque veneranda antiquitas, sive speciales favores, gratiae et privilegia, quae, ut traditur, pientissima Virgo conferre spopondit devote gestantibus hoc suum praedilectionis signum, sive etiam considerentur salutares pietatis effectus per illud habiti, vel insignia quae perhibentur patrata miracula, non est mirandum si hujusmodi sacrum Scapulare celebrius prae ceteris evaserit, ac latissime in christiano populo pluribus abhinc saeculis propagatum fuerit, ita ut veluti antonomastice *Scapulare* nuncupetur.

1906. His praejactis, illico ad ea accedimus, quae *in particulari* de parvo Carmelitico habitu, deque ejus relativa Confraternitate dicenda supersunt, monentes lectores, etiam inter ea quae sumus expposituri, nonnulla redire jam sub uno aliove aspectu tractata, cum impossibile sit, de Confraternitatibus et Scapularibus agendo, omnes repetitiones cavere.

1907. Soli Superiores Generales Ordinis Carmelitici (vid. n. 1683) tam Calceati quam Excalceati possunt in ecclesiis proprii Ordinis et in quibuscumque aliis, accedente consensu Ordinariorum, Confraternitates Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo canonice erigere et instituere (Decr. 16 Julii 1887).

1908. Superiores Generales Ordinis Carmelitarum concedere possunt facultatem Sacerdotibus vel saecularibus vel regularibus non Carmelitis recipiendi fideles in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo, *etiam iis in locis, in quibus adsunt Conventus Carmelitarum, sive aliqua Confraternitas ejusdem B. M. V. de Monte Carmelo jam canonice erecta* (Decr. 24 Aug. 1844. N. 329 ad 1^{m}).

1909. Qui accepit facultatem benedicendi et imponendi scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, nisi aliter in concessionis documento disponatur, eadem uti potest *ubique locorum* (Decr. 10 Maji 1844. N. 326).

1910. Si in concessionis documento excipiantur loca, ubi sunt *Carmelitae* vel *Sodalitas* B. M. V., facultate tamen benedicendi et

imponendi scapularia de Monte Carmelo Sacerdos uti potest in locis, ubi adsunt *Moniales Carmelitae.* Existentia enim in loco alicujus monasterii Monialium Carmelitanarum non obstat exercitio in eodem loco praefatae facultatis (Decr. 22 Aug. 1842, et 3 Martii 1843. N. 309 et 316).

1911. Superiores Generales Ordinis Carmelitarum libenter *Sacerdotibus petentibus* concedunt facultatem benedicendi atque imponendi fidelibus sacrum scapulare, nec non fideles ipsos admittendi ad participationem bonorum omnium spiritualium (ut sunt preces, jejunia, aliaqua bona opera) Ordinis laudati, ac etiam Benedictionem et plenariam indulgentiam in articulo mortis impertiendi. Haec omnia ordinarie conceduntur cum hac clausula restrictiva: *Dummodo id fiat in locis ubi Conventus nostri Ordinis non reperiuntur* (Cf. Folium concessionis P. Gen. Carmel. Excalc.).

1912. Ratione subjectionis alicujus monasterii Monialium Ordinis Carmelitarum *minime competit Episcopo facultas benedicendi scapularia B. M. V. de Monte Carmelo,* non obstante quacumque consuetudine (Decr. 22 Maji 1739. N. 129).

1913. Vi Decreti diei 27 Apr. 1887 scapulare B. M. V. de Monte Carmelo non amplius *commixtim* cum aliis scapularibus benedici ac imponi potest (Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 554).

Sed notandum, hanc decisionem referri solummodo *ad modum sive ritum benedicendi et imponendi* scapulare, quatenus nempe debeat benedici et imponi *separatim;* non autem respicere *modum illud deferendi,* cum nihil obstet, quominus conjunctum (etiam cum duobus tantum funiculis) cum aliis scapularibus deferatur. Imo nec est necessarium ut scapulare, dum Sacerdos illud benedicit et fideli imponit, sit *realiter et materialiter* ab aliis scapularibus separatum: potest enim antea cum istis conjungi eadem chorda, *dummodo Sacerdos, qui scapulare fideli tradit, utatur formula ad hunc effectum praescripta pro benedictione et impositione scapularis B. M. V. de Monte Carmelo.* Id tantum S. Congregatio praescribere intendit per enuntiatum Decretum (Vid. Beringer, tom II, pag. 206).

1914. Formula *hucusque adhibita* pro benedictione habitus ac receptione confratrum reperitur in Append. Ritualis Romani, nec non in Rituali et Breviario Ordinis Carmelitarum.

At S. Rituum Congregatio, ad instantiam plurium Sacerdotum, *breviorem formulam approbavit ab omnibus adhibendam*

Sacerdotibus, facultatem habentibus adscribendi Christifideles Confraternitati ejusdem Scapularis (S. R. C. Decr. 24 Julii 1888).

Verba: *ab omnibus adhibendam Sacerdotibus* etc., quibus utitur laudata S. Rituum Congregatio, non sunt accipienda ita stricte, ut longiorem formulam excludant. Certum est enim, Sacerdotem debita facultate praeditum admittendi fideles in dictam Confraternitatem, posse tam longiori quam breviori formula uti. Et revera in parvo Carmelitarum libello: *Ritus servandus in benedictione habitus* etc. edito ann. 1889, utraque formula reperitur, *longior* nempe et *brevior*, et Sacerdotis arbitrio committitur vel primam, vel secundam adhibere.

1915. Ut quis inter sodales B. M. V. de Monte Carmelo cooptetur, tenetur *prima vice* recipere habitum seu scapulare benedictum a Superioribus Religionis, vel ab alio Sacerdote facultatem habente illud benedicendi. Sacra enim Congregatio Indulg. anno 1840 declaravit, valere adscriptionem fidelium in Confraternitatem Scapularis, dummodo in iis adscribendis *serventur substantialia,* idest *habitus benedictio, illius impositio et in Confraternitatem receptio* (Cf. Decr. 19 Sept. 1850. N. 350 in exordio).

Praefatis conditionibus addenda est etiam *fidelium inscriptio in libro Confraternitatis,* de qua postea.

1916. Ex dictis facile deducitur, fideles, quibus rite impositum est scapulare, *eo ipso intelligi adscriptos Confraternitati.* Qui proinde sacrum scapulare legitime suscipit, ac indulgentiis et privilegiis perfrui vult, debet necessario fieri membrum Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo, existentis in loco, ubi dictum scapulare recipit. Quod si ibi non adsit Confraternitas, intelligitur adscriptus Confraternitati viciniori.

1917. *Color* scapularis B. M. V. de Monte Carmelo debet esse *taneus,* vulgo *tané.* Verum, color taneus pro scapularibus benedicendis et imponendis fidelibus non ita stricte juxta regulas praescriptus est, ut diversitas coloris admissionem in dictam Confraternitatem nullam irritamque reddat, *dummodo colori vulgo* tané *subrogetur tantum alter consimilis, seu niger* (Decr. 12 Febr. 1840. N. 278).

Licet colori taneo possit subrogari color *niger,* tamen si cum scapulari Carmelitico deferatur scapulare B. M. V. septem Dolorum, quod praescribitur *nigrum,* expedit ut scapulare de Monte

Carmelo retineat colorem proprium, nempe *fuscum* seu *taneum*, ne secus unum *cum altero* confundatur.

1918. *Vincula*, quibus duae partes uniuntur, possunt confici ex lana, ex lino, ex serico etc. cujuslibet coloris. Vincula enim ad essentiam scapularis minime pertinent.

1919. *Inscriptio fidelium in libro Confraternitatis est conditio necessaria ad lucrandas indulgentias.* Quod sit obligatio inscribendi fidelium nomina in regesto Confraternitatis, constat ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum a Summo Pontifice Leone XIII sub die 27 Aprilis 1887 approbato, *quo Indultum Gregorii XVI, eximens Sacerdotes debita facultate praeditos recipiendi Christifideles in Confraternitatem S. Scapularis ab onere inscribendi nomina, revocatur.* Quod autem praefata inscriptio *sit conditio necessaria pro consecutione indulgentiarum* patet ex responso ad hoc dubium:

Utrum in iis Sodalitiis, quae solemnem aliquem receptionis ritum adhibent (ut Congregationes B. M. Virginis), confratres hoc solemni modo a legitimo Sodalitatis praeside recepti lucrari possint indulgentias, licet in libro Sodalitatis non inscribantur?

S. Congregatio, die 16 Julii 1887, ad IV respondit: NEGATIVE, SI AGATUR DE CONFRATERNITATIBUS PROPRIE DICTIS (Acta Ord. Min. ann. VI, pag. 132).

Jam vero nullum dubium quod Confraternitates Scapularium sint (saltem ex primaeva institutione) verae proprieque dictae Confraternitates. Ergo fidelium inscriptio in Sodalitatis libro est conditio necessaria ad lucrandas indulgentias.

1920. Sed hic in mentem revocandum est, ex declaratione S. Congregationis Indulgentiarum Christifideles incipere lucrari indulgentias respectivis Sodalitatibus concessas, a die receptionis et susceptionis SS. Scapularium et inscriptionis in *privato etiam regesto* Sacerdotis auctoritate pollentis benedicendi et imponendi scapularia, firma tamen remanente obligatione transmittendi nomina ad respectivam viciniorem Sodalitatem, cui Christifideles fuerunt adscripti (Vid. n. 1785).

1921. Adscriptorum nomina mitti debent, quoties in loco non adsit neque Conventus neque Sodalitas Ordinis Carmelitici, vel *ad Conventum vel ad Confraternitatem ejusdem Ordinis viciniorem*, et etiam sufficeret si transmittantur ad monasterium Sororum Carmelitarum (Cf. Decr. 22 Aug. 1842. N. 309 in compendio facti et ad 2^m^).

1922. *Sanatio admissionum in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo invalide factarum ante diem 20 Junii 1894.* Rmus P. Vicarius Generalis Carmelitarum Discalceatorum Summo Pontifici exposuit, non raro contingere ut Christifideles, qui ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo admitti postulant, invalide recipiantur, sive ob omissam nominum inscriptionem, sive ob aliam causam.

Ne itaque praefati Christifideles gratiis et privilegiis memoratae Confraternitati concessis priventur, Orator S. V. humiliter supplicat, quatenus receptiones ad eamdem Confraternitatem, quacumque ex causa, usque ad hanc diem, invalide peractas, benigne sanare dignetur.

Et S. Congregatio Indulgentiarum die 20 Junii 1894 vigore specialium facultatum a Leone PP. XIII ei tributarum *petitam sanationem benigne concessit* (*Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVI, pag. 482).

1923. *Conditiones ad lucrandas indulgentias.* Christifideles qui in *Confraternitatem sacri Scapularis ingrediuntur, et legitime parvum habitum recipiunt, eumque semper deferunt e collo pendentem unaque sui parte pectus, altera scapulas contegentem,* frui possunt omnibus indulgentiis a Summis Pontificibus praedictae Confraternitati concessis, *dummodo tamen pia peragant opera injuncta in concessione earumdem.*

Servare autem abstinentiam a carnibus *quarta feria,* nec non *septies in die Orationem Dominicalem et Angelicam Salutationem recitare* haud sunt conditiones *generales* pro lucrandis indulgentiis, deferentibus sacrum scapulare concessis, sed pia tantum opera a confratribus peragenda, qui *speciales* indulgentias lucrari cupiunt (Decr. 12 Febr. 1840. N. 279; 18 Sept. 1862. N. 394 in prooemio).

1924. Ergo ut quis indulgentias Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo lucrari possit, requiritur:

a) ut in Confraternitatem sacri Scapularis ingrediatur;

b) ut rite parvum habitum recipiat;

c) ut eumdem parvum habitum *continuo,* modo descripto. deferat;

d) ut ejus nomen in regesto Confraternitatis inscribatur.

Aliud non requiritur: non preces, non jejunia etc.

1925. Advertendum tamen est, enumeratas conditiones *jus quidem tribuere* ad acquirendas indulgentias Confraternitati sacri

Scapularis concessas, non vero eas communicare absque aliis operibus adimplendis. Ideo in allato Decreto subjungitur: *dummodo tamen pia peragant opera injuncta in concessione earumdem.* Ergo ad indulgentias effectu consequendas, implenda sunt illa opera *quae singillatim pro lucro cujuslibet indulgentiae sunt injuncta,* quaeque inveniuntur determinata in Summario Confraternitatis. Insuper notetur, non esse hic sermonem de privilegio *Sabbatino,* cujus aliae sunt conditiones servandae, ut quis eo gaudere possit. De hujusmodi privilegio nonnihil infra dicemus.

1926. A Sacerdotibus vel saecularibus vel regularibus facultatem habentibus exercendi munera Confraternitatis, *permutari non possunt obligationes, quae per Summos Pontifices praescriptae sunt* ad consequendas indulgentias et privilegia Ordinis Carmelitani assequenda, *in alia religionis opera* arbitrio et prudentia illius, qui facultatem habet adscribendi fideles eidem Confraternitati (Decr. 24 Aug. 1844. N. 329 ad 2m).

1927. Sacerdos qui facultatem habet imponendi scapulare B. M. V. de Monte Carmelo, etiam *sibimet* illud imponere potest, dummodo haec facultas habeatur *indiscriminatim,* minime vero *taxative,* ex. gr. pro aliqua Monialium communitate tantum etc. (Decr. 7 Martii 1840. N. 280).

1928. « *Summarium Indulgentiarum et gratiarum confratribus B. Virginis Mariae de Monte Carmelo a Summis Pontificibus concessarum* » extat penes *Rescripta authentica* N. 34, pag. 473, et in parvo libello: *Ritus servandus* etc.

1929. Inter speciales gratias et privilegia praefatis consodalibus concessa, sequentia notamus:

1° Omnes confratres et consorores, si in locis versentur, ubi nulla Carmelitani Ordinis reperiatur ecclesia, omnes indulgentias ab Apostolica Sede ejusdem Ordinis ecclesiis concessas lucrari possunt, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, *respectivam parochialem ecclesiam* statis diebus devote visitaverint, ac reliqua injuncta pietatis opera rite in Domino praestiterint (Pius IX, Brev. 15 Jan. 1855, loc. cit.).

Praefatum privilegium confirmatum est a S. Congregatione Indulgentiarum in Decreto diei 27 Aprilis 1887 per responsum ad VIIIm dubium (Acta S. Sed. XIX, pag. 557; Acta Ord. Min. an. VI, pag. 97).

2° *Omnibus Confessariis* ab Ordinario approbatis indulta est facultas impertiendi Absolutionem generalem *confratribus et con-*

sororibus B. M. V. de Monte Carmelo *in articulo mortis* constitutis, quoties deficiat Sacerdos potestate praeditus munia Directoris Confraternitatis exercendi (Decr. eod. ad XIII^m).

3° Privilegium *sanctae mortis,* quod supra n. 1903 innuimus. Hujusmodi privilegium innititur promissione a B. Virgine facta Simoni Stockio his verbis: *Accipe, dilectissime fili, hoc tui Ordinis scapulare, meae Confraternitatis signum tibi et cunctis Carmelitis privilegium,* IN QUO MORIENS AETERNUM NON PATIETUR INCENDIUM. *Ecce signum salutis, salus in periculis, foedus pacis et pacti sempiterni.*

4° Privilegium vulgo dictum *Sabbatinum* a variis Summis Pontificibus approbatum, nec non a S. Romana et Universali Inquisitione sub Paulo V, die 20 Januarii 1613, Decreto tenoris sequentis:

Patribus Carmelitanis permittitur praedicare, quod populus christianus possit pie credere de adjutorio animarum fratrum et confratrum Sodalitatis beatissimae Virginis de Monte Carmelo, videlicet beatissimam Virginem animas fratrum et confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum *gestaverint et castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel si recitare nesciant, Ecclesiae jejunia observaverint, et feria quarta et Sabbato a carnibus abstinuerint (nisi in iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit),* suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, praecipue in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem beatissimae Virgini dicatus est, adjuturam (Summarium 34, apud Rescr. auth. pag. 475).

1930. *Obligationes confratrum ad supradicta consequenda, sunt:*

a) ut quis sacrum scapulare a Sacerdote deputato cum solitis caeremoniis recipiat;

b) ut illud semper super humeros portet; et si fuerit attritum, aliud sive benedictum sive non benedictum absque alia nova caeremonia assumendum est (Loc. cit.).

1931. *Obligationes particulares pro consequendo privilegio Bullae Sabbatinae* sunt sequentes:

a) ut servetur castitas secundum proprium statum;

b) ut scientes legere, quotidie recitent Officium parvum B. M. Virginis in Breviario Romano appositum. *Nescientes vero legere,*

Ecclesiae jejunia observent, ac diebus Mercurii et Sabbati abstineant ab esu carnium, excepto die Natalis Domini. Ob justam tamen causam Confessarius, habens specialem facultatem, in aliud pium opus commutare potest (Ibid. in fine).

1932. Quoad memoratum *Officium parvum B. M. V.* sequentia notentur:

1. Confratres sacri Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, volentes Officium recitare, tenentur saltem ad parvum B. V. Officium persolvendum *pro assequenda indulgentia Sabbatina,* exceptis iis qui jam tenentur ad recitationem divini Officii.

2. Officium parvum recitandum est secundum ritum Romanum, nisi quis habeat proprium ritum a S. Sede approbatum.

3. Dictum Officium parvum quotidie recitandum est.

4. Recitandum est autem Nocturnum diei cum Laudibus et ceterae Horae ejusdem Officii (Decr. 18 Aug. 1868. N. 419).

1933. *Responsa S. Congregationis Indulg. ad quaedam dubia super conditionibus privilegii Sabbatini.*

I. Fideles recepti in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo, qui frui cupiunt privilegio Sabbatino, si legere bene sciunt, possuntne

a) proprio arbitrio eligere inter recitationem quotidianam parvi Officii et abstinentiam a carnibus in quacumque feria IV, una cum strictiori observantia jejuniorum et vigiliarum et aliorum dierum prohibitorum; an potius

b) tenentur exclusive ad praedictam Officii recitationem?

Resp. *Ad primam partem, Negative; ad secundam, Affirmative.*

II. An haec a carnibus abstinentia quaque feria IV praescripta iis, qui praefato privilegio frui volunt, excludat etiam usum ovorum et lacticiniorum?

Resp. *Negative.*

III. Qui hanc abstinentiam ad praedictum finem observant, possuntne uti indulto Bullae Cruciatae, ita ut liceat ipsis mitigare juxta hoc indultum rigorem abstinentiae vel in quacumque feria IV, vel in vigiliis aliisque diebus prohibitis, quin amittant jus ad privilegium Sabbatinum?

Resp. *Negative.*

IV. Possuntne iidem, quin praefatum privilegium amittant, uti indulto seu dispensatione, quae tempore Quadragesimae concedi solet ad carnes comedendas?

Resp. *Negative* (Decr. 3 Decemb. 1892; Acta Ord. Min. ann. XII, pag. 59).

1934. Ex dictis constat, sodalem quemque, qui privilegio Sabbatino frui cupit, debere absolute vel recitare Officium parvum B. M. V., *si legere bene sciat;* vel se abstinere a carnibus die Mercurii et Sabbati, nec non jejunia Ecclesiae exacte observare, *si legere nesciat.* Non est ergo in proprio arbitrio positum eligere vel recitationem parvi Officii, vel praedictam abstinentiam. Qui legere sciunt, sed Officium recitare nequeunt, *commutationem* a Sacerdote debita facultate munito *petere debent.*

Quapropter dici posse videtur, Ecclesiam, dum justis de causis a propriis legibus dispensat vel earum rigorem aliquando temperat, nolle in praefatis conditionibus, quae a Deipara Virgine in sodalium favorem referuntur appositae, ullam modificationem introducere, sed eas velle integras permanere.

1935. *Indulgentia plenaria* TOTIES QUOTIES *die 16 Julii ecclesiis Ordinis Carmelitani concessa.*

Placet hic tamquam in appendice adnotare, Summum Pontificem Leonem XIII omnibus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, *qui quamlibet ex ecclesiis vel quodlibet ex publicis oratoriis Ordinis Carmelitidis* tum Calceatorum, tum Exçalceatorum *die 16 Julii cujusque anni,* qua festivitas Deiparae Virginis de Monte Carmelo celebratur, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote *visitaverint,* ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, in perpetuum concessisse *indulgentiam plenariam, toties* acquirendam, *quoties* supradicta egerint (Breve 16 Maji 1892, apud Acta S. Sed. vol. XXIV, pag. 741).

1936. Praedicta indulgentia *toties quoties* acquiri potest a fidelibus in Dominica quae diem 16 Julii immediate sequitur, quando festum in hanc Dominicam transferatur. Sed advertendum, eam concessam esse ecclesiis Ordinis Carmelitici, etiam Monialium *dumtaxat,* non autem ecclesiis Tertii Ordinis et Confraternitatum ejusdem Ordinis (Decr. 21 Aug. 1892; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVI, pag. 150; *Il Monitore Ecclesiastico,* vol. VIII, part. II, pag. 202 ponit datam die 28 Aug.).

10. CONFRATERNITAS SCAPULARIS B. M. VIRGINIS SEPTEM DOLORUM.

1937. Saeculo tertio decimo septem e Florentina nobilitate Viri (1), quos nuper Summus Pontifex Leo XIII Sanctorum catalogo adscripsit, *Ordinem Servorum B. Mariae Virginis,* ipsa Virgine hortante, fundarunt. Cum enim anno trigesimo tertio ejus saeculi, die Assumptionis, in quodam piorum hominum conventu, *Laudantium* nuncupato, ferventius orarent, ab eadem Deipara singulis apparente sunt admoniti, ut sanctius perfectiusque vitae genus amplecterentur. Re cum Episcopo Florentino collata, hi septem Viri, generis nobilitate divitiisque posthabitis, sub vilissimis detritisque vestibus cilicio induti, octava die Septembris in ruralem quamdam aediculam secessere, ut ea die primordia vitae sanctioris auspicarentur, qua ipsa Dei Genitrix, mortalibus orta, sanctissimam vitam inceperat.

Deinceps vero sancti Viri, vitandi populi occursus ac solitudinis amore ducti, in Senarii montis recessu convenere, ubi coeleste quoddam vitae genus aggressi sunt, Christi passionem ac ejusdem Genitricis dolores assidue meditantes. Quod cum olim sacra Parasceves die impensius exequerentur, ipsa B. Virgo illis iterato apparens, *nigram vestem, quam induere deberent, cum scapulari ejusdem coloris,* ostendit, sibique acceptissimum fore significavit, ut novum in Ecclesia regularem Ordinem excitarent, *qui jugem recoleret ac promoveret memoriam Dolorum, quos ipsa pertulit sub cruce Domini.* Sancti Viri desiderium Virginis prompte adimplentes, *Ordinem regularem* sub appellatione *Servorum B. Mariae Virginis* instituerunt: qui postea ab Innocentio IV Pontifice Maximo approbatus fuit (Ex lectionibus Brev. Rom.).

1938. Novo regulari Ordine excitato, sancti Fundatores iis fidelibus, qui in saeculo manentes, *Virginis servi* speciali modo esse cupiebant, *ejusque Dolores* recolere volebant, *parvum scapulare* ejusdem materiae, formae et coloris, ac eorumdem Fundatorum habitus, tradere coeperunt, et sic initium habuit *Scapulare*

---

(1) Hi fuerunt Bonfilius Monaldius, Bonajuncta Manettus, Manettus Antellensis, Amideus de Amideis, Uguccio Uguccionum, Sostenéus de Sostenéis, et Alexius Falconerius.

nigrum B. M. Virginis septem Dolorum ejusque Confraternitas. Et ut facilius devotio in beatam Virginem propagaretur in populum, coronam etiam instituerunt, quae omnibus nota est sub nomine coronae *septem Dolorum*.

1939. Ex eo quod praefata Confraternitas ab ipsis sanctis Fundatoribus exordium habuerit, factum est ut ejus canonica erectio ac communicatio privilegiorum et indulgentiarum, Apostolicae Sedis gratia, P. Generali Servitarum reservata fuerit, ad quem proinde est recurrendum. Ad eumdem pariter spectat benedicere et imponere fidelibus respectivum scapulare, quod confectum esse debet *ex lana nigri coloris*.

1940. Pro locis, in quibus *non adsunt Fratres Ordinis Servorum, vel erecta non est Confraternitas septem Dolorum SS. Virginis,* Prior Generalis laudati Ordinis potestatem concedit Sacerdotibus postulantibus, benedicendi parvum habitum ejusdem moestissimae Matris, eumque imponendi Christifidelibus cum omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus, quibus confratres praefatae Sodalitatis gaudent. Item eisdem Sacerdotibus facultatem etiam communicat benedicendi coronas septem Dolorum (Ex libel. *Facultates et Benedictiones Confraternit. VII Dolor.* Romae edito 1889).

Cum memorata corona septem Dolorum pluribus ditata sit indulgentiis, quae *ab omnibus fidelibus* eam recitantibus acquiri possunt, consequitur eam etiam separatim benedici posse cum applicatione indulgentiarum.

1941. Hic meminisse praestat, Episcopos minime erigere posse Confraternitates septem Dolorum, prout nec etiam Confraternitates SS. Rosarii, Scapularis SS. Trinitatis et de Monte Carmelo, *nisi requisitis antea et obtentis a laudatorum Ordinum Superioribus litteris facultativis* pro earumdem erectione (vid. n. 1683), et hoc etiamsi obtinuerint a S. Sede *facultates extraordinarias.* Si enim in Litteris Apostolicis *nulla fiat expressa derogatio* privilegiorum praefatis Ordinibus *quoad erectionem suarum Sodalitatum* concessorum, inter illas facultates extraordinarias numquam comprehenditur facultas erigendi Confraternitates praefatorum Ordinum religiosorum (Cf. Decr. 16 Julii 1887).

1942. In erectione Confraternitatis designari debet capella vel altare B. Mariae Virginis septem Dolorum, in quo confratres exercitia pietatis et devotionis, quae sunt propria Sodalitatis, peragere possint (Cf. Decr. 24 Julii 1756. N. 208).

1943. Quod attinet ad fidelium receptionem, ad necessitatem inscribendi nomina in Albo Confraternitatis, ad obligationem transmittendi hujusmodi nomina ad proximiorem Conventum vel Confraternitatem B. M. Virginis septem Dolorum, nec non ad modum deferendi scapulare, abunde constat ex iis, quae *de Confraternitatibus et Scapularibus* in genere dicta sunt.

Legitima impositio scapularis B. M. V. septem Dolorum necessario inducit, ut alibi explicavimus, ingressum in Confraternitatem.

1944. Ut sodalis lucrari possit indulgentias, omnino requiritur, ut continuo sacrum scapulare praescripto modo deferat. Deperdito vel detrito scapulari, aliud, licet non benedictum, substituere debet, etiam a semetipso. Nam primum tantum scapulare benedici et imponi debet a Sacerdote rite deputato.

1945. Formula benedictionis et impositionis praedicti scapularis reperitur in secunda Appendice Ritualis Romani, et in libello, cui titulus: *Facultates et Benedictiones Confraternitatis septem Dolorum* etc., ubi etiam invenitur formula pro impertienda sodalibus moribundis Absolutionem generalem in articulo mortis.

1946. Summarium Indulgentiarum confratribus et consororibus Societatis *septem Dolorum* B. M. Virginis concessarum habetur penes *Rescripta authentica,* pag. 647. — Ex concessionibus praefatis sodalibus factis, duas commemoramus.

1. In locis, ubi nulla adest ecclesia neque Ordinis, neque Confraternitatis *septem Dolorum,* fideles qui sunt adscripti eidem Confraternitati, acquirere possunt *omnes indulgentias* adnexas dictarum ecclesiarum visitationi, *visitando ecclesiam parochialem* (Decr. 27 Apr. 1887 ad VIII et in fine; Acta S. Sed. vol. XIX, pag. 557).

2. Indulgentia plenaria *ad instar Portiunculae,* defunctis quoque applicabilis, a Summo Pontifice Leone XIII concessa *omnibus Christifidelibus* vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, *toties* lucranda, *quoties in Dominica tertia Septembris* (quo die celebratur festum septem Dolorum B. M. V.) ecclesiam Ordinis Servorum B. M. V., vel Tertii Ordinis Servitarum, vel aliam ecclesiam, *ubi erecta sit Confraternitas septem Dolorum,* devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces per aliquod temporis spatium pie effuderint (Decr. 27 Jan. 1888: *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXI, pag. 478).

11. CONFRATERNITAS SCAPULARIS B. MARIAE VIRGINIS DE MERCEDE REDEMPTIONIS CAPTIVORUM (1).

1947. Quo tempore major Hispaniarum pars diro Saracenorum jugo opprimebatur, innumerique fideles sub immani servitute, maximo cum periculo christianae fidei abjurandae, amittendaeque salutis aeternae, infeliciter detinebantur, beatissima coelorum Regina, tot tantisque occurrens malis, nimiam charitatem suam in iis redimendis ostendit. Nam nocte inter primam et secundam diem mensis Augusti anni 1218 apparuit S. Petro Nolasco, S. Raymundo de Pennafort ac Jacobo I Aragoniae regi, qui in civitate Barcinonensi morabantur, revelans eis, acceptissimum sibi ac unigenito suo Filio fore, si suum in honorem institueretur Ordo Religiosorum, quibus cura incumberet captivos e Turcarum tyrannide liberandi. Hoc favore accepto, sancti viri, collatis inter se consiliis, et consentientibus animis, die 10 praedicti mensis et anni magna solemnitate in cathedrali Barcinonensi in honorem ejusdem Virginis Matris Ordinem instituere aggressi sunt, sub invocatione *Sanctae Mariae de Mercede Redemptionis captivorum.* Sodales hujus sancti Instituti tribus consuetis votis quartum addunt, manendi in pignus sub Paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit. Ratione hujus quarti voti, praeter habitum, regulam et alia adjuncta, quae propria sunt Mercedariorum, isti omnino distinguuntur a Trinitariis, quorum Ordo institutus quoque fuit *pro redemptione captivorum:* ideo scopus utriusque Ordinis idem est.

Ordo B. M. V. de Mercede approbatus fuit ab Honorio III et dein confirmatus a Gregorio IX die 17 Januarii 1235. Praefatus Jacobus Aragoniae rex sodalibus novae Religionis arma sua regia in pectore deferre concessit.

1948. Diu non stetit, quin etiam Christifideles petierint esse participes hujus sanctae institutionis nec non favorum spiritualium,

---

(1) Vid. Breviar. Rom. in Lect. B. M. V. de Mercede et S. Petri Nolasco; *L' Egoismo vinto,* ossia Breve Narrazione della Vita di S. Pietro Nolasco, Roma 1869, Tip. di Propag.; *Divota Novena...* della SS. V. della Mercede, Roma 1852, Tip. Salviucci; libellum continentem *Benedictiones peculiares* Ord. B. M. V. de Mercede; sed vid. praesertim Minderer, part. I, append. 3ª, pag. 442 et sqq., ubi referuntur Brevia Apostolica.

quibus Ordo cumulatus fuit ab Apostolica Sede. Hinc exortae sunt Confraternitates ejusdem tituli, quarum prima erecta fuit Barcinone die 7 Januarii 1246, et aliae deinceps institutae sunt per orbem catholicum. Jus eas erigendi ex privilegio spectat ad Rmum Magistrum Generalem praelaudati Ordinis, qui residet Romae ad S. Adrianum penes Forum Romanum.

Scapulare hujus Confraternitatis duobus partibus, prout cetera scapularia, constat, quae non secus ac habitus Religiosorum debent esse coloris *albi,* inter se funiculis pariter albis conjunctis. Hisce partibus superponitur imago B. Mariae Virginis de Misericordia seu de Mercede, vel stemma Ordinis.

1949. Ut Christifideles fiant sodales hujus Confraternitatis et consequi possint permulta bona spiritualia et indulgentias, quibus eadem ditata existit, requiritur:

1. Ut S. Scapulare a Sacerdote deputato cum praescriptis caeremoniis recipiant.

2. Ut illud semper super humeros portent (supra an subtus vestes non refert), et ubi fuerit attritum, aliud sive benedictum sive non, absque alia nova caeremonia assumendum est.

3. Ut nomen confratris Confraternitatis Albo sit insertum.

1950. Si quis Sacerdos habere cupiat facultem benedicendi et tradendi fidelibus dictum scapulare, recurrat ad Rmum Magistrum Generalem ut supra.

« *Summarium Indulgentiarum* et gratiarum Confraternitatibus Ordinis B. M. V. de Mercede canonice erectis a S. Sede in perpetuum concessarum » reperitur penes *Rescr. auth.* pag. 483, vel in parvo libello qui dispensatur a P. Magistro Generali.

12. ARCHICONFRATERNITAS CONFALONIS (1).

1951. Instituta fuit, habita visione a beatissima Virgine Maria, a Seraphico Doctore S. Bonaventura tunc Inquisitore generali in Urbe et Cardinali S. Romanae Ecclesiae. Quoad erectionis tempus

(1) De Archiconfraternitate Confalonis consule apud libr. *De Chordigeris* circa finem Constitutiones Gregorii XIII *Pastoris aeterni* diei 12 Octobr. 1576, et *Redemptoris nostri* 20 Febr. 1585; Urbani VIII, *Mediatoris Dei* 23 Maji 1633; vid. etiam Aloysium Ruggeri, *L'Arciconfraternita del Gonfalone;* Moroni, *Dizionario di erudizione,* verb. *Arciconfraternita;* Carolum Aloysium Morichini, *Degli Istituti di pubblica carità... in Roma,* vol. I. cap. XXIII.

licet non desint scriptores, qui Confalonis Confraternitatem erectam putent anno 1260 vel 1267 aut etiam 1270, communior tamen veriorque sententia affirmat, eam anno 1264 institutam esse. Ita etiam habetur in Bulla *Pastoris aeterni* Gregorii XIII de die 12 Octobris 1576.

1952. Prius vocabatur *Societas Regulae Recommendatorum* beatae Mariae Virginis, deinde a *Confalone* seu *Gonfalone* nuncupata ob vexillum ejusdem beatae Virginis imagine decoratum. Haec est prima *veri nominis* Confraternitas in Urbe erecta. *Sanctus Bonaventura,* ait Bosius apud Ruggeri, *primus instituit Confraternitates...* Initium vero Romae factum in Sodalitate sive Archiconfraternitate Gonfalonis circiter annum prope millesimum ducentesimum septuagesimum. Hujus exemplo innumerae in orbe christiano formatae (sunt) Sodalitates. Eadem scribit Ciaconius, ut vidimus in Tractatu de Confraternitatibus in genere, eadem Odoricus Rainaldi, qui addit: Dicebatur Confraternitas *Commendatorum Virgini,* in cujus collegii insignibus Deiparae pallio suo sodales tegentis effigies expressa erat; ac Societas Gonfalonis nuncupata ob vexillum hujusmodi imagine insignitum, quod religioso agmini solemni pompa incedenti praeferri soleret. Atque hujusmodi exemplo condita alia pia Sodalitia, et a Summis Pontificibus accendendae pietatis ergo approbata et propagata fuerunt (Apud Ruggeri, pag. 26 in nota; vide etiam Bassi, Tract. de Sodalitiis, Romae 1725, pag. 3, n. 8).

1953. Initio duodecim tantummodo viris nobilibus praedicta Confraternitas componebatur, tot nempe, quot in visione ostensi fuerunt sancto Bonaventurae a beata Virgine Maria, a qua etiam mandatum acceperat scribendi leges et statuta. Ob altissimam aestimationem, quam apud omnes sibi conciliaverat S. Bonaventura, hujusmodi Societas statim approbata fuit a Vicario Summi Pontificis, et anno 1267 vel, ut aliis placet, 1265, Clemens IV Viterbii commorans per speciale Breve eamdem Confraternitatem sua auctoritate approbavit et confirmavit.

1954. Sodales Gonfalonis saccum album induunt, et in scapula dextera crucem bicolorem, albo et rubro colore in caeruleo campo distinctam, deferunt. Pro dictis confratribus Seraphicus Doctor, loco Horarum canonicarum, coronam etiam composuit, quae constat vigintiquinque *Pater, Ave* et *Gloria,* et in fine aliis septem *Pater, Ave* et *Requiem,* et ejus responsorio.

1955. Ad exemplum praedictae Confraternitatis aliae similes numero septem exortae sunt in ipsa Urbe Roma, quae postea unanimi consensu unitae sunt, unum corpus efficientes, sub titulo *Confraternitatis Confalonis,* in Archiconfraternitatem deinde erectae.

1956. Pluribus operibus piis istiusmodi Archiconfraternitas primitus incumbebat, ut ex. gr. recitationi coronae Bonaventurianae et deinceps etiam Officii parvi B. M. V, singulis diebus festis; pacem et concordiam inter cives procurabant; pauperibus eleemosynis succurrebant; puellas quolibet anno dotabant; hospitalibus adsistentiam praebebant; accurato Missarum adimplemento intendebant etc. Initio tamen praecipuus laudatae Archiconfraternitatis scopus erat *vacare fidelium redemptioni e Saracenorum captivitate.*

1957. Archiconfraternitas Confalonis de religione et christiana charitate tam benemerita, multiplicibus privilegiis ac indulgentiis fuit a Summis Pontificibus ditata. A quibusdam vero Ordinibus regularibus, ut a Minoribus, a Praedicatoribus, ab Augustinianis, a Carmelitis et a Camaldulensibus ad participationem omnium bonorum spiritualium, quae in respectivis Ordinibus fiunt, fuit admissa (Vid. Ruggeri, pag. 43; libr. *De Chordigeris* circa finem).

1958. Praedicta Archiconfraternitas sedem habet in ecclesia S. Luciae a Confalone nuncupata, in *Via Monserrato* sita. Verum congregationes ac officia celebrat in pulchro oratorio pariter a Confalone dicto, quod non multo distat ab ipsa S. Luciae ecclesia.

1959. Unio, quam supra innuimus, plurium Sodalitatum in unum corpus, secum tulit unionem singulorum patrimoniorum et possessionem ecclesiarum vel capellarum, in quibus respectivi confratres divina officia celebrare consueverant. Istiusmodi jura et proprietates insimul cumulatae ad maximum potentiae et splendoris gradum Archiconfraternitatem Gonfalonis extulerunt.

1960. Novem numerabantur ecclesiae vel capellae, quas laudata Archiconfraternitas possidebat, quarum aliquas adhuc proprias habet, et sunt sequentes: 1° *Ecclesia S. Alberti* prope Basilicam S. Mariae Majoris sita, modo destructa, in qua Sodalitas Recommendatorum a S. Bonaventura instituta initium sumpsit; 2° *Ecclesia quadraginta Martyrum* in Transtyberim; 3° *SS. Annuntiationis* extra portam Capenam; 4° *Ecclesia S. Mariae Magdalenae;* 5° *SS. Apostolorum Petri et Pauli* (oratorium Gonfalonis);

6° *Capella Recommendatorum* in Basilica S. Mariae Majoris; 7° *Capella S. Helenae* in ecclesia de Aracoeli; 8° *Capella Pietatis* apud amphitheatrum Flavium, vulgo Colosseo; 9° *Ecclesia S. Luciae* a Confalone nuncupata; quibus jure additur alia capella in ecclesia S. Mariae de Monticelli (Vid. Ruggeri, pag. 79, et sqq.).

13. CONFRATERNITAS SS. ROSARII (1).

1961. Jus erigendi Confraternitates SS. Rosarii pertinet exclusive ad Ordinem Praedicatorum. Nam Summus Pontifex Benedictus XIV « voluit et expresse mandavit, quod non aliter Confraternitates seu Societates SS. Rosarii erigantur, *nisi requisitis prius et obtentis,* juxta formam a S. Pio V in Brevi diei 28 Junii 1569 incip. *Inter desiderabilia* praescriptam, *a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum* pro tempore existente *litteris facultativis* ».

Quare, « si inscio P. Generali Ordinis Praedicatorum, per Ordinarium erigatur Confraternitas SS. Rosarii, confratres minime fruuntur indulgentiis » (Decr. 26 Aug. 1747. N. 165, et 11 Apr. 1864. N. 405).

1962. Jus hujusmodi erigendi Confraternitates SS. Rosarii est *ita exclusivum* favore laudati Ordinis, ut Confraternitates SS. Rosarii erectae ab Episcopis vigore *Apostolicarum facultatum,* quae ab ipsis impetrantur *in genere,* non gaudent indulgentiis, si erectae fuerint *inconsulto Magistro Generali Ordinis Praedicatorum.* In illa igitur *generali facultate* ab Episcopis obtenta erigendi Confraternitates, eisque communicandi indulgentias Archiconfraternitatum Urbis, tamquam si istis essent aggregatae, *minime comprehenditur potestas erigendi etiam Confraternitates SS. Rosarii;* excepto casu quod in indulto fiat *expressa mentio derogationis privilegii Ordini praefato a S. Sede concessi* (Decr. cit. N. 405).

1963. Hoc tamen privilegio non obstante, P. Magister Generalis Ordinis Praedicatorum, prout etiam alii Superiores Generales

---

(1) Cf. *Acta Sanctae Sedis, nec non Magistrorum et Capitulorum Generalium* sacri Ordinis Praedicatorum pro Societate SS. Rosarii... Rmi P. Fr. Josephi Mariae Larroca ejusdem Ordinis Magistri Generalis jussu edita. Lugduni, typis Xaverii Jevain ann. 1890. Plura ex hoc opere vol. I. ad verbum desumpsimus quoad Confraternitatem SS. Rosarii.

Ordinum regularium, non potest Confraternitates erigere, *nisi accedat consensus Ordinarii loci,* ubi eaedem sunt instituendae.

1964. Si quis proinde cupiat ut in aliquo loco erigatur Confraternitas SS. Rosarii, ad Rmum P. Magistrum Generalem Ordinis Praedicatorum recurrere debet.

1965. Praedictus Magister Ordinis ex speciali concessione Benedicti XIII (Constit. *Pretiosus,* 26 Maji 1727) potest delegare et hodierna praxi delegat Priores provinciales quarumdam provinciarum in remotis regionibus, ut in Tunkino, Sinis, America etc. existentium, quibusdam tamen conditionibus servatis, nempe:

a) Ut in diplomatibus erectionis, proprio Provincialium vel Vicariorum nomine datis et subscriptis, semper *fiat mentio delegationis* a Rmo Magistro Ordinis impertitae.

b) Ut fideliter quotannis praedicti Provinciales vel Vicarii eumdem Magistrum Ordinis certiorem reddant de Confraternitatibus erectis, designando locum, cum titulo ecclesiae, et in qua dioecesi, et diem qua fuerit singula Confraternitas erecta.

c) Ut hac facultate delegata non utantur extra terminos Provinciae vel Vicariatus eis commissi.

1966. Confraternitates SS. Rosarii canonice erectae, *ipso facto erectionis* participant gratias et privilegia a S. Sede eisdem concessa: aggregatio igitur locum non habet. Praedictae Confraternitates sunt omnes aequales juribus et gratiis, nec ulla ex eis dici potest respectu ad alias *Archiconfraternitas,* ne illa quidem Romae erecta in ecclesia S. Mariae supra Minervam Ordinis Praedicatorum, licet in nonnullis documentis, etiam a S. Sede editis, nominetur *Archiconfraternitas* (vid. n. 1704 sqq.).

1967. Sciendum est, Confraternitates SS. Rosarii a Rmo P. Magistro Generali Ordinis Praedicatorum erigi etiam posse in ecclesiis cujuslibet ritus catholici, puta *graeci, armeni,* praevio tamen consensu Episcopi respectivi ritus orientalis (Decr. 21 Junii 1893, apud *Analecta Ecclesiast.* ann. II, pag. 122).

1968. *Sanatio partialis erectionum.* Pius PP. IX, die 11 Aprilis 1864, motu proprio et de plenitudine potestatis sanavit et validas esse declaravit omnes Confraternitates SS. Rosarii usquedum erectas, *inconsulto Magistro Generali Ordinis Praedicatorum,* ab Episcopis virtute Apostolicarum facultatum, quae ab ipsis impetrantur *in genere,* erigendi nempe Sodalitates cujuscumque tituli et invocationis (Decr. auth. N. 405).

1969. *Sanatio generalis in radice omnium Confraternitatum actu existentium in quocumque Orbis loco ante diem 28 Septembris 1893, et fortassis nullae ob qualemcumque defectum.* En petitio et gratiae concessio (Analecta Ord. Praedicatorum, ann. I, pag. 555):

Bme Pater. Fr. Vincentius Leo Sallua Archiepiscopus Calcedonensis, Ordinis Praedicatorum, ad sacri Pedis osculum provolutus, Sanctitati Vestrae exponit ut sequitur:

Plurimae sunt in Orbe toto SSmi Rosarii Confraternitates, de quibus vehemens enascitur dubium, utrum rite fuerint erectae (attentis formalitatibus canonicis quae erectionem praecedere et sequi debent). Unde, ad evitandum grave damnum quod imminet iis Christifidelibus, qui adscripti praedictis Confraternitatibus sic invalide erectis non amplius lucrarentur indulgentias a SS. Pontificibus elargitas, Orator S. V. deprecatur, ut dignetur *generalem concedere sanationem* in favorem omnium praedictarum Confraternitatum usque nunc erectarum. Et Deus etc.

Ex Audientia SSmi diei 28 Sept. 1893, SSmus D. N. Leo Papa XIII *petitam sanationem benigne concessit.*

Datum Romae ex Secretaria S. Congr. Indulg. Sacrisque Reliquiis praepositae, die 28 Sept. 1893.

Fr. Ignatius Persico, *Praefectus.*
A. Archiep. Nicopolitan., *Secretarius.*

1970. Novissima sanatio generalis in radice. Rmus P. Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum S. Congregationi Indulgentiarum inter alia sequens postulatum exhibuit:

Ut omnes SSmi Rosarii Confraternitates, quae sive in propriis Ordinis sive in aliis Orbis ecclesiis erectae inveniuntur, irregularitate vel vitio nullitatis affectae ob quemcumque loci distantiae, litterarum testimonialium, diplomatum concessionis, sive alterius, cujusque generis, defectum, in radice sanentur, et, quatenus opus sit, immediate Apostolica auctoritate de novo erigantur, firmis remanentibus privilegiis a Romanis Pontificibus Ordini Praedicatorum elargitis.

Et Emi Cardinales die 5 Martii 1896 rescripserunt: *Affirmative.* Quam resolutionem Summus Pontifex Leo XIII die 20 Maji ejusdem anni confirmavit.

1971. Director Confraternitatis. Ex speciali privilegio Magister Generalis Ordinis Praedicatorum nominat ipse Directorem Confraternitatis SS. Rosarii, et in praxi Directoris officium concedit Rectori ecclesiae in qua erigitur Confraternitas. Et quia contingere facile potest ut Rector ecclesiae impediatur, quominus Directoris munia per se exercere possit, ideo ad majorem Directorum commoditatem Magister Generalis Ordinis in litteris patentibus erectionis Directorem Confraternitatis deputare solet *Rectorem ecclesiae ejusque vices gerentem.*

1972. Quis autem intelligi debeat per *vices gerentem,* Rmus P. Larroca explicavit in declaratione 1 Januarii 1890, dicens:

Ne autem super hoc vertatur dubium, declaramus quod vox *vices gerens* intelligi debet non solum de quolibet vicario a Rectore ecclesiae delegato, Rectore praesente vel absente, sed etiam de Sacerdote vel Sacerdotibus quibuslibet, qui auctoritate Ordinarii, Rectoris aegroti, mortui, amoti vel absentis officio funguntur in paroeciae seu ecclesiae administratione. Et hanc declarationem seu delegandi facultatem extendimus ad Directores omnium Confraternitatum, sive a Nobis, sive a Nostris praedecessoribus erectarum, etiamsi in diplomate erectionis non fuerit facta mentio vices gerentis (*Acta pro Societate SS. Rosarii,* vol. I, pag. VI, et vid. pag. 26).

1973. Non est necessarium ut Director sit sodalis Confraternitatis SS. Rosarii, sed sufficit ut a legitima auctoritate designetur. At, cum Director facultatem habeat alios et seipsum inscribendi in registro Confraternitatis, omnino decet dare suum nomen Confraternitati cujus est Director, nisi in alia SS. Rosarii Confraternitate jam fuerit inscriptum (Loc. cit. pag. 27).

1974. Director Confraternitatis *vi sui officii* non habet facultatem benedicendi rosaria, nisi in diplomate erectionis Directori pro tempore addita sit, *quod semper fit in praxi,* quando Confraternitas a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum erigitur.

1975. Director Confraternitatis cum habeat facultatem inscribendi confratres ac benedicendi coronas, non *titulo personali,* sed *titulo officii,* non potest ea uti, nisi in loco, ubi existit Confraternitas, et solummodo pro tempore, quo munere Directoris fungitur. Si vero a Magistro Generali vel a Provincialibus Ordinis obtinuerit *facultatem personalem,* tunc ea uti potest ubique et in perpetuum.

1976. Facultas adscribendi fideles Societati SS. Rosarii datur non solum Directoribus Confraternitatum, sed etiam *aliis Sacerdotibus* sive saecularibus sive regularibus, hac tamen lege, *ut adscriptorum nomina mittantur ad aliquem Conventum Ordinis Praedicatorum, vel ad aliquam ecclesiam,* ubi canonice erecta reperitur Confraternitas, in registro Confraternitatis fideliter transcribenda.

1977. Ad solum Magistrum Generalem spectat deputare Sacerdotes ad recipiendos fideles in Confraternitatem SS. Rosarii. Quocirca Sacerdotes praedictam facultatem habere cupientes, eam petere debent ab eodem Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, sive directe scribendo ad eum sive postulando a Patribus Provincialibus Ordinis *extra Italiam,* qui semper apud se retinent nonnullas pagellas seu rescripta, a Magistro Generali concessa, quibus hujusmodi facultas impertitur (Cf. loc. cit. pag. 31).

1978. Sacerdotes legitima facultate praediti adscribendi confratres et benedicendi coronas, ea uti possunt ubique, exceptis dumtaxat locis, *ubi sunt domus Ordinis Praedicatorum,* dummodo tamen talis exceptio inveniatur apposita in rescripto concessionis.

1979. In pagellis quae traduntur Sacerdotibus, conceditur facultas adscribendi fideles utriusque sexus ad Societatem SS. Rosarii, coronas seu rosaria, rosas ac candelas benedicendi, et indulgentiam plenariam, juxta formam a sa. me. Innocentio PP. XI praescriptam, confratribus in articulo mortis constitutis impertiendi (Vid. ipsam pagel. seu libellum).

1980. *Ut Christifidelis fiat sodalis* Confraternitatis SS. Rosarii requiritur:

1° ut in Confraternitatem rite recipiatur a Sacerdote legitimam facultatem habente;

2° ut ejus nomen inscribatur in registro matriculario alicujus Confraternitatis canonice erectae.

1981. Deperdito vel destructo libro matriculario Confraternitatis, aut devastata ecclesia, semel ibidem inscripti non desinunt esse sodales, nec requiritur nova inscriptio, quamvis expediat novum registrum conficere.

1982. In locis, ubi Religiosi Ordinis Praedicatorum, potestate civili violenter expulsi, vel de alia causa extra suum Conventum habitare coguntur, jus praedicti Conventus quoad inscriptionem

confratrum et benedictionem coronarum integrum remanet, *donec in eadem civitate seu loco aliqui Fratres praedicti Ordinis sub obedientia sui Superioris regularis localis perdurent* (Ibid. pag. 33).

1983. Confraternitas SS. Rosarii a Fratribus Ordinis Praedicatorum in ipsorum ecclesia erecta subsistit et indulgentiis gaudet, etiamsi dicti Fratres discedant ab ipsa ecclesia, et ad hanc regendam subrogentur Presbyteri saeculares (Decr. S. C. I. 26 Aug. 1747. N. 167).

1984. In erectione Confraternitatis SS. Rosarii oportet *vel capellam vel saltem altare SS. Rosarii designare,* ut sic confratres lucrari possint multiplices indulgentias ipsis concessas *sub conditione ut ecclesiam Ordinis Praedicatorum vel capellam ubi erecta reperitur Fraternitas SS. Rosarii visitent.*

Quando ob capellae defectum designatur *altare,* tunc reputatur capella Rosarii tota illa pars ecclesiae, in qua altare SS. Rosarii conspicitur.

1985. Quando pro lucranda indulgentia praescribitur visitatio capellae vel altaris, non sufficit visitatio ecclesiae, sed visitans debet esse in tali ecclesiae loco, ut videre possit capellam vel altare.

1986. Praedicta capellae vel altaris designatio fieri debet ab eo, qui a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum ad erectionem Confraternitatis fuit delegatus. Quod si in actu erectionis haec designatio omissa fuerit, eadem ab ipso Directore Confraternitatis fieri potest. Insuper post erectionis actum, Director auctoritate sua potest transferre Confraternitatem de una capella ad aliam, *intra tamen eamdem ecclesiam,* designando novum altare, cum Confraternitas SS. Rosarii a Magistro Generali non in tali capella, sed in tali ecclesia erigatur. Item ad eumdem Directorem spectat designare altare sive capellam, quando de licentia S. Sedis vel Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum Confraternitas translata fuerit in aliam ecclesiam (Vid. loc. cit. pag. 115-116).

1987. Ad lucrandas indulgentias Confraternitatis SS. Rosarii non est necessarium, ut in altari B. M. V. dicato extet *imago ejusdem quindecim mysteriis circumdata* (Decr. 25 Sept. 1845. N. 331).

Idem dicendum, etsi praefatae Confraternitatis institutio a Patribus Dominicanis concessa, inferat necessitatem praedictae imaginis (Decr. 31 Jan. 1848. N. 349).

Juxta tamen statutum pro Confraternitatibus universis SS. Rosarii a Magistro Generali, tamquam supremo earumdem Confraternitatum Moderatore ordinatum, extare deberet in capella cujuslibet Confraternitatis imago repraesentans sanctum Dominicum, flexis genibus de manu Deiparae Virginis coronas precatorias accipientem. Verum, ut ex allatis Decretis patet, praedicta imago non est necessaria nec pro lucro indulgentiarum, nec pro validitate erectionis Confraternitatis (Cf. *Acta... pro Societ. SS. Rosarii*, pag. 121).

1988. Omnes Moniales intra monasterii clausuram degentes, et Confraternitati SS. Rosarii adscriptae, loco ecclesiae vel capellae Confraternitatis, ecclesiam seu capellam proprii monasterii, pro indulgentiis sive partialibus sive plenariis consequendis, visitare licite ac valide possunt, dummodo cetera pietatis opera injuncta rite praestiterint (Pius IX, *Expositum Nobis*, 11 Aug. 1871; loc. cit. pag. 81).

Eodem privilegio gaudent, visitando propriam capellam sive oratorium, omnes confratres et consorores in Collegiis, Conservatoriis, Seminariis conviventes, nec non etiam illi qui ad aliquam catholicam Societatem pertinent (Ex vivae vocis oraculo Pii IX 8 Febr. 1874; loc. cit.).

1989. Processiones Confraternitatum. Confraternitates SS. Rosarii ex antiqua consuetudine a Summis Pontificibus saepius laudata, jus habent ducendi *prima Dominica* cujuslibet mensis, et *praecipuis B. Mariae Virginis festis* processionem (*Acta... pro Societate SS. Rosarii* pag. 64).

1990. Sodales interessentes praedictis processionibus, si Sacramentis refecti fuerint, et oraverint pro pace inter principes christianos, pro haereseon eradicatione, proque exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, *plenariam consequuntur indulgentiam* (In Summario Indulg. apud *Rescr. auth.* pag. 419).

1991. Quapropter Confraternitates SS. Rosarii *intra ecclesias*, in quibus sunt erectae, libere possunt processiones ducere diebus praedictis, secundum sua statuta laudabilia et consuetudines. Ad ducendas vero processiones *extra praefatas ecclesias*, vel in ipsis ecclesiis, sed diebus in quibus fieri non est solitum, requiritur assensus Episcopi, juxta jus commune pro Confraternitatibus (S. C. Rit. 4 Mart. 1606, et 14 Jan. 1617; *Acta* cit. ibid.).

Processiones Confraternitatum non possunt duci, nisi intra claustra ecclesiae. In ecclesiis, quibus desunt claustra, duci debent

intra ambitum, hoc est prope muros ecclesiae, sive exeundo a janua ecclesiae et intrando per aliam, sive per eamdem et semper prope muros ecclesiae (*Acta* citata ibid.).

1992. Processiones SS. Rosarii primae Dominicae cujuslibet mensis non possunt ab Episcopo transferri ad aliam Dominicam sine speciali S. Sedis dispensatione (S. C. Indulg. 26 Aug. 1747, apud *Rescr. auth.* N. 151; et 16 Mart. 1842, apud *Acta... pro Societ. SS. Rosarii,* vol. II, pag. 872).

1993. In die solemnitatis SS. Rosarii, prima Dominica Octobris, cum omni pompa ab omnibus Confraternitatibus extra earum ecclesias et per vicos publicos, quantum fieri potest, processiones conduci debent (Leo XIII, *Superiore anno,* 30 Aug. 1884).

1994. Moniales intra clausuram viventes ducere possunt processionem SS. Rosarii per claustra pro personis intra monasterii septa degentibus (Decr. S. C. Episc. et Reg. 26 Aug. 1616), eoque modo indulgentias processionibus SS. Rosarii adnexas lucrari, ad mentem concessionis Pii IX pro Monialibus, Brevi *Expositum Nobis* 11 Aug. 1871 (Vid. loc. cit. pag. 66; vol. II, pag. 632).

1995. Corona. Omnes confratres et consorores recitare debent Rosarium *cum corona benedicta* a Religioso Ordinis Praedicatorum, vel ab alio Sacerdote legitima facultate praedito. Ita ex perantiqua et generali consuetudine Confraternitatum SS. Rosarii hodie vim legis habente (Decr. 29 Febr. 1864. N. 401; *Acta* cit. vol. I. pag. 38).

1996. Quamvis consuetudo recitandi Rosarium cum corona benedicta hodie sit in tota Ecclesia recepta, et auctoritate S. Sedis confirmata, ac proinde inter generalia Societatis Rosarianae statuta habeatur, super quibus dispensare ad neminem nisi ad S. Sedem pertineat, attamen *hujusmodi benedictio non requiritur ad lucrandas indulgentias* annexas recitationi SS. Rosarii sive *pro confratribus,* sive *pro Christifidelibus Sodalitati non adscriptis* (exceptis dumtaxat indulgentiis concessis a Benedicto PP. XIII, pro quarum lucro praedictus Pontifex posuit hanc conditionem *coronae benedictae de more* a Religioso Ordinis Praedicatorum). — Unde si quis recitat Rosarium cum corona *praedicta benedictione non ditata, vel etiam absque ulla corona,* lucratur tamen indulgentias (exceptis indulgentiis Benedicti PP. XIII), dummodo aliae conditiones a Summis Pontificibus indicatae serventur (*Acta... pro Societate SS. Rosarii,* vol. I, pag. 38, n. 77).

1997. Sunt quidem Auctores, qui hac de re aliter sentiunt: affirmantes scilicet necessitatem benedictionis coronae Rosarianae ut quis lucrari possit indulgentias non solum a Benedicto XIII concessas, sed etiam illas quae ab aliis Summis Pontificibus recitationi Rosarii fuerunt adnexae. At hodie, post declarationem S. Congregationis Indulgentiarum diei 7 Augusti 1889, omne dubium sublatum est, quod quidem valde incongruenter Scriptores nimis nutantes perpetuarent. Postulatum fuit:

An ad lucrandas indulgentias Rosarii B. Mariae Virginis sive coronae Franciscanae, vel parvae coronae Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis (vulgo Coroncina della Immacolata), vel S. Birgittae etc. *necessarium sit habere Rosarium materiale ad hoc benedictum, vel simplex recitatio sufficiat?*

Auctores hac super re non eamdem tenent sententiam; quapropter Orator (Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino Minister Generalis Ordinis Minorum) *Sanctitatis Tuae judicium exquirit, ut dubium tollatur.*

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, relato dubio respondit:

Standum terminis concessionum indulgentiarum adnexarum singulis precatoriis coronis, de quibus in proposito dubio (*Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVI, pag. 261).

Ex hoc responso collige: Si in Brevi Apostolico praescribitur usus coronae benedictae, haec necessario in recitatione precum adhibenda est pro lucro indulgentiarum; si vero usus coronae materialis benedictae non praescribitur, nulla est necessitas eam adhibendi ad lucrandas indulgentias.

1998. Age nunc, loquendo speciatim de indulgentiis concessis *cunctis fidelibus* Rosarium recitantibus, Benedictus XIII, Constit. *Sanctissimus,* die 13 Aprilis 1726, elargitus est indulgentias pro recitatione Rosarii sub conditione, quod *coronae* a Patribus Ordinis Praedicatorum *fuerint de more benedictae.* Pius vero IX in Rescripto seu Decreto *Urbis et Orbis* de die 12 Maji 1851, praefatam conditionem pro lucro indulgentiarum a se concessarum minime imposuit, imo nullum verbum habet de usu coronae materialis benedictae (*Rescr. auth.* N. 373).

Hinc est quod in Decreto 22 Januarii 1858 (*Decr. auth.* N. 384) preces Oratoris ad hoc limitabantur quatenus Summus Pontifex concedere dignaretur « ut omnes utriusque sexus Christifideles

Rosarium, vel tertiam saltem ejusdem partem in communi recitantes, lucrentur *indulgentias a fel. rec. Benedicto PP. XIII concessas,* licet manu non teneant rosarium benedictum etc.». Et Pius IX Oratoris precibus benigne annuit, addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, ceteris curis semotis (*quae internam attentionem impediunt ad devotam Rosarii recitationem*), se componant pro oratione facienda una cum persona, quae tenet coronam, ut Rosarii indulgentias lucrari queant. Ubi, ut vides, dispensatio ab usu coronae materialis petebatur *dumtaxat pro acquisitione indulgentiarum a Benedicto XIII concessarum,* minime vero pro lucro aliarum ab ipso Summo Pontifice Pio IX anno 1851 concessarum, et hoc ob allatam rationem, quia scilicet hic Pontifex usum coronae materialis non praescripsit.

1999. His tamen non obstantibus, iterum dicimus, coronam S. Dominici sive quinque, sive decem aut quindecim decadibus constet, benedici semper debere, tum quia usus eas benedicendi est ab Ecclesia approbatus, et quidem cum propria benedictionis formula, tum ne fideles priventur eximiis indulgentiis a laudato Pontifice Benedicto XIII concessis.

2000. Indulgentiae concessae a Benedicto XIII, Brevi *Sanctissimus,* die 13 Aprilis 1726, omnibus Christifidelibus pro recitatione coronae Rosarianae, indicantur apud *Rescripta authentica,* Summ. § VII, n. 4, pag. 423, sequentibus verbis:

« *Omnes Christifideles* vel integre vel tertiam Rosarii partem recitantes, pro quolibet *Pater* et quolibet *Ave centum dies indulgentiae* consequentur. Quod si per annum singulis diebus saltem tertiam partem recitabunt, Confessione ac Communione praemissa in die ad libitum eligenda, *plenariam* consequentur *indulgentiam, dummodo tamen Rosaria a Patribus Ordinis Praedicatorum fuerint benedicta.* Quae sunt indulgentiae ipsae jam coronis S. Birgittae concessae, sicut in Summario earumdem, 4 Decembris 1714 in Bullario Clementis XI ».

2001. Qui a Rmo P. Magistro Generali Ordinis Praedicatorum recepit facultatem benedicendi coronas SS. Rosarii, ea uti potest, et privatim, et publice in ecclesiis, etiamsi coronae deponerentur simul super aliquo altari, vel si benedictio ex pulpite donaretur, qualibet persona tenente in manu suam coronam (*Acta... pro Societate SS. Rosarii,* vol. I, pag. 42, n. 94).

2002. Rosae. Apud Confraternitates SS. Rosarii usus viget

benedicendi *rosas,* praecipue in die festo solemni SS. Rosarii, prima Dominica Octobris. Hujusmodi rosae debent esse *naturales,* non vero artificiales. Hae possunt vel conservari *in domo ut fugent daemonia et maleficia,* vel *per modum medicinae sumi in aqua,* tam ab homine quam a pecore, vel folia *plagis exterioribus applicari ad obtinendam sanitatem* virtute fidei et protectione Reginae SS. Rosarii, ut patet ex ipsa formula benedictionis pro his rosis a S. Sede approbata (Loc. cit. pag. 45, n. 109).

2003. Candelae. Similiter Confraternitates in usu habent benedicere candelas, quae postea in *manu tenentur a confratribus accensae tempore processionum SS. Rosarii* diebus Dominicis et festis beatae Mariae et aliis circumstantiis, juxta consuetudines locales approbatas. *Confratres vero has candelas benedictas tenentes in agone acquirunt* in articulo mortis, contriti et confessi, vel cum proposito etc. indulgentiam plenariam, dummodo ante horam obitus Rosarium semel saltem recitaverint (Summar. Indulg. *Rescr. auth.* pag. 426, XI, 3). — In multis locis, *ingruentibus partus doloribus,* pro muliere ejusque prole, coram SS. Sacramento vel coram altari SS. Rosarii, *istae candelae accenduntur.* Et pariter fit aliis quibuscumque de causis ad obtinendam gratiam specialem (Ibid. n. 110).

Soli Sacerdotes, habentes a Magistro Generali Ordinis Praedicatorum facultatem benedicendi coronas, etiam possunt benedicere rosas et candelas.

2004. *Dubia quoad expositionem imaginis B. M. V. quae colitur in Valle Pompeiorum.* Rmus P. Marcolinus Cicognani, Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum, exposuit quod plurimi Fratres sui Ordinis ad devotionem promovendam erga beatissimam Deiparam a Rosario per imaginem quae colitur in Valle Pompeiorum, hanc iconem exponere coeperunt in ecclesiis ipsius Ordinis. Cupiens Orator eorumdem fovere pietatem, verum juxta leges a S. Rituum Congregatione sancitas, insequentia dubia pro opportuna solutione eidem S. Congregationi subjecit:

I. An liceat in ecclesiis, in quibus canonice sunt erectae SS. Rosarii Confraternitates, antiquae imagini B. M. de Rosario substituere imaginem Pompeianam?

Et qualenus *Negative,*

II. An liceat imagini B. M. V. de Rosario in eodem altari imaginem parvam Pompeianam supponere, uti vulgo dicitur *sotto quadro?*

Et quatenus *Negative*,

III. An liceat in praefatis ecclesiis dedicare dictae imagini B. M. V. Pompeianae aliud altare?

Et quatenus *Negative*,

IV. An liceat saltem in aliquo loco earumdem ecclesiarum imaginem B. M. V. Pompejanam publicae venerationi exponere?

Et quatenus *Affirmative*,

V. An eam visitando easdem indulgentias altari SS. Rosarii concessas Christifideles et confratres lucrari valeant?

Et Sacra eadem Congregatio propositis dubiis rescribere rata est: *Negative in omnibus* (Die 24 Februarii 1890, *Acta S. Sedis*, vol. XXII, pag. 501).

2005. In epistola, quam eadem S. R. Congregatio sub die 20 Maji 1890 ad Episcopos Italiae direxit, redditur ratio enuntiati Decreti. Dicitur enim: Norma liturgica est, semper ab hac S. Rituum Congregatione inculcata, non posse in eadem ecclesia, et multo magis in eodem altari, publicae venerationi exponi duas tabulas vel statuas eumdem Sanctum referentes, et, ubi agatur de sanctissima Virgine, Matrem Dei sub eodem titulo repraesentantes. Hoc principium, quod exceptionem non patitur, prae oculis habuit S. Congregatio dum Decreto 24 Februarii currentis anni quibusdam dubiis respondit a Procuratore Generali Ordinis Praedicatorum propositis, circa usum exponendi in aliquibus ecclesiis, in quibus jam colebatur effigies SS. Virginis de Rosario, alteram ejusdem tituli, quae in ecclesia recens extructa in Valle Pompeiorum specialem cultum obtinet...

Deinde S. Congregatio docet, extra omne dubium esse illa effigie repraesentari Matrem Dei sub titulo semper SS. Rosarii, etiam in accessoriis, si leves quaedam excipiantur varietates. Nequit igitur exponi in ecclesiis publicisque oratoriis, in quibus altera sacra imago ejusdem tituli fidelium veneratione et cultu gaudet.

Quare, etsi post publicationem dicti Decreti pleraque postulata ad S. Patrem pervenerint, ut sineret in aliqua ecclesia, simul cum antiqua effigie Virginis sanctissimae de Rosario, alteram retineri, cui denominatio a Pompeiis adjungitur, non potuit tamen enuntiato derogari principio, quo informantur responsa super tali argumento a S. Congregatione edita (Acta S. Sedis loc. cit. pag. 739; Acta Ord. Min. ann. IX, pag. 99).

2006. Pro confratribus et consororibus praecipua praxis est *recitatio in qualibet hebdomada integri Rosarii,* quindecim nempe decadum, interim recolendo mysteria vitae et passionis D. N. Jesu Christi. Sed notandum, hujusmodi recitationem integri Rosarii in singulis hebdomadis, requiri tantum ad lucrandas indulgentias *recitationi ipsius Rosarii* adnexas, non vero ad assequendas illas, quae pro aliis operibus sunt concessae, ex. gr. pro Communione in ecclesia Confraternitatis in prima Dominica cujuslibet mensis, pro comitatu processionis, pro visitatione capellae seu altaris B. M. V. in certis diebus, et pro ceteris similibus piis operibus. Omissio proinde recitationis integri Rosarii in qualibet hebdomada, non impedit quominus sodalis acquirere possit illas indulgentias, quae aliis piis operibus sunt adnexae (Decr. 25 Febr. 1877. N. 431 ad 3^{m}).

2007. Pro acquisitione indulgentiarum, quae *favore confratrum* sunt adnexae recitationi *integri Rosarii* infra hebdomadam, sufficit ut intra id tempus, nempe infra hebdomadam, quindecim denaria recitentur, *licet in plures quam tres partes dividantur* (Decr. 22 Jan. 1858. N. 385).

Extra hunc casum *in gratiam confratrum,* nec pro lubito nec pro commodo dividi potest Rosarium B. M. V., ac ideo non acquiruntur indulgentiae generales adnexae recitationi quotidianae unius coronae, *si quinque denaria non recitentur uno tractu* (id est sine notabili et morali interruptione), *sed diversis temporibus,* quamvis intra diei spatium (Decr. eod.).

2008. Quia praedicti confratres acquirere possunt plures indulgentias *in festis mysteriorum SS. Rosarii,* utile est hujusmodi festa, quot et quaenam sint, cognoscere. Ex declaratione igitur S. Congregationis sequentia tantum habenda sunt ut festa mysteriorum SS. Rosarii, nempe: *Annuntiatio B. M. V.* (1^{m} mysterium), *Visitatio* (2^{m}), *Nativitas D. N. J. C.* (3^{m}), *Purificatio B. M. V.* (4^{m}), *Resurrectio Domini* (11^{m}), *ejusdem Ascensio* (12^{m}), *Pentecostes* (13^{m}), *Assumptio B. M. V.* (14^{m}), *festum Omnium Sanctorum* (15^{m}), *festum B. M. V. feria sexta post Dominicam Passionis* (10^{m}) (Decr. 25 Febr. 1877. N. 431 ad 8^{m}).

2009. Indulgentia *septem annorum et septem quadragenarum* singulis vicibus lucrandam ab iis, qui intersunt processionibus SS. Rosarii, quae fiunt in prima cujusque mensis Dominica, concessa fuit in favorem *omnium fidelium,* qui intersunt dictis

processionibus, non vero solummodo pro confratribus SS. Rosarii (Decr. 14 Apr. 1856. N. 377 ad 1^m^)

2010. Confratres SS. Rosarii, si Nomen *Jesu* in fine uniuscujusque *Ave Maria* pronuntiabunt, *quinque annos et quinque quadragenas* consequentur (Summ. SS. Rosarii § IX, n. 3, pag. 424, apud Rescr. auth.).

Haec indulgentia 5 annorum et 5 quadragenarum, in recitatione Rosarii lucranda *a confratribus,* qui pronuntiant SS. Nomen Jesu in fine cujusque *Ave Maria,* est concessa *pro qualibet invocatione,* nempe *toties quoties, sed in recitatione Rosarii dumtaxat* (Decr. eod. N. 377 ad 3^m^ et in fine).

2011. Cum inter Christifideles quorumdam locorum invaluerit consuetudo invocandi SS. Nomen *Jesus* in fine Angelicae Salutationis immediate post *Amen,* dicendo: *Nunc et in hora mortis nostrae. Amen.* Jesus; sequens dubium propositum fuit a Procuratore Generali Ord. Praedicatorum:

An indulgentias, de quibus in Summario, illi lucrentur confratres, qui Nomen Jesus pronuntiant post verba *Benedictus fructus ventris tui;* vel qui idem SS. Nomen pronuntiant additum in fine uniuscujusque *Ave Maria,* dicendo: *Nunc et in hora mortis nostrae. Amen.* Jesus?

Resp. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam* (Decr. 29 Martii 1886, apud Acta S. Sed. vol. IX, pag. 510).

2012. Ad notitiam sciendum est, tempore praefatae concessionis non ubique locorum viguisse usum pronuntiandi nomen Jesus in recitatione Salutationis Angelicae. Haec precandi formula verbis S. Elisabeth claudebatur hoc modo: *Benedictus fructus ventris tui.* Ut pius usus adjungendi nomen Jesus in praedicta prece propagaretur et universalis fieret, Innocentius VIII, Constitutione *Splendor paternae gloriae* anno 1491, descriptas indulgentias quinque annorum totidemque quadragenarum concessit *confratribus et consororibus SS. Rosarii, si in fine cujuslibet Salutationis Angelicae nomen* Jesus *nominaverint* (Cf. *Nouv. Rev. Théol.* tom. XIX, pag. 352; vid. etiam Moroni, *Dizionario di erudizione,* verb. *Ave Maria).*

2013. Confratres et consorores Confraternitatis SS. Rosarii, ipso facto suae receptionis in Societatem, *participant* in vita pariter et in morte *omnes Missas, praedicationes, jejunia, abstinentias, vigilias, studia, labores, ceteraque bona opera,* quae

per Fratres et Sorores sacri Ordinis Praedicatorum Dominus in universo mundo fieri concedit.

Quam quidem bonorum spiritualium participationem elargiti sunt plures Magistri Generales Ordinis praedicti, et nuperrime Rmus P. Josephus Maria Larroca sanctae et recolendae memoriae (Cf. Acta S. Sed. *pro Societate SS. Rosarii,* vol. I, pag. X, et pag. 107, n. 222).

2014. Sacerdotes Sodalitati SS. Rosarii adscripti, gaudent *privilegio altaris* eo modo, quo Presbyteri Ordinis Praedicatorum, qui in respectivis eorum ecclesiis habent *privilegiatum altare B. M. V. de Rosario dicatum* (Decr. 7 Junii 1842. N. 303).

Cum vero privilegium hoc sit tantum *locale,* minime vero personale, sequitur, quod ea ecclesia Sodalitatis Rosarii, ubi hoc altare non reperitur, privilegio quoque altaris omnino careat (Decr. eod.).

Indulgentia autem praedicti altaris privilegiati concessa est *pro omnibus Christifidelibus,* non vero pro defunctis confratribus dumtaxat (Decr. 14 Apr. 1856. N. 377 ad 2^{m}).

Eodem privilegio gaudet altare *pro quocumque Sacerdote, dummodo aliud non extet in ecclesia,* in qua celebrat, altare privilegiatum (Pius IX, *Omnium salutari,* die 3 Martii 1857 — Summarium).

2015. Speciatim commemoranda hic est indulgentia plenaria *in festo SS. Rosarii,* Dominica prima Octobris. Nam sodales, « si Sacramentis susceptis, in memoriam celebris ab armis Christianorum victoriae super Turcas auxilio Virginis reportatae, *capellam Rosarii a primis Vesperis vigiliae ad solis occasum ipsius festivitatis* devote visitaverint, ibique pro S. Matris Ecclesiae triumpho et haeresum extirpatione oraverint, *quoties id fecerint, toties* plenariam consequentur indulgentiam ». Haec autem indulgentia non solum confratribus, sed etiam *omnibus Christifidelibus communis est (Rescr. auth.* pag. 420, art. IV).

Christifidelis quilibet hanc indulgentiam *toties quoties* lucrari potest non solum in ecclesiis Ordinis Praedicatorum, sed *in omnibus aliis ecclesiis, in quibus Confraternitas canonice erecta est* (S. C. Indulg. 5 Apr. 1869).

2016. Insuper in locis, ubi usus invaluit in festo SS. Rosarii exponendi simulacrum beatissimae Virginis vel supra altare majus, vel in alio loco ecclesiae extra capellam Confraternitatis, Christifideles, ceteris adimpletis conditionibus, sive ipsam capellam, sive

simulacrum beatae Reginae SS. Rosarii extra dictam capellam publicae venerationi expositam visitent, pariter hanc indulgentiam lucrari possunt (Pius IX, Decr. S. C. Indulg. 25 Jan. 1866; Acta S. Sed. *pro Societ. SS. Rosarii,* vol. I, pag. 90).

2017. Omnes et singulae indulgentiae sive propriae confratrum, sive communes omnibus Christifidelibus applicari possunt per modum suffragii animabus Purgatorii, prout videre est in Summario Indulgentiarum Confraternitati SS. Rosarii concessarum, quod prostat penes *Rescr. auth.* pag. 418-427.

14. SODALITAS ROSARII VIVENTIS (1).

2018. Sodalitas a *Rosario vivente* nuncupata, Lugduni in Gallia anno 1826 a piae memoriae foemina, Maria Paulina Jaricot, originem habuit. Cum enim in fine elapsi saeculi, commota tempestate, res sacrae et civiles subversae essent, non solum Praedicatorum Ordo cum ceteris religiosis Familiis in illo regno disparuit, sed etiam Societates SS. Rosarii perierunt, et cum illis pius usus paulatim collapsus est recitandi coronas B. Virginis Mariae. Ut haec devotio ac praxis facilius inter fideles revivisceret et propagaretur, laudata pia foemina Jaricot *Rosarium vivens* invexit, libenti animo a Summo Pontifice Gregorio XVI, Brevibus 27 Januarii et 2 Februarii 1832, approbatum ac indulgentiis ditatum. Pius vero PP. IX, per Breve quod incipit *Quod jure haereditario,* de dato 17 Augusti 1877, munus *supremi Moderatoris Rosarii viventis* Magistro Generali Ordinis Praedicatorum demandavit; regimen vero et curam Sodalitatum ipsius Rosarii viventis Praesidibus seu Moderatoribus Confraternitatum a S. Rosario, quae in singulis locis institutae sunt.

2019. *Sodalitates a Rosario vivente* ex quindecim personis seu sociis constituuntur, quorum unusquisque quotidie unam recitat decadem, unum Rosarii mysterium interim contemplando. Ne tamen semper eodem quilibet donetur mysterio, *quovis mense per sortem* quindecim mysteria inter omnes socios distribuuntur. Quaelibet sociorum quindena unum Rosarium vivens seu unam Sodalitatem Rosarii viventis constituit. Persona quae uni quindenae

(1) Vid. Acta S. Sedis... *pro Societate SS. Rosarii,* vol. I, pag. 162 et sqq.; Opuscul. ejusdem tituli *pro Sodalitate a Rosario vivente,* edit. 2ª. Romae 1888.

praeest dicitur *Zelator* seu *Zelatrix;* quae pluribus Zelatoribus *Praesidens,* et esse potest etiam mulier; qui promovet Zelatores et Zelatrices ac generatim Sodalitatibus in determinato loco praeest, *Director* vocatur; quae omnia melius ex dicendis patebunt.

2020. Post editum Breve supra citatum Pii PP. IX, Rmus P. Magister Fr. Josephus Maria San Vito, primus Moderator Generalis Rosarii viventis, suis Litteris de die 15 Novembris 1877 ac 5 Junii 1879 plura sancivit, quibus Rmus P. Magister Fr. Josephus Maria Larroca novas declarationes addidit. Quae quidem omnia statuta, pariter ac Summorum Pontificum Gregorii XVI et Pii IX constitutiones et vivae vocis oracula, in unum redacta et in ordinem digesta, benignus lector simul inveniet in libris, quos in nota citavimus.

2021. Nos hic praecipuas declarationes indicabimus, quae quidem *vim legislativam* habent.

1. Omnes et singuli Directores Rosarii viventis, etiam generales seu dioecesani, existentes die 15 Novembris 1877, in officio suo ad vitam confirmati sunt, cum facultate *eligendi novos Zelatores* etiam novis quindenis praeficiendos.

2. Similiter, omnes Zelatores et Zelatrices, die 15 Novembris 1877 existentes, ad vitam in officio suo confirmati sunt.

3. Omnes denique sodales a praedictis Zelatoribus hucusque recepti, aut ab iisdem in posterum recipiendi, pro legitime admissis habendi sunt, ita ut omnibus indulgentiis et gratiis Rosario viventi concessis aut concedendis libere perfruantur.

4. Directores, etiam dioecesani, ita confirmati, non possunt, ut antea, in posterum eligere novos Directores.

5. Novi Directores institui non possunt nisi a Rmo Ordinis Magistro, vel a Prioribus provincialibus, ex ejus delegatione, quae jam singulis in sua provincia commissa est.

6. Omnes Directores Confraternitatum SS. Rosarii canonice erectarum, pro legitimis Directoribus Rosarii viventis pleno jure et ipso facto habendi sunt.

7. Cum Sodalitas Rosarii viventis ad Confraternitatis rationem minime attingat, consuetis Confraternitatum legibus minime adstringitur. Ideo plures hujusmodi Societates sub diversis legitimis Rectoribus in eodem loco subsistere licite possunt, et nullatenus requiritur ut sodalium nomina in aliquo regesto inscribantur, vel socii publicis exercitiis addicantur. Alia ipsis obligatio non est (non

quidem sub poena peccati) nisi ut quilibet ex quindecim sociis *decadem quotidie recitet et mysterium meditetur, quod sibi sorte contigit.*

8. Provinciales Ordinis Praedicatorum, unusquisque intra limites suae provinciae, constituere possunt Directores *locales,* non autem *generales,* v. gr. pro tota aliqua dioecesi. Quod si forte aliter fieri videatur necessarium, recursus semper ad Rmum Magistrum Ordinis habeatur. Unde, cum Director nunc non accipit facultatem nisi *pro tali loco determinato* et *titulo personali,* non titulo officii pro tempore, si transit de loco ad locum, ut ex. gr. Parochus, qui de una parochia ad aliam transfertur, cessant ipso facto omnes facultates ei concessae. Et similiter novus Parochus, si inveniat in parochia sibi commissa Sodalitatem Rosarii viventis jam stabilitam, debet, ut sodalium regimen assumat, petere facultatem Directoris localis in sua nova parochia, etiamsi antea eodem munere in aliis parochiis functus esset.

9. Quamvis sodales Rosarii viventis, ad lucrandas omnes indulgentias huic Sodalitati concessas, debeant recitare decadem quotidianam *cum corona precatoria de more benedicta per Sacerdotem debita facultate praeditum,* tamen Directores Rosarii viventis *ratione sui officii non habent hanc facultatem benedicendi rosaria,* sed tantummodo ad illos pertinet *promovere Zelatores et Zelatrices,* ac generatim Sodalitati in tali loco determinato praeesse.

10. Ex speciali delegatione Magistri Ordinis, possunt Provinciales instituere Directores in locis, in quibus nulla extat in praesenti Ordinis Praedicatorum provincia, v. gr. in Helvetia, in Algeria.

11. In locis ubi Confraternitas SS. Rosarii reperitur, Provinciales non constituant alios Directores Rosarii viventis. Si secus aliquando fieri debeat ex speciali causa, recursus semper ad Magistrum Generalem Ordinis habeatur.

12. Si Confraternitas SS. Rosarii erigatur in loco ubi sit aliquis Director vel Praesidens Rosarii viventis post diem 15 Novembris 1877 nominatus, tunc *ipso facto erectionis Confraternitatis* cessant omnes facultates praedicto Directori vel Praesidenti concessae, et Director Confraternitatis pleno jure omnem potestatem habet super omnia, quae in hoc loco ad Sodalitatem Rosarii viventis pertinent.

13. In locis, ubi non est Confraternitas SS. Rosarii, Provinciales possunt instituere Directores *locales,* sive *ad vitam,* sive *ad tot annos,* prout eis in Domino expedire videbitur.

14. Quamvis Directores locales jam amplius non possint instituere alios Directores, bene tamen possunt instituere unum aut etiam plures viros, seu mulieres, qui cum nomine *Praesidentis,* seu *Zelatoris Praesidentis,* aut alio simili, sub Directoris auctoritate, et in ipsius localitate, pluribus praesunt Zelatoribus. Et hoc idem facere possunt Provinciales in locis, ubi non adest Confraternitas SS. Rosarii, si non reperiatur aliquis Sacerdos idoneus, qui possit et velit partes Directoris suscipere.

2022. Modi diversi sortiendi vel mutandi mysteria Rosarii. a) *Regulariter* quilibet Zelator seu Zelatrix cum suis consodalibus singulis mensibus societatem habeat, seu quindecim socii quolibet mense congregentur, ut mysteria per sortem distribuantur.

b) Si tamen praedicta societas cum consodalibus fieri non possit, tunc *Zelator* seu *Zelatrix cum duobus sociis* ad sortitionem mysteriorum procedat, et ad absentes consodales mysteria per sortem designata transmittat. Sic permisit Summus Pontifex Gregorius XVI.

c) Praeter *consuetum* per viam sortis modum, qui in mutatione mensuali mysteriorum adhibetur, datur facultas alterum admittendi modum, juxta quem *mysteria per viam sortis semel assignata, deinceps initio cujuslibet mensis, secundum naturalem mysteriorum seriem a singulis Rosaristis privatim mutantur,* ita ut unusquisque ex quindecim sociis transeat ex se ad sequens mysterium. Ita declaravit laudatus Pontifex Gregorius XVI in oraculo vivae vocis, die 7 Junii 1839.

d) In mutatione mysteriorum per assuetam sortis viam effecta, conceditur ut hujusmodi mutatio *differatur usque ad quindecim dies post mensem ab ultima mutatione completum,* quando occurrit aliqua rationabilis causa, ex. gr. aliqua festivitas. Ita pariter declaravit idem Pontifex in praedicto oraculo vivae vocis.

2023. Observationes super lucro indulgentiarum. 1° Quindena Sodalitas, cui sive per mortem, sive ex quacumque causa, aufertur unus vel etiam plures ex quindecim sodalibus, non tamen cessat indulgentias lucrari, dummodo defunctis vel quomodolibet absentibus subrogentur alii intra mensis spatium a die, in quo Zelator vel Zelatrix notitiam habuit eorum mortis seu discessus (Gregorius XVI, 1 Nov. 1835).

2° Si in aliqua quindena numero perfecta unus vel plures ex sociis, sive per negligentiam, sive ex quacumque causa, non reci-

tent suam decadem, *alii socii lucro indulgentiarum privati minime remanent,* sed utique eo privantur socii suo muneri impares (Idem Pontifex, 1 Nov. 1835).

3° Ad lucrandas indulgentias necesse est, ut sodales utantur corona precatoria de more *benedicta* per aliquem Sacerdotem Ordinis Praedicatorum vel per alium Sacerdotem, qui a Rmo Ordinis Magistro Generali facultatem benedicendi Rosaria obtinuerit.

4° Item necesse est, ut singuli sodales ab aliquo *legitimo Zelatore* in Sodalitatem admittantur.

2024. Summarium Indulgentiarum, quae Sodalitati Rosarii viventis ab Apostolica Sede concessae sunt, et uti authenticae recognitae a S. Congreg. Indulgentiarum sub die 2 Februarii 1878 (1).

A) Pro singulis sodalibus. Singuli sodales (2), dummodo ab aliquo legitimo Zelatore seu Zelatrice electi seu admissi fuerint, sequentes indulgentias lucrari possunt:

I. Primo die festo post suam admissionem *indulgentiam plenariam, defunctis applicabilem,* dummodo in hoc die vere poenitentes et confessi sacram Eucharistiam suscipiant (Gregorius XVI, in Brevi *Benedicentes,* 27 Januarii 1832).

II. Pro recitatione decadis quotidiana, *centum dies* in ferialibus diebus; — *septem annos et totidem quadragenas* in diebus Dominicis et aliis per annum festis diebus, iis etiam quibus praeceptum audiendi Sacrum ademptum est, nec non per Octavas Nativitatis Domini, Paschatis, Corporis Christi, Pentecostes, et Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis Immaculatae B. Mariae Virginis (Ibid.)

III. In festivitatibus Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Corporis Domini, Pentecostes, SS. Trinitatis; — item pro singulis festis, etiam *minoribus,* B. M. V.; — item in festis SS. Apostolorum Petri et Pauli, — et Omnium Sanctorum, — nec non tertia Dominica cujuslibet mensis: *indulgentiam plenariam* applicabilem defunctis, dummodo quotidie decadem suam sedulo sancteque recitaverint saltem per unum mensem, nisi quis fuerit legitima causa praepeditus, et contriti, confessi, sacram Eucharistiam susceperint, atque visitando aliquam ecclesiam pias preces effuderint in diebus supra notatis. Si justa causa visitationem ecclesiae impediat, Confessarius aliud opus subrogare potest (Ibid.).

---

(1) Vid. *Acta... pro Societate SS. Rosarii,* vol. I, pag. 109.

(2) Id est omnes Christifideles, etiam Confraternitati SS. Rosarii non adscripti, dummodo piae Rosarii viventis Associationi nomen dederint, atque ab aliquo legitimo Zelatore, seu Zelatrice admissi fuerint.

IV. Indulgentias omnibus fidelibus Rosarium recitantibus ab Apostolica Sede usque ad annum 1832 concessas, et ideo

1° *Centum dies* pro quolibet *Pater* et quolibet *Ave*, dummodo utantur *corona precatoria de more benedicta* per aliquem Sacerdotem Ordinis Praedicatorum (Benedictus XIII, 13 Apr. 1726) vel per alium Sacerdotem, qui a Rmo Ordinis Magistro Generali facultatem Rosaria benedicendi obtinuerit;

2° *Indulgentiam plenariam* defunctis applicabilem, in die a singulis sodalibus semel quotannis eligenda, si contriti, confessi, et sacra Communione refecti, consuetas preces, juxta intentiones Summi Pontificis, effuderint, dummodo quotidianam decadem per integrum annum recitaverint, utendo corona ut supra benedicta (Ibid.).

B) Pro capitibus Rosarii viventis. I. Zelator (seu Zelatrix), qui quindenam aliquam moderatur, dummodo electus seu approbatus fuerit ab aliquo Directore legitimo, *indulgentiam centum dierum*, quoties aliquod sui muneris punctum impleverit (Gregor. XVI, 7 Junii 1839).

II. Praesidens, qui (vel quae) ab aliquo Sacerdote Directore legitimo eligi seu approbari potest, ut sub ejus auctoritate pluribus praesit Zelatoribus; quando undecim saltem Zelatores moderatur, *indulgentiam tercentum dierum*, quoties aliquod sui muneris punctum impleverit (Ibid.).

2025. Ex relato Summario satis liquet, quod in recitatione decadis usus coronae benedictae est necessarius pro acquirendis indulgentiis a Benedicto XIII concessis, quia Pontifex id expresse praescribit; non est autem necessarius pro assequendis illis, quae elargitae sunt a Gregorio XVI, quia hic Pontifex talem usum non praescribit (Vid. n. 1996 sqq.; *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVII, pag. 48).

2026. Relate ad ea, quae sese referunt ad modum distribuendi sodalibus singulis mensibus mysteria Rosarii, hoc principii loco habendum est: « sortitionem mysteriorum vel eorumdem distributionem secundum naturalem eorumdem ordinem, rem esse tantum pertinentem ad regulas seu statuta Sodalitatis, *minime vero recensendam esse inter conditiones ad lucrandas indulgentias;* quippe in Brevi Apostolico quo indulgentiae conceduntur, haec conditio haud apponitur, ac proinde modus distribuendi mysteria sodalibus ille seligi potest, qui attentis personarum et locorum circumstantiis opportunior videbitur ». Ita in epistola Rmi Secretarii S. C. I. ad quemdam Episcopum transmissa die 25 Maji 1894.

2027. Ex concessione Rmi P. Magistri Cipolletti, Vicarii Generalis Ordinis Praedicatorum, die 24 Maji 1836, omnes sodales Rosarii viventis, eodem modo ac confratres Confraternitatis SS. Ro-

sarii, *omnium bonorum spiritualium totius Ordinis Praedicatorum participes fiunt.*

2028. Ex hucusque expositis colligitur: *a)* Nedum Praesidentes, sed etiam Zelatores et Zelatrices, qui quindenis praesunt, ab aliquo Directore eligi vel approbari debere.

b) A regulis statutis esse prorsus alienum sortiri mysteria *per solum Zelatorem* seu *Zelatricem*. Ad minus duo socii, praeter Zelatorem vel Zelatricem, praesentes esse debent.

c) Erroneum pariter esse *semel pro toto anno* ad sortitionem mysteriorum procedere, eademque sociis distribuere, sed servandos esse modos sub n. 2022 adnotatos.

d) Non esse liberum a regulis statutis recedere sine amissione indulgentiarum, vel saltem sine certo periculo eas non consequendi.

e) Zelatoribus et Zelatricibus, quibus *propria* indulgentia est concessa, curandum esse, ut regulae praescriptae serventur, ne sibi et sociis inferatur damnum, nempe amissio indulgentiarum.

15. CONGREGATIONES BEATAE MARIAE VIRGINIS PRIMARIAE ROMANAE AGGREGATAE (1).

2029. Longum esset historiam texere Congregationum B. Mariae Virginis. Sufficiat generatim adnotare, ipsas repetere originem ab alumnis Societatis Jesu, qui jam ab anno 1560 vel circiter coeperunt in suis collegiis seu scholis pias juvenum studiosorum congregationes constituere.

2030. *Finis* praecipuus Congregationum B. M. V. erat, et adhuc est, excitare et promovere in studiosa juventute specialem devotionem erga Deiparam, ut juvenes tantae Matris protectione muniti, vitam pie christianeque instituerent, et mortem aliquando feliciter obirent. In hunc effectum juvenes studentes, sub praesidentia Sacerdotis e Societate Jesu, piis exercitiis, mentali orationi, quotidianae assistentiae Missae, frequentiae Sacramentorum, aliisque piis operibus vacabant.

2031. Miro modo multiplicatis, etiam inter alios fideles, Congregationibus B. M. V., ad preces Rmi P. Claudii Acquaviva, Superioris Generalis Societatis Jesu, Summus Pontifex Gregorius XIII,

---

(1) Cf. *Instructio de Congregationibus B. M. V.;* Beringer, tom. II, pag. 212; Moroni, *Dizionario di erudizione,* verb. *Collegio Romano.*

Bulla *Omnipotentis Dei*, die 5 Decembris 1584, easdem approbavit, et Congregationem in Collegio Romano existentem sub titulo *Annuntiationis* in Congregationem primariam et centralem sub appellatione *Primae-Primariae* erexit. Per eamdem Bullam laudatus Pontifex Praeposito Generali Societatis Jesu potestatem contulit instituendi in aliis Collegiis Societatis Congregationes similes, easque Primae-Primariae aggregandi.

Tractu temporis alii Romani Pontifices confirmarunt gratias et indulgentias a Gregorio XIII juvenibus studentibus elargitas, easque extenderunt ad omnes alias Congregationes fidelium in ecclesiis et domibus Societatis Jesu, et etiam extra eas, institutas.

2032. *Erectio* et *aggregatio* Congregationum in domibus et ecclesiis Societatis Jesu pertinet, ut dictum est, ad Praepositum vel Vicarium Generalem laudatae Societatis. Extra praedicta loca, erectio canonica fieri potest tum a Praeposito vel Vicario Generali, tum ab Episcopo dioecesano. Ut autem Congregatio ab Episcopo erecta frui possit indulgentiis, omnino requiritur ut a praefato Superiore Generali Societatis Jesu obtineatur aggregatio Congregationi Primae-Primariae Romanae (Rescr. 17 Sept. 1887).

2033. Congregationes B. M. V. in omnibus ecclesiis, oratoriis, collegiis, seminariis, aliisque locis piis erigi possunt pro scholaribus aliisque Christifidelibus; atque in singulis enuntiatis locis non una tantum, sed etiam plures pro personarum frequentia vel qualitate. Sodalitates enim B. M. V. relate ad erectionem et aggregationem non subsunt praescriptionibus Bullae *Quaecumque* Clementis VIII.

2034. Benedictus XIV, Constitutione *Gloriosae Dominae*, 27 Sept. 1748, expresse declaravit, omnes Congregationes jam aggregatas vel aggregandas Primae-Primariae, B. Virginem Matrem habere debere in Patronam, et aliquod ejusdem beatae Virginis festum vel mysterium eligere vel retinere. Non est tamen vetitum alium titulum secundarium sive Patronum adjungere sive retinere.

2035. Singulis Congregationibus praeest Sacerdos ab Ordinario loci rite constitutus, qui in officio suo exequendo ut plurimum a magistratu quodam a sodalibus electo adjuvatur.

2036. Statuta peculiaria Sodalitatum, quae per diversas Orbis partes eriguntur, conformanda sunt, quantum temporum locorumque conditiones suadebunt, cum statutis Congregationis Primariae. Cum approbatione tamen Episcopi ea possunt moderari, si locorum adjuncta id exigant.

2037. *Exercitia sodalium communia.* Sodales, statuta die et hora, ut plurimum semel in hebdomada, conveniunt, ut Praesidis adhortatione, lectione devotorum librorum, precibus atque canticis communibus, piis meditationibus, aliisve religionis exercitiis in se devotionem ergà B. Virginem promoveant. In eumdem finem quotannis semel exercitiis spiritualibus per aliquot dies vacent; saepius, in primis diebus B. Mariae Virgini sacris, universi simul sacra Communione se reficiant; sex dies Dominicos continuos more solito honori S. Aloysii consecrent *(Instructio de Congregationibus B. M. V.)*.

2038. *Opera sodalibus commendanda.* Commendatur sodalibus, ut singulis diebus Patronam suam particularibus precibus salutent; — in Prima-Primaria sodales mane et vespere ter *Ave Maria* recitare jubentur; — si commode possunt, quotidie Rosarium B. Virginis, vel ejus Officium, vel aliquam saltem eorum partem persolvant; — vespere conscientiae examen instituant; — aliquid temporis meditandis rebus divinis vel libris piis legendis tribuant; — quotidie, si possunt, sanctissimo Missae sacrificio intersint; — semel saltem in mense ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accedant; — semel vel bis in anno Confessionem generalem instituant; — omnia quae ad Ecclesiae et religionis incrementum et defensionem faciunt, sedulo promoveant; — proximum, sodales infirmos et defunctos, precibus et misericordiae operibus juvare studeant (Ibid.)

2039. Qui in Sodalitatem cooptari desiderant, ordinarie non recipiantur, nisi peracto aliquo probationis tempore. Si commode fieri potest, Sodalium admissio fiat die aliquo B. Mariae Virgini sacro, et eo ritu et pompa, quae in libris in sodalium usum vulgatis describuntur. Attamen hujusmodi ritus recipiendi sodales non est putandus necessarius; stricte loquendo satis esset, ut certa voluntas tum ejus qui recipiendus est, tum ejus qui recipiendi habet potestatem, signo aliquo externo sit manifestata. At inscriptio nominum novorum sodalium in librum Congregationis omitti nequaquam potest.

2040. Sodales ut plurimum a Praeside ipso per Episcopum constituto recipiantur. Attamen Leo PP. XIII, Rescripto S. Congregationis Indulgentiarum d. d. 23 Junii 1885, praemissa sanatione omnium adscriptionum ad singula haec Sodalitia hucusque cum quolibet defectu peractarum, omnibus Congregationum B. Mariae

Virginis Praesidibus benigne permisit, ut ex rationabili causa alium sibi Sacerdotem (qui ex. gr. majoris solemnitatis causa invitetur) substituere possint ad recipiendos fideles, qui adscribi desiderant, ad benedicenda numismata et alia Praesidum munia exercenda (Vid. cit. *Instruct.*).

2041. Indulgentiae et privilegia Congregationi Primae-Primariae ceterisque Congregationibus eidem aggregatis vel aggregandis concessa (1).

I. Indulgentiae pro sodalibus et Sodalitiorum ministris seu inservientibus, donec hujusmodi Congregationum servitiis addicti fuerint.

A) INDULGENTIAE PLENARIAE.

1. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quo die in Sodalitatem recipiuntur, si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum eo die sumpserint in ecclesia Sodalitatis aut ubicumque potuerint (Gregorius XIII, Bulla *Omnipotentis Dei* 5 Dec. 1584).

2. Sodalibus et Sodalitiorum ministris seu inservientibus in *mortis articulo* constitutis, si vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, vel saltem contriti, SS. Jesu nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint (Idem loc. cit. et Benedictus XIV, Bulla *Gloriosae Dominae* 27 Sept. 1748).

3. Iisdem vere poenitentibus et confessis, qui 1. Nativitatis et 2. Ascensionis D. N. J. C., 3. Immac. Conceptionis, 4. Nativitatis, 5. Annuntiationis, 6. Purificationis et 7. Assumptionis B. M. V. festis diebus SS. Eucharistiae Sacramentum in ecclesia Sodalitatis aut alibi acceperint (Iidem locis cit. et Leo XIII Rescript. S. C. Indulg. 23 Junii 1885).

4. Iisdem semel in hebdomada iis diebus, quibus juxta Primae-Primariae sive aliarum Sodalitatum statuta ac regulas seu consuetudines Sodalitii conventus haberi solent, et vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti ecclesiam sive capellam, oratorium seu locum uniuscujusque Congregationis visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint (Benedictus XIV, Brevi *Praeclaris Romanorum Pontif.* 24 Aprilis 1748 et Bulla *Gloriosae Dominae* 27 Sept. 1748 (2).

---

(1) Hoc Summarium documentis S. Sedis instructum et aliquantulum auctum, praeferendum est illi, quod jacet penes *Rescripta authentica* pag. 535.

(2) In iis regionibus ubi conventus sodalium hebdomadarii diebus ferialibus utilius habentur, in quibus tamen sodales, quominus ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae accedant, laboribus impediuntur, vel ubi alia rationabilis causa obtinet, ad eam indulgentiam lucrandam sufficit, ut sodales aliquo intra hebdo-

Quod si pluries in hebdomada ad pia et consueta exercitia congregentur, praedicta indulgentia pro eo die valet, qui ad sumendam SS. Eucharistiam aliaque injuncta opera adimplenda cujuslibet eorum arbitrio eligetur, dummodo tamen die electo sive matutinis sive vespertinis horis sive etiam praecedenti vespere sodalium conventus in consueto oratorio seu ecclesia aut loco habeatur (Benedictus XIV, Bulla *Gloriosae Dominae* 27 Sept. 1748).

Iidem, qui semel aut bis in anno vere poenitentes generalem Confessionem de peccatis vel ab ultima generali Confessione vel a primo rationis usu admissi expleverint, praefatam indulgentiam plenariam consequi possunt, quamvis non in propria ipsorum Sodalitii, sed in alia ecclesia, oratorio, sacello Eucharisticum panem percipiant ibique praescriptas Deo preces offerant (Idem loc. cit.).

5. Omnibus Congregationum Moderatoribus, qui ipsarum Congregationum sodales aut ministros infirmos visitaverint eosque spiritualibus monitis sive ad morborum incommoda patienter toleranda, sive ad mortem de manu Domini libenter acceptandam adjuverint et coram aliqua crucifixi Salvatoris nostri imagine ter saltem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam juxta Summi Pontificis et S. Matris Ecclesiae mentem ab ipsis recitari curaverint, Apostolica auctoritate delegata conceditur, ut quo die iidem infirmi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ipsis indulgentiam plenariam, etiam in suffragium defunctorum applicandam, impertiri possint et valeant (Idem loc. cit.).

6. Sodales et Sodalitiorum ministri seu inservientes consequuntur omnes indulgentias Stationum ecclesiarum Urbis sive intra sive extra muros illius, si diebus Quadragesimae et aliis anni temporibus ac diebus hujusmodi Stationum ecclesiam Societatis Jesu, si ibi fuerit, alioquin aliam ecclesiam seu capellam in locis, ubi eos pro tempore esse contigerit, devote visitaverint et ibi septies Orationem Dominicam et septies Angelicam Salutationem recitaverint (Benedictus XIV, Brevi *Praeclaris Romanorum Pontif.* 24 Aprilis 1748 et Bulla *Gloriosae Dominae* 27 Sept. 1748).

---

madam die — praecedenti vel eodem die peccata confessi — ad S. Communionem accedant atque in capella Sodalitatis preces praescriptas persolvant (Leo XIII, Rescr. S. Congr. Indulg. 27 April. 1887).

Quod vero attinet ad pias preces effundendas, non requiruntur preces speciales praeter illas, quae a sodalibus una simul recitari solent in conventibus hebdomadariis, dummodo communes illae preces intentione ad mentem S. Pontificis dirigantur. Indulgentiae porro conventibus hebdomadariis concessae non ita sunt intelligendae, ut si conventus non qualibet hebdomada, sed quolibet 14° tantum die vel bis in mense habeantur, eo ipso indulgentiis careant (Leo XIII, Rescr. S. Congr. Indulg. 29 Julii 1893).

B) Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum (Benedictus XIV, Brevi *Praeclaris Romanorum Pontif.* 24 Aprilis 1748, et Bulla *Gloriosae Dominae* 27 Sept. 1748).

1. Iis, qui corpora sodalium vel aliorum Christifidelium ad ecclesiasticam sepulturam prosecuti fuerint;

2. iis qui, cum infirmi sint aut impediti, audito signo campanae genuflexi, si per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro salute animae defuncti vel corporis infirmi recitaverint;

3. iis, qui coetibus tum publicis tum privatis seu divinis Officiis vel spiritualibus colloquiis et exhortationibus, aut piis officiis tam in sodalium quam aliorum christianorum defunctorum per ipsam Congregationem ordinandis et ab ejusdem Moderatore approbandis interfuerint;

4. iis, qui sacrosancto Missae sacrificio diebus feriatis interfuerint;

5. iis, qui conscientiam suam diligenter examinaverint vespere, antequam cubitum eant;

6. iis, qui pauperes infirmos tam sodales quam alios in hospitalibus vel privatis domibus visitaverint;

7. iis, qui carcere detentos visitaverint;

8. iis, qui pacem inter inimicos conciliaverint.

II. Indulgentiae plenariae, quae in Sodalitiorum ecclesiis, oratoriis etc. ab aliis etiam Christifidelibus lucrari possunt.

1. Sodalibus, Sodalitiorum ministris seu inservientibus atque omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis sacraque Communione refectis, qui ecclesiam, oratorium seu capellam Sodalitatis die festo Annuntiationis B. M. V. a primis Vesperis usque ad occasum solis ipsius festivitatis devote visitaverint et inibi pro reipublicae christianae conservatione et augmento, haeresum extirpatione principumque christianorum mutua et universali pace ac Romani Pontificis prosperitate, vel alias preces, prout unicuique suggeret devotio, ad Deum devote effuderint (Gregorius XIII, Bulla *Omnipotentis Dei* 5 Dec. 1584 et Benedictus XIV, Bulla *Gloriosae Dominae* 27 Sept. 1748).

Si Congregationes aggregatae vel aggregandae alterius festivitatis aut mysterii B. V. Mariae titulo insignitae fuerint, praedicta indulgentia acquiri potest eo die, quo hujusmodi festivitas seu mysterium celebratur (Benedictus XIV, Bulla *Gloriosae Dominae* 27 Sept. 1748).

2. Iisdem pariter vere poenitentibus et confessis ac Eucharistici panis Communione refectis, qui ecclesiam, oratorium aut sacellum et locum Congregationum die festo alterius Patroni a primis Vesperis usque ad occasum solis. vel si hujusmodi Patronus et titulus non adsit, uno alio die in singulos annos a cujuslibet Moderatore de consensu Ordinarii (vel Superioris proprii, si Moderator presbyter regularis sit) designando a primis Vesperis

ad occasum solis visitaverint ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint (Idem loc. cit.).

Quod si ob aliquam causam locus sive ecclesia etc. ad Sodalitii conventus destinata varietur aut sive in perpetuum sive ad tempus immutetur, vel etiam pro majori populi commoditate et solemniori festivitatis celebritate tam tituli principalis quam Patroni et tituli minus principalis festum in alia ecclesia seu templo de consensu Moderatoris celebrari contingat, nihilominus eadem indulgentia iisdem aliam ecclesiam seu templum aut oratorium rite visitantibus aeque suffragatur (Idem loc. cit).

Similiter si unum aut alterum titulare festum seu etiam utrumque ab aliqua ex Congregationibus proprio die non satis opportune aut solemniter celebrari possit, liceat Congregationis Moderatori de consensu Ordinarii (vel Superioris proprii, si Moderator presbyter regularis fuerit) aliam diem seu Dominicam infra octavam, sive diem octavam ipsius festi, sive aliam diem infra annum pro hujusmodi festivitatum celebratione et concessae indulgentiae acquisitione designare (Idem loc. cit.).

Quod si dies electa impedita fuerit festo duplici, una Missa votiva solemnis de hujusmodi translato festo celebrari poterit (Idem loc. cit.).

3. Iidem, qui expositioni SS. Sacramenti in oratoriis Congregationum spatio continui tridui faciendae per aliquod temporis spatium interfuerint ibique oraverint ac cetera injuncta opera praestiterint, indulgentias consequuntur, quae concessae sunt visitantibus ecclesias, in quibus expositio SS. Sacramenti per quadraginta continuas horas fieri solet (Benedictus XIV loc. cit. atque Brevi *Quemadmodum Presbyteri* 15 Julii 1749).

III. Privilegia.

1. Omnes superius relatae indulgentiae applicari possunt per modum suffragii animabus fidelium defunctorum (Leo XIII Rescript. S. C. Indulg. 23 Junii 1885).

2. Sodales ubivis locorum commorantes omnes praedictas indulgentias consequi possunt, si apud ecclesiam eorumdem locorum aut alibi, ut poterunt, opera praestabunt, quae sunt servanda ad indulgentias hujusmodi consequendas (Benedictus XIV, *Praeclaris Romanorum Pontif.* 24 Apr. 1748).

3. Omnibus Regibus, Principibus, Ducibus et Comitibus supremam potestatem habentibus eorumque consanguineis et affinibus primi et secundi gradus dumtaxat, qui Congregationibus adscribi petierint, etsi absentibus, eadem tamen pietatis opera exercentibus et aliquam ecclesiam visitantibus eaedem, ut supra, indulgentiae conceduntur (Benedictus XIV, Brevi *Quemadmodum Presbyteri* 15 Julii 1749).

4. Missae a Sacerdote sive saeculari sive regulari ad altare Congregationis, sive a sodalibus ipsis Sacerdotibus pro suis sodalibus aut Congregationum ministris seu inservientibus ad quodlibet altare celebratae pe-

inde ipsorum animabus suffragentur, ac si ad altare privilegiatum fuissent celebratae (Benedictus XIV, Brevi *Praeclaris Romanorum Pontif.* 24 Aprilis 1748 et Bulla *Gloriosae Dominae* 27 Sept. 1748).

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, facto verbo cum Sanctissimo in Audientia habita die 23 Junii 1885 ab infrascripto Secretario ejusdem Sac. Congregationis, praefatum Summarium nunc primum ex diversis concessionibus excerptum imprimi et publicari posse permittit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sac. Congregationis, die 23 Junii 1885.

J. B. Card. Franzelin, *Praefectus.*
Franciscus Della Volpe, *Secretarius.*

16. ARCHISODALITAS S. MARIAE ANGELORUM PROPE ASSISIUM (1).

2042. Per Decretum diei 23 Januarii 1875 ab Episcopo Assisiensi editum, canonice erecta fuit Confraternitas sub invocatione *Sanctae Mariae Angelorum* in Aedicula perinsignis Basilicae praefato titulo praeditae et de *Portiuncula* communiter nuncupatae dioecesis Assisiensis.

2043. Ad preces Rmi P. Bernardini a Portu Romatino totius Ordinis Minorum Ministri Generalis, instantibus Patribus Conventus praedicti tituli, Summus Pontifex Pius PP. IX per Breve datum sub die 27 Junii anni 1876 memoratae Confraternitati *communicavit in perpetuum, seu de novo tribuit et elargitus est* omnes et singulas tam plenarias quam partiales indulgentias, ceterasque spirituales gratias, quibus gaudet Congregatio sub titulo *Deiparae ab Angelo salutatae,* quae vulgo *Prima-Primaria* nominatur, erectaque existit in Collegio Romano Societatis Jesu. En per extensum Breve Apostolicum:

Pius Papa IX.

Ad perpetuam rei memoriam. — Supplices admotae Nobis sunt preces, ut Confraternitati sub invocatione Sanctae Mariae An-

(1) Cf. parvum libellum, cui titulus: *Notizie dell' Arciconfraternita di Santa Maria degli Angeli presso Assisi.* — Assisi 1877, tip. Sensi. Ibi habetur etiam elenchus Indulgentiarum *(rite recognitus)* praedictae Archiconfraternitati concessarum, nec non Statuta ab Episcopo Assisiensi sub die 16 Junii 1877 approbata.

gelorum in Aedicula perinsignis Basilicae honori ejusdem Deiparae V. I. praefato titulo praeditae et de Portiuncula communiter nuncupatae dioecesis Assisiensis canonice, ut asseritur, institutae, omnes et singulas indulgentias communicare de Apostolica Nostra Auctoritate dignaremur, quibus gaudet pia Congregatio sub titulo Deiparae ab Angelo salutatae, quae vulgo Prima-Primaria nominatur erectaque existit in aedibus Collegii Romani Clericorum Regularium Societatis Jesu. Cum itaque propter demandatum Nobis a Deo munus ad augendam fidelium pietatem ac spirituale eorum bonum procurandum, quantum in Domino possumus, animum intendamus, hisce precibus, quibus aeternae animarum saluti prospicitur, obsecundare voluimus. Quapropter de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis e praefata Confraternitate utriusque sexus Christifidelibus nunc et pro tempore existentibus, dummodo quae ad eas consequendas injuncta sunt pietatis opera rite in Domino praestiterint, et, ubi orandum sit, preces quoque pro peccatorum conversione adjecerint, omnes et singulas tam plenarias quam partiales indulgentias, ceterasque spirituales gratias, quibus Congregatio sub titulo Deiparae ab Angelo salutatae a Nobis antedicta Almae hujus Urbis Nostrae ditata est, tenore praesentium communicamus in perpetuum, seu de novo tribuimus et elargimur, non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 27 Junii 1876. Pontificatus Nostri anno Trigesimo.

Pro Domino Card. Asquinio
D. Jacobini, *substitutus.*

2044. Idem Pontifex, attentis precibus tum Religiosorum supradicti Conventus S. Mariae Angelorum, tum fidelium, nec non inspectis litteris commendatitiis Rmi Episcopi dioecesani, praefatam Confraternitatem in *Archiconfraternitatem* cum omnibus juribus, honoribus, praeeminentiis solitis et consuetis Apostolica Sua Auctoritate perpetuo erexit et constituit, vi Brevis sub dato 11 Augusti ejusdem anni 1876, cujus tenor est sequens:

Pius Papa IX.

Ad perpetuam rei memoriam. — Renuntiatum est Nobis in sacra Aedicula celebri, quae a Portiuncula nominata in medio insignis Basilicae apud Assisium in honorem beatissimae Mariae Angelorum extollitur, Sodalitatem ab ipso sanctae Mariae Angelorum nomine dictam canonice institutam esse. Praecipuum hujusce Sodalitatis est *pro catholicae Ecclesiae necessitatibus, et pro peccatorum conversione orare,* eidemque Sodalitati plura fidelium millia brevi tempore nomen dederunt. Quo autem satisfieri possit votis fidelium, qui alias Sodalitates cognomines concordesque aggregari in praedictam Sodalitatem cupiunt, a Sacerdote Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia hodierno memoratae Basilicae Praefecto, qui supradictae Sodalitatis Rector est et Moderator, Nobis supplicatur, ut Sodalitatem hanc nomine ac jure Archisodalitatis honestare et augere velimus, eidemque potestatem faciamus communicandi cum aliis tum sibi concessas, tum alias indulgentias, quarum ipsa est particeps ex communicatione cum Urbano Sodalitio Marianae Congregationis Primae-Primariae. Nos igitur omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Sodalitatem sanctae Mariae Angelorum in insigni Basilica cognomine apud Assisium canonice institutam in Archisodalitatem cum omnibus juribus, honoribus, praeeminentiis solitis et consuetis Apostolica Auctoritate Nostra, tenore praesentium, perpetuo erigimus et constituimus. Archisodalitatis praeterea sic erectae Moderatori pro tempore ac proceribus, ut alias ejusdem invocationis et instituti Sodalitates, ubique locorum existentes, eidem Archisodalitati, servatis tamen forma Constitutionis Clementis VIII Praedecessoris Nostri, ceterisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis, aggregare, illisque omnes et singulas tum ipsi concessas, tum quibus ex aggregatione Marianae Congregationi Primae-Primariae Urbis fruitur, indulgentias et peccatorum relaxationes, quae tamen communicabiles sint, communicare libere ac licite possint et valeant, Apostolica item Auctoritate Nostra perpetuum in modum concedi-

mus et indulgemus. Decernentes has Litteras Nostras semper firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; et illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari ac definiri debere, et irritum atque inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quatenus opus sit, supradictae Sodalitatis, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum pro hac vice dumtaxat specialiter expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 11 Augusti 1876. Pontificatus Nostri anno Trigesimo.

F. Card. Asquinius.

2045. Finis *generalis* hujus Archisodalitatis est: exhibere Christifidelibus medium ad se constituendos sub potentissimo Matris Dei patrocinio, ut sic facilius peccata devitent, et exempla ejusdem beatae Virginis imitantes, christianas virtutes sectentur.

Finis *particularis* est: gratias agere SS. Trinitati pro praecelsa sanctitate Mariae Virgini collata in beneficium humani generis, nec non pro catholicae Ecclesiae necessitatibus et pro peccatorum conversione orare.

2046. Moderator seu Director ejusdem Archisodalitatis est Sacerdos ex Ordine Min. Obs., scilicet Superior *pro tempore* sacrae Basilicae S. Mariae Angelorum prope Assisium, cui jus est alium Sacerdotem ejusdem Ordinis ad munia Archisodalitatis peragenda in suum locum delegandi.

2047. Eidem Archisodalitatis Moderatori pro tempore facta est facultas, ceu constat ex Brevi supra relato, servatis forma Constitutionis Clementis VIII, ceterisque Apostolicis ordinationibus desu-

per editis, aggregandi eidem Archisodalitati alias *ejusdem invocationis et instituti Sodalitates ubique locorum existentes,* illisque communicandi omnes et singulas indulgentias, quae tamen communicabiles sint, tum ipsi concessas, tum quibus ex aggregatione Marianae Congregationi Primae-Primariae fruitur.

2048. Christifideles utriusque sexus praedictae Archisodalitati vel Sodalitati eidem aggregatae adscribi possunt. Pro ingressu in eamdem nullus ritus specialis praescribitur: sufficit petitio ex parte fidelis, et acceptatio ex parte Directoris, qui sodali tradit vel transmittit pagellam aggregationis. Director penes se habet librum seu regestum, in quo adscriptorum nomina adnotantur.

2049. Sodales curent sequentia exequi:

1. Deferre continuo secum *numisma* vel *imaginem* (super telam lineam aut cannabinam impressam) *sanctae Mariae Angelorum,* eam saepe osculando et in ejus honorem quotidie recitando *novem Ave Maria* et in fine hanc jaculatoriam precem: *Sancta Maria Angelorum, ora pro nobis et pro tota Ecclesia militanti.*

2. Offerre quolibet mane sanctae Mariae Angelorum preces ac bona opera, quae intra diem fiunt, eam deprecando ut suis meritis illa conjungat, et sic unita, dilectissimo Filio suo Jesu praesentet.

3. Satagere, ut mundi corpore et anima semper serventur.

4. Accedere saepe, vel saltem semel in mense et in principalioribus festivitatibus B. Mariae Virginis, ad Sacramenta Confessionis et Communionis.

5. Intervenire diebus Dominicis hora statuta post meridiem congregationi seu adunantiae, in qua habetur *Sermo moralis,* ac deinde sacra Functio in capella Portiunculae. In qualibet vero Dominica quarta cujusvis mensis pium exercitium Viae Crucis peragitur.

2050. Festum principale Archisodalitatis est illud *sanctae Mariae Angelorum,* quod incidit in diem 2 Augusti, in qua etiam recurrit celebris indulgentia Portiunculae.

Alterum festum Archisodalitatis est illud *Seraphici Patriarchae S. Francisci, Patroni secundarii* ejusdem Archisodalitatis, quod die 4 Octobris celebratur.

2051. *Indulgentiae* a S. Sede Sodalibus concessae, habentur descriptae tum in supra citato libello, tum in libro *Rescr. auth.* pag. 535, tum demum in hac nostra *Collectione* sub n. 2041.

17. ARCHISODALITAS B. MARIAE V. IN COELUM ASSUMPTAE (1) PRO JUVANDIS ANIMABUS PURGATORII.

2052. Ex doctrina S. Matris Ecclesiae indubie scimus, supplicationes et sacrificia, quae pro animabus in Purgatorio detentis Deo offeruntur, ut, qualibet sublata macula, aditus regni coelestis quantocius iisdem pateat, et omnipotenti Deo acceptissima, et Christifidelibus hoc pietatis opus exercentibus quam maximae esse utilitatis. Haec pie perpendentes Procurator Generalis et Patres Congregationis SS. Redemptoris, in ecclesia *S. Mariae in Monterone* Almae Urbis piam Sodalitatem instituere curarunt, quae *sanctis operibus et sacrificiis Deo oblatis,* animas piaculari in carcere inclusas incessanter adjuvet.

2053. Hanc piam Sodalitatem jam canonice erectam sub die 28 Decembris 1840 ab Emo Cardinali de Porta-Radiani in Urbe Vicario Generali, suisque legibus munitam, quae ab eodem Emo Cardinali approbatae fuerunt, Gregorius PP. XVI per Litteras in forma Brevis diei 19 Januarii et 4 Maji 1841 privilegiis et indulgentiis quamplurimis ditare ac cumulare dignatus est.

2054. Insuper idem Pontifex, datis in hanc causam Litteris Apostolicis sub die 8 Junii ejusdem anni 1841, decrevit ut ad ceterarum instar Archisodalitatum Urbis, Congregationis SS. Redemptoris *Procurator Generalis* potestate polleat Congregationes, Confraternitates, seu pias Uniones *ejusdem instituti* erectas seu erigendas sibi adsciscendi et aggregandi, servata tamen forma Constitutionis Clementis VIII *Quaecumque,* iisque omnes indulgentias et privilegia, quibus Archisodalitas ipsa potitur, communicandi.

2055. Summus autem Pontifex Pius IX, Decreto 23 Augusti 1861, memorato *Procuratori Generali* potestatem dedit Archisodalitati in ecclesia S. Mariae in Monterone rite constitutae, adsciscendi et aggregandi plures Confraternitates seu pias Uniones ejusdem et etiam *diversi nominis aut instituti in eodem loco* cum Ordinarii consensu, modo illae, quae sunt diversi nominis aut instituti, suo priori titulo addant: *et pro levamine animarum Purgatorii,* ita ut Congregationes illae, etsi locorum et nomi-

---

(1) Vid. Litteras seu Diploma aggregationis ad istam Archisodalitatem; *Rescr. auth.* n. 396, 398, 402, nec non pag. 543.

num varietate distinctae et sejunctae, ejusdem tamen sint capitis membra.

2056. Idem Pontifex Generali Moderatori facultatem elargitus est Sacerdotes subdelegandi ad effectum adscribendi fideles supraenuntiatae piae Unioni iis in locis, in quibus eadem Unio haud existit, ea tamen lege, ut adscriptorum nomina in Album Primariae, seu vicinioris ejusdem tituli Unionis inserantur.

2057. Praeterea Rectoribus uniuscujusque piae Unionis, nec non Sacerdotibus subdelegatis ac in posterum subdelegandis pro fidelium adscriptione, potestatem impertitus est benedicendi pro fidelibus adscriptis coronas S. Michaëlis Archangeli, vulgo *coronas Angelicas* cum adnexis indulgentiis (Vid. Rescr. auth. N. 402).

2058. Praefatae Sodalitates B. M. Virginis in coelum Assumptae ad juvandas animas Purgatorii igne detentas (ab Episcopis canonice erectae) non amplius possunt indulgentiis et privilegiis frui, nisi a Procuratore Generali Congregationis SS. Redemptoris, obtentis prius Ordinarii loci consensu ejusque litteris testimonialibus, *aggregatae sint praedictae Archisodalitati de Monterone* Almae Urbis (Rescript. 18 Junii 1892, apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXIV, pag. 483).

2059. *Monita ad Directores.*

1. Aggregatio piae alicujus Associationis vel Confraternitatis et subdelegatio Sacerdotum pro adscriptione fidelium, a Moderatore Archiconfraternitatis S. Mariae in Monterone de Urbe petuntur.

2. Piae Uniones seu Confraternitates erigi et aggregari Primariae possunt de consensu Ordinarii pro omnibus fidelibus in quibuscumque ecclesiis vel oratoriis publicis. In ecclesiis vero vel oratoriis Religiosarum, pariter de consensu Ordinarii, pro ipsis Monialibus, suis novitiis, mulieribus apud eas commorantibus, suis alumnis, aliisque puellis sub illarum directione et educatione, quae postea semper adscriptae remanent.

3. Curent Directores Confraternitatum aggregatarum, ut quantum fieri poterit, cujusvis hebdomadis feria secunda, vel saltem prima feria secunda cujusvis mensis, Missa una celebretur ad altare Confraternitatis pro animabus Purgatorii. Curent insuper ut die 3 Novembris et per septem sequentes dies mane vel vespere aliquod pium exercitium pro defunctis ad altare Confraternitatis, cereis accensis, instituatur. Plures aggregatae Confraternitates hoc exercitium, sicut fit in ecclesia sanctae Mariae in Monterone, per

totum mensem Novembrem cum summa fidelium consolatione peragunt. Propterea November *mensis animarum Purgatorii* dicitur.

4. Statuta Confraternitatum aggregatarum variari possunt, modo ab Ordinariis locorum approbentur. Adscriptio fidelium *gratis* fiat.

5. Desideratur ut singulis quatuor vel quinque annis unaquaeque Confraternitas aggregata *numerum* v. gr. 500, 1000 etc. (non *nomina*) suorum adscriptorum in Album Primariae transmittat.

2060. ***Monita ad sodales.***

1. Adscripti Sacerdotes infra annum semel Missam celebrent, saeculares vero eam celebrare faciant pro omnibus animabus in Purgatorio detentis, specialiter pro illis quae huic piae Unioni nomen dederunt, quae majori succursu indigent, vel a nemine memorantur, aut miserrime in Purgatorio existunt.

2. Qui nequeunt Missae eleemosynam dare, supplere possunt per receptionem Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, vel per assistentiam Missae sacrificio, aut per recitationem tertiae partis S. Rosarii, vel etiam per pium exercitium *Viae Crucis.*

3. Nullum ex dictis suffragiis vel piis exercitiis sub peccato proponitur. Conditiones tamen pro unaquaque indulgentia lucranda praescriptas implere debent sodales qui eas consequi volunt.

4. Omnes indulgentiae Associationi nostrae concessae applicari possunt animabus Purgatorii. Ob finem ipsi Associationi proprium, sodalibus consulitur ut illas et alias multas dictis animabus frequentissime applicent.

2061. Summarium Indulgentiarum et privilegiorum a S. Congregatione Indulgentiarum approbatum die 26 Aprilis 1863.

I. INDULGENTIAE PLENARIAE. — Indulgentia plenaria in die adscriptionis piae Unioni.

Item in articulo mortis, dummodo vere poenitentes, confessi, sacraque communione refecti fuerint, et si id facere non possunt, saltem SS. Nomen Jesu corde, si ore nequiverint, devote invocaverint.

Item in festis Nativitatis, Epiphaniae, et Corporis Domini; Immaculatae Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. V. M.; Apparitionis (8 Maji), et Dedicationis S. Michaëlis Archangeli (29 Septembris); S. Josephi (19 Martii), ejusque Patrocinii (3 Dom. post Pascha); SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 Junii).

Item in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum (2 Novembris), die festo piae nostrae Associationis.

Item semel quolibet mense, die uniuscujusque socii arbitrio eligenda.

Nota. — 1. Indulgentiae plenariae pro festis concessae acquiri possunt vel ipsa die festi, vel alia infra Octavas. Ad illas lucrandas, praeter Confessionem et Communionem requiritur, ut sodales aliquam ecclesiam, vel oratorium publicum visitent, ibique pro concordia inter principes christianos, haeresum extirpatione et exaltatione S. Matris Ecclesiae orent.

2. Personae viventes in communitatibus lucrari possunt indulgentias visitando oratorium in quo exercitia sua spiritualia peragere solent.

3. Adscripti, ut infra dicetur, lucrari possunt aliam indulgentiam plenariam mense Novembri, alteram semel quovis mense pro visitatione coemeteriorum, quatuor in diebus Stationalibus per annum et unam pro Stationibus specialibus in Quadragesima.

II. Indulgentiae partiales. — Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in omnibus aliis festis D. N. J. C., et B M. V. in tota Ecclesia praescriptis, nec non in festis natalibus Apostolorum supra non recensitis, nempe:

In festis Circumcisionis Domini (1 Januarii), ejus SS. Nominis (2 Dom. post Epiphaniam), Paschatis, Inventionis S. Crucis (3 Maji), Ascensionis Domini, SS. Cordis Jesu (feria 6 post Octavam festi Corporis Domini), Pretiosissimi Sanguinis J. C. (1 Dom. Julii), et Transfigurationis D. N. J. C. (6 Augusti), Exaltationis S. Crucis (14 Sept.).

In festis Compassionis B. V. M. (feria 6 post Dom. Passionis), Visitationis (2 Julii), B. V. M. de Monte Carmelo (16 Julii), B. V. M. ad Nives (5 Augusti), SS. Nominis Mariae (Dom. infr. Octav. ejus Nativitatis), Septem Dolorum B. V. M. (3 Dom. Sept.), B. M. V. de Mercede (24 Sept.), SS. Rosarii (1 Dom. Octob.), Praesentationis B. V. M. (21 Nov.).

In festis Commemorationis S. Pauli (30 Junii), S. Andreae Apost. (30 Nov.), S. Joannis Apost. (27 Dec.), SS. Apost. Jacobi et Philippi (1 Maji), S. Jacobi Majoris (25 Julii), S. Bartholomaei Apost. (25 Aug.), S. Matthaei Apost. (22 Sept.), SS. Apost. Simonis et Judae (28 Octob.), S. Thomae Apost. (21 Dec.), S. Mathiae Apost. (24 Febr.), S. Barnabae Apost. (11 Junii).

Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum in septem diebus immediate sequentibus Commemorationem omnium Fidelium defunctorum.

Item Sabbato ante Dom. Sexagesimae et decem sequentibus diebus.

Item in qualibet prima feria secunda cujuslibet mensis.

Istas indulgentias septem annorum etc. acquirunt sodales visitando aliquam ecclesiam et orando sicut pro plenariis, quin tamen Confessio et Communio requirantur (Decretum 9 Aug. 1859).

Indulgentia tercentum dierum toties quoties adscripti aliquam ecclesiam vel oratorium publicum visitant ibique, ut supra, orant.

Indulgentia centum dierum quoties aliquod charitatis vel pietatis opus exercent.

Adscripti, legitime impediti, visitationem supplere possunt tam pro indulgentiis plenariis quam pro partialibus per quodcumque aliud bonum opus.

III. Indulgentiae stationales. — Sodales qui diebus Stationum Urbis quamcumque ecclesiam vel oratorium publicum extra Urbem visitaverint et juxta mentem Summi Pontificis devote oraverint, omnes indulgentias acquirent, quas fideles Romae acquirunt visitando ecclesias Stationum (Indulgentias stationales vid. sub n. 949).

IV. Mensis November. — Non solum sodales, sed omnes fideles qui assistunt pio exercitio, quod fit pro defunctis mense Novembre in aliqua ecclesia vel oratorio in quo sit pia Unio erecta et Archisodalitati nostrae aggregata, dummodo orent juxta mentem Summi Pontificis, acquirent singulis vicibus indulgentiam 7 annorum et 7 quadragenarum. Si vero tali pio exercitio saltem duodecim vicibus interfuerint in decursu mensis, semel eodem mense indulgentiam plenariam acquirent, dummodo confiteantur et communicent. Sodales infirmi supplere possunt assistentiam, recitando ter psalm. *De profundis.*

V. Indulgentiae pro visitatione coemeteriorum. — Sodales nostri toties quoties aliquod publicum coemeterium visitabunt in eoque pro aeterna requie defunctorum orabunt, indulgentiam 7 annorum et 7 quadragenarum acquirent. Si vero saltem quater in mense talem visitationem instituerint, indulgentiam plenariam lucrabuntur, dummodo confiteantur, communicent et aliquam ecclesiam visitent.

V. Aliae gratiae et privilegia. — 1. Altare cujusvis Confraternitatis ubivis erectae, et Primariae S. Mariae in Monterone aggregatae, est privilegiatum quotidie pro omnibus Sacerdotibus etiam non adscriptis in favorem defunctorum sodalium et omnium aliorum fidelium in Domino defunctorum.

2. Moderator Archiconfraternitatis facultate gaudet subdelegandi Sacerdotes, in locis ubi non existit aliqua Confraternitas aggregata, ad adscribendos fideles, ea lege, ut adscriptorum nomina in Album nostrae Primariae vel alterius Confraternitatis huic Primariae aggregatae transmittant.

3. Directores designati Confraternitatum Archiconfraternitati aggregatarum et Sacerdotes, ut supra, subdelegati, benedicere possunt pro adscriptis coronas sancti Michaëlis Archangeli, vulgo *Coronas Angelicas*, cum adnexis indulgentiis.

4. Praeter tam copiosas gratias et privilegia Summorum Pontificum, varii religiosorum Ordinum Moderatores generales, juxta facultates sibi a Sancta Sede concessas, nostram Archisodalitatem aliis thesauris vere pretiosis ditare peramanter dignati sunt. Documenta gratiarum in archivo Archiconfraternitatis asservantur.

Magister Generalis Dominicanorum concessit Directoribus *pro tempore* Archiconfraternitatis et Confraternitatum ipsi aggregatarum faculta-

tem benedicendi pro omnibus fidelibus rosaria seu coronas S. Dominici cum adnexis indulgentiis; Praepositus vero Generalis Carmelitarum Excalceatorum iisdem impertivit facultatem benedicendi et imponendi scapularia B. M. V. *de Monte Carmelo* omnibus fidelibus eisque benedictionem et indulgentiam plenariam *in articulo mortis* impertiendi, ac commutandi in aliud opus pium, ob justam causam, obligationes peculiares pro privilegio Sabbatino consequendo.

Prior Major Eremitarum Camaldulensium Directoribus *pro tempore,* ut supra, et *Sacerdotibus subdelegatis,* ad fideles Archiconfraternitati adscribendos facultatem concessit benedicendi cum adnexis indulgentiis pro omnibus fidelibus tum coronas D. N. J. C., tum coronas Imm. Conceptionis B. M. V.

Prior Generalis Augustinianorum *Directoribus et Sacerdotibus subdelegatis,* ut supra, facultatem concessit adscribendi fideles in Societatem Cincturatorum B. V. M. *de Consolatione* et pro iisdem benedicendi cincturas et coronas S. Augustini et S. Monicae cum adnexis indulgentiis, eosque absolvendi *in articulo mortis.*

Ministri Generales SS. Trinitatis et B. V. M. *De Mercede Directoribus et Sacerdotibus subdelegatis,* ut supra, respectivam facultatem concesserunt benedicendi pro omnibus fidelibus scapularia sui respectivi Ordinis, eosque adscribendi Confraternitati ejusdem Ordinis, et benedicendi cum adnexis indulgentiis trisagia seu coronas SS. Trinitatis.

Superior Generalis Missionis *Directoribus et Sacerdotibus subdelegatis,* ut supra, facultatem concessit benedicendi et imponendi cum adnexis indulgentiis omnibus fidelibus scapularia Passionis D. N. J. C. et SS. Cordium.

Memorati Generales Augustinianorum, Carmelitarum, Dominicanorum, SS. Trinitatis ac B. V. M. de Mercede pro Redemptione Captivorum, nec non Ministri Generales Ordinis S. Francisci Observantium et Capuccinorum amplioribus favoribus sodales utriusque sexus nostrae Archiconfraternitatis prosequi volentes, illos inter confratres et consorores seu oblatos respectivi sui Ordinis annumerarunt eisque omnium bonorum operum, quae ab omnibus respectivi Ordinis utriusque sexus membris peraguntur, communicationem in vita, in morte et post mortem peramanter impertiti sunt.

Directores et Sacerdotes subdelegati uti nequeunt facultatibus sibi supra concessis in locis, in quibus inveniuntur Conventus memoratorum Ordinum, et tenentur nomina adscriptorum ad aliquam ex memoratis Confraternitatibus tempore opportuno transmittere, ut in Album ejusdem inserantur.

Cum Archiconfraternitas B. M. V. in coelum Assumptae pro juvandis animabus Purgatorii, vigilantia et auctoritate Congregationis SS. Redemptoris in Urbe gubernetur, ex hac causa utique sodales cum dicta Congregatione bonorum operum communionem modo speciali habent.

18. ARCHISODALITAS SUB TITULO ET INVOCATIONE B. MARIAE VIRGINIS DE PERPETUO SUCCURSU ET S. ALPHONSI M. DE LIGORIO (1).

2062. Non sine mirabili Dei providentia factum est, ut miraculis clara imago beatae Mariae Virginis sub titulo *de Perpetuo Succursu,* olim per tria saecula in templo S. Matthaei Apostoli et Evangelistae de Urbe religiosissime culta, ac dein ab oblivione, in qua ob temporum vicissitudines aliquamdiu jacuit, vindicata, jubente Summo Pontifice Pio IX, in ecclesia SS. Redemptoris et in honorem S. Alphonsi in Exquiliis, anno 1866, maximo fidelium concursu ac solemni pompa reposita fuerit, publicaeque venerationi reddita. Ex eo tempore veneranda ista effigies tanta celebritate et prodigiorum copia inclaruit, ut ipsius cultus paucorum annorum spatio late in universum christianum Orbem se diffuderit.

2063. Porro, ad praeclaram imaginem impensiori studio et assiduitate colendam, per Decretum Emi et Rmi Cardinalis Patrizi in Urbe Vicarii Generalis, die 23 Maji 1871 editum, in praefata ecclesia canonice instituta fuit pia Sodalitas sub titulo et invocatione B. M. V. de Perpetuo Succursu et S. Alphonsi Mariae de Ligorio, Deiparae Virginis eximii cultoris ac praeconis.

2064. Hanc Sodalitatem idem Pontifex Maximus non modo gratiis spiritualibus atque indulgentiis ditare dignatus est, verum et ipsius dignitatem ac splendorem augere cupiens, eamdem per Litteras Apostolicas in forma Brevis de die 31 Martii 1876, in *Archisodalitatem,* a Superiore Generali et Rectore Majore pro tempore Congregationis sanctissimi Redemptoris gubernandam, cum omnibus et singulis juribus, honoribus, praerogativis et praeeminentiis solitis et consuetis, in modum perpetuum erexit atque instituit: facta simul potestate alias ejusdem nominis ac instituti Sodalitates ubique locorum, nunc et in posterum existentes, eidem Archisodalitati, servatis tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis PP. VIII ceterisque Ordinationibus Apostolicis desuper editis, aggregandi, illisque omnes gratias et indulgentias ipsi Archisodalitati concessas, et quae sint communicabiles, libere ac licite communicandi.

---

(1) Vid. Litteras aggregationis ad hanc Archisodalitatem et pagellam deputationis pro Sacerdotibus etc.

2065. Summus Pontifex Leo XIII, per Rescriptum diei 22 Februarii 1888, Rmo P. Superiori Generali Redemptoristarum jus contulit *exclusivum* aggregandi praedictae Archisodalitati Confraternitates ejusdem tituli et invocationis, ab Episcopis canonice erectas, eisque communicandi memoratas indulgentias. Quare Episcopi, licet facultatibus extraordinariis sint praediti, minime tamen possunt praefatis Confraternitatibus a se erectis communicare indulgentias; excepto casu quo in Apostolico Indulto fiat *expressa derogatio* privilegii Redemptoristarum.

2066. Scopus Archisodalitatis est: 1° honorare speciali constantique cultu B. V. Mariam sub titulo de Perpetuo Succursu; et sic 2° sibi comparare ac mereri ejusdem beatissimae Virginis perpetuum succursum ac donum perseverantiae finalis.

Pro ingressu in Confraternitatem nullus ritus, nullaque caeremonia praescribitur: sufficit inscribere nomen in Albo Confraternitatis.

2067. Ex concessione Leonis PP. XIII per Rescriptum S. C. Indulgentiarum diei 21 Decembris 1878, Superiori Generali praelaudatae Congregationis SS. Redemptoris tributa est facultas deputandi alios Sacerdotes pro adscribendis fidelibus ad praedictam Archisodalitatem. Eisdem Sacerdotibus sic deputatis, praefatus Superior Generalis, vi specialis Rescripti memoratae S. C. Indulgentiarum de die 18 Januarii 1879, facultatem concedit benedicendi, sed favore tantum fidelium dictae Archisodalitati adscriptorum, *cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata, coronas precatorias et rosaria,* iisque applicandi indulgentias, quae dicuntur *papales,* nec non coronis precatoriis et rosariis alias indulgentias, S. Birgittae nuncupatas; item, vi indulti generalis diei 4 Februarii 1877, benedicendi ac propriis indulgentiis ditandi *Coronas Angelicas* in honorem S. Michaëlis Archangeli, quae indulgentiae reperiuntur enumeratae in libro « *Raccolta di Orazioni e pie opere* ».

2068. **Summarium Indulgentiarum Archisodalitati concessarum.**

I. Indulgentiae plenariae.

1. *Die primo eorum ingressus in Sodalitatem,* si vere poenitentes et confessi, SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint (Breve 10 Mart. 1876).

2. *In cujuslibet eorum mortis articulo,* si vere quoque poenitentes et confessi, ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint (Idem Breve).

3. Dominica ante festum Nativitatis S. Joannis Baptistae (aliave die), qua celebratur *festivitas B. M. V. de Perpetuo Succursu,* vel uno ex septem diebus continuis immediate sequentibus, cujusque confratrum et consororum arbitrio sibi statuendo, si vere poenitentes et confessi, ac S. Communione refecti, Sodalitatis ecclesiam vel oratorium devote visitaverint, ibique consuetas ad Deum preces effuderint (Idem Breve, et Rescr. Emi Card. Vicarii, 20 Mart. 1876).

4. Die 2 Augusti (aliave die), qua celebratur *festum S. Alphonsi Mariae de Ligorio,* vel uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, ad uniuscujusque sodalis arbitrium sibi eligendo; iisdem conditionibus ut in n. 3 (Breve 19 Maji 1876).

5. *Semel in anno,* die quo *Missae pro animabus sodalium defunctorum* ex instituto Archisodalitatis celebrandae interfuerint; iisdem adimpletis conditionibus (Idem Breve).

6. *Semel in mense,* die ab unoquoque sodalium eligendo, quo, iisdem servatis conditionibus, *consecrationem* die adscriptionis factam ex instituto Archisodalitatis renovaverint (Idem Breve).

7. *Semel in mense,* pro iis qui, servatis solitis conditionibus, semel saltem in die per integrum mensem, quocumque idiomate recitaverint preces jaculatorias: *O Maria, Madre...., Mio Protettore, S. Alfonso....* (Rescr. 26 Sept. 1877).

II. Indulgentiae partiales.

1. *300 dierum,* quocumque die saltem corde contriti ecclesiam aut oratorium Sodalitatis, ibique sitam imaginem B. M. V. de Perpetuo Succursu aut S. Alphonsi Mariae de Ligorio devote visitaverint, atque ibidem, ut supra dictum est, oraverint (Cit. Breve).

2. *Septem annorum totidemque quadragenarum,* sequentibus quatuor anni diebus, si corde saltem contriti, ecclesiam Sodalitatis visitaverint, et ibidem ut supra oraverint, videlicet: in festis SS. Archang. *Michaëlis* (29 Sept.) et *Gabrielis* (18 Mart.), quippe qui in ipsa S. Effigie repraesentantur; *S. Matthaei* Ap. et Ev. (21 Sept.), ad servandam memoriam dirutae ecclesiae S. Matthaei, in qua olim per tria saecula veneranda imago colebatur; et *B. M. V. de Bono Consilio* (26 April.), quo die, anno 1866, eadem S. Effigies cultui restituta est (Breve 10 Mart. et Rescr. Em. Card. Vicarii 20 Mart. 1876).

3. *60 dierum,* quoties *Missis* et aliis divinis Officiis in ecclesia Sodalitatis interfuerint, etc.; aut *quoties quodcumque aliud pietatis et charitatis opus exercuerint* (Breve 10 Mart. 1876).

4. Indulgentia *100 dierum,* semel in die lucranda ab omnibus fidelibus (etiam non sodalibus), qui, quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, quamlibet ex tribus Orationibus approbatis devote recitaverint: *Ecco, o Madre del Perpetuo Soccorso* etc. (Rescript. S. R. C. 17 Maji et Declar. S. C. Indulg. 4 Jul. 1866).

5. Indulgentia *300 dierum*, ter singulis diebus ab iis lucranda, qui preces jaculatorias: *O Maria..., Mio Protettore...*, mane, meridie aut vespere devote recitaverint (Rescr. 26 Sept. 1877).

6. Indulgentia *100 dierum* semel in die, pro iis qui Antiphonam: *Sancta Maria, succurre... quicumque implorant tuum perpetuum succursum* privatim aut publice recitaverint (Rescr. et Declar. S. C. Indulg. 22 Apr. 1882).

Nota. In Statutis Archisodalitatis enixe commendatur sodalibus, ut appensum semper collo gestent *numisma,* cui imagines impressae sint *B. M. V. de Perpetuo Succursu et S. Alphonsi.* Per Breve 16 Maji 1876, Pius PP. IX. benigne concessit Directoribus pro tempore facultatem benedicendi praedicta sacra numismata (*ad decennium*, et favore tantum sodalium), cum applicatione indulgentiarum, quae *papales* seu *Apostolicae* dicuntur, quasque vide in proprio loco sub n. 673.

Tandem Rmus Superior Generalis et Rector Major Congregationis SS. Redemptoris omnes Christifideles praefatae Archisodalitati, vel cuilibet Sodalitati legitime aggregatae adscriptos vel in posterum adscribendos, participes facit omnium bonorum spiritualium, quae in laudata sua Congregatione peraguntur.

19. PIA UNIO FILIARUM MARIAE SUB PATROCINIO B. MARIAE VIRGINIS IMMACULATAE ET S. AGNETIS V. ET MART. (1).

2069. Ab Ordine Canonicorum regularium existentiam repetit pium Sodalitium Filiarum Mariae: auctor enim ejus, ineunte saeculo XII, fuit B. Petrus de Honestis, Canonicus regularis, qui Ravennae in ecclesia S. Mariae in Porto sui Ordinis instituit piam Unionem filiorum et filiarum Mariae, qui, praeter numisma e collo pendens, latera cingebant fascia caerulei coloris. Inter annum 1594 et 1640 B. Petrus Fourier, Canonicus pariter regularis, in sua parochia loci Mattaincourt in Gallia erexit Congregationem B. Virginis Immaculatae pro puellis.

2070. Haec salutaris et sancta institutio fuit deinde, hoc decurrente saeculo, ad vitam revocata in Gallia in scholis Filiarum Charitatis a Domino Etienne, Superiore Generali Presbyterorum Missionis, ac deinceps a piis Sacerdotibus propagata, praesertim in Italia, per paroecias, educandatus et scholas puellarum. Ea tamen

(1) Vid. *Manuale piccolo* delle Figlie di Maria... compilato dall' Abb. D. Alberto Passèri Vicario Gen. de' Canonici Reg. Later. 15ª ediz. Dirigersi a S. Pietro in Vincoli, Roma. Cf. *Rescr. auth.* pag. 556 et sqq.

speciale incrementum habuit et regularem formam consecuta est in paroecia S. Agnetis extra moenia Urbis, ubi anno 1864 cura et studio Rmi P. Passèri Canonici regularis, canonice erecta fuit cum statutis ab auctoritate ecclesiastica approbatis et cum titulo: *Pia Unio Filiarum Mariae sub patrocinio B. M. Virginis Immaculatae et S. Agnetis V. et M.*

2071. Haec pia Unio, sic legitime erecta, pluribus indulgentiis ac privilegiis fuit postea locupletata per Breve diei 16 Januarii 1866 a Summo Pontifice Pio IX sa. me., qui deinde per aliud Breve die 16 Februarii ejusdem anni eam ad dignitatem *Primariae* evexit, concedens Parocho S. Agnetis ac postmodum, Brevi 4 Februarii 1870, Rmo Abbati Generali *pro tempore* Canonicorum regularium Lateranensium, facultatem aggregandi ceteras omnes Sodalitates similes tum erectas tum erigendas ubique locorum, eisque communicandi indulgentias et privilegia, quibus ipsa *Primaria* gaudet.

2072. Summus Pontifex Leo XIII, binis Brevibus sub die 21 Martii 1879 datis, concessit per primum Breve indulgentiam plenariam pro die, qua in Sodalitatem consorores recipiuntur ut *aspirantes* et *ut Filiae Mariae;* per alterum facultatem eidem Rmo P. Abbati Alberto Passèri, benedicendi in qualibet pia Unione sacra numismata, quae consorores deferre solent ad collum tamquam tesseram Sodalitii, cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis. Indulsit insuper praelaudato P. Abbati facultatem subdelegandi alios Sacerdotes ad praedictam benedictionem numismatibus impertiendam.

Per Breve ejusdem Pontificis de die 2 Junii 1885, memoratae facultates concessae sunt P. Abbati *pro tempore* Canonicorum regularium Lateranensium.

2073. *Scopus generalis* piae Unionis est: promovere majorem Dei gloriam et devotionem erga B. Virginem Immaculatam.

Scopus specialis est: tueri puellarum innocentiam a tot inimicorum insidiis, augere in eis christianam pietatem, morum honestatem, reverentiam et obedientiam suis parentibus, ut maturo tempore juxta statum, quem, vocante Deo, amplexurae erunt, evadant vel sponsae fideles optimaeque matresfamilias in saeculo, vel sponsae Jesu Christi in claustro, aut etiam bonae virgines in propriis domibus, exemplaria ceteris fidelibus pietatis, charitatis ac aliarum virtutum actibus.

2074. *Bona spiritualia.* Praeter specialem protectionem Virginis Immaculatae, consorores gaudent thesauro quamplurium indulgentiarum ipsis a Summis Pontificibus concessarum, nec non participes sunt omnium precum, bonorum operum et sanctarum Communionum, quae fiunt in cunctis piis Unionibus *Unioni Primariae* aggregatis.

Altare privilegiatum. Missae ad altare piarum Unionum a quovis Sacerdote pro defunctis consororibus celebratae, aeque suffragantur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent.

2075. *Obligationes Filiarum Mariae* (non tamen sub culpa). 1. Consorores debent quolibet anno, solemniori quo fieri potest ritu, celebrare festum Immaculatae Conceptionis et S. Agnetis V. et M.

2. In eodem festo Immaculatae Conceptionis curent, ut celebretur una Missa pro sodalibus viventibus, et in die Commemorationis omnium Defunctorum altera Missa pro consodalibus defunctis tum propriae tum ceterarum piarum Unionum Primariae aggregatarum. Item, decedente consorore, satagant ut pro ejus anima cantetur vel legatur unum Sacrum. In quolibet ex hisce casibus non omittant suffragari consorores per receptionem sanctae Communionis.

3. Saepe, saltem quolibet mense, Confessione expientur, et SS. Eucharistiam suscipiant.

4. Interesse studeant statutis diebus Communioni generali et mensili congregationi.

5. Numisma Immaculatae Conceptionis vittae caerulei coloris appensum in certis anni diebus ad collum deferant.

2076. *Adunantiae.* In tribus casibus Filiae Mariae congregantur : 1° occasione electionis Officialium; 2° pro negotiis piae Unionis a Consilio tractandis; 3° quando sodales explere debent suae devotionis et pietatis officia. Prima Dominica post festum Immaculatae Conceptionis cujuslibet anni peraguntur electiones Officialium, quae in munere per annum durant, quaeque tamen, si opportunum judicabitur, in officio confirmari possunt. Director facultatem habet eligendi Directricem et Vice-directricem ; ceterae Officiales eliguntur per vota secreta a Mariae Filiabus congregationi praesentibus juxta majoritatem suffragiorum.

2077. *Consilium.* Ad secretum Consilium, quod componitur ex Directore et Officialibus, spectat per vota secreta admittere tum

aspirantes, quae nempe exoptant *tamquam novitiae* esse Filiae Mariae; tum ipsas Filias Mariae, antea simplices aspirantes. Director non habet jus suffragandi; Directrix econtra jus habet ad duo vota. In quibusdam tamen casibus specialibus fas est Directori recipere in Sodalitatem puellas sive ut aspirantes, sive ut Filias Mariae.

Alia quae ad hanc piam Unionem referuntur, vide in citato libello *Manuale piccolo,* et *Rescr. auth.* pag. 556.

20. PIA UNIO SEU SOCIETAS IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. MARIAE VIRGINIS ROMAE ERECTA IN VEN. ECCLESIA S. MARIAE DE ARACOELI.

2078. De hac pia Unione agentes, scopus noster est 1° excitare fideles ad eam, innumeris indulgentiis ditatam, ingrediendam; 2° in unum colligere documenta, quae supersunt. Haec quidem pauca sunt, sed tamen sufficientia ad juridicum ejus statum cognoscendum et stabiliendum. Postquam documenta, quae piam Unionem quomodolibet respiciunt, relata fuerint, praecipua materiae capita brevius in compendium perstringentur. Ex eo fiet, nisi opinio nos fallat, ut incertitudines ultimis temporibus super juribus hujusmodi Sodalitatis obortae, removeantur et dissipentur. Notitiam prius breviter exhibebimus de quadam Archiconfraternitate sub titulo Conceptionis B. M. V. per Constitutionem Apostolicam quondam erecta in eadem ecclesia Aracoelitana, sed quae parum duravit.

2079. In Bullario edito Romae anno 1736, tom. XII, n. 172, pag. 193, extat Constitutio Summi Pontificis Benedicti XIII, cujus initium *Ex quo Sedes Apostolica,* de dato 1 Aprilis 1727. Argumentum hujus Constitutionis indicatur his verbis: *Erigitur Archiconfraternitas Conceptionis beatae Virginis Mariae in ecclesia de Aracoeli Conventus Minorum de Observantia.*

Post exordium, Pontifex *enuntiat preces ei porrectas a Procuratore Generali Ordinis;* dicit enim: Itaque dilectus filius Frater Josephus ab Ebora, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum beati Francisci de Observantia nuncupatorum, exponi Nobis nuper fecit, hujusmodi Fratres, qui coelorum Reginae verbo et scriptis augendae venerationis in terris usque a primo sui Ordinis exordio studiosissimos sese ostenderunt... summopere optare, ut

christianus populus ad pia opera sub auspiciis ejusdem Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae excitetur, et propterea in ecclesia eorum Conventus sanctae Mariae de Aracoeli nuncupatae de Urbe, unam utriusque sexus Archiconfraternitatem Auctoritate Nostra institui postulare sub invocatione ejusdem Conceptionis, illamque, postquam, ut infra, erecta et instituta fuerit, in locum Archiconfraternitatis etiam Conceptionis B. Mariae Virginis, nuper certis de causis tunc adductis, in insigni, saeculari et Collegiata ecclesia S. Laurentii in Damaso nuncupata de eadem Urbe, per Nos suppressae et extinctae, quoad indulgentias, privilegia ac indulta spiritualia tantum substitui et subrogari...

2080. *Deinde Pontifex ad concessionem gratiae petitae transit.* Nos, subjungit, qui Ordinem praedictum de Ecclesia catholica optime meritum, semper eximia dilectione prosecuti sumus... supplicationibus Nobis porrectis inclinati, dilecto filio moderno Ministro, sive in ejus defectu, Vicario aut Commissario Generalibus totius Ordinis praedicti, harum serie indulgemus, ut in dicta ecclesia sanctae Mariae de Aracoeli de Urbe unam utriusque sexus Christifidelium Archiconfraternitatem... sub eadem invocatione et denominatione Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, Auctoritate Nostra Apostolica erigat atque instituat, ad omnipotentis Dei laudem, animarumque salutem, et ejusdem B. M. Virginis honorem, cum privilegiis ab Apostolica Sede collatis, quibus Archiconfraternitates SS. Rosarii ac B. M. V. de Monte Carmelo... utuntur, fruuntur et gaudent...

2081. *Archiconfraternitas sic erecta subrogatur in locum alterius in ecclesia S. Laurentii in Damaso extinctae.* Ceterum, pergit Pontifex, ut Christifideles spiritualium gratiarum et privilegiorum muneribus illecti, se eidem Archiconfraternitati alacrius inscribant, Nos eam substituimus et subrogamus in locum alterius Archiconfraternitatis Conceptionis B. M. Virginis, per Nos in praedicta ecclesia S. Laurentii in Damaso, ut praefertur, suppressae et extinctae, quoad participationem indulgentiarum, privilegiorum... quibus ultimo dicta Archiconfraternitas tempore suppressionis et extinctionis gaudebat et gaudere poterat...

2082. *Insuper praedictae Archiconfraternitati nonnullae aliae indulgentiae conceduntur*, ac deinde Superioribus Generalibus Ordinis Minorum de Observantia tribuitur facultas Confraternitates Conceptionis aggregandi et ubique erigendi, ac postremo apponun-

tur consuetae clausulae derogatoriae etc. — Dat. Romae ann. 1727, Kalendis Aprilis, Pontificatus nostri anno tertio.

2083. At sciendum est, Clementem PP. XII, qui in Apostolico throno fuit immediatus successor Benedicti XIII, supradictam Constitutionem *Ex quo Sedes Apostolica,* simul cum aliis, *revocasse* per Bullam *Romanus Pontifex* die 30 Martii 1732, id est quinque circiter annis post peractam in ecclesia Aracoelitana erectionem supra descriptae Archiconfraternitatis. Quia Clemens XII per eamdem Bullam *Romanus Pontifex* omnia ad pristinum statum reducit, et dictam Constitutionem Benedicti XIII omni effectu carere declarat, consequitur, Archiconfraternitatem Immaculatae Conceptionis in ecclesia de Aracoeli erectam *illico iure cessasse,* et illam revixisse quae fuerat suppressa in ecclesia S. Laurentii in Damaso, quae quidem adhuc perdurat et floret. Et de hac Archiconfraternitate extincta, relata sufficiant, et de *Pia Unione* in Aracoeli existente sit sermo.

2084. Praecipuum documentum hujus Sodalitatis continetur tum in precibus, quae sub die 20 Novembris 1854 ab eadem pia Sodalitate Summo Pontifici Pio IX porrectae sunt, tum in Apostolica concessione inde secuta, quae omnia hic transcribuntur (*Rescr. auth.* N. 393, pag. 306; Archiv. piae Unionis in Aracoeli):

Beatissime Pater,

Pia Unio Immaculatae Conceptionis B. M. V. erecta in altari privilegiato eidem B. M. V. dedicato in venerabili ecclesia S. Mariae in Aracoeli, ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluta humiliter exponit, quod in pagella aggregationis invenitur, quod sa. me. Pius VII, quo magis corda fidelium ad devotionem et obsequium erga Immaculatam B. M. V. animaret, per singulare privilegium omnibus dictae Unioni adscriptis *easdem indulgentias concessit, quibus gaudent quicumque sumpserunt habitum parvum Immaculatae Conceptionis a RR. PP. Theatinis.* — Praeterea omnes utriusque sexus adscripti, *qui interveniunt recitationi SS. Rosarii* in dicta ecclesia, recitando *sex Pater et Ave* in honorem SS. Sacramenti lucrantur indulgentias concessas iis, qui septem ecclesias Urbis et Jerosolymorum visitant.

Quia vero, diligenti inquisitione in archivo dictae piae Unionis instituta, harum concessionum documenta inveniri minime pote-

rant, ipsa a Sanctitate Vestra implorat gratiam, ut easdem aut confirmare, aut, si opus fuerit, de novo concedere dignetur. — Pro qua gratia etc.

Ex Audientia SSmi die 20 Novembris 1854.

SS. D. N. Pius PP. IX, attentis expositis, supraenuntiatae piae Unioni sub titulo Immaculatae Conceptionis in ecclesia S. Mariae in Aracoeli canonice erectae *benigne communicavit singulas indulgentias, quibus gaudet Primaria Sodalitas sacri Scapularis SSmae Conceptionis apud Congregationem seu Ordinem PP. Theatinorum de Urbe canonice existens,* prout in Summario ab hac Sacra Congregatione Indulgentiarum die 12 Julii 1845 authentice recognito, servatis tamen singulis appositis conditionibus, et non obstante Constitutione Clementis PP. VIII sa. me. diei 7 Decembris 1604, quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica.*

Voluit autem Sanctitas Sua, ut si hujusmodi pia Unio *extra Urbem quoque sit erigenda, praefata indulgentiarum communicatio extendatur et valeat pro iis tantum locis, in quibus praememorata Congregatio seu Ordo Theatinorum haud existit.* Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

Fr. Card. Asquinius, *Praef.*
A. Colombo, *Secretarius.*

2085. Ne autem in posterum exoriatur dubium super canonicitate erectionis praedictae piae Unionis seu Sodalitatis, Emus Cardinalis Patrizi sa. me. Summi Pontificis Vicarius Generalis, anno 1858 *sanavit quemcumque defectum, et dictam Sodalitatem uti legitime et canonice fundatam et erectam confirmavit et constituit.* En ad litteram documentum, quod extat in archivo piae Unionis apud ecclesiam Aracoelitanam:

Fidem facio per praesentes ego subscriptus Almae Urbis Tribunalis Vicariatus Secretarius in libro Decretorum mensis Februarii 1858, in Secretaria ejusdem Vicariatus existente, reperiri particulam tenoris sequentis, videlicet:

Constantinus Miseratione Dna Epus Albanens. S. R. E. Card. Patrizi Sacros. Patriarch. Basilicae Liberianae Achipresbyt. SS. D. N. PP. Vicarius Generalis etc.

Inter ceteras quae in Aracoelitano templo habentur Marianae pietatis institutiones, jam ab anno reparatae salutis 1812 canonice, uti asseritur, fundata et erecta est pia quaedam Sodalitas seu Societas ab Immaculata Conceptione nuncupata, quae quidem precibus matutinis, et praesertim Rosario, beatissimam Dei Matrem singulis quibusque diebus primo mane sedulo veneratur.

At cum temporum injuria rerumque vicissitudine authentica perierint documenta, quibus canonicae dictae Sodalitatis fundatio et erectio queat facile comprobari, Nos precibus ab hodiernis ejusdem Moderatoribus porrectis inclinati, praesenti Decreto, quae alias a Praedecessoribus Nostris hac super re acta sunt, sarta tectaque volumus, et declaramus, et *quemcumque sanantes defectum eam Auctoritate Nostra uti legitime et canonice fundatam et erectam confirmamus et constituimus:* eamdem praeterea iis spiritualibus bonis frui et gaudere posse decernimus, quibus ceterae hujusmodi Sodalitates fruuntur et gaudent: proventus denique ac reditus, quos seu sociorum, seu aliorum pietas ad rei perennitatem reliquit, sitve in posterum relictura, in Marianae ut praefertur Institutionis utilitatem, splendorem atque incrementum fideliter erogari praecipimus et mandamus.

Datum Romae ex Aedibus Vicariatus, die 1 Februarii ann. 1858.

C. Card. Vicarius.

Pro Dno Josepho Can. Tarnassi *Secretario*

Franciscus Can. Anivitti, *Substitutus,* prout in supradicto Decretorum libro, ad quem etc.

(L. S.)

In quorum fidem etc. — Datum ex supradicta Secretaria Vicariatus Urbis, die 4 mensis Maji ann. 1858.

Ita est — Pro D. Can. Tarnassi *Secretario*

Franciscus Can. Anivitti, *Subst.*

2086. Ex allatis documentis duo sunt *in tuto* posita, videlicet: 1° quod pia Unio in ecclesia Aracoelitana existens, *est rite et canonice erecta;* 2° quod eadem pia Unio *communicat in omnibus indulgentiis,* quibus gaudet Primaria Sodalitas sacri Scapularis SS. Conceptionis apud Theatinos de Urbe (in ecclesia S. Andreae vulgo *della Valle*) existens.

2087. Remanet solvenda quaestio, quae ultimis his temporibus nonnullorum animos suspensos tenuit ac non minimam confusionem et incertitudinum attulit. Quaestio est haec: *Sodalitas,* de qua loquimur, nempe *pia Unio Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis in ecclesia de Aracoeli canonice erecta et quamplurimis indulgentiis ditata, potest erigere vel sibi aggregare similes Sodalitates seu pias Uniones ejusdem nominis et instituti?*

Respondemus sine mora: *Negative.*

1. *Non potest erigere.* Nam ad Episcopum spectat jure ordinario Confraternitates, Sodalitates seu pias Congregationes vel Uniones erigere et instituere. Alii id nequeunt, nisi ex speciali privilegio ab Apostolica Sede obtento. At vero, praefata pia Unio Aracoelitana nullum documentum possidet, quo probare possit, sibi concessum fuisse tale privilegium. Ergo nequit erigere, quin *jus certum et ordinarium* Episcoporum laedatur.

2. *Non potest aggregare.* Jus aggregandi et indulgentias communicandi Sodalitatibus ejusdem invocationis inest tantummodo Archiconfraternitatibus, Archisodalitatibus seu Congregationibus Primariis. Ideo enim quaedam piae Societates ad hujusmodi altiorem gradum a S. Sede evehuntur cum potestate communicandi indulgentias, quibus ipsae gaudent, ut sic facilior modus habeatur ad easdem indulgentias obtinendas. Jam vero, pia Unio de Aracoeli non est Archiconfraternitas, vel Archisodalitas, aut Congregatio Primaria. Non potest ergo aggregare, seu affiliare, incorporare, nec item communicare indulgentias. Quod dicimus, abunde constat ex tractatu de Confraternitatibus, de quibus fuse egimus, et etiam ex dicendis. Accedit, quod in citato Rescripto Pii IX nulla inveniuntur verba, quae indicent privilegium aggregandi fuisse tributum piae Unioni de Aracoeli.

2088. Sed sciendum, ex praedictae piae Unionis actis certo constare, ipsam plures similes Sodalitates vel erexisse vel saltem sibi aggregasse. Hujus facti non videtur alia ratio posse adduci, quam usus et consuetudo, cum ante annum 1854 nullum documentum existat in archivo piae Unionis. Ab anno vero 1854, fere usque ad praesens, afferri posset in explicationem facti seu consuetudinis aggregandi, Rescriptum supra relatum Summi Pontificis Pii IX, in quo quaedam expressiones *in sensu declarativo,* sumi potuerunt *in sensu facultativo.* Istiusmodi expressiones sunt sequentes: *Voluit autem Sanctitas Sua, ut si hujusmodi pia Unio*

extra Urbem quoque sit erigenda, praefata indulgentiarum communicatio extendatur et valeat pro iis tantum locis, in quibus praememorata Congregatio, seu Ordo Theatinorum haud existit.

2089. Verum haec Apostolici Rescripti verba non in sensu *facultativo* accipienda sunt, quasi nempe potestatem significent piae Unioni de Aracoeli collatam erigendi vel aggregandi similes Sodalitates, sed in sensu *declarativo,* quatenus scilicet declarant, indulgentiarum communicationem extendi etiam ad alias ejusdem nominis Sodalitates, si quae extra Urbem fuerint *a proprio Episcopo canonice erectae,* iis locis tantum exceptis, in quibus Ordo Theatinorum existit. Ergo hujusmodi piae Uniones alibi legitime institutae participes sunt indulgentiarum *non vi alicujus aggregationis,* sed vi *communicationis* per dictum Rescriptum concessae.

2090. Rebus sic stantibus, Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis Ordinis Minorum, anno 1879 supplices litteras Summo Pontifici praesentandas confecit, in quibus supra relatum Pii IX Rescriptum inseruit, et piae Unionis de Aracoeli statum, prout nunc expositus est, enarrabat. Et quia, subjungebat, gravosum vel fere impossibile ex una parte foret omnes Sodalitates hucusque aggregatas praemonere de nullitate vel incertitudine indulgentiarum, quibus putarunt a pluribus annis gaudere; et ex altera parte ad praecavendum scandalum, quod certo oriretur, si praedicta pia Unio deberet in posterum novas aggregationes absolute denegare, et ut firmiter ac stabiliter bono ejusdem piae Unionis provideretur, humiliter a Summo Pontifice postulavit ut dignaretur omnes aggregationes hucusque factas sanare, et insimul confirmare vel concedere facultatem alias aggregationes peragendi modo et numero sibi benevisis, exceptis locis, prout semper observatum est, in quibus reperiuntur Patres Theatini.

2091. *Exitus descriptae supplicationis.* Quinam fuerit effectus supplicationis a Ministro Generali Summo Pontifici porrectae, patet ex *Nota* seu *Memoria,* quam ipse Minister Generalis propria manu scripsit, quaeque in archivo piae Unionis apud ecclesiam de Aracoeli asservatur. Nos hic eam afferimus ex italico in latinum idioma versam, et est sequens:

I. N. D.

Praesens supplicatio *(supplica)* a R. P. Francisco Ignatio Pericoli ab Urbe, actuali piae Unionis Directore, tradita fuit Rmo Dno

Secretario S. Congregationis Indulgentiarum. Hic eamdem tradidit cuidam Consultori examinandam. Cum votum Consultoris fuerit contrarium, Rmus Dnus Secretarius restituit supplicam.

Tunc fuit deliberatum ad Emum Cardinalem Aloysium Bilio, Ordinis Protectorem, recurrere, ut ipse apud Sanctum Patrem se interponeret et ab eo desideratam gratiam obtineret. Et revera subscriptus Generalis Ordinis praedictam supplicam in manus laudati Emi Cardinalis personaliter dedit, qui tamen, dum eam reciperet, declaravit quod, cum supplica jam fuerit S. Congregationi Indulgentiarum exhibita, ipse ante omnia debebat Rmum Dnum Secretarium dictae S. Congregationis audire.

Et die 7 Martii 1879 Emus Card. Bilio, in Aedibus Vaticanis, ubi consueta Quadragesimalis Praedicatio habebatur, ad se vocavit subscriptum, eique reddidit supplicam, dicens, quod, postquam de re contulerit cum Rmo Dno Secretario S. Congregationis Indulgentiarum, firmae haberi debent sequentes conclusiones:

1ª Quod *pia Unio Immaculatae Conceptionis de Aracoeli* non poterat, nec potest, nec umquam poterit *sibi aggregare* alias Confraternitates cujuscumque tituli; quia, ad id valide et legitime faciendum, necesse foret ut pia Unio antea a S. Sede declararetur *Archiconfraternitas*. Hoc autem numquam fiet, cum Archiconfraternitas (vel melius *Primaria Sodalitas*) sub eodem titulo jam existat in Urbe apud Theatinos.

2ª Quod, hoc non obstante, Confraternitates a pia Unione de Aracoeli institutae vel aggregatae, sunt legitime erectae, non quidem vi hujus institutionis vel aggregationis, sed vi institutionis, quam, juxta praescriptum, ab Episcopo loci recipere debuerunt; et participes sunt indulgentiarum *piae Unionis* de Aracoeli, vi *communicationis* concessae per Rescriptum diei 20 Novembris 1854 a Summo Pontifice Pio IX. Ideo sanatoria minime indigent.

3ª Quod proinde, in posterum, *pia Unio de Aracoeli* nequit amplius Litteras *aggregationis* dare; sed, ubi contingat ut hujusmodi Litterae aggregationis expostulentur, respondeat quod erigant auctoritate Episcopi loci, juxta tenorem Constitutionis *Quaecumque* Clementis VIII, *piam Unionem,* quae, ubi erecta fuerit, particeps erit juxta citatum Rescriptum Pii IX omnium indulgentiarum, quibus gaudet pia Unio de Aracoeli. Quare haec pia Unio Aracoelitana poterit dare tantummodo *declarationem* communicationis indulgentiarum.

Ita Emus Card. Bilio rem significavit et explicavit infrascripto die et anno ut supra.

Fr. Bernardinus a Portu Romatino,
Min. Glis Minorum (m. p.).
(L. S.) Fr. Franciscus Maria a Salerno,
Lect. Jub. Secret. Glis Ordinis.

2092. *Obligationes adscriptorum* (1) sunt: 1° Recitare quotidie, vel saltem saepe in hebdomada, parvam coronam Immaculatae Conceptionis, quae constat ex duodecim *Ave Maria,* cum tribus *Gloria Patri* et Oratione jaculatoria: *Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio B. Virginis Mariae, Matris Dei,* in honorem duodecim privilegiorum ejusdem Matris Dei (Indulgentias hujusmodi coronae adnexas vide sub n. 777).

2° Tertiam Rosarii partem recitare pro quolibet sodali vita functo.

3° Quinque mensiles obolos offerre pro expensis piae Unionis. Debent insuper fideles piae Unioni adscripti vitam ducere morigeratam vereque christianam, sanctissima Ecclesiae Sacramenta frequentare, praesertim in festis Domini, ejusque sanctissimae Matris.

2093. *Regimen piae Unionis.* Sodalium piae Unionis erit recitare, juxta pium veteremque usum, SS. Rosarium durante Missa quae celebratur in Aracoeli ad capellam B. V. Immaculatae, et in fine Benedictionem cum S. Pixide recipere, excepto casu quo haec omnia aliis ecclesiasticis functionibus impediantur. Praedictum Rosarium pro omnibus defunctis sodalibus applicatur.

Quolibet anno, vel saepius, si opus fuerit, Officiales cum Praeside congregantur ad negotia piae Unionis tractanda.

Officiales perdurant in suo quisque munere per triennium.

In obsequium Virginis Immaculatae et ad ceterorum fidelium aedificationem, in novendialibus festum ejusdem Immaculatae praecedentibus, confratres assistunt functionibus propria veste induti.

2094. *Confratrum vestis* consistit in sacco albo cum capucio pariter albo. Praecinguntur cingulo caerulei coloris, in quo ap-

(1) Vid. libel.: *Doveri, governo e privilegi* degli Ascritti alla pia Adunanza di Maria SSma Immac. eretta in Araceli; Roma Tip. Vatic. 1888.

pensa habetur numisma Immaculatae Conceptionis. Palliolum *(mozzetta)* deferunt coloris pariter caerulei, fasciola alba circumdatum, quod stemma formae ovalis cum imagine Immaculatae Conceptionis decorat.

2095. Tali modo induti intersunt processionibus, quae in ecclesia Aracoelitana fiunt in quibusdam anni diebus, ut ex. gr. in die Natalis Domini, die Epiphaniae ad comitandum divinum Infantem *(il S. Bambino d' Araceli)*, in festo Corporis Domini, in solemnitate Immaculatae Conceptionis etc.

Ad quasdam ex dictis processionibus invitantur quoque consorores, quae modesta veste indutae interveniunt, vittam caeruleam ad collum usque ad pectus deferunt, in cujus extremitate numisma Immaculatae Conceptionis pendet.

2096. Pia Unio Aracoelitana formam exhibet *verae Confraternitatis.* Revera, si Confraternitates, juxta Theodorum a Spiritu Sancto, Bassi, Matthaeucci etc., sunt fidelium Congregationes in unum quandoque convenientium ad quaedam pietatis officia obeunda, ecclesiastica auctoritate institutae; haec omnia, ut ex dictis constat, reperiuntur in praefata pia Unione, cujus socii collegium quoddam personarum constituunt, ac ideo cum sint *conjuncti in Fraternitate,* veram Confraternitatem constituere videntur (Vid. n. 1647 sqq. et 1655, 4).

2097. *Indulgentiae concessae piae Unioni.* Vi Rescripti, supra relati, Summi Pontificis Pii IX, pia Unio Immaculatae Conceptionis erecta in ecclesia Aracoelitana iisdem gaudet indulgentiis, quibus fruitur Primaria Sodalitas Scapularis caerulei apud Theatinos de Urbe. Hujusmodi indulgentiae *permultae* sunt, ut videre est in Summario apud *Rescripta authentica* n. 57, pag. 574.

2098. Verum ipsa pia Unio de Aracoeli proprium habet Indulgentiarum elenchum, uti authenticum recognitum die 22 Decembris 1854. Originale hujus elenchi, qui parum differt ab illo scapularis caerulei, reperitur in archivo piae Unionis in Aracoeli, nec non in libro *Rescripta authentica* n. 58, pag. 580. Praedictus elenchus ita inscribitur:

« *Summarium Indulgentiarum plenariarum et partialium, quae concessae fuerunt piae Unioni seu Societati Immaculatae Conceptionis Mariae sanctissimae erectae Romae in ven. ecclesia Aracoeli a sa. me. Pio VII, denuo confirmatae, concessae et adauctae a sa. me. Pio IX* ».

2099. Inter tot indulgentias dictae piae Unioni concessas notentur sequentes *plenariae:*

1. In festis Immaculatae Conceptionis — Purificationis — Annuntiationis — Assumptionis — et Nativitatis beatissimae Virginis.

2. Prima Dominica cujusque mensis et ultima Julii — unoquoque Quadragesimae Sabbato — die Dominica ac feria sexta Passionis — in feriis quarta, quinta et sexta majoris Hebdomadae.

3. In festis solemnioribus Paschatis — Ascensionis — Pentecostes — SS. Trinitatis — Nativitatis Domini — ac prima et ultima die novendialium ejusdem sanctae Nativitatis.

4. In festis S. Joannis Baptistae — SS. Petri et Pauli — S. Augustini — S. Michaëlis Archangeli — SS. Angelorum Custodum — Transitus S. Joseph — Inventionis S. Crucis.

5. Diebus 24 Martii — 17 Julii — 7 Augusti — 14 Septembris — 10 Novembris — 13 Decembris.

6. Die, quo quispiam in Sodalitatem adsciscitur — semel in anno pro Oratione quadraginta Horarum — iterum pro sanctis exercitiis spiritualibus — semel ad cujusque libitum — iterum die a Praeside seu Rectore piae Unionis designanda.

7. In articulo mortis.

2100. Notandum, nec in Summario Indulgentiarum hujus piae Unionis, nec in illo Scapularis caerulei, indicari semper conditiones pro acquisitione indulgentiarum. Sciendum est ergo, quod relate ad indulgentias *plenarias,* conditiones ad eas lucrandas sunt, *generatim et ordinarie,* Confessio, Communio, visitatio alicujus ecclesiae, et preces ad intentionem Summorum Pontificum.

2101. Quaeri potest, cur concessae sint indulgentiae plenariae diebus 24 Martii, 17 Junii, 7 Augusti, 10 Novembris, 13 Decembris etc.? Respondemus: Quia illis diebus celebrantur festa Sanctorum vel Beatorum Congregationis Theatinorum, apud quos residet Primaria Sodalitas Scapularis caerulei Immaculatae Conceptionis, cujus indulgentias *omnes* pia Unio de Aracoeli participat. Sic die 24 Martii celebratur festum B. Josephi-Mariae Cardinalis Thomasii, Confessoris Clerici regularis Congregationis Theatinae; — 17 Junii, festum B. Pauli Buralis, Ep. Card. de Aretio, Theatini; — 7 Augusti, festum S. Cajetani Thienaei, Theatinorum Patriarchae; — 10 Novembris, festum S. Andreae Avellini, Theatini; — die 13 Decembris, festum B. Joannis Marinonii, Conf. Theatini.

2102. Insuper advertendum est, in Summario Indulgentiarum *Scapularis caerulei* (cujus *singulas indulgentias,* ut iterum di-

camus, Summus Pontifex Pius IX piae Unioni de Aracoeli communicavit) contineri alias indulgentias plenarias, *quae non sunt adnotatae in Summario piae Unionis,* et sunt sequentes:

a) In solemnitate Epiphaniae Domini; *b)* die 2 Augusti, in festo Portiunculae; *c)* die 14 Septembris, in festo Exaltationis S. Crucis; *d)* die 15 Octobris, in festo S. Theresiae Virginis; *e)* die 1 Novembris, in festo Omnium Sanctorum. Nobis pro certo habetur, sodales piae Unionis Aracoelitanae, his etiam plenariis indulgentiis perfrui debere. Si in proprio Indulgentiarum elencho non recensentur, hoc ex amanuensis omissione contingere potuit. Et revera in praesenti casu omissio alicujus indulgentiae non difficulter excidere poterat, cum ordo expositionis et verborum forma mutata fuerint. Optandum, ut aliquis Rector piae Unionis conferat inter se bina Summaria, quae, ut diximus, prostant apud *Rescripta authentica* pag. 574 et 580.

2103. Praeterea sodales piae Unionis etiam sequentes indulgentias consequi possunt:

1. Indulgentias *Stationum* Urbis (vid. n. 949) diebus in Missali Romano descriptis, si sodales ecclesiam suae Congregationis visitaverint.

2. Indulgentias *septem ecclesiarum Urbis* (vid. n. 956 sqq.) bis in mense, si septem altaria ecclesiae ut supra visitaverint; et ubi ecclesia tot altaria non habeat, *septies* visitationes iteraverint.

3. Indulgentias *S. Sepulchri et Terrae Sanctae,* si bis in mense ecclesiam, ut praemittitur, visitaverint.

4. Indulgentias *Basilicarum Urbis, Portiunculae, Hierosolymae* et *S. Jacobi in Galicia,* recitantes sex *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem sanctissimae Trinitatis et Mariae Virginis Immaculatae, orantesque pro haeresum extirpatione, pro christianorum principum concordia ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.

S. Congregatio Indulgentiarum die 31 Martii 1856 Decreto suo declaravit, supradictas indulgentias *septem Urbis Basilicarum, Portiunculae, Jerusalem et S. Jacobi de Compostella* TOTIES QUOTIES acquiri posse, et *quocumque loco* preces fuderint, servato Decreto ejusdem S. Congregationis diei 7 Martii 1678, quod incipit *Delatae saepius,* neque oportere alias preces addere, ac Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptionem praemittere, sed sufficere *sex* tantum *Pater, Ave* et *Gloria* recitari, uti supra, easque applicabiles etiam esse animabus in Purgatorio degentibus.

Quod quidem Decretum Summus Pontifex Pius IX, die 14 Aprilis ejusdem anni 1856 benigne approbavit (Vid. *Decr. auth.* N. 374 ad 3^m et N. 398; et cf. Summar. Indulg. Scapul. caerul. loc. supra cit.).

De hoc singulari privilegio admonendi sunt sodales piae Unionis, ne tanto indulgentiarum thesauro ex ignorantia priventur. Indulgentias *partiales,* quae item quamplurimae sunt, *omnesque animabus Purgatorii applicabiles* ex concessione ejusdem Pontificis Pii IX die 7 Junii 1850, vide apud citatum Summarium piae Unionis vel Scapularis caerulei.

2104. Praeterea omnes Missae pro defunctis piae Unioni adscriptis celebratae, gaudent *altari privilegiato.*

Scias demum in fine praedicti Summarii piae Unionis hoc haberi: Praeterea sodales induere sibi poterunt *scapulare* vel *numisma* Mariae Virginis Immaculatae a Praeside Unionis benedictum.

2105. Epilogus rerum notabilium. 1° In pagella adscriptionis piae Unioni de Aracoeli invenitur, Pium VII omnibus eidem piae Unioni adscriptis concessisse easdem indulgentias, quibus gaudent quicumque sumpserunt Scapulare caeruleum a Patribus Theatinis.

2° At documentum hujus concessionis non potuit reperiri, et tunc pia Unio Summo Pontifici supplicavit, ut easdem indulgentias aut confirmaret, aut, si opus fuerit, de novo concederet.

3° Petitioni clementer annuit Pius IX, et ideo praedictae piae Unioni communicavit *singulas indulgentias* quibus gaudet Primaria Sodalitas Scapularis caerulei apud Theatinos de Urbe existens.

4° Eadem indulgentiarum communicatio *extenditur etiam ad ceteras pias Uniones* ejusdem invocationis, quae extra Urbem eriguntur auctoritate Episcopi, exceptis locis ubi sunt Theatini.

5° Emus Card. Patrizi Summi Pontificis Vicarius Generalis, suo Decreto anno 1858, ad cautelam confirmat erectionem piae Unionis, vel de novo erigit et constituit, quatenus opus fuerit.

6° Pia Unio de Aracoeli, cum non sit Archiconfraternitas vel Primaria Sodalitas, non potest alias Sodalitates sibi aggregare.

7° Aliae Sodalitates alibi extra Urbem auctoritate Episcopi canonice erectae, participes sunt indulgentiarum *vi communicationis* per Rescriptum Pii IX anni 1854 concessae.

8° Aggregationes, quae per non rectam interpretationem praefati Rescripti a pia Unione de Aracoeli factae sunt, nullo modo infirmant erectionem Sodalitatum, nec impediunt communicationem

indulgentiarum. Dummodo hujusmodi piae Uniones auctoritate Episcopi canonice erectae fuerint, gaudent proculdubio dicta indulgentiarum communicatione.

9° Si qua pia Unio auctoritate Episcopi canonice erecta, aggregationem petat piae Unioni de Aracoeli, haec pro responso *declarare* potest, illam, ipso facto canonicae erectionis, jam esse participem omnium indulgentiarum, quibus ipsa Sodalitas de Aracoeli gaudet.

10° Hujusmodi epistola *declaratoria,* etsi non necessaria, nihilque ad communicationem indulgentiarum conferat, non incongrue tamen daretur, cum pia Unio Aracoelitana *sit tempore prior, eique directe, ad ejus preces, facta fuerit per speciale Rescriptum ampla concessio.*

11° Cum per saepedictum Rescriptum piae Sodalitati Aracoeli communicentur *singulae indulgentiae,* quibus gaudent fideles Scapulare caeruleum Immaculatae Conceptionis rite gestantes, *prout in Summario a S. Congregatione Indulgentiarum die* 12 *Julii* 1845 *authentice recognito,* consequitur piam Unionem Aracoelitanam eodem Summario uti posse. Quare si aliqua indulgentia in eo reperiatur, quae non sit in *proprio* catalogo adnotata, hac etiam absque dubio fruuntur socii piae Unionis de Aracoeli.

12° Pia Unio de Aracoeli formam et naturam exhibet verae Confraternitatis.

21. ARCHICONFRATERNITAS B. MARIAE VIRGINIS A SALUTE, ET S. JOSEPHI EJUSDEM SPONSI, AC S. CAMILLI DE LELLIS (1).

2106. Jam ab ineunte saeculo XVII colebatur Romae in ecclesia S. Mariae Magdalenae Ministrantium Infirmis imago quaedam mira pietate et arte delineata, sub titulo *Salus Infirmorum.* Fama est, peritorum judicio confirmata, hanc pictam fuisse a B. Joanne Fesulano, vulgo *Angelico,* Dominicanae Familiae alumno; et insuper pia docet traditio esse illam ipsam, coram qua preces fundebat S. Pius V tum, cum victoriam partam de Turcis apud Echinadas insulas divinitus intellexit.

Porro, mortuo sanctissimo Pontifice, in manus pervenit nobilis cujusdam matronae Romanae, a qua, non sine miraculorum inter-

(1) Ex *Rescr. auth.* a pag. 621 usque ad 629.

ventu, illam obtinuit P. Caesar Simonius ex Ordine Clericorum regularium Infirmis Ministrantium, qui Romae morabatur in domo S. Mariae Magdalenae. Statim ac ex privata hujus matronae domo in supradictam ecclesiam delata, publicae fidelium venerationi exposita fuit, coepit B. Virgo tot praeclaris, saepe etiam extraordinariis donis ac beneficiis clientes suos, praesertim infirmos prosequi, ut Vaticanum Capitulum veneratissimam hanc imaginem anno 1668 aureo diademate condecorandam putaverit. Quod et rarissimo exemplo, secundo factum est, anno scilicet 1868, altero recurrente ab ipsa coronatione centenario.

2107. *Sodalitatis origo.* Peculiaris devotionis instinctu humilis quidam Frater Ministrantium Infirmis, nomine Ferdinandus Vicarj, secum cogitare coepit de quadam instituenda Sodalitate sub invocatione B. Mariae Virginis de Salute, cujus esset scopus opem tantae Virginis implorare pro pauperibus infirmis. Et quoniam praecipui infirmorum patroni habentur S. Joseph, beatae Mariae Virginis Sponsus, et S. Camillus de Lellis, hinc invocationi B. Mariae Virginis alteram SS. Joseph et Camilli addendam putavit. Qualis mente concepta fuerat, talis non multo post, die scilicet 15 Junii 1860 Decreto Emi Urbis Vicarii canonice erecta fuit in supradicta ecclesia Sodalitas, quae brevi in plerisque non solum Italiae, sed etiam exterarum nationum civitatibus summo studio excepta est.

2108. *Sodalitatis scopus.* Itaque hujus Sodalitatis scopus est, ut fideles infirmi, praesertim in supremo vitae discrimine, Mariae salutiferae, purissimi ejus Sponsi et S. Camilli de Lellis validissimo patrocinio muniantur.

2109. *Sodalitatis opera.* Alia ex his sunt omnino necessaria, ut sodales frui possint indulgentiis a Summis Pontificibus concessis; alia vero eorum relinquuntur arbitrio, licet vehementer suadeantur. — *Necessaria et essentialia* sunt: 1° quotidiana recitatio *trium Salutationum Angelicarum* in honorem B. Mariae Virginis, et *trium Gloria Patri* in honorem SS. Josephi et Camilli pro omnibus infirmis agonizantibus; 2° quotidiana pariter recitatio unius *Pater, Ave* et *Requiem* pro omnibus sodalibus defunctis. — Quae vero sodalibus commendantur, sunt: 1° opera charitatis in bonum infirmorum et praesertim eorumdem visitatio; 2° assistentia exercitiis pietatis, quae locum habent in ecclesiis Sodalitatis; 3° fervens oratio pro peccatorum conversione.

2110. Summus Pontifex Pius IX per Breve *Sodalitia fidelium* de die 11 Maji 1866 Romanam Sodalitatem *Archisodalitatis* titulo condecoravit cum omnibus juribus et praeeminentiis, quae hujusmodi titulo adnexae sunt.

2111. *Erectio Sodalitatis.* In omnibus ecclesiis Ministrantium Infirmis, de Episcoporum consensu, erigi potest pia Sodalitas *a respectivis Superioribus localibus;* et Sodalitates ita institutae gaudent hoc ipso omnibus indulgentiis, gratiis et privilegiis concessis a Summis Pontificibus Romanae Archisodalitati. In locis autem, ubi non adsunt domus Clericorum Infirmis Ministrantium, pia Sodalitas nonnisi ab Episcopis erigi poterit. Ut autem haec indulgentiis Archisodalitatis Romanae gaudeat, omnino requiritur (vid. n. 1699, 1700, 3) ut a Rmo P. Generali Ordinis Ministrantium Infirmis, obtento prius Ordinariorum consensu, aggregetur eidem Archisodalitati (Rescr. 19 Nov. 1887).

2112. Archisodalitas Romana facultatem habet aggregandi Sodalitates ejusdem nominis et instituti ubique terrarum erectas vel erigendas, illisque communicandi omnes et singulas indulgentias, privilegia, aliasque spirituales gratias sibi concessas.

2113. *Adscriptio in Sodalitatem.* Quilibet Superior domorum Clericorum regularium Infirmis Ministrantium facultate pollet adscribendi Christifideles huic piae Sodalitati. In locis vero, ubi nulla extat horum Religiosorum domus, ii tantum hac uti possunt facultate, qui illam obtinuerint a Rmo P. Generali supremo Moderatore Archisodalitatis. Hi omnes debent 1° nomina fidelium, qui Sodalitati adscribi petunt, referre in catalogum sodalium penes se asservandum; 2° ea peragere, quae praescripta reperiuntur in Rituali Sodalitatis.

2114. Advertendum est, quod sola inscriptio in catalogo sodalium sufficit, ut Christifideles indulgentias lucrari possint. Unde haec inscriptio facienda est propria manu eorum, qui aggregandi pollent facultate. Reliqua vero, quae a Rituali Sodalitatis praescribuntur, pertinent tantum ad solemnitatem, et ideo committi possunt etiam aliis, nec pro lucro indulgentiarum sunt absolute necessaria.

2115. Sodales uti tesseram Archisodalitatis parvum scapulare induunt referens imaginem B. Mariae Virginis salutiferae, ac S. Josephi Deiparae Sponsi, et S. Camilli Confessoris, quod propria formula benedicitur et imponitur. Concedere facultatem benedicendi

dictum scapulare ad Rmum P. Generalem pertinet, qui simul tribuere solet potestatem benedicendi coronas Domini pro agonizantibus *cum indulgentia centum annorum.*

2116. Christifideles cooptati in numero sodalium in locis, ubi Sodalitas adhuc non est canonice instituta, pertinere censentur ad Romanam Archisodalitatem. Hinc quolibet anno Romam mittenda erunt nomina eorum, qui ejusdem anni decursu piae Sodalitati adscripti fuerunt.

2117. In locis, ubi non extat ecclesia Sodalitatis, sodales, si regulares, ecclesiam Ordinis; si vero saeculares, ecclesiam parochialem visitare poterunt. Moniales autem, aliaeque mulieres in clausura commorantes Sodalitati adscriptae, vel adscribendae, etiam in locis, ubi extat ecclesia Sodalitatis, loco ipsius visitare poterunt e cratibus exteriorem ecclesiam, si habeant; secus oratorium internum pro lucrandis indulgentiis Archisodalitatis (Vid. *Rescr. auth.* loc. cit., ubi jacet etiam Summarium Indulgentiarum etc.).

22. SOCIETAS CINCTURATORUM SUB INVOCATIONE B. MARIAE VIRGINIS DE CONSOLATIONE, S. AUGUSTINI ET S. MONICAE (1).

2118. Usus cincturae antiquissimus est, maxime apud populos orientales et praecipue apud Hebraeos. Cincturam gestabat populus Israël, cum ad promissionis terram proficiscebatur. Cinctura utebantur Sacerdotes et Prophetae, qui praecepta Dei populis annuntiabant. Zonam pelliceam circa lumbos habebat Praecursor Domini, dum ad ripas Jordanis baptismum poenitentiae praedicabat. Et etiam Apostoli, juxta praeceptum Domini, cinctura circa lumbos praecincti incedebant. Quinimo Dominus ipse se praecinxisse in Evangelio legitur. Virgines quoque in signum pudicitiae cinctura ornatae prodibant. Quare extra omnem dubitationem est, etiam beatam Virginem, juxta morem gentis suae, cincturam gestasse, prout testantur pii doctique scriptores Graeci et Latini.

---

(1) Cf. Opellam, cui titulus: *Summarium Indulgentiarum concessarum Societati Cincturatorum* etc. Romae an. 1888 editam, quae a Rmo Priore Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini tradi solet Sacerdotibus respectivas facultates postulantibus. Ex ea praecipua de re excerpsimus. — Vid. etiam Moroni, *Dizionario di erudizione,* verb. *Cintura.* — Quoad significationes Cincturae vid. Macri, *Hierolexicon,* verb. *Cingulum.*

2119. Origo devotionis erga S. Cincturam B. Mariae Virginis sequenti modo explicari solet. S. Monica mater S. Augustini cum summo dolore afficeretur non solum propter mortem Patritii viri sui, sed etiam et multo magis propter diuturnas filii sui Augustini aberrationes, ad Matrem Consolationum confugit, eam deprecans ut sibi levamen afferret in suis necessitatibus, atque solatium in suis angustiis, ostenderetque simul quomodo induta incedere deberet suae viduitatis tempore.

2120. Sanctissima Virgo statim apparuit ei nigro indumento ornata, atque zona pellicea renibus accincta, simulque tota coruscans fulgore coelesti et circumdata choris Angelorum. Ad se illam attrahit extasi jucundissima, ac suavi quadam voce sic illam affatur: *Filia, haec sit forma vestimentorum tuorum,* detractaque sibi illa ipsa zona pellicea: *Accipe,* subjunxit, *hoc est gratum signum amoris mei: hoc Cingulum consecratum hoc sinu, qui Deum continebat, hoc Cingulum,* inquam, *abhinc in posterum circumdet lumbos tuos absque eo quod illud unquam dimittas: esto tibi studium diffundendi ad honorem meum devotionem erga hanc venerandam Cincturam; nam ego tibi polliceor me habituram tamquam filios mihi charissimos eos omnes, qui se mihi ostendent ornatos hoc sanctissimo signo, quod erit aliquando prodigium universi mundi.*

2121. Hac superna visione refecta et confortata S. Monica, exprimi nequit quanta deinde fide ac devotione circa lumbos suos hoc pretiosum signum gestaverit, quantoque zelo se accinxerit ad explendum munus a Maria acceptum diffundendi devotionem erga suum sacrum Cingulum. Sine mora patefecit Monica habitam visionem D. Ambrosio ac S. Simpliciano, qui prae magna existimatione, qua piam Augustini matrem prosequebantur, nihil haesitarunt sibi ipsis lumbos zona pellicea religiose praecingere.

2122. S. Monica habuit postea consolationem videndi filium Augustinum nedum ad veram fidem conversum, sed etiam hoc regali signo munitum eodem temporis puncto, quo per manus S. Episcopi Ambrosii sanctum Baptisma suscepit. En ipsamet ejusdem divi Ambrosii verba: *Novum christianum, novis vestimentis, cuculla nigra induimus, cingulo ex corio praecinximus* (Ambros. serm. 29 de Baptism. S. August.). — Hinc factum est ut magnus Augustinus evaserit deinceps apostolus studiosissimus tum per se tum per religiosum Ordinem a se institutum, provehendi cultum

sacrae Cincturae, quam eidem Ordini tradidit tamquam nobilissimam vestimenti sui tesseram.

2123. Cultus sacrae Cincturae B. M. Virginis litteris Apostolicis approbatus et commendatus fuit a pluribus Romanis Pontificibus, qui etiam indulgentiarum thesaurum aperuerunt favore eorum fidelium, qui hunc cultum sectarentur. Eugenius IV, ut piis fidelium desideriis obsecundaret, suo Decreto emanato sub die 14 Augusti 1439, quod incipit *Solet pastoralis Sedes,* facultatem fecit Ordini Eremitarum S. Augustini instituendi *Sodalitia* utriusque sexus fidelium *sub titulo Cincturatorum beatae Mariae Virginis,* eisdem concedens magnam indulgentiarum copiam.

2124. Inter Confraternitates sacrae Cincturae eminet illa, quae erecta reperitur Bononiae in ecclesia Augustinianorum S. Jacobi, quae proinde a Gregorio XIII Bononiensi ad gradum *Archiconfraternitatis* evecta fuit cum facultate sibi aggregandi quamcumque aliam ejusdem nominis Confraternitatem (Breve *Curandum* 1576). Vocantur, ut diximus, *Confraternitates Cincturatorum B. M. V. Matris Consolationis,* vel *Cincturae S. Augustini et S. Monicae,* vel simpliciter *Confraternitates Cincturatorum.*

2125. Laudatus Pontifex Gregorius XIII, Brevi *Volentes* 12 Novembris 1579 statuit ac praecepit, ut *aggregationis diplomata* non expediantur, nisi a Rmo P. Priore Generali Ordinis Eremitarum S. Augustini pro tempore existente.

Pro erigenda Confraternitate Cincturatorum requiritur:

1. Porrigere supplicem libellum Rmo P. Priori Generali Ordinis praedicti.

2. Exhibere litteras testimoniales Ordinarii, qui suum consensum praebeat.

3. Indicare titulum et nomen ecclesiae, et civitatis vel loci, ubi supradicta Confraternitas erigenda est.

4. Tradere oblationem 50 obolorum.

2126. Ad eumdem P. Priorem Generalem recurrendum est pro deputatione Sacerdotis saecularis (vel regularis alterius Ordinis) ad benedicendum scapularia et cincturas Sodalitii Cincturatorum. Deputatio enim Sacerdotis Ordini Eremitarum S. Augustini extranei, inscio P. Priore Generali, non sustinetur (Cf. Decr. 5 Febr. 1748. N. 169).

2127. Ut fidelis confrater vel consoror evadat requiritur, ut in Sodalitium recipiatur a Sacerdote legitimam facultatem habente adscribendi fideles Confraternitati Cincturatorum.

2128. *Obligationes Cincturatorum* sunt:

1. Gestare circa lumbos sacram Cincturam ex corio aut ex pelle nigra cum annulo osseo nigro, benedictam ab eo qui legitimam habeat facultatem.

2. Recitare quotidie tredecim *Pater,* tredecim *Ave Maria* et unam *Salve Regina,* aut loco hujus (pro nescientibus) quinque *Ave Maria,* orando pro Summo Pontifice, ac felici statu S. Matris Ecclesiae.

3. Jejunare in vigilia S. Augustini, die 27 Augusti.

4. Adimplere omnia opera injuncta, quae pro singulis indulgentiis lucrandis praescribuntur, quaeque notantur in Summario.

Advertendum est, quod praefatae obligationes non obligant sub peccato; verumtamen qui eas non adimplet, nequit lucrari eas indulgentias, pro quibus assequendis praedictae obligationes sunt impositae.

2129. « *Summarium Indulgentiarum concessarum Archiconfraternitati Cincturae B. V. Mariae Matris Consolationis et S. Augustini et S. Monicae, depromptum e Summario approbato a Summo Pontifice Clemente X* » Brevi *Ex injuncto Nobis* 27 Martii 1675, invenitur apud Rescr. auth. pag. 505, n. 40.

2130. Inter tot tantasque indulgentias a Summis Pontificibus concessas utriusque sexus *fidelibus Archiconfraternitati Cincturae S. Augustini et S. Monicae sub invocatione B. M. V. de Consolatione adscriptis,* duae in Summario reperiuntur speciali mentione dignae; nempe indulgentia *ad instar Portiunculae* 1° *In Nativitate B. M. V.;* 2° *In Dominica sequente festum S. Nicolai de Tolentino.*

Cum autem aliquod dubium exortum fuerit circa amplitudinem praedictae indulgentiae, quaesitum est:

An indulgentia, uti illa Portiunculae, concessa Cincturatis S. Augustini et S. Monicae, qui cum injunctis conditionibus visitaverint Ordinis ecclesiam et altare vel capellam Confraternitatis in festivitate B. M. V. a primis usque ad secundas Vesperas, et alia concessa item praedictis, qui in die Dominica festum S. Nicolai a Tolentino immediate sequenti a primis Vesperis usque ad totam illam diem cum conditionibus injunctis visitaverint capellam S. Nicolai et altare Confraternitatis, possit *toties quoties* acquiri, vel *semel tantum* in unoquoque ex dictis diebus festis?

Eminentissimi Patres, auditis Consultorum votis, rescripserunt:

Affirmative ad primam partem, *Negative* ad secundam (Decr. 24 Junii 1879. N. 446; et etiam apud *Rescr. auth.* pag. 507 in nota).

2131. Pius VII clementer indulsit, ut confratres et consorores Confraternitatis *della Cintura* nuncupatae, qui FF. Ordinis S. Augustini vel ejusdem Confraternitatis ecclesiam ob distantiam locorum diebus, in quibus indulgentiae concessae reperiuntur, visitare nequiverint, vel quod aliquibus in locis ecclesiae praedictae minime existant, easdem indulgentias lucrari possint et valeant, *dummodo respectivam parochialem ecclesiam visitaverint* et alia pia opera injuncta fideliter ac devote exequantur (*Rescr. auth.* Decr. 3 Aug. 1819. N. 336, pag. 256).

23. ARCHISODALITAS S. JOSEPHI DEIPARAE IMMACULATAE SPONSI (1).

2132. Plurimi Almae Urbis Christifideles probe intelligentes, quanta omnium virtutum copia S. Josephus Deiparae Immaculatae Sponsus, divino praeconio *Justus* appellatus, eluxerit, piam Unionem sub titulo ejusdem circa annum 1860 in ecclesia parochiali S. Rochi de Urbe canonice instituerunt.

2133. *Finis* praecipuus hujus piae Unionis est, ut sodales S. Josephi virtutes ad imitandum sibi aliisque proponentes, ejusque cultum inter fideles amplificare curantes, patrocinium coeleste sibi adipiscantur.

2134. Summus Pontifex Pius IX, cui cordi maxime fuit, ut erga S. Josephum fidelium devotio augeretur, per Breve *Expositum est nuper,* die 14 Martii 1862, piam Unionem quamplurimis indulgentiis ditavit, et per alterum Breve, quod incipit *Universi Dominici gregis,* die 23 Septembris ejusdem anni, praefatam piam Unionem *in Archisodalitatem* cum omnibus et singulis praerogativis, juribus et praeeminentiis solitis perpetuo erexit et instituit.

2135. Archisodalitatis autem sic erectae Officialibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque Confraternitates ejusdem nominis atque instituti extra Urbem ubique existentes, eidem Archisodalitati, servata forma Constitutionis *Quaecumque* Clementis

(1) Ex Brevibus Summorum Pontificum Pii IX et Leonis XIII penes libellum « *De instituendis S. Joseph Deiparae Sponsi Sodalitiis* », et *Rescr. auth.* pag. 567.

VIII, de consensu tamen respectivi Ordinarii, *aggregare illisque omnes et singulas indulgentias* ipsi piae Unioni, sic in Archisodalitatem erectae, a Sede Apostolica concessas, et alias *communicare* libere et licite possint et valeant, perpetuo idem Pontifex concessit et indulsit.

2136. Quapropter quaecumque Sodalitas in honorem S. Joseph, alibi ab Episcopo erecta aut erigenda, voluerit Romanae Archisodalitati associari, ut iisdem privilegiis ac spiritualibus beneficiis fruatur, praestare id pro libito poterit, recurrendo ad R. Parochum ecclesiae S. Rochi in Urbe, Archisodalitatis Praesidem.

2137. Sodales S. Joseph, quo facilius Sodalitatis finem supra enuntiatum consequantur, sequentia praestare satagant, quin tamen ad ea obligentur sub culpa: 1. Mensem Martium integrum honori S. Joseph dedicare. — 2. Septem dies Dominicos continuos S. Joseph sacrare. — 3. Solemnem dedicationem offerre S. Joseph tum suiipsius, tum rerum omnium, quae propriae curae ac regimini subsint. — 4. Coronam septem dolorum et septem gaudiorum S. Joseph recitare. — 5. Quinque psalmos recitare, quorum litteris initialibus nomen S. Joseph componitur. — 6. Recitare quotidie in honorem Sancti septem *Gloria Patri* pro confratribus adscriptis. — 7. Deferre cingulum S. Joseph rite benedictum, tamquam balteum firmissimum ad castitatis praesidium et tutamen.

2138. Quoad praedictum cingulum sciendum est, Summum Pontificem Pium IX per citatum Breve *Expositum est nuper,* Praesidi piae Unionis pro tempore existenti concessisse facultatem benedicendi cingula a S. Josepho nuncupata cum applicatione indulgentiarum, eisdem a S. Sede adnexarum, eademque sodalibus tradendi, servata formula a S. Rituum Congregatione approbata die 19 Septembris 1859. Leo vero PP. XIII, Brevi diei 15 Septembris 1882, indulsit insuper, ut Archisodalitas S. Joseph communicare valeat in perpetuum *Rectoribus pro tempore Confraternitatum aggregandarum* eamdem facultatem, benedicendi scilicet, juxta praefatam formulam, cingula S. Josephi cum applicatione earumdem indulgentiarum, illaque distribuendi Christifidelibus praefatis sodalitiis adscriptis.

Archisodalitas S. Josephi de Urbe eximiis privilegiis et indulgentiis ditata est, quorum Summarium vide apud *Rescr. auth.* pag. 567, vel in parvo libello, cui titulus: *De instituendis S. Joseph Deiparae Sponsi Sodalitiis.*

2139. Sodales cingulum S. Josephi assumentes, praeter indulgentias Archisodalitatis proprias, fruuntur etiam illis, quae a Pio PP. IX, Brevi *Quum sicut accepimus,* die 7 Augusti 1860, concessae sunt Archiconfraternitati Cinguli S. Josephi, quae reperitur erecta Veronae in ecclesia S. Nicolai.

24. CONGREGATIO BONAE MORTIS (1).

2140. Sodalitas *Bonae Mortis* in templo domus Professorum Societatis Jesu, vulgo *del Gesù,* in Urbe existens, a Rmo P. Caraffa Praeposito Generali ejusdem Societatis instituta fuit anno 1648. Tunc temporis vespertinis horis diei Veneris cujuslibet hebdomadae magnus fidelium numerus consueverat in dictam ecclesiam convenire, ubi exposito SS. Sacramento, a duobus Patribus Societatis Jesu pii sermones recitabantur de poenis et doloribus, quos Redemptor noster pertulit in sua passione, et ejus sanctissima Mater, dum staret sub cruce Domini Filii sui. Piis precibus a fidelibus in communi ad Deum effusis devotissima functio claudebatur, ex qua quidem uberes fructus spirituales in devotum populum redundabant. Tali modo Congregatio Bonae Mortis pedetentim constituta est.

2141. Sodalitatibus ejusdem instituti valde deinceps multiplicatis in aliis civitatibus, in locis praesertim, ubi domus et ecclesiae Societatis Jesu reperiebantur, Benedictus XIII, Bulla *Redemptoris nostri,* 1 Octobris 1729, piam Congregationem Romanam in *Archiconfraternitatem* seu *in Primariam et centralem Congregationem* evexit et indulgentiis ditavit; ac insuper Praepositum Generalem vel Vicarium Generalem laudatae Societatis Jesu supremum dictae Archiconfraternitatis Moderatorem constituit, collata interim eidem plena potestate alias similes Congregationes in propriis ecclesiis erigendi, Primariae Romanae aggregandi, et indulgentias Primariae concessas eisdem communicandi.

2142. Pius VII per Rescriptum S. Congr. Indulgentiarum diei 6 Februarii 1821 (*Rescr. auth.* N. 338) praedictos favores confirmavit, et Leo XII, Rescripto de die 22 Januarii 1827, praefato

(1) Cf. Instructio de Congregationibus Bonae Mortis rite instituendis; Beringer, tom. II, pag. 292; Constit. *Redemptoris* Bened. XIII apud Minderer, part. I, append. tertia, pag. 451.

Praeposito Generali tribuit facultatem instituendi hujusmodi Sodalitates etiam in ecclesiis, quae non pertinent ad Societatem Jesu, easque *Primariae* aggregandi cum communicatione indulgentiarum.

2143. Congregationes Bonae Mortis in qualibet ecclesia pro omnibus utriusque sexus fidelibus institui possunt. Ad observantiam legis *distantiae* et *formulae* erectionis et aggregationis per Bullam *Quaecumque* Clementis VIII, non amplius tenentur post Rescripta S. Congr. Indulgentiarum d. d. 16 Sept. 1882 et 21 Martii 1885, quibus Leo PP. XIII ab ea observanda dictas Congregationes exemit. Praeterea Rescripto diei 23 Junii 1885 idem Pontifex sanavit omnes defectus et irregularitates, si quae extiterint sive in erectionibus et aggregationibus Sodalitatum, sive in receptione fidelium.

Praedictae Congregationes Bonae Mortis erigi quidem possunt etiam ab Episcopis, sed ut indulgentiis gaudeant necesse est, ut *Primariae Romanae* aggregentur a Praeposito Generali Societatis Jesu (Rescr. 17 Sept. 1887).

Sciendum est, integrum titulum harum Congregationum esse sequentem: *Congregatio sub invocatione D. N. J. C. in cruce morientis ac beatissimae Virginis Mariae ejus Genitricis perdolentis,* vulgo *Bonae Mortis.*

2144. *Finis* hujus Congregationis in eo situs est, ut fideles ad mortem quam felicissime obeundam rite disponantur per jugem passionis Christi memoriam, ejusque publice privatimque recolendae studium, ac imprimis per vitam recte et christiane institutam.

2145. *Exercitia communia.* Sodales conveniunt vespere in ecclesiam Congregationis singulis feriis sextis vel diebus Dominicis, vel saltem semel vel bis in mense, atque exposito SS. Sacramento, concione vel instructione vel meditatione de sacratissima Passione Domini nostri, vel de Doloribus beatissimae Virginis, sive de quatuor Novissimis, excitantur ad disponendos seipsos ad mortem pie obeundam, atque vitam suam recte instituendam. In eumdem finem preces fundunt communes, in quibus memores sunt sociorum tam morbis afflictorum, quam vita defunctorum.

2146. *Bona opera,* ad quae socii, etiam propositis indulgentiarum thesauris, alliciuntur, sunt imprimis haec: — ut frequenter Sacramentis utantur, maxime diebus, quibus ad exercitia communia Congregationis in ecclesiam conveniunt; — ut semel in mense, vel saltem aliquoties in anno, diem (maxime illum, qui ab ipsa

Sodalitate ad id est deputatus) integrum in eo consumant, ut se ad mortem pie obeundam disponant; — ut etiam diebus ferialibus SS. Missae sacrificio assistant; — ut opera misericordiae exerceant, infirmos invisant atque procurent ut mature ultimis Sacramentis recreentur; — ut mortuos pie ad sepulchrum deducant, pro eis orent; — ut poenitentiae operibus Christo patienti et Matri dolorosae se conforment; — ut precibus se invicem ad mortem pie obeundam adjuvent.

2147. Sodales ut plurimum a Praeside ipso per Episcopum constituto recipiuntur. Attamen Summus Pontifex Leo XIII, Rescripto S. Congregationis Indulg. d. d. 23 Junii 1885, indulsit pro Congregationibus Bonae Mortis, ut id muneris a Praeside, ex causa rationabili, alteri Sacerdoti possit demandari. Adscriptorum nomina in catalogum sociorum adscribi debent.

2148. « Summarium Indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum Congregationi Primariae Bonae Mortis Romae in templo domus Professorum Societatis Jesu erectae » reperitur apud *Rescr. auth.* 77, pag. 638.

25. CONFRATERNITAS CHORDIGERORUM.

2149. Summus Pontifex Sixtus V, Constitutione quae incipit: *Ex supremae dispositionis,* de dato 19 Novembris 1585 motu proprio et certa scientia erexit et instituit in ecclesia S. P. N. Francisci civitatis Assisii, ubi corpus Seraphici Patriarchae quiescit, Archiconfraternitatem Chordigerorum, *fidelium* nempe *utriusque sexus, qui chordam per ejusdem Ordinis* (Minorum) *Fratres geri solitam ex illorum devotione deferant, ac illa cingantur sub invocatione ejusdem S. Francisci.* Sciebat enim Pontifex, Seraphicum Patrem tanta praestitisse sanctitate, tot tantisque claruisse signis et miraculis, *ut pene omnes ad sui devotionem et imitationem pertraxerit, multique ex ipsis Christifidelibus chordam similem ei, qua ipse dum in hoc saeculo versaretur cinctus erat, hodie deferant* (Cf. cit. Const. apud Wadding. tom. XXII, pag. 354).

2150. Vigore memoratae Constitutionis jus erigendi ubique in ecclesiis Franciscalibus Confraternitatem Chordigerorum est penes Ordinem Minorum Conventualium, *privative quoad omnes, ubi ipsi existunt.* Omnes autem Chordigerorum Confraternitates in posterum erigendas laudatus Pontifex Sixtus V aggregavit *ex tunc* Ar-

chiconfraternitati Assisiensi. Quod confirmatur ex Constitutione Pauli V *Nuper Archiconfraternitati* sub dato 11 Martii 1607, ubi legitur: Quae quidem Confraternitates, si et postquam erectae et institutae fuerint, eidem Archiconfraternitati S. Francisci Assisiensis, juxta praedictam Sixti V Constitutionem, *sint et esse intelligantur aggregatae* (1).

2151. In locis vero, *in quibus non existunt Conventus Ordinis Minorum Conventualium,* praedictas Confraternitates erigere possunt *Minores de Observantia in suis ecclesiis,* ex concessione Sixti V, Constitutione *Divinae charitatis* diei 29 Augusti 1587; Pauli V, Constitutione *Nuper Archiconfraternitati* supra citata; et Clementis X, Constitutione *Dudum felicis* de die 13 Julii 1673 (Cf. Ferraris, verb. *Confraternitas,* art. I, n. 22 et 23).

2152. Unde Paulus V in citata sua Const. *Nuper* etc., edita pro Confraternitatibus erectis et erigendis a nostra Religione Minorum de Observantia, ait:

Cum autem ex concessione fel. rec. Sixti PP. V Praedecessoris Nostri, dilectis Filiis Ministro Generali et Commissario Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia *in ecclesiis eorum Ordinis,* in locis videlicet in quibus *ecclesiae vel Conventus Fratrum Conventualium non existerent, hujusmodi Confraternitatem Chordigerorum erigendi et instituendi facultas impertita fuerit,* Nos eisdem Ministro Generali et Commissario Generali specialem gratiam facere, et *Christifidelium* spirituali consolationi prospicere volentes... tenore praesentium facultatem et auctoritatem *perpetuo duraturam* concedimus et impertimur, ut in ecclesiis eorum Ordinis tantum, ac in locis, in quibus non existunt Conventus, vel ecclesiae Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, *Confraternitates Chordigerorum* S. Francisci utriusque sexus *erigere* et *instituere,* illisque sic erectis et institutis indulgentias et gratias spirituales supradictas (nempe ipsis jam concessas) communicare libere et licite *possint et valeant,* servata tamen forma in praedictis Constitutionibus Sixti et Clementis tradita (Vid. Ferraris loc. cit., ubi ex integro refertur Pauli V Constit.).

---

(1) Plures Romanorum Pontificum Constitutiones Confraternitates Chordigerorum respicientes inveniuntur simul collectae in libro, cui titulus « De Chordigeris », Romae edito anno 1883, typis Guerra et Mirri; cf. etiam Lantusca, verb. *Confraternitas*; Matthaeucci, *Officialis Curiae Ecclesiasticae*, cap. XIV.

2153. In locis ubi non existunt *Conventus Minorum Conventualium et Observantium,* Chordigerorum Confraternitates erigere potest in suis ecclesiis Minister Generalis Tertii Ordinis regularis, illasque sic erectas et institutas praefatae Archiconfraternitati Assisiensi cum omnibus et singulis indulgentiis aggregare; idque ex concessione Gregorii XV per suam Constitutionem incipientem *Alias a fel. rec. Sixto PP. V,* de die 27 Junii 1622 (Vid. Bullam in libro sup. cit. *De Chordigeris,* p. 52).

2154. Ex eadem Bulla eruitur, ideo non excipi pro Tertiariis regularibus loca, ubi Minores Capuccini reperiuntur, quia *Fratres Capuccini Confraternitates Chordigerorum in ecclesiis eorum Domorum seu Conventuum erigere et instituere non consuescunt.*

2155. Benedictus XIII per Constitutionem *Sacrosancti Apostolatus* die 30 Sept. 1724, Ministro Generali Ordinis Minorum Conventualium concessit, ut in locis, *in quibus ecclesiae dicti Ordinis non existunt,* de Ordinariorum licentia *Confraternitates Chordigerorum erigere et instituere possit et valeat* cum omnibus privilegiis et indulgentiis (Cf. dicta Constit. apud libr. *De Chordigeris,* p. 76).

2156. Receptio fidelium in dictas Confraternitates spectat, juxta Pontificias Constitutiones, ad Superiores Ordinis Minorum, *intelligendo per Superiores,* ut declarat Sixtus V, *etiam Guardianos et Praesidentes.* Volumus, ait Pontifex in Const. *Divinae charitatis,* ut chordam Ordinis S. Francisci, quam confratres utriusque sexus gestare debent, *Superiores Ordinis Minorum benedicant.*

2157. Idem Sixtus V et Paulus V concedunt *indulgentiam plenariam* omnibus Christifidelibus, qui in *memoriam et reverentiam S. Francisci* chordam benedictam ab ejusdem Ordinis Superioribus suscipientes, praedictas Confraternitates ingrediuntur. Ubi, ut vides, indicatur praecipuus finis hujus piae Societatis, qui est *specialis honor* tam mirabili Sancto exhibendus.

2158. Ex benigna Summi Pontificiis Pii IX concessione Guardiani et Praesidentes, *in casu legitimi impedimenti,* quemlibet Religiosum ex familia, qui sit Confessarius approbatus, subdelegare possunt tum ad benedicendam chordam, tum ad Absolutionem et Benedictionem Chordigeris in *articulo mortis* constitutis impertiendam. En super re authenticum documentum (*Rescr. auth.* N. 429, pag. 666):

Beatissime Pater,

Fr. Antonius M. Adragna, Minorum Conventualium Vicarius Generalis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit, quod fel. rec. Sixtus V (Constit. *Ex supernae* ann. 1585), concessa Minorum Conventualium Generali pro tempore facultate erigendi Chordigerorum Confraternitates in ecclesiis Franciscanis tam Conventualium, quam Observantium ac Capuccinorum; et (Constit. *Divinae charitatis* ann. 1587) eadem facultate itidem Generali pro tempore Minorum Observantium concessa pro ecclesiis sui Ordinis, in duabus supradictis Constitutionibus statuit, chordam benedicendam esse (in qua chordae benedictione Chordigerorum adscriptio consistit) a Superioribus, intelligendo per Superiores etiam Guardianos et Praesidentes.

Porro interdum accidit, ut tam Guardianus, quam Praesidens vel Vicarius impediti sint vel ad chordam benedicendam, vel ad indulgentiam plenariam impertiendam Christifidelibus in *articulo mortis* constitutis, antea jam Chordigeris adscriptis. Orator idcirco petit, ut Superiores locales Minorum Conventualium et Minorum Observantium, in casibus personalis impedimenti, ut supra, facultatem habeant alium ex propria communitate delegandi ad effectum sacrae chordae benedicendae, vel indulgentiae plenariae in *articulo mortis* impertiendae Christifidelibus antea jam inter Chordigerorum numerum adscriptis.

Quod Deus etc.

SSmus D. N. Pius PP. IX in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 23 Aprilis 1876, Oratorum precibus annuens, clementer indulsit ut Superiores locales utriusque Ordinis, nempe Minorum Conventualium, et Minorum Observantium, videlicet Guardiani et Praesidentes, *in casu tantum legitimi impedimenti,* quemlibet Religiosum ex familia sibi benevisum, qui tamen ad audiendas Confessiones sit approbatus, *subdelegare possint tum ad benedicendam chordam* pro Christifidelibus Societatem Chordigerorum ingredientibus, *tum ad Absolutionem et Benedictionem iisdem Chordigeris in articulo mortis constitutis impertiendam,* juxta privilegia a Summis Pontificibus iisdem praefatis Ordinibus

collata, servata in reliquis forma et tenore primaevarum concessionum, et ceteris de jure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 23 Aprilis 1876.

Loco ✠ Sigilli

I. Card. Ferrieri, *Praefectus*.
Dominicus Sarra, *Substitutus*.

2159. Chordigeri nullum contrahunt onus, quod sub peccato obliget. Chordam continuo deferre debent renibus cinctam; nisi deferant, indulgentias non lucrantur. Ad has assequendas necesse est, ut per se patet, adimplere conditiones pro qualibet indulgentia praescriptas.

2160. Sixtus V per chordam S. Francisci intelligit *ipsam chordam per ejusdem Ordinis Fratres geri solitam, quae prius a Superioribus dicti Ordinis benedici debeat.* Confecta proinde esse debet ex cannabe vel lino aut etiam ex lana, prout fert usus apud Fratres Ordinis Minorum.

2161. Prima chorda deperdita, vel obsoleta, vel sic rupta, ut non amplius cingere valeat, tunc alia assumi debet. Haec tamen secunda chorda, prout ceterae quae deinceps assumuntur, benedictionem non requirit; siquidem prima tantum necessario benedicenda est a Superioribus Ordinis vel ab alio Sacerdote legitima facultate praedito.

2162. Nomina recipiendorum vel receptorum in Albo Confraternitatis inscribi debent, et si in loco non reperiatur Confraternitas erecta, ad proximiorem Confraternitatem transmittantur.

2163. Utile putamus hic adjungere diploma, quod Rmus P. Minister Generalis Ordinis Minorum Conventualium concedere solet Sacerdotibus, qui facultatem petunt adscribendi fideles in praedictam Confraternitatem Tenor est sequens:

Rme Pater Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium.

Rev. Dnus... Sacerdos dioecesis... pro suo devotionis studio erga Seraphicum Patrem sanctum Franciscum inspecto Christifide-

lium bono, enixe postulat a Paternitate Tua Reverendissima facultatem benedicendi funiculos Seraphici Patriarchae, cisque praecingendi utriusque sexus Christifideles, atque eosdem fideles adscribendi Chordigerorum sancti Francisci Confraternitati, adeo ut ipsi sic praecincti et adscripti eisdem perfrui valeant spiritualibus gratiis, quibus Fratres et Sorores gaudent Assisiensis Chordigerorum Seraphicae Archiconfraternitatis; sperans fore ut posthac, aucto praecinctorum numero, facile instituere, auctoritate iterum petenda a Rma Paternitate Tua, et erigere in ipso eorumdem praecinctorum loco formalem Chordigerorum Fraternitatem. Quorum etc.

Piis Oratoris precibus annuentes, auctoritate Apostolica benigne Nobis hac in parte commissa, eidem facultatem impertimur ut (dummodo locus tria passuum millia distet a Conventibus Ordinis Nostri) omnes utriusque sexus Christifideles funiculo de more per ipsum benedicto praecingere valeat, eosque praecinctos, quos recipimus, adscribere Nostrae Seraphicae Chordigerorum Assisiensi Archiconfraternitati. Eisdemque fidelibus praecinctis et adscriptis, injunctaque Chordigerorum opera implentibus, omnia spiritualia bona, quibus consodales praedictae Archiconfraternitatis perfruuntur, concedimus et communicamus: ea tamen lege ut praecinctorum praecinctarumque nomina semel saltem in anno mittantur et adnotentur in libro Chordigerorum Confraternitatis rite institutae et erectae sive in propinquiori Nostri Ordinis ecclesia sive in alia quacumque, vel adnotentur in libro ipsius laudatae Archiconfraternitatis, missis praedictis nominibus ad Reverendum Patrem Custodem seu Superiorem sacri Conventus atque Patriarchalis Basilicae Assisiensis: eo usque dum in eodem fidelium praecinctorum loco, sufficienter adaucto eorum numero, ipsa Chordigerorum Confraternitas auctoritate Nostra fuerit instituta. In quorum etc.

Datum Romae ad SS. XII Apostolos, die... anno...

N. N., *Minister Generalis.*

2164. In Capitulo Generali septuagesimo septimo, Romae in Conventu S. Mariae de Aracoeli die 5 mensis Junii 1688 celebrato, non solum Patribus Guardianis Conventuum ordinatur, ut omnem adhibeant diligentiam, quatenus sacrum Tertii Ordinis pro saecularibus institutum ubique promoveatur, sed insuper statuitur, *ut in quolibet regularis Observantiae Conventu Confraternitas Chor-*

dae S. P. Francisci, ad praescriptum Constitutionis Sixtinae, quamcitius erigatur (Chronol. Ord. Perusini, pars. I, pag. 315, n. 44).

2165. Confraternitas Chordigerorum non est confundenda cum Tertio Ordine, prout non pauci faciunt propter chordam quae utrique communis est; differunt enim in pluribus:

1. Quia Tertius Ordo ab ipso Seraphico P. S. Francisco institutus est; Confraternitas vero Chordigerorum auctorem habet clarissimum filium ejusdem Seraphici Patriarchae, nempe Sixtum PP. V.

2. Tertius Ordo, ut ex titulo patet, est Ordo; societas autem Chordigerorum est Confraternitas.

3. Tertius Ordo regulam habet a S. Sede approbatam; Confraternitas autem Chordigerorum regitur statutis ab Ordinario approbatis.

4. Tertiarii, praeter chordam, habitum vel ejus loco parvum scapulare deferunt; dum Chordigeri chorda tantum cinguntur.

2166. Indulgentiae concessae Archiconfraternitati Chordigerorum (Vid. *Rescr. auth.* pag. 432).

Clemens Papa X, Brevi edito die 13 Julii 1673 *Dudum felicis,* quod in Romano Bullario (Tit. VII, pag. 225) integrum habetur, confirmavit, et innovavit Litteras Pauli PP. V *Cum certas* die 2 Martii 1607 expeditas, et omnibus praeterea utriusque sexus Christifidelibus, qui sacrae Chordae S. P. Francisci Archiconfraternitati a sa. me. Sixto Papa V per Constitutionem *Ex supernae dispositionis* die 19 Novembris 1585 in Ara majori Basilicae Patriarchalis, et nunc Capellae papalis, Assisii primo erectae et Confraternitatibus ipsi ex tunc aggregatis, institutis, legitimeque quandocumque instituendis, adscripti fuerint, sequentes concessit indulgentias et spirituales gratias:

I. Illis nempe Christifidelibus, qui pie in memoriam S. P. Francisci *chordam* benedictam ab ejusdem Ordinis Superioribus suscipientes, in Seraphicam Chordigerorum Societatem ingrederentur: *die primo eorum ingressus,* si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpsissent, indulgentiam *plenariam.*

II. Confratribus autem et consororibus adscriptis, etiam vere poenitentibus et confessis et sacra Communione refectis, qui Societatis ecclesiam seu oratorium in *festo principali* Archiconfraternitatis a primis Vesperis usque ad occasum solis devote visitassent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, etiam *plenariam.*

III. Eisdem confratribus et consororibus in mortis quoque articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere poenitentes Nomen Jesu ore, si possent, sin minus, corde devoto invocaverint, *plenariam* similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem.

IV. Confratribus et consororibus ipsis, qui Confraternitatis processioni singulis mensibus fieri solitae interfuissent, *tres annos et totidem quadragenas.*

V. Iis vero, qui Officio B. Mariae Virginis ab ejusdem Societatis confratribus pro tempore celebrando et recitando, aut cuivis alteri Officio pariter interessent, *centum dies.*

VI. Chordigeris eisdem, qui SS. Sacramentum quando ad infirmos deferretur, comitati fuissent, *quinque annos et totidem quadragenas.*

VII. Confratribus pariter et consororibus, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti aliquam Ordinis Minorum ecclesiam a primis Vesperis usque ad solis occasum in festivitatibus S. P. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventurae, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini et S. Clarae; nec non SS. Stigmatum, S. Didaci, S. Petri de Alcantara, SS. Martyrum ejusdem Ordinis, S. Ludovici regis Francorum, et S. Elisabethae reginae Hungariae, devote visitassent, et ibi, ut praefertur n. II, pias ad Deum preces effudissent, quo die festivitatum hujusmodi id egerint, *septem annos et totidem quadragenas.*

VIII. Ipsis etiam cunctis, *quoties* corpora defunctorum tam confratrum, quam aliorum ad sepulturam comitati fuissent, aut alicui pauperi personae in ejus necessitatibus subvenissent, aut pacem inter inimicos composuissent, *toties* pro quolibet praedictorum operum *centum dies* de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxavit *(Hucusque Clemens X. Cetera vero alii Summi Pontifices).*

IX. Omnibus item Chordigeris, qui processioni, ut ante n. IV in una ex Dominicis cujuslibet mensis fieri solitae interfuissent, Paulus V, Brevi *Pias Christi* die 3 Octobris 1609 edito, quod Innocentius XI alio Brevi die 26 Augusti 1680 confirmavit, *plenariam* addidit indulgentiam, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti preces ad Deum effudissent, ut n. II.

X. Confratribus insuper et consororibus, qui etiam poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti Archiconfraternitatis ecclesiam devote visitaverint *die secunda Augusti* a primis Vesperis usque ad occasum solis, et ibi pias ad Deum effuderint preces, ut n. II exprimitur, idem Paulus V, Brevi edito die 15 Junii 1610, indulgentiam concessit *plenariam,* quam ad omnes alias erectas erigendasque Chordigerorum Confraternitates extendit, ut et reliquas indulgentias hucusque recensitas.

XI. Chordigeris praeterea omnibus Gregorius XV, Brevi *Alias* die 27 Junii 1622 edito, in quo Sixti V Breve *Ex supernae* die 19 Novembris

1585 datum continetur et innovatur, concessit lucrari posse omnes et singulas indulgentias *Archiconfraternitati Confalonis B. M. Virginis* in ecclesia S. Luciae de Urbe, a Seraphico Doctore S. Bonaventura sub titulo *Societatis Regulae Recommendatorum* anno 1264, juxta Breve *Pastoris aeterni* Gregorii XIII die 12 Octobris 1576 editum, primitus institutae, nec non *Ordini Fratrum Minorum directe* et *in specie* concessas et non revocatas, non autem per extensionem vel communicationem eisdem competentes; et Brevi *Pias Christi* die 10 Novembris 1622 dato laudatus Pontifex ipsis sacrae Chordae adscriptis elargitus est frui et gaudere posse omnibus et singulis indulgentiis, quibus iidem *Fratres Minores uti regulares,* secundum Breve Pauli V *Romanus Pontifex* die 23 Maji 1606 emanatum, *in genere* fruuntur et gaudent.

XII. Confratribus igitur et consororibus, ex praedictis Summorum Pontificum concessionibus et Brevi etiam *Exponi nobis* ven. Innocentii XI die 15 Maji 1688 edito (Chr. T. III. P. I. pag. 286), communicantur, praeter alias multas nostratibus assignatas, indulgentiae pro recitatione Coronae septem Gaudiorum B. Mariae Virginis, pro Statione SS. Sacramenti, et pro exercitio Viae Crucis; quae praecipuae habentur ac pretiosissimae, et a Tertiariis etiam et Chordigeris omnibus in gratia existentibus *toties quoties* lucrari possunt, et Purgatorii animabus applicari.

XIII. Ipsis quoque confratribus et consororibus, qui propriam capellam in ecclesia Ordinis, et ubi Confraternitas eorum erecta existit, devote visitaverint, ibique pie oraverint, ut n. II dictum est, conceduntur eaedem indulgentiae, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus *Stationum* consequuntur, perinde ac si ecclesias ipsas Urbis personaliter visitassent.

XIV. Adscriptis etiam sacrae Chordae omnibus, qui Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam quinquies ante altare eorum ecclesiae in quolibet die recitaverint, aut, si ob paupertatem, distantiam, infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum capellam visitare nequeunt, quinque *Pater* et *Ave* et *Gloria* in honorem quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi et S. P. Francisci dixerint, conceditur lucrari posse *quinque annos et totidem quadragenas.*

XV. Unde patet, quod merito in Summario Indulgentiarum Seraphici Ordinis (Prinzivalli, Appendix, pag. 93) expressa et congrua enuntiatur exhortatio, ut omnes Christifideles sacram accipiant S. P. N. Francisci Chordam, qua magnum hunc indulgentiarum thesaurum lucrari valeant. Idque ad majorem Dei gloriam et animarum salutem, ab omnibus et singulis ubique terrarum fiat. Amen.

2167. Praeter indulgentias tum plenarias tum partiales, quae in dicto Summario adnotatae reperiuntur, aliae gratiae recentiori tempore a Summo Pontifice Leone XIII concessae sunt Chordigeris, videlicet:

1. *Indulgentia plenaria* diebus festis S. Francisci Assisiensis, S. Clarae Virginis, S. Antonii Paduani et SS. Stigmatum S. P. Francisci.

2. *Iisdem quatuor diebus festis* praefatis Chordigeris indulta est *communicatio bonorum operum,* quae in toto Ordine Tertio fiunt, elargienda sequenti formula: *Communicamus vobis, fratres, orationes, jejunia, Missas, ceteraque opera bona, quae per Dei gratiam in nostra Congregatione et Ordine fiunt, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

3. Semel in anno, nempe *in festo Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis,* iisdem Chordigeris concessum est privilegium *Benedictionis papalis.* Praedictas gratias Chordigeri consequentur, « dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti per aliquod temporis spatium juxta mentem SSmi pie oraverint » (Cf. Decr. 22 Martii 1879 apud *Decr. auth.* N. 444 ad 13^m, et Rescript. 26 Maji 1883 apud *Rescr. auth.* p. 675, n. 440) (1).

26. ARCHICONFRATERNITAS SACRORUM STIGMATUM S. P. FRANCISCI (2).

2168. Fridericus de' Pizzi, chirurgus Romanus, vir pietate insignis ac in Seraphicum Patrem sanctum Franciscum devotissimus, consilio et sub directione P. Fr. Petri Pauli Ordinis Minorum de Observantia, Religiosi sanctae conversationis, assentiente Summo Pontifice Clemente VIII, sub die 11 vel, ut alii scribunt, 21 Augusti 1594, initium dedit in ecclesia S. Petri ad Montem Aureum *(S. Pietro in Montorio, Roma)* praeclarissimae Archiconfraternitati a sacris Stigmatibus S. P. Francisci nuncupatae, cujus praecipuus scopus est, imitari virtutes inclyti Patriarchae. Die 20 Octobris

---

(1) Supplicante Illmo Dno Aloysio Gastone de Ségur, *pii Operis* a *S. Francisco Salesio* Praeside generali, a Summo Pontifice Pio IX per Rescriptum diei 1 Maji 1873 *praedicta Societas Salesiana particeps facta est omnium privilegiorum et gratiarum,* quibus Chordigeri S. P. Francisci gaudent. Ideo est, quod in citatis documentis non semel mentio occurrit *Sodalium S. Francisci Salesii* (Vid. Decr. auth. pag. 406, et etiam libr. de Chordigeris, pag. 79).

(2) Cf. brevem notitiam historicam, quae asservatur in tabella apud aedes praedictae Archiconfraternitatis; Moroni, *Dizionario di erudizione,* verb. *Arciconfraternita delle Stimmate di S. Francesco;* Carlo Luigi Morichini, *Degli Istituti di pubblica carità in Roma,* vol. I, cap. XXIII.

1596 statuta Archisodalitatis fuerunt ab ecclesiastica auctoritate approbata.

2169. Ob majorem confratrum commoditatem praedicta Archiconfraternitas a S. Petro *in Montorio* transiit ad S. Joannem *in Aino*, deinde ad S. Ludovicum Monachorum de Farfa, postea ad SS. Quadraginta *ai Cesarini in Rione Pigna*, postremo ad pulchram ecclesiam Sacrorum Stigmatum ab ipsa Archiconfraternitate aedificatam, ubi etiam in praesens sedem habet.

2170. Ad imitationem ejusdem Archiconfraternitatis, aliae similes Sodalitates erectae sunt in aliis civitatibus et regionibus, quae omnes Archiconfraternitati Romanae aggregatae fuerunt.

2171. Praefatae Archiconfraternitati reperiuntur adscripti viri tum nobilitate tum sanctitate conspicui, ut S. Josephus Calasanctius, Ven. Servus Dei Vincentius M.ª Strambi Episcopus Maceratensis, piissimus Servus Dei P. Carolus Odescalchi e Societate Jesu etc. Summus Pontifex Leo XIII Brevi *Suavi illa in B. Franciscum*, die 19 Junii 1884 patrocinium Templi et Archiconfraternitatis benigne suscepit (Vid. Breve apud Acta Ord. Min. ann. III, pag. 97).

2172. « Summarium indulgentiarum et privilegiorum a Summis Pontificibus concessorum venerabili Archiconfraternitati sacrorum Stigmatum S. Francisci de Urbe » prostat apud *Rescripta authentica* pag. 436.

2173. Modus recipiendi fideles in dictam Archiconfraternitatem non est prorsus idem pro viris et mulieribus. Constat ex numero 1° Summarii ubi dicitur:

« Quilibet utriusque sexus Christifidelis, qui vere contritus de suis peccatis se adscribi faciet in fratrem aut sororem ven. Archiconfraternitatis sacrorum Stigmatum, in illa die, id est *respectu virorum, eorum ingressus in oratorium, et quantum ad mulieres* in die, *qua pariter se inscribi facient in sorores, recipiendo in memoriam S. Patris Francisci funem benedictum,* ac confitendo et ad sacram Synaxim accedendo, lucrabitur indulgentiam plenariam et remissionem omnium suorum peccatorum ».

2174. Confratres et consorores ejusdem Archiconfraternitatis participant bona spiritualia, quae fiunt in Ordine Minorum. Patet ex n. 10° citati Summarii, ubi habetur:

« Quilibet confrater et consoror ejusdem ven. Archiconfraternitatis sacrorum Stigmatum gaudet per participationem omnibus orationibus, disciplinis, jejuniis, peregrinationibus, piis operibus, et

quocumque alio bono spirituali, quod facit et acquirit quilibet Religiosus totius Ordinis S. Francisci Assisiensis ».

27. PIA UNIO S. ANTONII PATAVINI IN ECCLESIA S. ANTONII DE URBE CANONICE ERECTA.

2175. Nota est omnibus singularis in S. Antonium de Padua universi populi christiani devotio et fiducia, ejusque cultus ubique terrarum mirabili modo propagatus omnibus similiter patet. Hinc templa, vel altaria aut statuae in memoriam ejus erecta, hinc imagines et picturae arte decoratae, Sancti effigiem varie illustrantes, hincque solemnia festa in ejusdem honorem ubilibet magno populi concursu concelebrata.

Causa tam vividae tamque diffusae erga Sanctum devotionis non aliunde procul dubio derivat, nisi ab ejusdem speciali privilegio, a Deo communicato, miracula operandi, favores innumerasque gratias dispensandi. Quae omnia in notissimo Responsorio *Si quaeris miracula* Seraphicus Doctor S. Bonaventura paucis expressit et complexus est, unde Sanctus noster gloriosum Thaumaturgi titulum in Ecclesia Dei quasi jure sibi acquisivit.

Quod si sancti Antonii intercessio ac protectio potentissima quidem est apud Altissimum, ad quascumque calamitates arcendas, morbosque pellendos, ea tamen singulari modo refulget in mirabili privilegio a Deo ipsi collato, quo ad ejus invocationem *res perditae* inveniuntur, quod quidem, exorato S. Antonio, experti unanimes testantur.

Verum non res materiales tantummodo, sed, quod nunquam satis lugendum, et ipsa dona supernaturalia persaepe amittuntur: ad haec etiam nostri Thaumaturgi potentia se extendit, qui, dum vitam ageret, zelo vere apostolico flagravit tum ad infidelium conversionem tum ad haereticos et peccatores ad veritatem divinamque gratiam reducendos. Non mirum igitur, si infelix homo, Dei gratia privatus, per hujus Sancti invocationem recuperare eamdem possit, si perdiderit, vel invenire, si nunquam habuerit.

His de causis, approbante Ministro Generali ejusdemque Definitorio, in ecclesia S. Antonii de Urbe, prope insignem Basilicam Lateranensem extructa, et fidelium frequentia celebrata, instituta fuit *pia Unio* universalis a S. Antonio Patavino nuncupata, et canonice erecta ab Eminentissimo Cardinali Lucido Maria Parocchi, Vicario

Sanctitatis Suae, qui ejusdem ecclesiae primarium lapidem posuit, ac deinceps templum, assistentibus decem ex Ordine nostro Praesulibus, solemni ritu consecravit. Mox a Sede Apostolica indulgentiis ditata, in universo terrarum orbe propagata fuit, cujus statutum sequens est:

Caput I. Finis piae Unionis.

Hujus piae Unionis finis duplex est:

Art. I. Gratias agere Deo munificentissimo, qui tot eximia gratiarum dona S. Antonio Patavino contulit, et non solum in coelis, sed et in toto terrarum orbe glorificat.

II. Rogare S. Antonium, ut omnes qui rebus ad salutem animae et corporis necessariis destituti existunt, vel primum regnum Dei et justitiam ejus quaerunt, haec omnia, sancto Antonio intercedente, inveniant. Hinc:

a) Ut pagani, increduli, hebraei, haeretici et schismatici veram fidem inveniant, quam nunquam habuerunt vel misere perdiderunt.

b) Ut peccatores, quos tantopere adamavit S. Antonius, divinam gratiam quam propria culpa amiserunt, recuperent, ad veram poenitentiam reducti.

c) Ut Fratres et Sorores trium Ordinum S. P. Francisci seraphici spiritus thesaurum, quem super omnia quaesivit S. Antonius, quaerant et ipsi indesinenter, secundum propriam Regulam et Constitutiones, ac tandem inveniant, vel inventum cum omni sollicitudine custodiant.

d) Ut panem quotidianum ad vitae sustentamentum necessarium pauperes inveniant.

e) Ut fortunae vel famae bona reperiant, qui tribulationibus vel calamitatibus oppressi illa amiserunt.

Cap. II. Obligationes.

III. Ad assequendos descriptos fines Christifideles adscripti debent:

Recitare quotidie tria *Gloria Patri* in gratiarum actionem SS. Trinitati, quae tantam intercessionis potentiam Thaumaturgo nostro impertire et elargiri dignata est.

IV. Singulis diebus recitare Responsorium *Si quaeris* in honorem S. Antonii, vel qui nesciunt, unum *Pater, Ave* et *Gloria.*

V. Aliquam eleemosynam pauperibus (1) erogare, quoties S. Antonii intercessione ac patrocinio aliquam gratiam obtinuerint.

VI. P. Directori Piae Unionis, ut infra, communicare narrationem gratiarum et favorum, intercedente S. Antonio, obtentorum; quae quidem narratio, a proprio Confessario vel alia persona fide digna, in quantum fieri potest, subsignata in Archivo Conventus S. Antonii asservabitur.

VII. In festo S. Antonii vel infra Octavam ejusdem Sacramenta Confessionis et Communionis suscipere.

Caput III. Conditiones pro admissione.

VIII. Omnes utriusque sexus fideles qui admitti desiderant, piae Unionis Directori a Ministro Generali instituto et Romae in Conventu S. Antonii, *Via Merulana* 124, commoranti tradere vel transmittere nomen, cognomen et nomen patriae ac residentiae.

IX. Fideliter supradictas obligationes adimplere.

Caput IV. Fructus.

X. Omnes Christifideles cum vix adscripti fuerint, participes sunt fructuum unius Missae quae pro ipsis ceterisque ejusdem ecclesiae benefactoribus qualibet feria tertia applicatur in praefata ecclesia, in qua ultra quinquaginta Missae quotidie celebrantur.

XI. Virtute communicationis a Rmo P. Generali Ordinis peractae, omnes adscripti participes sunt omnium orationum et bonorum operum quae in Ordine Minorum S. Francisci, cui ipse praeest, quotidie fiunt.

Approbatio.

Lucidus Maria, miseratione divina Episcopus Albanensis, S. R. E. Cardinalis Parocchi, SSmi Dni Nostri Papae Vicarius Generalis, Romanae Curiae ejusdem districtus Judex Ordinarius, etc.

---

(1) Summopere sodalibus commendatur, ut opus « Panis S. Antonii » nomine vulgatum, propagari curent, ac in singulis paroeciis institui, de consensu Ordinarii loci.

Piam Christifidelium Unionem a S. Antonio Patavino, cujus finis est excitare vel augere devotionem in eumdem S. Thaumaturgum, ejus privilegia recolere ac per eum obtinere a Deo O. M. quae animae et corpori sunt necessaria, Nos potestate nostra ordinaria erigimus in ecclesia illi dicata in via Merulana, prope Archibasilicam Lateranensem, et canonice erectam esse pronuntiamus ejusque Constitutionem quatuor hisce capitulis ac undecim articulis consignatam adprobamus.

Datum Romae ex Aedibus Vicariatus, die 13 Februarii A. D. 1894.

L. M. Card. Vicarius.
PETRUS C. CHECCHI, *Secretarius.*

Concordat cum suo originali in Archivis Vicariatus adservato. Et fidem etc.

Romae ex Secretaria Vicariatus ejusdem, 14 Februarii 1894.

PETRUS CHECCHI, *Secretarius.*

L. ✠ S.

Indulgentiae piae Unionis sodalibus concessae (1).

I. PLENARIAE. 1° Die adscriptionis vel die Dominico eamdem adscriptionem immediate sequenti;

2° Die festo S. Antonii Patavini Conf., piae Unionis Patroni coelestis; nec non

3° Translationis ejusdem Reliquiarum, quae recolitur quotannis die 15 Februarii;

4° In tredecim feriis tertiis continuis quovis tempore, sed semel in anno tantum, iis sodalibus qui memoratis feriis pium aliquod exercitium in honorem ejusdem Sancti devote peregerint; dummodo in singulis enuntiatis diebus vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti aliquam ecclesiam vel etiam publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae aliquamdiu pie oraverint;

5° In mortis articulo, si item vere poenitentes, confessi sacraque suscepta Communione vel, si haec praestare nequiverint, saltem contriti semel SS. Jesu Nomen ore, sin minus corde, devote invocaverint.

II. PARTIALES. 1° *Septem annorum totidemque quadragenarum* in singulis novendialium precum diebus immediate praemittendarum ante festum ejusdem Sancti, quod die 13 Junii celebratur;

---

(1) Ex Rescr. S. C. Indulg., 4 Maji 1894.

2° *Centum dierum* semel in die devote recitantibus *ter Gloria Patri* in gratiarum actionem SSmae Trinitati ob mira dona eidem Sancto tributa;

3° Pariter *centum dierum,* item semel in die, aliquam precem effundentibus ad fines assequendos quos sibi proponit pia Unio. Quas omnes indulgentias eadem S. Congregatio declaravit fore etiam applicabiles animabus igne Purgatorii detentis.

Fr. IGNATIUS Card. PERSICO, *Praefectus.*
† ALEXANDER Archiep. Nicopol., *Secretarius.*

2176. *Binae aliae indulgentiarum concessiones nuperrime factae* (1).

Summus Pontifex Leo XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum, die 9 Julii 1896, concedere dignatus est *omnibus Christifidelibus* recitantibus in honorem S. Antonii Patavini *tredecim Pater, Ave* cum *Gloria Patri,* indulgentiam *centum dierum,* semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem.

Idem Pontifex, per aliud Rescriptum ejusdem S. Congregationis, die 13 Julii 1896, adnectere dignatus est *indulgentiam centum* dierum sequenti orationi ad S. Antonium, italico ac latino idiomate exaratae ab Emo Card. Parocchi S. S. in Urbe Vicario. Rescriptum per extensum damus:

BEATISSIME PATER,

Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Vicarius Sanctitatis Tuae, ad thronum ejusdem Sanctitatis Tuae humiliter provolutus, ad promovendum pium opus quod *Panis pauperum* in honorem S. Antonii Patavini nomen habet, quamdam indulgentiam implorat a recitantibus sequentem orationem lucrandam.

ORAZIONE A S. ANTONIO DI PADOVA.

Glorioso Taumaturgo, padre dei poveri, voi che avete prodigiosamente scoperto il cuor di un avaro immerso nell' oro,

---

(1) Indulgentiae adnexae recitationi responsorii « *Si quaeris miracula* » relatae habentur sub n. 437. Ibi reponendae erant hae novissimae concessiones, sed materia illa jam erat impressa.

per il gran dono ottenuto d'aver il cuor vostro nelle miserie degl' infelici, voi che, offerte al Signore le nostre suppliche, ne impetraste l'esaudimento, gradite in segno della nostra riconoscenza l'obolo che deponiamo a' vostri piedi in soccorso della sventura.

Torni a vantaggio de' sofferenti, come a nostro vantaggio; agli uni ed agli altri accorrete con l'usata benevolenza in aiuto delle necessità temporali, ma più ancora provvedete alle nostre spirituali necessità, adesso e nell'ora della nostra morte. Così sia.

ORATIO AD S. ANTONIUM PATAVINUM.

Thaumaturge gloriosissime, pauperum pater, qui avari hominis cor, nummis aureis immersum, mirabiliter detexisti, eo quod divinitus sortitus fueris cor egenis solandis deditum; quique nostras Domino preces offerens, exauditione donatus dimisisti; accipe, grati animi pignus, denarium quod, levandis pauperibus, ante te sistimus. Ipsis insimul prosit et nobis: utrosque, ut soles, temporalis felicitatis auspice, benevolentia prosequere, sed aeternam potissimum nobis impetra, nunc potius, ac in hora mortis nostrae potentior. Amen.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus supra relatam orationem corde saltem contrito ac devote recitantibus benigne concessit indulgentiam *centum dierum* semel in die lucrandam, defunctis quoque applicabilem. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 13 Julii 1896.

A. Card. Steinhuber, *Praef.*
† A. Archiep. Nicopol., *Secret.*

2177. Rescriptum S. Congr. Indulgentiarum, quo facultas tribuitur Ministro Generali delegandi Sacerdotes tam regulares quam

saeculares ad Christifideles adscribendos *piae Unioni S. Antonii*, itemque centra secundaria stabiliendi.

Beatissime Pater,

Fr. Aloysius a Parma, Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae humiliter provolutus, exponit quod, ineunte anno 1894, ab Eminentissimo Cardinali Vicario Sanctitatis Tuae *pia Unio S. Antonii Patavini* in ecclesia eidem Thaumaturgo dicata via Merulana prope Lateranum canonice erecta fuerit, et exinde adscriptorum Christifidelium numerus ex omnibus orbis partibus ad *centum millia* circiter excreverit. Quibus praemissis, a Sanctitate Tua enixe implorat orator, ut Sacerdotes tam regulares quam saeculares delegare possit ad effectum utriusque sexus Christifideles in singulis orbis regionibus praelaudatae piae Unioni adscribendi, cum participatione indulgentiarum quas Sanctitas Tua eidem piae Unioni benigne elargiri dignata est; itemque, quoties opus fuerit, ejusdem piae Unionis centra secundaria in cunctis nationibus constituere valeat.

Quam gratiam etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SSmo Domino Nostro Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia in omnibus juxta preces. Praesenti in *perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 6 Aprilis 1895.

Fr. Ignatius Card. Persico, *Praef.*

L. ✠ S.

† Alexander, Archiep. Nicopol., *Secret.*

2178. *Formula,* qua utitur Rmus P. Minister Generalis in delegandis Sacerdotibus pro dicta adscriptione.

R. . . . N., dioecesis N.

Salutem in Domino.

Ad fovendum inter Christifideles ac propagandum ubique terrarum cultum erga S. Antonium Patavinum, vigore apostolicae fa-

cultatis nobis concessae, libenter tibi concedimus ut piae Unioni a S. Antonio nuncupatae, et in ecclesia ejusdem Thaumaturgi prope Lateranum canonice erectae, fideles valide adscribere possis, ita tamen ut semel saltem in anno sodalium nomina, cognomina et domicilium viciniori ejusdem piae Unionis centro legitime a Nobis instituto transmittere cures.

Datum Romae, ad S. Antonium via Merulana 124, die . . . anno etc.

2179. INSTRUCTIO PRACTICA DE PIA UNIONE A S. ANTONIO PATAVINO.

I. *Origo, finis et suprema directio.* Pia Sodalitas, a S. Antonio Patavino nuncupata, Romae anno 1894 approbante Definitorio nostro Generali instituta, canonice erecta fuit ab Emo Cardinali Vicario Lucido Maria Parocchi, et paulo post a Sancta Sede indulgentiis ditata. Sedem primariam habet in ecclesia S. Antonii Patavini prope Lateranum.

Praecipuus piae Unionis finis est excitare vel augere devotionem erga S. Thaumaturgum, SS. Trinitati gratias agere pro privilegiis eidem munificentissime concessis et per eum a summo donorum omnium Largitore obtinere quae animae et corpori sunt necessaria. Pia Unio jam in toto Orbe diffusa, decem centena millia associatorum hoc decurrente anno 1896 circiter numerat.

Ejusdem Sodalitatis supremus Moderator est Minister Generalis pro tempore Ordinis Minorum, qui a Sede Apostolica facultatem habet tum Sacerdotes delegandi ad fideles adscribendos, tum centra secundaria in cunctis nationibus constituendi.

II. *Centra nationalia.* Vigore facultatis apostolicae supra memoratae, centra, ut ajunt, nationalia in sequentibus locis, assentientibus locorum Ordinariis, hucusque canonice constituimus:

Aegypto: in Franciscali ecclesia ad S. Catharinam *Alexandriae.*

Anglia: in Franciscali ecclesia *Clevedon (Somerset).*

Austria: in Franciscali ecclesia S. Hieronymi *Viennae.*

Argentina (Republica) in America meridionali: in Franciscali ecclesia *Boni Aërensis (Buenos Ayres).*

Belgio: in Franciscali ecclesia *Mechliniensi.*

Bolivia: in Franciscali ecclesia *Cochabamba.*

Bosnia: in Franciscali ecclesia *Serajevo.*

Canadensi Dominio: in Franciscali ecclesia *Montreal.*

Chilena (Republica): in Franciscali ecclesia *S. Jacobi (Santiago).*

Columbia: in Franciscali ecclesia *S. Fè di Bogotà.*

Gallia: in Franciscali ecclesia ad S. Antonium *Brive (Corrèze).*

Helvetia: in ecclesia Sororum Franciscalium *Friburgi.*

Hercegovina: in Franciscali ecclesia *Mostar.*

Hispania: in Franciscali ecclesia *S. Jacobi (Santiago de Compostela).*

Hollandia: in Franciscali ecclesia *Wychen.*

Lusitania seu Portugallia: in Franciscali ecclesia *Bracharensi (Braga).*

Palaestina: in ecclesia SS. Salvatoris *Hierosolymis.*

Peruana (Republica): in Franciscali ecclesia *Arequipa.*

Syria: in Franciscali ecclesia *Alep.*

Praedicta centra legitime erecta vel in posterum de consensu Ordinariorum erigenda, ipso facto gaudent facultate adscribendi Christifideles qui piae Unioni nomen dare cupiunt. Adscriptorum vero nomina, cognomina ac domicilium in speciali Sodalitatis regesto describi et asservari debent.

Semel saltem in anno director nationalis Directori Centri primarii summariam relationem transmittere debet, in qua breviter indicatur totalis sodalium numerus, quin describere necesse sit singulorum nomina (nisi agatur de viris in ecclesiastica vel civili dignitate constitutis, v. gr. Cardinales, Episcopi, Principes etc., quos aedificationis causa enumerare decet), resque scitu dignae notantur, quae vel cultum S. Thaumaturgi spectant, vel favores ejusdem intercessione a Deo impetratos.

Annua relatio singulis annis, finiente mense Decembri vel incipiente mense Januario, Directori Generali, Romam, via Merulana 124, transmittitur.

III. *Centra dioecesana vel provincialia.* Praeter jamdicta centra nationum, habentur alia centra secundaria quae vel dioecesis vel totius provinciae Christifideles adscribendi facultate donantur. Tales facultates a Moderatore Generali pariter impertiuntur et multis dioecesibus ac provinciis jam concessa sunt. Si in dioecesi adsunt Franciscales ecclesiae, jure meritoque in his ecclesiis centrum instituitur; sed si desint, de consensu Ordinarii in aliis etiam ecclesiis vel publicis oratoriis constitui valent.

Directores centrorum tam nationum, quam dioecesum et paroeciarum tenentur adscriptorum nomina, cognomina et domicilium, uti jam dictum est, in speciali regesto asservare, et quotannis summariam relationem centro nationali mittere.

IV. *Centra parochialia.* Parochis tandem petentibus impertitur a Directore Generali facultas in propriis paroeciis centrum constituendi, ea tamen conditione ut adscriptorum nomina in speciali regesto describant, et semel saltem in anno, ut dictum est, Directori dioecesano compendiatam relationem transmittant.

V. *Directorum officia.* Diploma, quo centrum sive nationale sive dioecesanum aut parochiale canonice instituitur, est privilegium locale, ecclesiae vel oratorio designato concessum, absque ulla temporis determinatione; Parochus igitur vel Superior ecclesiae designatae, pro tempore existens, ipso facto est Director piae Unionis et sive per se sive per alium Christifideles piae Unioni adscribere valet.

Potest Director, si opportunum judicaverit, Secretarium eligere etiam saecularem, qui adscriptionum regestum diligenter conficiendum curet, ac festa celebrata vel gratias, intercedente S. Thaumaturgo, impetratas, fideliter notet.

Directores tandem valent, si voluerint, Zelatores vel Zelatrices quos idoneos recognoverint, nominare ad piam Unionem propagandam.

VI. *Pium exercitium per tredecim ferias tertias in honorem S. Antonii.* Valde commendatur ut in omnibus ecclesiis vel oratoriis, in quibus erectum invenitur piae Unionis centrum secundarium, solemniter singulis annis fiat exercitium per tredecim ferias tertias continuatum in honorem S. Antonii, ut sodales facilius indulgentiam plenariam tali exercitio adnexam lucrari valeant. Privatim quoque fieri potest hujusmodi exercitium.

VII. *Facultates personales Sacerdotibus concessae.* Ad fovendum ubique terrarum cultum erga S. Antonium, dari solet quibuscumque Sacerdotibus petentibus, sive saecularibus, sive regularibus, facultas personalis Christifideles adscribendi, ea tamen conditione ut semel saltem in anno singulorum nomina, cognomina et domicilium viciniori piae Unionis centro legitime instituto remittant. Haec facultas obtineri potest a Ministro Generali Ordinis Minorum, Romae, 124, via Merulana.

VIII. *Scheda piae Unionis.* Quamvis non sit omnino necessarium, expedit tamen ut singulis sodalibus qui piae Unioni adscribuntur, piae Unionis detur scheda seu libellus in quo ejusdem statuta, obligationes et indulgentiae descriptae inveniuntur. Quae quidem schedae in variis linguis typis impressae, vel a Directore

Generali, Romae, via Merulana 124, peti possunt, vel a respectivis centris nationalibus.

IX. *Vox S. Antonii.* Jam ab ineunte pia Unione in lucem prodiit periodicum cui titulus *Vox S. Antonii* diversis linguis editum, ad fovendam erga S. Thaumaturgum devotionem et ejusdem piae Unionis progressus enarrandos. In variis regionibus mox prodiit *Vox S. Antonii* et hujusmodi periodicum sodalibus qui adscribuntur proponatur, ut eidem, si voluerint, subscribere valeant.

X. *Crux S. Antonii.* Ad usum speciatim sodalium piae Unionis fusa est Crux a S. Antonio nuncupata, ex una parte habens effigiem S. Antonii et ex altera *Breve,* ut aiunt, S. Thaumaturgi, id est Antiphonam *Ecce crucem* etc. Huic cruci applicari possunt indulgentiae apostolicae a Sacerdote facultatem habente. Romae invenitur apud Sorores Franciscales, via Giusti 12, et omnes Directores rogantur ut hanc crucem, diversi valoris juxta materiae pretiositatem, veluti piae Unionis tesseram sodalibus commendent.

XI. *Panis a S. Antonio.* Omnibus notum est pium opus quod *Panis a S. Antonio* vel *Panis pauperum S. Antonii* nuncupatur et in cunctis fere Orbis dioecesibus hodie divulgatur. In hoc consistit ut, approbante ecclesiastica auctoritate, erigatur statua in honorem S. Thaumaturgi, et hinc inde duae capsae apponantur, quarum altera devotorum petitiones recipit, altera vero promissas eleemosynas, quibus panis emitur pauperibus distribuendus. Hujusmodi opus omnibus piae Unionis sodalibus, praesertim Directoribus aliisque Sacerdotibus enixe commendamus, cum sit medium efficax, intercedente S. Thaumaturgo, fidem et charitatem ubique excitandi. Hac de causa optandum ut in omnibus ecclesiis vel publicis oratoriis *(non tamen Ordinis Minorum)* servatis servandis, instituatur.

Datum Romae ad S. Antonium, die 15 Februarii 1896.

Fr. Aloysius a Parma,
Min. Glis Ord. Minorum.

28. ARCHICONFRATERNITAS DOCTRINAE CHRISTIANAE (1).

2180. Summo Pontifice Pio IV Ecclesiam Dei gubernante, nonnulli probitatis viri zelo charitatis accensi pro divini cultus au-

(1) Vid. Constit. Pauli V, *Ex credito Nobis* apud Rescr. auth. pag. 450; Analecta Juris Pontificii, serie III, pag. 988 et 1004; Beringer, tom. II. pag. 288; Minderer, part. I, pag. 424.

gmento, in Urbe Roma Tridentino Concilio publicato, pueros et adultos quoscumque summa pietate ac diligentia Doctrinam Christianam docere coeperunt in ecclesia S. Apollinaris, ubi etiam celebris Baronius, tunc simplex Sacerdos, postea Cardinalis, eam docuit. Hoc pium opus, praestante Domino, exiguo temporis spatio adeo incrementa suscepit, ut Associatio sub *Doctrinae Christianae* nomine instituta fuerit. Aliqui ex piis viris, ut hujusmodi sancto ministerio majori assiduitate ac fidelium fructu incumberent, in communi vivere statuerunt, et *Patres* vel *Fratres Doctrinae Christianae (Doctrinarii)* vocati sunt, quorum religiosa Congregatio etiam hodie maxime floret in utilitatem sanctae Ecclesiae. Alii vero in saeculo manserunt, et constituerunt *Confraternitatem Doctrinae Christianae.*

2181. Licet aliqui tantum in communi viverent cum suo Praeposito in ecclesia S. Agathae regionis Transtyberinae, in unum tamen *omnes* sub uno Protectore conveniebant, atque uno Praeside huic saluberrimo operi singulis festivis diebus sedula incumbebant diligentia (Cf. Constit. Pauli V, *Ex credito Nobis*). Gregorius XIII fuit, qui istiusmodi piis operariis tradidit ecclesiam S. Agathae regionis Transtyberinae, prout Clemens VIII illam S. Martini ad Montem Pietatis.

2182. Paulus V, per citatam Constitutionem *Ex credito Nobis,* praedictam Confraternitatem *in Archiconfraternitatem* erexit, sedemque ei statuit in Basilica S. Petri in Vaticano. « Nos, ait Pontifex, pro Nostro pastoralis officii munere hoc pium christianaeque reipublicae necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt ac multo uberiores posthac proventuros speramus, ex animo amplectentes, illudque in dies augeri magis ac magis cupientes; Congregationem praedictam in Urbe institutam, nec non singulas illius personas et ecclesias, nempe S. Martini regionis Arenulae, S. Agathae regionis Transtyberinae eidem Congregationi Apostolica auctoritate concessas, sub Nostra et Sedis Apostolicae protectione suscipientes; motu proprio et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, in celeberrima Basilica Principis Apostolorum de Urbe, Congregationem Doctrinae Christianae hujusmodi in *Archiconfraternitatem* Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus ».

Praefata Archiconfraternitas a Benedicto XIV translata fuit in ecclesiam, vulgo *S. Maria del Pianto,* ubi etiam nunc sedem habet.

2183. Ad Episcopum pertinet *jure ordinario* erigere in propria dioecesi hujusmodi Confraternitates. Quoad aggregationem S. Congregatio Indulgentiarum declaravit « *sufficere ut una Confraternitas Doctrinae Christianae in una civitate Archiconfraternitati* (de Urbe) *aggregata sit, ad hoc, ut cunctae aliae ab Ordinario loci in tota dioecesi erectae seu erigendae, aggregatae censeantur, et omnium spiritualium gratiarum et indulgentiarum, quibus dicta Archiconfraternitas fruitur, participes sint* (Decr. auth. N. 35 et 308 ad 4^{m}), id quod ceteroquin patet ex ipsa Constitutione Pauli V, *Ex credito Nobis* circa finem.

2184. *Summarium indulgentiarum* Archiconfraternitatis Doctrinae Christianae reperitur in cit. *Rescr. auth.* pag. 450. De iis quae sunt communes *omnibus Christifidelibus* Doctrinam Christianam docentibus vel addiscentibus, diximus sub n. 357, quarum aliquae continentur etiam in elencho, quem hic subjicimus.

A) Indulgentiae plenariae. 1. Die ingressus in Confraternitatem, susceptis Sacramentis Confessionis et Communionis.

2. In festo principali Confraternitatis sub iisdem conditionibus.

3. In mortis articulo, si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito Nomen Jesu saltem corde invocaverint.

B) Indulgentiae Stationum Urbis. Qui diebus Stationum Urbis Doctrinam Christianam in ecclesiis docuerint, ac etiam illi, qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequuntur, quas consequerentur, si ecclesias Stationum personaliter visitarent. Easdem etiam indulgentias consequuntur visitatores Confraternitatis, qui ex commisso sibi officio visitant illas scholas, quas in illo die visitare possunt.

C) Indulgentiae partiales. 1. *Decem annorum* pro confratribus, qui extra civitatem ad Doctrinam Christianam docendam per castella et villas exierint.

2. *Septem annorum et totidem quadragenarum* pro confratribus, qui vere poenitentes et confessi semel quolibet mense sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint.

3. *Septem annorum et totidem quadragenarum* pro confratribus, qui die, in qua in quavis civitate vel terra Confraternitas stabiliatur, ad Sacramenta Confessionis et Communionis accesserint.

4. *Septem annorum* pro omnibus praeceptoribus, qui diebus festivis discipulos suos ad Doctrinam Christianam duxerint, eosque illam docuerint.

5. *Septem annorum* pro Sacerdote Confraternitatis, qui in ecclesia seu oratorio illius Confraternitatis verbum Dei praedicaverit aut collationes fecerit, licet illo die non intervenerit in aliqua schola docendi causa.

6. *Septem annorum* confratribus, qui per civitatem viros, mulieres aut pueros ad eamdem Doctrinam Christianam ducendi causa circumierint.

7. *Septem annorum* pro confratribus, quoties sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitati fuerint.

8. *Trium annorum* pro eisdem confratribus, qui corpora confratrum et consororum defunctorum ad sepulturam associaverint, aut exequiis, anniversariis officiisve, quae pro eis celebrantur, pro eorum animabus preces fundentes, interfuerint.

9. *Trium annorum* pro omnibus utriusque sexus et cujuslibet aetatis Christifidelibus ad Doctrinam Christianam discendam in dictis scholis convenire solitis, qui peccata sua quolibet B. Mariae Virginis aut alio festo a Superioribus Confraternitatis determinando confessi fuerint: pro iis vero, qui ad communicandum habiles sunt, si Eucharistiae Sacramentum devote sumpserint, concessa est indulgentia *quinque annorum*.

10. *Ducentorum dierum a)* pro iis confratribus, qui in causa fuerint, ut pueri, famuli aut quaevis aliae personae ad discendam Doctrinam Christianam eant; *b)* pro confratribus, qui disputationibus, quae in scholis dictae Confraternitatis fieri solent, interfuerint; *c)* pro eisdem confratribus, qui infirmos Confraternitatis visitaverint, quoties id fecerint; *d)* pro eisdem confratribus, quoties divinis Officiis et congregationibus publicis vel secretis dictae Confraternitatis intervenerint.

11. *Centum dierum a)* pro confratribus, qui diebus feriatis Doctrinam Christianam aut publice aut privatim explanaverint; *b)* pro praeceptoribus, qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem Doctrinam explicaverint; *c)* pro omnibus et singulis patribus et matribusfamilias, qui in suis domibus liberis, famulis et familiaribus utriusque sexus Doctrinam Christianam explanaverint, qualibet vice id fecerint; *d)* pro omnibus et singulis Christifidelibus, qui per mediam horam Doctrinam aut docendi aut discendi gratia studuerint.

29. PIUM OPUS TERRAE SANCTAE.

2185. Sub titulo *pii Operis Terrae Sanctae* plura continentur: nam pium Opus complectitur conservationem illorum Locorum, quae a Salvatore nostro Jesu Christo praesentia sua, praedicatione, prodigiis, sanguinis effusione, morte ac sepulchro sanctificata et glorificata sunt. Complectitur insuper manutentionem parochiarum, scholarum, conservatoriorum; hospitalitatem gratuitam peregrinorum, qui his praesertim temporibus ob itinerum facilitatem continue et turmatim illuc accedunt; stipem pro pauperibus; subsidia iis, qui adjutricem manum Franciscanis porrigunt in tot ope-

ribus exequendis; jura Patriarchae Hierosolymitano et Delegato Apostolico Aegypti competentia, et alia permulta, quae per singula longum esset recensere. Haec omnia comprehenduntur sub appellatione *pii Operis Terrae Sanctae,* quod aliter notissimum est sub nomine *Missionis Terrae Sanctae* vel *Custodiae Terrae Sanctae.*

2186. Haec Custodia seu Missio inter Missiones Franciscano Ordini a S. Sede concreditas omnium prima eminet, tum ob nobilitatem et sanctitatem locorum pretiosi Sanguinis humanati Verbi purpuratorum, tum ob ejus antiquam fundationem ab ipso Seraphico P. N. S. Francisco factam, et usque ad praesentem diem inter inimicos christiani nominis, inter persecutiones ac sanguinis effusiones a Fratribus Ordinis Minorum conservatam et dilatatam.

2187. Missio Terrae Sanctae comprehendit inter suos limites Patriarchatum Hierosolymitanum, Vicariatum Apostolicum Syriae et Aegypti, eique inserviunt ultra quatercentum Religiosi Ordinis S. P. Francisci *ex omnibus fere nationibus* juxta quidem naturam ipsius pii Operis, quod *non unius nationis proprium, sed internationale est.*

Ad conservationem tanti Operis expensas innumeras requiri, nemo est qui non videat, et luculenter etiam patet ex documentis S. Sedis.

2188. *Opus Terrae Sanctae Apostolica sollicitudine Romani Pontifices incessanter prosecuti sunt.* « Ipsi enim Pontifices, ait Leo PP. XIII, jamdiu a vetustissimis temporibus ea ad Loca pretioso humanati Verbi Sanguine purpurati oculos convertentes, Catholici nominis gentes ad Christi Sepulchrum recuperandum excitarunt, et postquam illud denuo in infidelium ditionem cecidit, et Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci Assisiensis tantummodo licuit ea Loca asservare, nunquam destitere, quin quacumque ope possent, *custodiae saltem ipsorum consulerent,* et Fratrum eorumdem, quos neque persecutionum, neque vexationum neque saeva cruciatuum discrimina tanto unquam ab incepto deterruerunt, praesentibus necessitatibus pro re ac tempore providerent.

« Quare et vivae vocis oraculo, et Apostolicis etiam Litteris Patriarchis, Antistitibus et aliis totius terrarum orbis locorum Ordinariis instanter atque iteratis vicibus mandarunt, ut respectivae eorum curae commissos Christifideles *ad eleemosynas pro Locis Sanctis tuendis offerendas colligendasque impellerent...*

« Denique Pius PP. VI fel. rec. Praedecessor Noster litteris, quarum initium: « *Inter cetera divinorum judiciorum abdita arcana* » die 31 mensis Julii, anno 1778, sub plumbo datis, *quatuor per annum vicibus* ab omnibus sacrorum Antistitibus *Terrae Sanctae necessitates* piae Christifidelium charitati commendandas esse decrevit ».

2189. Quia adauctis in dies, praesertim vertentibus annis, Terrae Sanctae necessitatibus, reditus e fidelium eleemosynis provenientes non amplius sufficiunt Sanctorum Locorum Custodiae, ea potissimum de causa, quod elapso jam saeculi intervallo a memorata Pii VI Constitutione nonnulli ex Ordinariis illam veluti fere obsoletam negligunt, non amplius eleemosynas pro Sanctis Locis commendando, Leo XIII de Apostolica Auctoritate perpetuum in modum decrevit: ut Venerabiles Fratres Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et alii totius terrarum orbis locorum Ordinarii *sub sanctae obedientiae vinculo* curare teneantur, ut respective in cujuscumque dioecesis parochiali ecclesia, *una saltem singulis annis vice, nempe feria sexta* majoris Hebdomadae, vel *alio ad uniuscujusque Ordinarii lubitum* similiter semel tantum quotannis eligendo die, fidelium charitati Sanctorum Locorum necessitates proponantur.

« Pari autem auctoritate expresse interdicimus atque prohibemus, ne quis audeat vel praesumat eleemosynas pro Terra Sancta quomodolibet collectas in alios usus convertere atque immutare. Propterea jubemus collectas, ut superius dictum est, eleemosynas Parochum Episcopo, Episcopum tradere proximiori Ordinis S. Francisci pro Terra Sancta Commissario; hunc autem curare volumus ut eaedem quam citius Hierusalem ad Sanctorum Locorum Custodem, ut moris est, transmittantur. Decernentes praesentes Nostras litteras firmas » etc. (Constit. *Salvatoris,* 26 Decembr. 1887; *Collectanea S. C. de Prop. Fid.* pag. 616).

2190. Necessitates Custodiae Terrae Sanctae denuo commendantur a S. Congregatione de Propaganda Fide per Epistolam de die 20 Februarii 1891, qua « mandatur ut Apostolicae litterae die 26 Decembris 1887 datae, quae incipiunt Salvatoris, *ab universis ad quos pertinent, omnino ad executionem mittantur,* collectaeque eleemosynarum una vice singulis annis feria VI in Parasceve, vel alio quolibet intra annum die pro Terra Sancta faciendae, non debeant quomodolibet ad alios usus converti atque

applicari, sed integre ad Rmum P. Custodem Terrae Sanctae per Commissarios Ordinis S. Francisci ex omnibus orbis regionibus diligenter transmitti, quacumque dispensatione exinde revocata » (*Collectanea* loc. cit.; Acta Ord. Min. ann. X, pag. 36).

2191. Ingentes expensas requiri pro conservatione illorum Locorum, quae praesentia, morte, sepulchro Salvatoris nostri Jesu Christi sanctificata sunt, facile est intelligere. « Exploratum est, ita laudata S. Congregatio de Propaganda Fide, *inspectis temporum nostrorum circumstantiis, auctaque itinerum facilitate,* desiderium inter fideles quotidie magis exardescere ea Loca visendi, quae Salvator noster Christus Dominus praesentia sua ac praedicatione, potissimum vero morte ac sepulchro suo nobilissima in primis reddidit, eaque de causa *ingentes sane expensas ad peregrinos hospitio recipiendos exigi. Insuper sanctuariis conservandis, restaurandis, scholis erigendis, missionibus provehendis haud exiguam pecuniae vim requiri* » (Loc. cit.).

2192. Favores spirituales Benefactoribus Terrae Sanctae ab Apostolica Sede concessi. Pius PP. VI in sua Constitutione *Inter cetera divinorum,* die 31 Julii 1778, bona spiritualia Benefactoribus Terrae Sanctae communicat.

« Nos inexhausti, ait laudatus Pontifex, Ecclesiae thesauri Dispensatores a Deo constituti, cunctos fideles qui temporalium partem bonorum superna Providentia eis traditorum in pium illud sanctumque christianae charitatis Opus relicturi erunt, *omnium spiritualium fructuum et meritorum ex sacrosanctis Sacrificiis, orationibus, jejuniis, poenitentiis, laboribus, peregrinationibus, aliisque religiosis operibus,* quae non modo ejusdem Ordinis (S. Francisci) professores, sed etiam Christifideles ipsa Sancta Loca incolentes, aliique ad ea accedentes, et illa venerantes, benedicente Domino, peragent et facient, provenientium, in eorum reatuum expiationem, et aeternae gloriae praemium, *speciali quo possumus modo, Auctoritatis Nostrae plenitudine participes et consortes in Domino facimus, atque ad eorumdem fructuum et meritorum consortium et communionem aggregamus,* indubiam foventes spem, quod iidem fideles ad tam uberem sanctamque communionem admissi, constantissimi in illa perseverabunt cum gaudio, gratias agentes Deo Patri, qui dignos eos fecit in partem sortis Sanctorum adscribi » (Vid. Acta Ord. Min. ann. IV, pag. 61).

2193. Inter cetera opera salutaria, quae pro Benefactoribus Terrae Sanctae a Fratribus Franciscanis peraguntur in illa sancta

Missione, recensentur *Missae quamplurimae gratis pro ipsis celebratae.* Ab anno 1862 ad totum usque annum 1888, Missarum sacrificia gratis pro Benefactoribus Terrae Sanctae celebrata, habentur descripta in libello: « *Prospetto generale della Custodia di Terra Santa... presentato al Capitolo Generale* » anno 1889. En specimen:

Pro Summo Pontifice	Missae N.	5.408
Pro Catholicis Principibus	»	47.718
Pro Operariis in beneficium Terrae Sanctae laborantibus	»	5.408
Pro Benefactoribus Terrae Sanctae vivis et defunctis	»	650.000
		708.534

2194. Ab ultimo Capitulo Generali Romae celebrato anno 1889 usque ad Congregationem Generalem in Conventu S. Mariae Angelorum prope Assisium habitam die 1 Junii 1895, Missae gratis celebratae sequenti modo distributae fuerunt (Acta Ord. Min. ann. XIV, pag. 138):

Pro Summo Pontifice	Missae N.	1.550
Pro Principibus Catholicis	»	11.475
Pro Benefactoribus Terrae Sanctae	»	104.223
Pro Religiosis defunctis servitio T. S. addictis	»	50.478
		167.726

2195. Indulgentiae concessae fidelibus pio Operi a Terra Sancta nuncupato adscriptis. Benefactores Terrae Sanctae non solum, ut vidimus, admissi sunt ad participationem omnium bonorum spiritualium, quae apud sancta Palaestinae Loca fiunt a Fratribus Franciscanis et a ceteris fidelibus ibi commorantibus, sed insuper *eidem pio Operi adscriptis* indulgentiae elargitae sunt a Summo Pontifice Leone XIII. Hujusmodi Indulgentiarum indicem dabimus infra, explicato prius modo colligendi eleemosynas et adscribendi fideles, prout refertur in *Acta Ordinis Minorum* anno XIII, pag. 131.

2196. Pium Opus Terrae Sanctae. Ad colligendas inter fideles eleemosynas pro Terra Sancta, cujus necessitates de die in diem magis crescere compertum est, nonnulli Commissarii ejusdem Terrae Sanctae in defectu Religiosorum, qui *Collectoris* munere fungantur, modum sat expeditum introducere coeperunt eo

ferme modo, quo procedit pium Institutum, quod a *S. Jesu Christi Infantia* dicitur pro redimendis baptizandisque infidelium pueris. Videlicet: Commissarius in qualibet paroecia vel civitate secernit aliquem numerum virorum vel mulierum, quos *Zelatores* vel *Zelatrices* pro Terra Sancta documento scripto nominat. Istorum officium est *Terrae Sanctae necessitates fidelibus commendare, et signare nomina eorum, qui se adstringunt pro eleemosyna quadam hebdomadali, mensili vel annua, quae simul cum nominibus offerentium mittitur Patri Commissario,* vel directe a singulis Zelatoribus, vel per Zelatorem principalem districtus aut dioecesis Directorem. Commissarius autem semel in anno, folio typis edito, publice rationem reddit eleemosynae collectae a singulis Zelatoribus, simul referens de Terrae Sanctae operibus, quae a nostratibus fiunt.

Hujusmodi usus, necessarius in aliquibus locis, etiam in aliis fortasse non inutilis evaderet, si Patres Commissarii in eo propagando suam operam conferrent. S. Sedes tale pium institutum commendavit, eidemque non paucas indulgentias concessit, in sequenti Rescripto recensitas.

2197. Rescriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum. S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, Christifidelibus praefato pio Operi adscriptis, et aliquam stipem quotannis elargientibus ad conservationem Locorum Sanctorum in Palaestina existentium, sequentes indulgentias, defunctis quoque applicabiles, benigne concessit:

I. Plenariam.

1° Die Nativitatis Domini nostri Jesu Christi.

2° Die Paschatis Resurrectionis, dummodo his diebus vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ad mentem Sanctitatis Suae oraverint.

3° Iisdem pariter, nec non Zelatoribus et Zelatricibus praefati pii Operis in mortis articulo, si praefata pia opera peregerint, vel quatenus ea praestare nequiverint, corde saltem contriti SS. Jesu Nomen ore, sin minus corde devote invocaverint, et mortem uti peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint.

4° Zelatoribus tantum, nec non Zelatricibus praedictis, qui dederint operam eleemosynis colligendis, lucrandam *a)* die festo Circumcisionis D. N. J. C., et *b)* die festo Assumptionis B. Mariae Virginis, si his diebus memorata pia opera praestiterint, et uti supra oraverint.

II. Partialem.

Septem annorum tantum totidemque quadragenarum qualibet sexta feria cujuslibet mensis Christifidelibus, praedicto pio Operi addictis, corde saltem contrito ac devote quinquies recitantibus *Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem,* et *Gloria Patri* etc. in honorem quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi.

Tandem *Dominis Episcopis,* qui in suis respectivis dioecesibus feria sexta in Parasceve jusserint eleemosynam in ejusdem pii Operis finem colligendam; item *Parochis,* qui idem pium Opus Christifidelibus suae curae commissis summopere commendaverint, et hi omnes eleemosynam, si quam collegerint, mittere curaverint ad Patres Commissarios Terrae Sanctae, facultatem elargita est *benedicendi crucifixos,* eisque adnectendi indulgentias Viae Crucis exercitio concessas, itemque *benedicendi chordam* S. Francisci Assisiensis cum respectivis indulgentiis, servatis de jure servandis. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 26 Junii 1894.

L. ✝ S. Fr. Ignatius Card. Persico, *Praef.*
✝ Alexander Archiep. Nicopol., *Secret.*

30. PIUM OPUS PROPAGATIONIS FIDEI.

2198. *Pium Opus a Propagatione Fidei summis laudibus extollitur a Romanis Pontificibus.* Leo Papa XIII in Litteris Encyclicis, quarum initium *Sancta Dei civitas,* 3 Decembris 1880, de Instituto a *Propagatione Fidei* haec proferebat:

Cum aetate nostra libeat ardua quaeque conjunctis plurimorum consiliis et viribus aggredi, societates passim coire vidimus, quarum nonnullae etiam ob eam causam sunt initae, ut provehendae in aliquibus regionibus Religioni prodessent. Eminet autem

inter ceteras pia Consociatio *ante annos fere sexaginta* Lugduni in Galliis coalita, quae *a Propagatione Fidei* nomen accepit. Haec primum illuc spectavit, ut quibusdam in America Missionibus opem ferret: mox tamquam granum sinapis *in arborem ingentem* excrevit, cujus rami late frondescunt, adeoque *ad Missiones omnes,* quae ubique terrarum sunt, actuosam beneficentiam porrigit.

Praeclarum hoc Institutum celeriter Ecclesiae Pastoribus probatum fuit et luculentis laudum testimoniis honestatum. Romani illud Pontifices Pius VII, Leo XII, Pius VIII... Gregorius XVI... et Pius IX Decessores Nostri et commendarunt vehementer et indulgentiarum donis ditaverunt... (Vid. Encycl. penes *Collectanea* S. C. de Propag. Fid. pag. 13, n. 16; et vide etiam aliam Encycl. ejusd. Pont. *Christi nomen,* 24 Decemb. 1894, apud *Act. S. Sed.* vol. XXVII, pag. 385).

2199. Gregorius PP. XVI in Litt. Encycl. *Probe nostis* 15 Aug. 1840 ita Episcopos excitabat favore pii Operis: Imprimis autem Vobis *(Episcopis) summopere commendamus* memoratam Societatem *Propagationis Fidei,* quae inde ab anno 1822 in perantiqua ac nobilissima Lugdunensi urbe primum instituta, mirabili subinde celeritate ac prosperitate longe lateque diffusa est (Vid. cit. *Collectanea,* pag. 179, n. 448; cf. etiam Scavini, Theol. Moralis, tom. IV, edit. 12, append. 41, n. 283, pag. 424).

2200. Quae et quanta fecerit Pius PP. IX favore praedictae Societatis *Propagationis Fidei,* nimis longum esset hic recensere. Leo XIII in memorata Epistola Encylica *Sancta Dei civitas* ita loquitur de Apostolica sollicitudine illustris sui Praedecessoris:

« Neque a vestigiis Decessoris sui (Gregorii XVI) deflexit gloriosae recordationis Pius IX, *qui nullam praetermisit occasionem juvandae Societatis meritissimae, ejusque prosperitatis in majus provehendae.* Revera auctoritate ejus ampliora pontificalis indulgentiae privilegia in socios collata sunt, excitata ad ejus operis subsidium christianorum pietas, et praestantissimi e sodalium numero, quorum singularia merita constitissent, variis honorum insignibus decorati; demum externa aliquot adjumenta, quae huic Instituto accesserant, ab eodem Pontifice ornata laude et amplificata sunt » (Litterae Encycl. videri etiam possunt apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XIII, pag. 1).

2201. *Scopus piae Societatis a Propagatione Fidei* a Leone PP. XIII in memoratis Litteris Encyclicis explicatus, sic etiam prae-

finitur in Decreto Urbis et Orbis 5 Augusti 1851: « Scopus praeclarae Societatis Fidei Propagationis ille est, ut Christifideles utriusque sexus huic Coetui adscripti et *piis precibus* et *eleemosynis* in id conveniant, ut et Patrem misericordiarum *pro dilatatione Fidei catholicae exorent, et mediis et sumptibus concurrant in sustinendis oneribus,* quae pro ejusdem Fidei dilatatione necessaria omnino sunt » (*Rescr. auth.* N. 374; et vid. etiam Decr. 17 Octob. 1847, ibid. N. 366).

2202. *Pii Operis Propagationis Fidei constitutio* (organisation). Duo Comitatus centrales seu, ut vocant, *Consilia centralia* ex Sacerdotibus et laicis coalescentia, hujusmodi pio Operi praesunt, quorum unum Lugduni, alterum Parisiis residet. Utrumque proprium habet Praesidem, qui tamen inter se concorditer agunt in expeditione eleemosynarum. Plurimis in locis constituta sunt etiam *Consilia dioecesana,* et sub istorum dependentia *Chiliarchiae, Centuriae* et *Decuriae,* nempe sectiones, quae constant ex *mille, centum, decem* membris cum respectivis capitibus, quorum officium est colligere eleemosynas, et sic collectas quasi in tot centris cumulare.

2203. Verum Operis constitutio tali modo peracta, quae scilicet constat ex Consilio dioecesano, Chiliarchiis, Centuriis et Decuriis, non est conditio necessaria, ut adscriptus frui possit indulgentiis pio Operi concessis vel (si sit Sacerdos) facultatibus et privilegiis Presbyteris nonnullis impertitis. — Optandum tamen et curandum ut Operis constitutio fiat juxta normam a S. Sede approbatam; *sin minus sufficit, ut saltem Ordinarius cum uno vel altero Consiliario pio Operi praesideat* (Decr. 16 Julii 1887; *Acta S. Sed.* vol. XX, pag. 60-62 ad 1^{m}).

2204. *Conditiones ut fidelis quilibet sit sodalis* cum jure lucrandi indulgentias, tres sunt, observatu facillimae: 1. *Inscriptio nominis in registro alicujus capitis sectionis,* vel saltem propriam voluntatem manifestare ingrediendi in piam Societatem.

2. *Qualibet hebdomada unum obolum tradere pro pio Opere.*

3. *Recitare quotidie* (quolibet idiomate) unum *Pater* et *Ave* cum hac invocatione: *Sancte Francisce Xaveri, ora pro nobis.*

2205. *Pium Opus a Propagatione Fidei non subest legi de non adscribendis absentibus.* Cum a Sacra Congregatione Indulgentiarum Decretum die 13 Aprilis 1878 prodierit, quo iterum declaratum fuit in piis Sodalitiis inter sodales adscribi absentes non posse,

nonnulli putarunt et aliquae ephemerides vulgarunt, etiam pium Opus, quod a Propagatione Fidei nomen habet, eo Decreto comprehendi, ac proinde eidem Operi adscribi se renuebant. Ne autem ex tali illius Decreti interpretatione damnum obveniret sacris Missionibus, quae a memorato pio Opere *tum precibus, tum eleemosynis* adeo valida adjumenta percipiunt, Emus Cardinalis Simeoni sa. me. Praefectus S. C. de Propaganda Fide, censuit consulere hac super re ipsam Sacram Indulgentiarum Congregationem, quae declaravit, *eamdem numquam in animo habuisse per Decretum* 13 *Aprilis* 1878 *Opus pro Fidei Propagatione complecti, cum istud non modo Sodalitium non sit, sed tantum pium Opus, verum etiam privilegiis sibi propriis fruatur* (Vid. Epist. Card. Simeoni apud *Acta S. Sed.* vol XII, pag. 430).

2206. *Inscriptio nominis in aliquo registro non praescribitur sub poena non fruendi indulgentiis.* Hoc sequitur ex modo dictis. Nam inscriptio nominis in registro requiritur tamquam conditio ad lucrandas indulgentias *in Confraternitatibus proprie dictis* (vid. n. 1781 sqq.), inter quas pium Opus Propagationis Fidei non recensetur. Insuper id clare deducitur ex responsione ad sequens dubium:

Qualis huic pio Operi *(Propagationis Fidei)* adscriptio requiratur, ut quis possit frui tum indulgentiis, tum facultatibus ac privilegiis concessis?

S. Congregatio Indulgentiarum respondit: *Servetur consuetudo: pro lucrandis vero indulgentiis fruendisque privilegiis sufficit, ut opera praescripta adimpleantur* (Decr. 16 Julii 1887, loc. cit. ad 2^{m}).

Dummodo ergo Christifidelis opera pro singulis indulgentiis praescripta adimpleat, lucrari potest indulgentias eidem pio Operi concessas. Inscriptio nominis non est ad hoc necessaria.

2207. Attamen fidelis sive per se, sive per interpositam personam manifestare saltem debet, ut dictum est, *suam voluntatem ingrediendi in piam Societatem* alicui sectionis capiti, ut ei liceat *nomen ejus adnotare et hebdomadalem obolum colligere.* Hoc esset registrum particulare in commodum Collectorum eleemosynarum, non registrum *commune* seu *matricularium,* quod necessarium non est. Huc tamen recidit allatum responsum S. Congregationis Indulgentiarum ad quaesitum: *Qualis huic pio Operi adscriptio requiratur?* Resp. *Servetur consuetudo.*

2208. Ex declaratione S. Congregationis in memorato Decreto 16 Julii 1887 ad 3^{m}, « *potest novos sodales adscribere quicumque legitimam colligendi eleemosynam habet facultatem* ».

2209. Fidelis pio Operi Propagationis Fidei adscriptus qui *non solet quotidie* recitare preces praescriptas, scilicet unum *Pater* et *Ave* cum invocatione « *S. Francisce Xaveri, ora pro nobis* », aut qui *suum obolum hebdomadalem solvere negligit*, frui nequit *indulgentiis* (Decr. cit. ad 1^{am} partem dubii IV).

At idem fidelis tali modo negligens, *facultatibus ac privilegiis* nonnullis Presbyteris impertitis gaudere adhuc potest; *quatenus illa privilegia ratione piae collectionis eleemosynarum, aut operae praestitae in comitatibus concessa sunt* (Decr. eod. ad 2^{am} partem dubii IV).

2210. *Speciale indultum pro sociis pauperibus.* Quamvis elargitio eleemosynae unius oboli per hebdomadam, utpote valde tenuis, facile possit a Christifidelibus sustineri; nonnulli tamen hominum in hac lacrymarum valle ea rerum conditione saepe vexantur, qua exiguam quidem eleemosynam hebdomadalem prae sua inopia conferre prohibeantur. Quare Summus Pontifex Pius IX hujusmodi etiam *vere pauperibus* Ecclesiae thesauros aperuit, ac propterea clementer indulsit, ut, si qui Christifideles ita pauperes sint, *ut hebdomadalem obolum omnino nequeant elargiri* (quod uniuscujusque conscientiae remittendum esse mandavit), rite possint pio Operi adscribi, et frui omnibus indulgentiis, dummodo tamen *quidpiam pecuniae, etiam in minima quantitate,* juxta uniuscujusque vires et conscientiam, *saltem quolibet mense,* Societatis Propagationis Fidei collectoribus, usquedum in hoc verae paupertatis statu maneant, elargiantur (Decr. 5 Aug. 1851; *Rescr. auth.* N. 374).

2211. Relate ad obolum hebdomadalem sciendum est, ex declaratione facta a Consilio centrali Lugdunensi, non esse necessarium ut oblatio fiat qualibet hebdomada, sed posse etiam fieri ad beneplacitum quolibet trimestri, vel semestri, vel etiam quolibet anno, dummodo statuta eleemosyna ad finem anni pio Operi conferatur. (Cf. Beringer, tom. II, pag. 308).

2212. Si contingeret ut Comitatus regionales piorum Operum Propagationis Fidei et Sanctae Infantiae *se separarent* a Comitatibus centralibus Parisiensi et Lugdunensi, *et societatem independentem* efformarent, quae collectas distribuat in propria sua regione,

vel etiam in regionibus infidelium omnino juxta scopum praedictorum Operum, attamen *independenter a Societatibus centralibus,* ex ipso facto separationis *amitterent indulgentias et privilegia* his Operibus a S. Sede concessa (Decr. 16 Julii 1887 ad 8[m], supra cit.).

2213. Pium Opus Propagationis Fidei vix ac obortum est, Romani Pontifices, ut vidimus, singulari cura prosecuti sunt, et Christifidelibus ut suis elargitionibus quotidianisque precibus tam saluberrimum Opus confoverent, indulgentiarum thesauros reserarunt, et Sacerdotibus praesertim, qui vel stipem propriam elargiti essent, vel data opera alienam collegissent ad illud sustentandum, speciales facultates et privilegia tribuerunt (Cf. *Nouv. Rev. Théol.* tom. XVIII, pag. 442; tom. XXI, pag. 606).

2214. Summarium Indulgentiarum et privilegiorum *piae Societatis Propagationis Fidei* ex diversis concessionibus *(nunc primum)* excerptum, et a S. Congregatione Indulgentiarum die 30 Aprilis 1890 approbatum, reperitur apud *Collectanea* S. C. de Propag. Fide, pag. 370, n. 1063, et etiam apud *Rescr. auth.* N. 366, sed non integre, cum desint novissimae concessiones.

2215. Hanc brevem notitiam de pio Opere Propagationis Fidei concludimus exhortatione Summi Pontificis Pii IX, Decreto Urbis et Orbis, 5 Augusti 1851:

« Sanctitas Sua expresse etiam mandavit, ut omnes terrarum orbis Christifideles magis magisque in Domino excitentur, praecipue autem ii, quos *bonorum omnium largitor Deus fortunis ac reditibus locupletavit, singuli autem pro eorum viribus,* ut piae huic Societati nomen dare quamprimum solliciti, *precibus ac eleemosynis* ad finem praeclarum *catholicae fidei propagationis* concurrant, ac indulgentiis et gratiis a pia Matre Ecclesia copiose concessis perfruantur.

« Quapropter animarum pastores, et praecipue locorum Ordinarii, fidei ac religionis dilatandae zelo succensi, *verbis et scriptis subditos sibi fideles ad praeclarum Opus sustentandum inflamment,* et simul omnes preces, supplicationesque apud Deum Patrem omnipotentem offerre quotidie non cessent, ut cum messis multa sit, mittere dignetur operarios in Vineam suam, et opportunis subveniat auxiliis *ad onera ingentia ubique terrarum perferenda* pro majori catholicae Ecclesiae dilatatione, ut, omnibus tandem hominibus in unitatem fidei occurrentibus, *fiat unum ovile et unus pastor* » (*Rescr. auth.* N. 374, pag. 290).

31. PIUM OPUS A SANCTA INFANTIA (1).

2216. Hujus mirabilis institutionis auctor fuit Rmus Dnus Carolus Forbin-Janson Episcopus Nanceyensis (Nancy), qui Parisiis anno 1843 initium ei dedit.

Opus a sacra Jesu Christi Infantia recte dici potest *apostolatus infantium christianorum* erga infantes populorum infidelium extremi Orientis, praecipue Sinensium, *in nomine et propter amorem sanctissimi Infantis Jesu.* Notum est, apud hujusmodi populos, praesertim in Sinarum imperio, saepe contingere ut parentes, ne onere graventur nutriendi prolem, eam crudeliter derelinquant, vel suffocent, vel in flumina aut cavernas projiciant, nulla contra hanc parentum immanitatem reclamante lege. His miseris infantibus occurrit charitas infantium christianorum in *pio Opere a sancta Infantia Jesu Christi* inter se conjunctorum. Ipsi mensilem obolum offerunt, qui ad Missionarios transmissus, medium aptissimum est ad redimendos et salvandos miserrimos illos infantes, qui in supradictis infidelium regionibus a barbaris parentibus morti addicuntur.

2217. Non solum pium Opus a sacra Infantia vitam temporalem, sed, quod potius est, vitam aeternam praedictis infantibus procurat, eos aquis Baptismatis abluendo. Quod si in vita maneant, christiana charitate aluntur, educantur, quousque et ipsi, optimi christiani efformati, religionem catholicam inter suos cives, quisque juxta modum proprii status, magno zelo diffundere satagunt.

2218. Tam mirabile christianae charitatis Opus jam a sua ipsa nativitate ab Episcopis probatum, Romani Pontifices et laudarunt maxime, et Apostolico zelo commendarunt, ut Gregorius XVI, Pius IX et Leo XIII.

2219. Pius IX per Breve Apostolicum 18 Julii 1856 pium Opus a sancta Infantia tamquam *institutionem canonicam* constituit, et Cardinalem protectorem ei concessit. Non abs re erit aliquid ex dicto Brevi depromptum hic adjicere:

---

(1) Opusculum *dell' Opera della S. Infanzia;* Scavini, tom. IV, n. 286, pag. 428, edit. 12ª, sed praecipue *Manuel de l'Œuvre de la Sainte-Enfance, édition de 1885*, Paris.

«... Quamquam (ait Pontifex sa. me.) ab alio pio Opere, quod a *Propagatione Fidei* ortum duxerit hujusmodi pium Opus a *sacra Infantia* appellatum, tamen sive praecipuus illius finis, sive personae, quae in ipsum adsciscuntur spectentur, dignum profecto censemus, quod peculiari Nostrae Auctoritatis praesidio fulciatur. Et sane dum ipsum eo intendit, ut miserrimos Sinensium, sive aliarum idololatrarum gentium infantes immanitate parentum morti addictos ab acerbo interitu redimat, et salutaribus abluat Baptismatis aquis, catholicos pueros arcessit, atque excitat, ut iisdem servandis, quoad possint, operam adjiciant suam, ac tam praeclarum charitatis actum absolventes tempestive agnoscant eximium Dei beneficium, qui eos vocavit in admirabile lumen suum...

« Reliquum nunc est, ut merita laudum praeconia tribuamus pii hujusce Operis adjutoribus ac rectoribus pro curis illius propagationi ac prosperitati solerter impensis, ac tum ipsos tum singulos huic instituto adscriptos vehementius hortemur, ut in proposito constanter perseverent animarum saluti studentes, quam curare quisque debet ex praecepto charitatis; unicuique enim mandavit Deus de proximo suo.

« Neque vero Venerabiles Fratres catholici Orbis Antistites monere hic praetermittimus, ut hujusmodi christianae institutionis genus *in suam quisque dioecesim inducere, ac tamquam arbusculum assurgentem in Vinea Domini excolere diligenter velit, fructus uberrimos allaturum* » (Vid. *Collectanea* S. C. de Prop. Fid. pag. 182, n. 454).

2220. Simili modo piam Societatem a *sacra Jesu Infantia* laudum praeconiis cumulavit Summus Pontifex Leo XIII, praesertim in Brevi *Sancta Dei civitas* 3 Decembris 1880, quod supra commemoravimus n. 2198, tum in altero Brevi, cujus initium *Humani generis Ecclesia parens,* 3 Februarii 1893, in quo Pontifex « *nonnulla privilegia dictae Societati ad tempus alias concessa, perpetua esse voluit* » (Vid. Breve apud *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXV, pag. 392).

2221. *Membra pii Operis a S. Infantia* in duplicem classem dispescuntur. Ad primam classem pertinent *infantes* post receptum sacrum Baptisma *usque ad duodecimum aetatis annum,* et hi sunt praecipua et proprie dicta Associationis membra. Pertinent ad secundam classem personae cujuslibet aetatis *post expletum duodecimum aetatis annum,* et hujusmodi socii dicuntur *aggregati,*

qui *ad vitam* privilegiis et indulgentiis pio Operi concessis perfrui possunt, *hac tamen conditione servata,* ut scilicet post completum vigesimum primum aetatis annum *inscribantur etiam pio Operi Propagationis Fidei.* Haec conditio servanda est etiam a ceteris Christifidelibus, qui, excesso praefato anno vigesimo primo, ingredi cupiunt in pium Opus S. Infantiae.

2222. *Pii Operis a S. Infantia constitutio* (organisation). In memoriam duodecim annorum infantiae Domini nostri Jesu Christi, socii dispertiuntur in series *membrorum duodecim;* series duodecim *unam subdivisionem,* et duodecim subdivisiones *unam divisionem* constituunt.

Quaelibet series *Collectorem* habet, subdivisio *thesaurarium,* et quaevis divisio *magnum thesaurarium (grand-trésorier).*

Spiritualis Associationis directio in singulis paroeciis pertinet de jure ad respectivum *Parochum* vel ad alium Sacerdotem ab eo designatum.

In singulis respective dioecesibus Episcopi *Consilium dioecesanum* constituunt, cujus est *cum Consilio centrali Parisiensi* de negotiis pii Operis conferre.

Nominantur etiam *Zelatores* et *Zelatrices,* quorum est pro viribus curare, ut tam pium Opus cognoscatur, propagetur et augeatur.

Satis est ut una series *membrorum duodecim* in paroecia constituta sit, ut socii gaudere possint indulgentiis a Summis Pontificibus piae Associationi concessis.

Sociorum nomina in registro pii Operis inscribuntur. Haec tamen inscriptio, licet non omittenda, non est tamen necessaria nec pro lucro indulgentiarum, nec pro participatione privilegiorum, cum pium Opus a S. Infantia non sit vera Confraternitas.

2223. *Sociorum obligationes* duae sunt: 1° *Recitare quotidie unum Ave Maria* juxta intentionem pii Operis, addendo hanc invocationem: *Virgo Maria et sancte Joseph, orate pro nobis et pro miseris infantibus infidelibus.*

2° *Offerre obolum quolibet mense.* Hisce obligationibus satisfacere possunt parentes vel aliquis sodalis, quoadusque pueri ad eas personaliter adimplendas apti fiant.

2224. Consilium centrale pii Operis dividit et distribuit quolibet anno eleemosynas inter varias Missiones. Computus generales publicantur *in Annalibus,* qui unoquoque bimestri notitias praebent tum Sinensium, tum ceterarum Missionum.

Epistolae, eleemosynae etc. dirigi debent ad Directorem generalem pii Operis a sancta Infantia (*Paris, rue du Bac,* 146), vel ad Directorem dioecesanum.

2225. *Patroni pii Operis.* Beatissima Virgo Maria est patrona principalis hujus pii Operis. Sancti Angeli Custodes, sanctus Joseph, sanctus Franciscus Xaverius, sanctus Vincentius de Paula sunt patroni secundarii.

2226. Qui de hoc pio Opere uberiores notitias habere cupit, conferat *Annales a S. Infantia,* vel supra citatum opus, cui titulus « *Manuel de l'Œuvre de la Sainte-Enfance...* 1885 », in quo continentur praecipua documenta quoad ejus institutionem, constitutionem, privilegia et indulgentias.

Relate *ad privilegia* omnibus et singulis Sacerdotibus *in quibuslibet Societatis Consiliis Directoribus, praefectis seriei duodecim* etc. concessa, iterum advertimus, Summum Pontificem Leonem XIII per memoratum Breve *Humani generis Ecclesia parens,* benigne indulsisse, ut ea in posterum non amplius ad tempus, sed *perpetua* sint.

32. ASSOCIATIO CATHOLICA S. FRANCISCI SALESII (1).

2227. Summus Pontifex Pius IX sa. me. anno 1855 et sequenti duobus venerabilibus Sacerdotibus desiderium suum esse dixit, ut apud catholicas gentes pia exurgeret *precum et eleemosynarum Societas,* quae Christianorum fidei refovendae, catholico clero auxilium praestando, conjuratis Ecclesiae hostibus expugnandis pro viribus incumberet, ut sic pura et integra ubique inter fideles servaretur catholica fides. *Vellem,* subjunxit Pontifex, *quamdam Propagationem Fidei ad intra,* ita ut, qui inter infideles atque haereticos fidem propagandam curant, eamdem servandam tuendamque suscipiant inter fideles. Ex quo piissimo desiderio tanti Pontificis exordium sumpsit *Associatio S. Francisci Salesii* Nemosii primum *(Nemours)* anno 1855, deinde biennio post Lutetiae Parisiorum, ubi, praeside Rmo ac zelantissimo Dno De Ségur am-

(1) *Rescr. auth.* pag. 319, N. 406; *Acta S. Sed.* vol. IV, pag. 107; *Manuel d'Œuvres religieuses* etc. par l'Abbé Gustave Chapelle, Mende 1894; Beringer, tom. II, pag. 281.

pliori fundamento stabilita fuit, ac mirabiliter deinceps propagata est.

2228. *Scopus* igitur *pii Operis S. Francisci Salesii* a Summo Pontifice Pio IX instituti, est: *conservatio et defensio Fidei* in regionibus catholicis. *Media* autem ad hunc sanctissimum finem assequendum sunt:

1. *Condere, augere vel adjuvare scholas catholicas atque instituta pia ad sancte informandam juventutem.*

2. *Bonos libros ad vulgarem populorum sensum accommodatos diffundere, gratisque dispensare.*

3. *Promovere praedicationem verbi Dei, missiones, spiritualia exercitia tum ruriculis, tum suburbiis.*

4. *Pecunia et eleemosynis adjuvare ecclesias, si quae sint adeo inopes, ut nequeant cultum Dei, prout decet, sustinere.*

5. *Fovere denique, quoad fieri potest, atque adjuvare quotquot ad statum ecclesiasticum vocati videntur.*

2229. *Constitutio piae Associationis* simplex est. *Consilium centrale* Parisiis residens pium Opus dirigit et administrat. Ipsum componitur ex personis ecclesiasticis, religiosis et laicis pietate et zelo erga catholicam Ecclesiam praestantibus. Patronus pii Operis est unus ex Cardinalibus sanctae Romanae Ecclesiae.

2230. Consilium centrale communicat cum Episcopis et cum Directoribus dioecesanis, informationes recipit et eleemosynas, quas, attentis necessitatibus, juxta pii Operis intentum distribuit.

2231. *Rector dioecesanus.* In qualibet dioecesi ubi pia Associatio reperitur erecta, eidem Associationi praeest Sacerdos cum titulo Rectoris seu Directoris ab Episcopo deputatus, et ad eum spectat promovere et propagare pium Opus, colligere oblationes sociorum, et cum Consilio centrali Parisiensi respondere.

2232. *Socii.* Eo modo quo in Opere a Propagatione Fidei, sodales in Associatione S. Francisci Salesii dispertiuntur *in decurias.* Ut quis fiat sodalis et lucrari possit indulgentias pio Operi concessas, sufficit quolibet mense *unum obolum* offerre, et quoad fieri potest, recitare quotidie ad intentionem pii Operis unum *Ave Maria* cum hac invocatione: *Sancte Francisce Salesi, ora pro nobis.*

Indulgentias ac alios favores spirituales sodalibus hujus pii Operis concessos vide apud Beringer, tom. II, pag. 284.

33. ARCHISODALITAS OPERIS EXPIATORII IN PRIMAM-PRIMARIAM ERECTA.

2233. Anno 1884 ad finem vergente, in loco *La Chapelle-Montligeon* vulgo nuncupato, dioecesis Sagiensis *(Séez)* canonice erecta fuit Sodalitas sub titulo: *Operis expiatorii, derelictis animabus a Purgatorio liberandis,* vulgo: *Œuvre expiatoire pour la délivrance des âmes délaissées du Purgatoire.* Ut quis hujus sancti Operis fiat sodalis, nihil aliud requiritur, nisi *ejus nominis inscriptio* in registro Directoris generalis et *oblatio unius oboli (cinque centesimi)* quolibet anno pro celebratione Missarum in suffragium defunctorum.

2234. Haec Associatio, jam a Summo Pontifice Leone XIII benedicta, plurium etiam Episcoporum approbationem obtinuit, et tam celeriter per totum Orbem propagata est, ut nonnisi per speciale divinae Providentiae concursum id fieri potuerit. Ultra tres fidelium milliones reperiuntur inscripti, et Missae circiter mille et quingentae qualibet hebdomada celebrantur, quin computentur ea, quae in Associationis bonum proveniunt ex publicationibus, quas typographia pii Operis diversis linguis edit ac diffundit per catholicas regiones. Episcopus Sagiensis augmento et prosperitate hujus piae institutionis permotus, ad Summum Pontificem recursum habuit, eum suppliciter deprecans, ut praedictam Associationem titulo *Archiconfraternitatis* honestare et indulgentiis tam favore sociorum quam animarum in Purgatorio degentium ditare dignaretur.

2235. Leo PP. XIII preces Rmi Episcopi benigne excepit, et per Breve diei 2 Octobris 1893 Sodalitatem *Operis expiatorii in Archisodalitatem ad honorem* erexit atque instituit.

Pergratum est Nobis, ita Pontifex in initio citati Brevis, *ad singulares meritosque honores pias illas evehere Sodalitates, quae studio charitatis incensae, omni ope adnituntur, ut fidelium animabus in Purgatorio igne detentis quotidie perlitetur. Propenso itaque accepimus animo in paroecia* vulgo *La Chapelle-Montligeon dioeceseos Sagiensis, Consociationem sub titulo* « OPERIS EXPIATORII *derelictis animabus a Purgatorio liberandis* » *canonice erectam existere, quae ingenti numero sodalium pollens, ac longe lateque diffusa, Sacro piaculari singulis diebus multifariam celebrando, defunctis admissa expiantibus, maxime*

excellenterque opitulatur. Cum igitur Venerabilis Frater Franciscus Maria Tregaro, Sagiensis Antistes, summas Nobis preces admoverit, ut eam Archisodalitatis nomine ac privilegiis cohonestare velimus, Nos, quo hujusmodi Sodalitium uberiores in Deo fructus legat, benigne his votis censuimus obsecundandum. Quare... Auctoritate Apostolica Nostra, praesentium vi, memoratam Sodalitatem... IN ARCHISODALITATEM AD HONOREM *cum solitis privilegiis perpetuum in modum erigimus atque instituimus...* (Analecta ecclesiastica, ann. I (1893), pag. 439).

2236. Per Rescriptum vero S. Congregationis Indulgentiarum de dato 22 Novembris 1893, Leo PP. XIII praefato *Operi expiatorio* pro juvandis animabus igne Purgatorii detentis, indulgentias, quas postea subnectimus, benigne concessit.

2237. Quinimo idem Summus Pontifex praefatum pium Opus expiatorium nuper in *Primam-Primariam* in perpetuum erexit per Breve quod incipit *Romani Pontifices* de dato 19 Junii 1895. « Haec pia Societas, ait Pontifex in dicto Brevi, in loco cui vulgo nomen Montligeon dioecesis Sagien. primum erecta, in tantam brevi amplitudinem, Deo favente, crevit, ut Galliae non modo, sed totius Europae fines longe praetergressa, *universum fere terrarum orbem* in praesentia pervaserit. Ipsam per similes Apostolicas Litteras Nostras die 2 mensis Octobris anno 1893 datas, *ab omni dependentia solventes ab Urbana Archisodalitate ad S. Mariam de Monterone,* Archisodalitatis titulo privilegiisque decoravimus ».

2238. Deinde Leo XIII, ad preces Dni Pauli Buguet, Parochi capellae de Montligeon, amplissimo Sagiensis Antistitis suffragio suffultas, *ut uberiori Archisodalitatem eamdem dignitate augere velit,* optatis hujusmodi annuendum libenti quidem animo existimavit.

Quare « motu proprio, pergit Pontifex, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium vi, dictam Archisodalitatem piacularis Operis pro liberandis derelictis a purgatorio igne animabus in loco cui nomen Montligeon dioecesis Sagien. institutam, in *Primam-Primariam* cum consuetis privilegiis perpetuum in modum erigimus atque instituimus.

Propterea praecipimus, ne perturbationes exoriantur, et omnis prorsus dubiis tollatur causa, ut similes Associationes, neque eumdem ac ipsa *Prima-Primaria* titulum usurpare, neque iisdem

statutis uti frui omnino possint ac valeant... » (Vid. *Nouv. Rev. Théol.* tom. XXVII, pag. 351).

Ex dictis collige, titulum *Archisodalitatis ad honorem* Operi expiatorio collatum anno 1893, illum tantummodo effectum obtinuisse, ut ipsum Opus *ab omni dependentia solutum fuerit a Romana Archisodalitate S. Mariae Assumptae de Monterone, cui antea aggregatum fuerat.*

2239. Indulgentiae concessae Societati Operis expiatorii.

Plenaria: 1. Die ingressus in praedictam Archisodalitatem;

2. Die festo SS. Corporis D. N. Jesu Christi;

3. Die festo S. Joseph, Sponsi B. Mariae Virginis;

4. Die festo ejusdem B. Mariae Virginis in coelum assumptae, si *dictis diebus festis, vel saltem uno ex septem diebus eosdem festos dies immediate subsequenti,* vere poenitentes, confessi, ac S. Communione refecti, aliquam ecclesiam, vel etiam publicum sacellum devote visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae aliquandiu pias ad Deum preces effuderint; tandem

5. In mortis articulo, si uti supra dispositi, vel saltem corde contriti sanctissimum Jesu Nomen ore, sin minus mente, devote invocaverint.

Partialis *vero septem annorum totidemque quadragenarum* semel in die lucranda, quo publicum aliquod coemeterium devote visitaverint, ibique aliquam precem effuderint in suffragium fidelium defunctorum.

Tandem Summus Pontifex indulsit etiam, ut Sacerdotes dioecesis Sagiensis, qui ad colligenda sodalium nomina subdelegantur, *pro tribus intra hebdomadam diebus,* frui possint privilegio altaris (*Analecta eccl.* ann. II, pag. 173).

34. PIUM FOEDUS DE PRESBYTERIS DEFUNCTIS.

2240. P. Bonaventura a Surrento, Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Neapolitanae, nunc meritissimus Episcopus S. Severi in Apulia, die 30 Septembris 1888, approbante Rmo Ordinario Surrentinae dioeceseos, instituit pium Foedus in *levamen Presbyterorum defunctorum* sub titulo *La pia lega de Presbyteris defunctis.* Pium hoc Foedus sedem habet in loco *S. Agnelli* nuncupato apud Surrentum in ecclesia Franciscalium Capuccinorum.

2241. *Sodalium obligationes.* Opera injuncta Sacerdotibus pio Foederi adscriptis sequentia sunt:

1. Quotidie precatiunculam *Requiem aeternam* recitare post laudationem Marianam *Angelus Domini,* matutinam, meridianam, vespertinam.

2. Eamdem precatiunculam *Requiem aeternam* addere post SSmi Rosarii recitationem.

3. Recitare psalmum *De profundis,* persoluto diei currentis Officio divino.

4. Recitare Sequentiam « *Dies irae* » quando est ad libitum in Missis de Requie.

5. Facere in Missa cujuslibet Sabbati speciale *Memento* pro Presbyteris defunctis.

Haec autem omnia, ut facile intelligitur, non obligant sub culpa.

2242. *Indulgentiae* Sacerdotibus adscriptis concessae a Summo Pontifice Leone XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum diei 15 Martii 1890 *in perpetuum* valiturum, hae duae sunt:

Indulgentia plenaria SACERDOTIBUS in die adscriptionis, vel in uno ex subsequentibus infra mensem a die post adscriptionem decurrendum, dummodo vere poenitentes, confessi Missam ea die celebraverint, vel ad sacram Synaxim accesserint, et aliquo temporis spatio ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint;

Indulgentia plenaria sodalibus OMNIBUSQUE CHRISTIFIDELIBUS, qui solemnibus Exequiis quotannis, die ab Ordinario semel tantum designando in decursu mensis Septembris, una vice pro defunctis sodalibus celebrandis in praefata ecclesia Capuccinorum interfuerint, dummodo rite expiati sacra Synaxi se reficiant, vel si Sacerdotes Missam celebrent, et ad mentem Sanctitatis Suae devote fundant preces. — Sodales vero, qui *extra civitatem vel dioecesim Surrentinam degunt,* eamdem indulgentiam plenariam assequi possunt, recitando tertiam Rosarii partem loco assistentiae praefatis Exequiis, simulque praedicta pia opera adimplendo.

2243. *Privilegia.* Sacerdotibus pio Foederi adscriptis concessum est, *bis in hebdomada,* indultum altaris privilegiati personalis, pro Missis ab eisdem celebrandis in suffragium Defunctorum (Vid. *Analecta Ord. Min. Capuccinorum* (1890), vol. VI, pag. 163).

35. PIA UNIO PRECUM INTER EPISCOPOS CATHOLICI ORBIS (1).

2244. De hac pia inter Episcopos Unione duo documenta afferimus, ex quibus clare dignoscitur ejus origo ac natura, nec

---

(1) Vid. *Collectanea* S. C. de Propaganda Fide pag. 57, n. 116; *Analecta Ord. Min. Capucc.* 1890, vol. VI, pag. 227-229.

non spirituales gratiae a Summo Pontifice Leone XIII eidem piae Unioni concessae.

2245. *Primum documentum* est Epistola ab Emo Cardinali Simeoni, S. C. de Propaganda Fide Praefecto, scripta et transmissa ad Episcopos, et est sequentis tenoris:

Illme ac Rme Domine,

Jam inde ab anno 1866, adhortante viro Eminentissimo Cardinali Xisto Riario Sforza Archiepiscopo Neapolitano, pia quaedam Unio efformata est inter plures Europae aliarumque regionum Episcopos, qui in spiritu congregati preces persolvunt, antecessores suos vita functos, seipsos, propriosque greges unanimiter Deo commendantes.

Quo autem haec pia Unio precum magis ac magis in dies inter alios quoque Episcopos propagetur, a SSmo D. N. Leone PP. XIII eorum quidam nuperrime expostularunt, ut eam benigne adprobare atque Apostolica Benedictione auspicari dignaretur.

Porro Sanctitas Sua, ut primum praedictorum Praesulum vota excepit, propositae ab ipsis Unioni precum Benedictionem Apostolicam peramanter impertiens, eam nedum amplissimis cohonestare laudibus, sed et in omnibus adprobare ac peculiaribus indulgentiis ditare dignata est. Voluit praeterea SSmus D. N. ipsam piam Unionem per Decretum hujus S. Congregationis de Propaganda Fide erigi, atque *in eadem S. Congregatione* ejus praecipuam sedem, seu centrum statui pro cunctis totius catholici Orbis Episcopis adscribendis.

Quae cum ita sint, Decretum erectionis memoratae Unionis precum ad Amplitudinem Tuam transmitto, Te simul rogans ut mihi significes an ad ipsam adscribi velis. Atque interim responsionem tuam praestolans, precor Deum ut Te quam diutissime servet ac sospitet.

Datum Romae ex Aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 7 Decembris 1887.

Ampl. Tuae Addictissimus uti Frater

Joannes Card. Simeoni, *Praefectus.*
Dominicus Archiep. Tyren., *Secret.*

2246. *Alterum documentum* est Decretum erectionis, de quo fit mentio in relata Epistola. In eo indicantur omnia quae hujus-

modi piam Unionem respiciunt, nempe *finis* seu *pietatis officia* piae Unionis propria, *preces praescriptae,* nec non *indulgentiae* Episcopis eidem adscriptis concessae. En integrum Decretum:

DECRETUM.

Anno 1866 Cardinalis Xistus Riarius Sforza Archiepiscopus Neapolitanus, epistola ad Archiepiscopum Baltimorensem data, haec de Unione precum inter Episcopos constituenda habebat: « Inter tot, quibus Episcopus quotidie detinetur labores, interque curas, quas secum affert pastorale ministerium, haud exiguum certe levamen erit, si omnes Episcopi catholici sibi mutuo auxilium praebere studeant, et assiduis orationibus invicem omnipotentem Deum exorent. Hinc aliqui Episcopi, praesertim Ditionis Ecclesiasticae, operae pretium esse existimarunt, si plurimi Episcopi in Spiritu Domini congregati tria pietatis officia vellent exercere: primum erga defunctos Episcopos, secundum erga seipsos, tertium erga Episcopos in coelis cum Christo regnantes esset persolvendum ». Ad id autem inter alia haec proponebat:

I. Ut primo fiat satis, quilibet Episcopus quotidie in Missa specialem memoriam habeat de Episcopis recens vita functis; quotannis vero infra Octavam Omnium Sanctorum vel per se, vel per alium Sacerdotem, Missam unam celebret pro omnibus Episcopis catholicis in Christo quiescentibus.

II. Secundum pietatis officium erga seipsos adimplendum in eo sit, ut omnes sint speciali modo in Spiritu congregati coram Domino, dum orationi quotidie vacant aliasque sanctas absolvunt actiones. Quare sive mentali orationi, sive piae lectioni vacent, sive Missam celebrent, sive Horas canonicas persolvant, sive preces supererogatorias recitent, sive sacras functiones peragant, omnia simul agere intendant. In Sacro quoque faciendo specialiter orent pro toto episcopatu catholico, pro incolumitate Romani Pontificis et pro sanctificatione gregis unicuique commissi. Ut autem haec pia Unio firmior in dies evadat, Reginae Apostolorum tutelae et patrocinio commendanda est, ac proinde neminem ex Episcopis pigebit post Horas canonicas, vel alio tempore semel in die orationem recitare *Memorare, piissima Virgo,* et ter deinceps illam invocare: *Virgo Immaculata, Regina Apostolorum, ora pro nobis.*

III. Tertium denique pietatis officium postulat, ut speciali cultu prosequantur omnes Episcopos qui, in terra degentes pastorali

munere sanctissime perfuncti, nunc in coelis semper prompti et parati sunt ad interveniendum apud Deum pro iis qui missi ad excolendam Vineam Domini in labores eorum introierunt. Quapropter in fine Horarum canonicarum commemorationem hoc modo facient Episcoporum, quorum illa die festum agitur, et omnium sanctorum Episcoporum:

I. *Ant.* Pastores optimi, qui animam posuistis pro ovibus, intercedite pro nobis et pro grege nostro ad Dominum.

℣. Benedicite Sacerdotes Domini Domino.

℟. Benedicite et superexaltate eum in saecula.

OREMUS.

Deus, qui in Sanctis tuis et exemplum et praesidium collocasti: concede nobis famulis tuis, sanctorum omnium Antistitum, quorum hodie memoriam recolimus, et exempla sectari et protectione muniri. Per Christum Dominum nostrum.

II. *Ant.* Omnes sancti Pontifices, estote memores nostri, deprecamini pro nobis Filium Dei Sacerdotem magnum.

℣. Benedicite Dominum omnes electi ejus.

℟. Agite dies laetitiae, et confitemini illi.

OREMUS.

Fiat, Domine, quaesumus, super nos misericordia tua: et omnium sanctorum Antistitum intercessione concede; ut in pastorali officio obeundo eorum experiamur suffragia, et vestigia prosequamur. Per Christum Dominum nostrum.

2247. Cum vero nuper nonnulli ex Episcopis praesertim Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis, supplices preces SSmo D. N. Leoni PP. XIII porrexerint, ut hujusmodi piam Unionem firmius constituere, et sacris indulgentiis ditare dignaretur, Sanctitas Sua in Audientia diei 19 Septembris 1886, referente infrascripto R. P. D. Archiepiscopo Tyrensi, S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, memoratam piam Unionem benigne adprobans atque confirmans, omnibus ac singulis catholici orbis Episcopis in eam adscribendis benigne largiri dignata est sequentes indulgentias in perpetuum:

1° *Plenariam* omnium peccatorum indulgentiam lucrandam die primo eorum ingressus in ipsam piam Unionem: dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Eucharistia refecti ecclesiam aliquam visitaverint, atque ibidem pias ad Deum preces effuderint pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, sanctae Matris Ecclesiae exaltatione et juxta Summi Pontificis intentionem.

2° *Plenariam* item lucrandam in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, vel si id nequiverint, saltem corde contriti, ore si potuerint, sin minus corde, SS. Nomen Jesu devote invocaverint.

3° *Plenariam* etiam diebus quibus fit Commemoratio Omnium RR. Pontificum, et Orationis D. N. Jesu Christi in *Monte Oliveti*, adimpletis consuetis conditionibus, ut supra in n. 1.

4° *Partialem* insuper *60 dierum* lucrandam semel singulis diebus, cum sacris ministeriis sibi concreditis ipsi vacaverint.

Demum Sanctitas Sua Episcoporum adscriptiones in supradictam piam Unionem apud Sacram hanc Congregationem Christiano Nomini Propagando fieri atque servari, et ab eadem super his omnibus praesens Decretum dari mandavit.

Datum Romae ex Aed. S. Congregationis de Prop. Fide, die 7 Decembris 1886.

JOANNES Card. SIMEONI, *Praefectus*.
✝ DOMINICUS Archiep. TYREN., *Secretarius*.

APPENDIX

Referuntur tres decisiones decursu impressionis hujus operis editae. Doctrina de precatione *Angelus Domini* et *Regina coeli* reperitur explicata in proprio loco. Hic damus per extensum Decretum S. Congregationis indulgentiarum, quod tunc nobis praesto non fuit. His adjungimus preces quasdam ut infra.

I. DECRETUM

(reponendum ante n. 377).

Recitatio orationis « ANGELUS DOMINI »
et antiphonae « REGINA COELI ».

Calcedonius Mancini, Presbyter Congreg. Missionis et Redactor « *Ephemeridum Liturgicarum* », duorum insequentium dubiorum a Sacra Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita solutionem humiliter postulat:

1. An in Sabbatis Quadragesimae, in quibus Vesperae anticipantur ante meridiem, oratio « *Angelus Domini* » ipso in meridie recitari debeat *stando*, ut recitatur *stando* antiphona finalis Vesperarum, an potius *flexis genibus* ad indulgentias lucrandas?

2. An juxta normas praescriptas a sylloge authentica Orationum et piorum Exercitiorum edita a S. C. Indulgentiarum anno 1886 Decreto diei 21 Maji, ad lucrandas indulgentias, Sabbato infra Octavam Pentecostes recitanda sit, meridie, oratio « *Angelus Domini* » vel antiphona « *Regina coeli* » ?

Et in plenaria Congregatione die 5 Martii 1896 in Aedibus Vaticanis habita Patres Cardinales responderunt:

Consulendum Sanctissimo pro opportuna declaratione quoad utrumque dubium.

Die vero 20 Maji ejusdem anni in Audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto, SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne declaravit: *In Sabbatis Quadragesimae* orationem « ANGELUS DOMINI », *meridie, recitandam esse* stando; *Sabbato vero infra Octavam Pentecostes, meridie, recitandam esse antiphonam* « Regina coeli ».

Datum Romae ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 20 Maji 1896.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† ALEXANDER Archiep. Nicopol., *Secret.*

II. DECRETUM

(ante n. 667).

(MEDIOLANEN.) *Quandonam Cruces, Coronae etc. benedictae amittant indulgentias, si vendantur.*

Quamvis haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita decreverit sub die 16 Julii 1887, res indulgentiis ditatas tradi debere fidelibus omnino gratis, ita ut, si aliquid quocumque titulo requiratur vel accipiatur, indulgentiae rebus adnexae amittantur; nihilominus ab hac S. Congregatione humiliter petitur sequentium dubiorum solutio:

1. An amittant indulgentias Cruces, Coronae etc., si quis eas emens, ipsi venditori earum benedictionem nomine suo curandam committat, soluturus pretium expensasque transmissionis, in ipso actu, quo res illae jam benedictae sibi tradentur?

Et quatenus negative

2. An amittant indulgentias Cruces, Coronae etc., si quis praevidens eas jam benedictas postulatum iri certa occasione, puta magni concursus fidelium, in antecessum benedicendas curet pro iis qui eas, restituto pretio expenso, petituri sint?

Sacra vero Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito etiam unius ex Consultoribus voto, sub die 10 Julii 1896 relatis dubiis respondere mandavit:

Ad 1. *Negative.*
Ad 2. *Affirmative.*
Dat. Romae ex Secret. ejusdem S. C. die et anno uti supra.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus.*
† ALEXANDER Archiep. Nicopol., *Secret.*

III. EX VICARIATU URBIS

(ante n. 1882).

Dubia circa piam Associationem a S. Familia.

1. Utrum proles nata post consecrationem et aggregationem alicujus *integrae familiae* censeri possit et ipsa aggregata, vel potius debeat, vel a seipsa, vel a parentibus singulariter aggregari?

Resp. Ad primum *Negative;* ad secundum *Affirmative.*

2. Utrum caput familiae in actu consecrationis suae *integrae familiae,* possit cum vivis aggregare etiam parentes defunctos?

Resp. *Negative,* quia aggregatio respicit viventes.

3. Utrum qui jam nomen dederunt piae Consociationi, debeant singulis annis personaliter partem habere in solemni consecratione quae fit in parochiali ecclesia, vel possint illam privatim renovare, vel possint ab utraque abstinere?

Resp.: Ad 1^{m}, et 2^{m}, *provisum in* 3; — Ad 3^{m} *absolute loquendo, non teneri,* quia prima consecratio semel facta, perseverat. Sed valde hortandos esse fideles ut haec consecratio renovetur, prout innuunt Statuta.

4. Utrum Capitulum penes quod residet cura habitualis animarum, quae actualiter a Vicario perpetuo exercetur, possit aliquem deputare Sacerdotem, praeter dictum Vicarium, vel etiam illo excluso, pro aggregatione familiarum piae Associationi a sacra Familia?

Resp.: *Provisum in jure canonico,* ubi de Vicariis perpetuis, nisi singularia privilegia fuerint a Sancta Sede concessa.

5. Cum fuerit responsum die 12 Dec. 1893 quod Parochus debet inscribere *numerum totalem* membrorum cujuslibet familiae, quaeritur utrum fuerint validae anteriores inscriptiones, factae sine numero totali?

Resp.: *Affirmative.*

6. Utrum praeter inscriptionem factam a Parocho in libro parochiali debeat ab eodem alia fieri in libro speciali qui a singulis familiis detineatur?

Resp.: *Non requiri.*

Et haec pro veritate transmitto et testificor.

Datum Romae ex Aedibus Vicariatus, die 26 Julii 1896.

RAPHAËL CHIMENTI,
Piae Ads. Sacr. Fam. Secr.

IV. ORATIO

IN HONOREM SPIRITUS SANCTI PRO S. ECCLESIA

(ante n. 263).

O Creator sancte Spiritus, adesto propitius Ecclesiae catholicae universae, eamque contra inimicorum incursus tua superna virtute robora et confirma; tua charitate et gratia spiritum famulorum tuorum, quos unxisti, renova, uti in te clarificent Patrem Filiumque ejus unigenitum Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulgentia *tercentum dierum* semel in die pro omnibus Christifidelibus corde contrito et devote praefatam Orationem recitantibus (Leo XIII per Rescript. S. Congregationis Indulgentiarum diei 26 Aug. 1889).

V. CANTICUM B. MARIAE VIRGINIS

(ante n. 386).

Magnificat anima mea Dominum.

Summus Pontifex Leo XIII per Rescriptum S. Congregationis Indulgentiarum diei 20 Sept. 1879, omnibus Christifidelibus corde saltem contrito ac devote praedictum Canticum recitantibus concessit

Indulgentiam *centum dierum,* semel in die lucrandam (*Raccolta* pag. 515).

Et per aliud Rescriptum ejusdem S. Congregationis d. d. 22 Febr. 1888

Indulgentiam *septem annorum et septem quadragenarum* semel in die in omnibus Sabbatis.

VI. ORATIO SUPERIORUM ORD. MINORUM

JUXTA MENTEM S. PATRIS FRANCISCI.

(Ex opusculis S. Francisci Assis. Editio Waddingi, tom. III, coll. 27).

Da mihi, Domine, affabilem esse minoribus et tanta benevolentia praeditum, ut meo affectui non vereantur se committere delinquentes. Fac, quaeso, ut sim moderatus in praeceptis, propitius in offensis, feram magis peccatores quam inferam injurias. Hostis sim vitiis, medicus vitiosis, talis denique sit vita mea quae ceteris fiat spectaculum disciplinae. Per Christum etc.

Indulgentia 100 dierum semel in die lucranda et defunctis applicabilis (S. Congr. Indulg. die 3 Febr. 1896).

INDEX SYNTHETICUS

Caput II. Doctrina canonica de Indulgentiis.

PARS II. DE INDULGENTIIS IN SPECIE.

Caput I. Preces et pia exercitia.

Articulus I. Deus Trinus et Unus.

ARTICULUS II. BEATISSIMA VIRGO MARIA.

ARTICULUS IV. PRECES ET PIA EXERCITIA PRO DEFUNCTIS.

Caput II. Jubilaeum.

Caput III. Benedictio Apostolica.

Articulus I.

Articulus II.

Articulus III. Benedictio cum indulgentia plenaria in articulo mortis.

Caput IV. Indulgentiae objectis piis applicatae.

Articulus I. Coronae, rosaria, cruces, crucifixi, parvae statuae, numismata in genere.

Articulus II. Objecta pia in specie.

Articulus III. Scapularia in genere.

ARTICULUS IV.

Caput V. Indulgentiae locales, quae nempe ecclesiis, locis piis sive objectis immobilibus adnectuntur.

ARTICULUS I. ECCLESIAE ET ORATORIA PUBLICA.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

ARTICULUS IV.

ARTICULUS V.

ARTICULUS VI. INDULGENTIA PORTIUNCULAE.

ARTICULUS VII. ALTARE PRIVILEGIATUM.

ARTICULUS VIII. GREGORIANUM TRICENARIUM, ALTARE S. GREGORII IN MONTE COELIO, ET ALTARIA GREGORIANA AD INSTAR.

Caput VI. Via Crucis.

ARTICULUS I. STATIONES VIAE CRUCIS.

Caput II. Indulgentiae Ordini Minorum concessae.

Caput III. De Tertio Ordine saeculari S. P. Francisci.

ARTICULUS I.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

ARTICULUS IV.

ARTICULUS V. JURA ET PRIVILEGIA TERTIARIORUM.

ARTICULUS VI.

Caput IV. De Confraternitatibus in genere.

Caput V. De Confraternitatibus et piis Associationibus in specie.

Appendix.

INDEX ALPHABETICO-ANALYTICUS.

Citantur numeri *marginales* et raro pagina, *pag.* Litterae *sq.* indicant *sequentes* numeros.

A

B

D

E

F

G

H

I

J

K

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

U

V

X

Z

ADDITIO AD N. 304.

Moderatio Decreti alias editi circa altare, quod communiter dicitur Sepulchrum.

Novissimum Rescriptum hic ponimus, quia illud nobis innotuit impresso jam Indice.

ROMANA.

Dubia quoad altare, quod communiter dicitur Sepulchrum.

Instantibus plerisque Rmis Episcopis variarum regionum, qui sacros ritus et caeremonias juxta ecclesiasticas praescriptiones ac laudabiles consuetudines in suis dioecesibus observari satagunt, quaestio super altari quod communiter dicitur *sepulchrum,* alias agitata, Sacrae Rituum Congregationi sub duplici sequenti dubio proposita fuit, nimirum:

I. Utrum in altari, in quo feria V et VI majoris Hebdomadae publicae adorationi exponitur et asservatur SS. Eucharistiae Sacramentum, repraesentetur sepultura Domini, aut institutio ejusdem augustissimi Sacramenti?

II. Utrum liceat ad exornandum praedictum altare adhibere statuas aut picturas, nempe beatissimae Virginis, S. Joannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae, et militum custodum, aliaque hujusmodi?

Sacra porro Rituum Congregatio in ordinariis comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, ad relationem infrascripti Cardinalis, Sacrae eidem Congregationi Praefecti, exquisitis trium Rmorum Consultorum suffragiis scripto exaratis, attenta quoque antiqua et praesenti Ecclesiae disciplina, omnibusque maturo examine perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Utrumque.*

Ad II. *Negative. Poterunt tamen Episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, hujusmodi repraesentationes tolerare; caveant autem ne novae consuetudines hac in re introducantur.*

Atque ita rescripsit, contrariis quibuscumque Decretis abrogatis. Die 15 Decembris 1896.

Facta postmodum de his SSmo Dno Nostro Leoni XIII per ipsum infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua Rescriptum S. Congregationis ratum habuit et confirmavit, iisdem die, mense et anno.

CAJ. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*
D. PANICI, *S. R. C. Secret.*

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGENDA
44	11	iudulgentias	indulgentias
75	8	n. 148	n. 149
202	21	482.	432.
205	7	O divini amoris	O divi amoris
234	34	a quosdam Episcopo	a quodam Episcopo
238	6	*adjuratis*	*abjuratis*
251	13	nempre	nempe
256	11	exhiberi	adhiberi
257	3	angustiis	angustis
273	35	*cum haud reversuros*	*cum se haud reversuros*
283	28	Ita decisit	Ita decidit
364	16	Eam insuper	Ea insuper
388	9	ACCITE	ACCIPE
400	11	**PAAVUM**	**PARVUM**
403	26	novo, quo	novum, quo
428	2 (ab infra)	943.	943 bis.
564	6	indulgentiae	indulgentias
567	29	*in perpetuum* valituro	*in perpetuum* valiturum
640	22	dissentiones	dissensiones
704	24	sequentis die	sequentis diei
736	13	quinque modis	quinque nodis
738	4	haec verba potulit	haec verba protulit
749	29	ex qualibet hebdomadae	ex qualibet hebdomade
758	20	quoad hoc eis praescribitur	quoad hoc praescribitur
784	2 (ab infra)	valide	validae
795	13	cacanonice	canonice
805	1 (ab infra)	a Leo	a Leone
859	4 (ab infra)	Sess. XXI	Sess. XXII
954	8	duobus partibus	duabus partibus
1005	2 (ab infra)	*Achipresbyt.*	*Archipresbyt.*
1031	9	facile instituere	facile contingat instituere
1042	16	exauditione donatus	exauditione donatas
1066	13	*ruriculis*	*ruricolis*